This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Digitized by Google

C649.7.5

Harvard College
Library

FROM THE BEQUEST OF
JOHN HARVEY TREAT
OF LAWRENCE, MASS.
CLASS OF 1862

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

DOCTORIS ECSTATICI

D. DIONYSII

CARTUSIANI

OPERA OMNIA

IN UNUM CORPUS DIGESTA

AD FIDEM EDITIONUM COLONIENSIUM

CURA ET LABORE

MONACHORUM SACRI ORDINIS CARTUSIENSIS

FAVENTE PONT. MAX. LEONE XIII

TOMUS XXXIV

OPERA MINORA

II

TORNACI

TYPIS CARTUSIÆ SANCTÆ MARIÆ DE PRATIS

MDCCCCVII

Digitized by Google

Digitized by Google

DOCTORIS ECSTATICI

DIONYSII CARTUSIANI

OPERA OMNIA

Digitized by Google

IMPRIMI POTEST

Fr. Renatus-Maria, Prior Cartusiæ,

in festo S. Anthelmi, Cartusiani, anno 1907.

IMPRIMATUR

Tornaci, 2a Julii 1907.

V. Cantineau, Canonicus, Censor librorum.

Digitized by Google

DOCTORIS ECSTATICI

D. DIONYSII

CARTUSIANI

OPERA OMNIA

IN UNUM CORPUS DIGESTA

AD FIDEM EDITIONUM COLONIENSIUM

CURA ET LABORE

MONACHORUM SACRI ORDINIS CARTUSIENSIS

FAVENTE PONT. MAX. LEONE XIII

34

OPERA MINORA

II

TORNACI

TYPIS CARTUSIÆ S. M. DE PRATIS

MDCCCCVII

Digitized by Google

Digitized by Google

DOCTORIS ECSTATICI

D. DIONYSII

CARTUSIANI

OPERA MINORA

TOMUS SECUNDUS

EX EDITIONE COLONIENSI

JOANNIS SOTER ANNI MDXXXII.

Digitized by Google

C649.7.5

OPUSCULA

HUJUS VOLUMINIS

De Natura æterni et veri Dei, pag. 7.

Creaturarum in ordine ad Deum consideratio theologica, pag. 99.

De Venustate mundi et pulchritudine Dei, pag. 223.

De Distantia perfectionis divinæ et humanæ, pag. 255.

De Munificentia et beneficiis Dei, pag. 291.

De Laudibus Dei, pag. 327.

De Laudibus superlaudabilis Dei, pag. 411.

Digitized by Google

DE NATURA ÆTERNI ET VERI DEI

Digitized by Google

Digitized by Google

EXIMIO SACRARUM LITTERARUM ET TOTIUS PHILOSOPHIÆ PROFESSORI, M. ARNOLDO LUDE TUNGRENSI, INSIGNIS ECCLESIÆ COLLEGIATÆ AD GRADUS DIVÆ MARIÆ VIRGINIS COLONIENSIS CANONICO, VIRO OMNIUM VIRTUTUM PRÆCLARISSIMO, F. THEODORICUS LOER A STRATIS, DOMUS CARTUSIANORUM IN COLÒNIA MONACHUS ET VICARIUS, S. P. D.

UNIVERSA D. Dionysii a Rickel Hasbaniensis (nostræ professionis monachi, in omni scripturarum genere haud minus eruditi quam devotissimi) opera ex majorum meorum jussu et imperio in lucem revocaturus, ne quid temere agerem, tibi omnium theologorum et philosophorum nostri ævi facile principi, simul atque aliis doctissimis hujus Academiæ Agrippinensis theologiæ professoribus, ad amussim discutienda, prius (ut par erat) committere volui : quatenus vestro judicio vel in publicum prodirent, vel certe domi delitescerent. In qua re profecto in primis gratias immortales habemus vobis omnibus insumpti laboris, et tibi præsertim, vir humanissime, quod tu non modo operam impenderis hujusmodi examini, quin etiam haud mediocre suffragium illis excudendis præstiteris. Congratulamur interim quoque et Ordini nostro, qui et illud cum aliis multis fulgentissimum lumen, huic nostro sæculo jamjam irradiaturum, olim produxerit : maxime quia vobis gravissimis in re litteraria censoribus (quod lætabundi omnes accepimus) testantibus, hujus auctoris volumina nedum absque periculo evulgari poterunt, sed et haud parum conductura sunt Ecclesiæ catholicæ, modo pios nanciscantur lectores : nempe quæ, rudi licet Minerva, seu (ut aiunt) levi cothurno, hoc est communi ac facili scholasticorum stilo, veluti sub palea, sanctæ eruditionis nobilissima contineant grana, unde panis vitæ et intellectus pro devotis quibusque confici queat : ut nec ulli deinceps multum sit de integritate ejus doctrinæ sollicitandum, ubi tamen exprimendi codices ad archetypum sinceriter collati fuerint. Quare illis emendandis, quo elimatiora sub prælum mittantur, et nostram adhibemus diligentiam, et vestræ Facultatis Theologum approbatum, nostro judicio ad hanc rem satis appositum, nobis cooperatorem conciliavimus Joannem Romberch Kirspensem. Qui pro suo in Ordinem nostrum pio affectu, hactenus nobis fideliter porrexit manum adjutricem, nulli parcens studio aut labori, quatenus a scriptorum erroribus hæc opera liberentur : quæ insuper undequaque suis flosculis exornare molitur, ut in Commentariis psalmorum, in Elementatione philosophica, in Elementatione theologica, et in libello de Natura Dei, atque aliis, facile conspicies. Quod si impressores, ejus laboribus (quibus ipsum in reliquis recognoscendis speramus non defuturum nobis) atque nostris pari diligentia responderint, nihil dubito omnibus vere christianis hujusmodi librorum editionem haud minus gratam fore quam profectura sit.

Inter quos, ex multis jam a prælo absolutis, tractatulum de Natura æterni et veri Dei, tibi quum meo, tum maxime Reverendi Patris D. Petri Blomevennæ Leydensis, dignissimi domus nostræ Prioris, nomine nuncupamus : vel eo potissimum,

Digitized by Google

quod communis omnium nostrum fautor et amicus habeare, et viri illius præcipue, quem frequenter dimidium animi tui, ob virtutum præstantiam, quibus et tu maxime polles, protesteris; et de rebus theologicis, singulariter de natura æterni et veri Dei ipsiusque amore et laudibus, non raro dulcissima colloquia cum viro commiscere soleas. Ad hæc, tum remur nostrum Dionysium ab æmulis satis defensum iri, si tantum mereatur patronum. Accipe itaque hoc munusculum, etsi perexiguum, in perpetuum tamen mutui amoris et nostræ in te observantiæ pignus, ne intercapedo loci vel temporis, pium in nos tuum affectum obliteret, ubi oportuerit te a nobis ablongari ad jussum et decretum Reverendissimi in Christo Patris illustrissimique Principis ac Domini, D. Erardi de Marka, sanctæ Romanæ Ecclesiæ tituli S. Chrysogoni presbyteri Cardinalis, Archiepiscopi Valentiæ et Episcopi Leodiensis, etc. Qui quo sedulius modestissima tua juxta et doctissima perfruatur præsentia, te istuc ab hac inclyta studiorum Academia tum facilius advocandum putavit, si tibi in ecclesia sua cathedrali Leodiensi novam faceret provisionem. Congratulamur quidem honori tuo, simul atque amicis qui tui ibidem præstolantur præsentiam : inter quos cognatus meus Theodoricus Hezius, doctissimus theologus, te ut patrem filius, ut præceptorem discipulus, ut Canonicus confratrem Canonicum, anxiosissime (quod litteris ejus didicimus) exspectat. Atqui interim hinc mœrore consumimur et torquemur mirum in modum, si tam splendidum lumen, inter ceteros veluti Hesperus inter sidera cœli coruscans, hic præbenda resignata, a nostra Academia penitus auferri debeat : quamvis non possimus non probare tanti Principis quam miramur prudentiam, qua passim plurimos nobili illi Collegio S. Lamberti, in quorum albo tu es, viros doctissimos adscribendos vigilantissima cura procurat, ac grande quidpiam viris illis quibus Ecclesiam suam exornat, effecturus sit in posterum. Quamobrem et suæ Gratiæ hunc nostrum Dionysium ex sua ditione olim natum, nunc vero post tot sæcula renascentem, per te commendatum iri cupimus, quo liberior, tanti Principis favore stipatus, in publicum prodeat. Qui et procul dubio, tam doctrinarum ubertate quam voluminum copia, maximo sit ornamento, nedum Ordini nostro, sed et omnibus, et toti Ecclesiæ, præcipue tamen et genti suæ et patriæ, futurus. In cujus libris nihil fucatum, nihil tumidum, nihil habetur a bonis moribus alienum, sed eruditio tam lucida quam abundans : adeo ut nihil lectori desiderandum restet, nisi fortassis elegantia verborum stilusque venustior. In quo tamen excusari potest, quippe qui suo scripsit sæculo, suæ ætatis hominibus, atque eo tempore quo lingua latina, præsertim politior, neque in usu neque in pretio doctis fuerit. Habet nihilo minus (quod sæpe solet dicere R. T.) Dionysius tantum eloquentiæ, quantum a theologo requirere par est; tonatque solidis Scripturarum fundamentis oracula Veritatis æternæ. Bene vale, amice et Pater in Christo colendissime.

Digitized by Google

PROŒMIUM

SCIMUS quoniam Filius Dei venit, et dedit nobis sensum, ut cognoscamus verum Deum. I Joann. v, 20.

Ipse enim Unigenitus Dei Patris in hoc natus est et ad hoc venit in mundum, ut testimonium perhiberet veritati. Quid autem est veritati testimonium perhibere, nisi mentes rationales a rebus creatis atque caducis ordinate abstrahere, et ad unius summæ veritatis æternæque bonitatis cognitionem amoris plenam attollere? Finis igitur adventus Filii Dei alius prorsus non est nisi cognitio Dei altissimi formata et amore referta, quemadmodum ad Patrem loquens unicus atque carissimus Filius ejus : Hæc est (inquit) vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum. Hoc equidem est quod alibi scriptum est : Tu Deus noster, suavis et verus es. Nosse te, consummata justitia est; et scire justitiam et virtutem tuam, radix est immortalitatis. Unde Doctor divinus* in libro Spiritualis desponsationis fatetur et ait : In supernaturali et spirituali visu universa salus nostra consistit. Et Augustinus : Visio, inquit, est tota merces. Denique Aristoteles decimo Ethicorum, contemplativam felicitatem in speculatione optimæ veritatis seu præstantissimi speculabilis constituendam professus est. Quod Platonem quoque non latuit : ait etenim, quoniam non solum mentes cœlestes, sed rationales etiam animas opifex mundi molitus est, quatenus ab incorporea atque corporea intellectuali substantia, scilicet angelo et homine, agnosceretur et laudaretur.

Joann. XVIII, 37.

Ibid. XVII, 3.

Sap. XV, 1, 3.

* Joannes Ruysbroeck

Palam est itaque, quia Deum benedictum et sanctum cum affectu cognoscere et pura mente laudare, finis rite censetur omnis intellectus creati. Omne igitur exercitium, omnem conatum et affectum, omnem industriam et diligentiam universamque vitam nostram ad hunc finem infatigabiliter ordinemus. Quem non nisi purgata mente sortiri poterimus : idcirco beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.

Matth. V, 8.

Digitized by Google

Digitized by Google

DE NATURA

ÆTERNI ET VERI DEI

ARTICULUS PRIMUS.

Quæ sit præsentis editionis intentio, et de modo procedendi in opere isto.

QUONIAM itaque benedicti Dei agnitio tam magnum tamque salubre bonum est ut ipsa protectionem mereatur divinam, quemadmodum Deus æternus per os
Ps. XC, 14. divini David testatur: Protegam (inquiens) eum. Cur utique, nisi quoniam cognovit nomen meum? Unde in Dei contemplatione sciens Propheta felicitatem consi-
Ps. LXXIX, 4, 8, 20. stere, orat: Ostende faciem tuam, et salvi erimus. Denique Christus in evangelio Joannis, sui ipsius manifestationem, id est evidentem et claram notitiam, pro omnium meritorum præmio repromittit, dum
Joann. XIV, 21. ait: Qui diligit me, diligetur a Patre meo; et ego diligam eum, et manifestabo ei me
1 *Cor.* XIII, 12. ipsum. Nunc enim videmus per speculum in ænigmate, id est per formas seu species creatas in quadam obscuritate; tunc vero manifestabit se Christus sanctis piisque cordibus, quando facie ad faciem, id est clare et immediate, videre cœperimus: non per similitudines Deum obscure et imperfecte repræsentantes, quales sunt omnes formæ atque naturæ creatæ, quæ utique a divina perfectione infinite occumbunt, et ideo eam ænigmatice repræsentant; sed per speciem increatam, quæ est ipsamet veritas prima seu divina essentia, quam prorsus necesse est omni menti creatæ loco intelligibilis formæ immediate uniri, si Deum sublimem debeat beatifice speculari, vel sicuti est intueri. Propterea operis hujus intentio est de unius summi Dei natura ac proprietate tractare, non qualitercumque, sed secundum naturalis rationis processum, ea dumtaxat de divina essentia considerando, quæ per naturalem rationem investigari possunt atque probari.

Verumtamen ne consideratio talis reputetur infirma, funiculo triplici, qui difficile rumpitur, stabilietur ac fulcietur. Est nempe propositi ea quæ de Deo glorioso et vivo tractanda sunt, tripliciter comprobare, videlicet, auctoritate Scripturæ canonicæ, auctoritate quoque catholicorum doctorum, et item auctoritate philosophorum. Si namque divina natura philosophis prorsus ignota fuisset, Apostolus non diceret: Invisibilia Dei a creatura mundi per ea quæ facta sunt intellecta, conspiciuntur; sempiterna quoque virtus ejus et divinitas: Deus enim revelavit illis. Idcirco, ut Damascenus quarto libro affirmat: Si ab his qui foris sunt (id est a philosophis) fructificare utile aliquid poterimus, non abjectabile est. Datum quippe est illis philosophari propter nos: nam eis labor appositus est, nobis autem servatus est fructus.

Eccle. IV, 12.

Rom. I, 20, 19.

Digitized by Google

ARTICULUS II.

De utilitate cognitionis divinæ quæ per naturalem rationem acquiri potest et disci.

CERTUM præterea est, quoniam ad futuri sæculi beatificam Dei visionem nemo pertingere valeat, nisi qui modo per veram ac gratificantem dilectionem summo bono vehementius quam universis creaturis intendit, unitur, adhæret. In vita ergo præsenti, tota ac summa perfectio est, in divino amore accendi, procedere, stabiliri : et quæ nos ad actualem Dei amorem amplius provehunt, ea utique utiliora ac desiderabiliora consistunt. Quum ergo cognitio sit causa et via dilectionis (cognitio enim menti ostendit cur aliquid diligatur), propterea naturalis et acquisita cognitio in tantum optanda est ac utilis, in quantum cooperando animam ad Dei amorem et cultum erigere atque perducere potest. Porro naturalem Dei agnitionem appello, quæ ex consideratione naturæ et ordinis rerum creatarum elicitur : res enim creatæ, sunt quædam participatæ similitudines Creatoris, ex quarum consideratione Creator cognoscitur, quemadmodum ex speculatione effectus dignoscitur causa. Qui igitur naturali notitia Dei perfecte ornatur, intellectum suum ad Dei contemplationem facillime atque uberrime extendere potest, quoniam quidquid ex rebus mundi sensibilis exterioribus sensibus ejus objicitur, hoc intellectui protinus materia (id est objectum atque imago) contemplandi Creatorem efficitur : didicit namque creaturas tanquam simulacra Creatoris adspicere, et quidquid in eis apparet, ad supersapientis opificis admirationem referre. Quum ergo, teste S. Cyrillo, totus sensibilis mundus sit schola, et rationibus sapientiæ plena sint omnia; constat quod prædictam Dei cognitionem sortitus, in cunctis et singulis etiam minimis creaturis causam ac speciem habeat atque reperiat contemplandi Deum altissimum. Unde B. Antonius, cui prædicta Dei cognitio partim quidem ex naturalis ingenii claritate, partim vero ex divina illuminatione innotuit, cuidam philosopho interroganti qualiter tanta cognosceret quum libros non haberet, respondit : Meus, o philosophe, liber est ipsa rerum natura totaque sæculi machina.

Insuper, habitus est, quo quis, quum voluerit, facillime utitur ac operatur : est enim habitus velut altera natura. Qui ergo habitualem fuerit divinorum agnitionem adeptus, prompte, frequenter ac subito, in omni loco et tempore atque negotio, poterit cor suum ad Deum dirigere, ipsasque divinæ naturæ proprietates, prout in rebus creatis multiformiter naturaliterque relucent, subtiliter speculari, seriatim contueri, profunde scrutari delectabiliterque pensare.

Denique, naturalis ista cognitio Dei, ad gratias gratis datas pertinet : ideo et bene et male ea uti quilibet potest. Quemadmodum igitur in viro vano ac tumido, inflationis et dedignationis seu aliorum contemptus est causa ; ita in viro gratioso ac humili meritoria perhibetur, salubris et maxime utilis. Hæc siquidem Dei cognitio actus est sapientiæ quæ est habitus naturalis et acquisitus : idcirco in se meritoria non est. Sed dum gratia informatur, et caritate perficitur ac imperatur, tunc Deo fit placita, æternæ vitæ meritoria et divina.

ARTICULUS III.

De causa motiva atque finali hujus lucubrationis.

PORRO, quia scientia rationem concernit ac perficit, virtutes vero morales passionum reformatrices, appetitum sensitivum respiciunt atque perornant ; non autem possibile est rationem veraciter perfici, nisi appetitus sensitivus inferior antea perficiatur (oportet namque ab inferiori ordiri, et paulatim ac ordinate ad superiora progredi perfectionemque sor-

Digitized by Google

1 *Cor.* xv, 46. tiri : quoniam, contestante Apostolo, non prius quod spirituale, sed quod animale, deinde quod spirituale) : idcirco qui fructuose et provide cupit in cognitione Dei naturali profunda, subtili proficere, primo atque præcipue omnem laborem sollicitudinemque impendat ad passiones refrenandas, vitia depellenda, et ad virtutes morales, humilitatem, mansuetudinem, patientiam, temperantiam, adipiscendas.

Cf. t. XXVII, p. 302 C et s. Hoc est quod Cassianus docet et ait : Duplex est scientia, puta : ethica seu moralis, cujus finis non est scire, sed virtutes acquirere (prout primo Ethicorum Aristoteles scribit, Quid est virtus scrutamur, non ut sciamus, sed ut virtuosi et boni efficiamur) ; alia vero, est scientia theorica seu contemplativa, cujus finis est veritatis agnitio. Qui ergo theoricam cupit scientiam adipisci, primo in ethica exercitetur.

Finis vero hujus operis est, ut simul ex consideratione invisibilium Dei, ex contemplatione sempiternæ virtutis Altissimi, ex agnitione Divinitatis æternæ, delectemur in Domino, abstrahamur a sæculo, inflammemur in Deo, moriamur carni et vitio, donec feliciter consummemur in Christo. Ob hæc nempe conditi sumus, mundum reliquimus, Cartusienses effecti sumus. Hoc est quod Doctor ait divinus : Ut rationalis creatura unionem Dei sublimem valeat adipisci et supernaturaliter possidere, Deus cœlum et terram et cuncta plasmavit. Ob hoc denique Deus ipse factus est homo, vixit in mundo, docuit viam vivendi, ac formam Deo inhærendi in semetipso nobis monstravit.

Multos interim, etiam religiosos itemque devotos, a jam dicta divinorum notitia naturali optanda ac requirenda retardat et abstrahit, quod cernunt plurimos in prædicta cognitione tam excellentes, vanos esse, elatos ac vitiosos, absque timore, mundique amatores, quum tamen nonnulli simpliciores ac tardioris ingenii, devoti et humiles inveniantur. Unde superfluum videtur eis et vanum, talia tam inhianter exquirere, tam studiose addiscere, quibus multi tam parum proficiunt, imo tam multum deficiunt. Verum, ut dixi, istud nequaquam scientiæ sed abusioni scientis imputare oportet. Non ergo vanorum negligentiumque in divino obsequio vitiosa abusio, pura piaque corda a prædicto retrahat studio : quoniam, teste Augustino, scientia caritati adjuncta plurimum prodest.

Quoniam igitur, mi frater carissime, et in visceribus sincerissimæ caritatis unice prædilecte, atque super millia auri et argenti semper cordialissime præamande, vitæ tuæ exercitia optime nosco, et devotissimæ mentis tuæ circa divina affectum singulariter scio ; ita ut non inaniter confidere possim te prædictæ sapientiæ salubriter fore capacem, atque tantumdem miti ac humili animæ tuæ eam consistere fructuosam, quantum vitiosis elatisque cordibus eam scio nocivam : propterea eximia caritate tua inductus, hoc opus aggredior. Hoc enim caritas perfecta deposcit, ut amans dilecto omne quod valet bonum communicet. Porro, quum ipse divinus et magnus Dionysius libros suos unice sibi dilecto, videlicet Timotheo, conscribat, nulli videatur ineptum, si ego peccator et parvus Dionysius, sub pedibus illius longe prostratus infime jacens, ista tibi mihi in æternum carissimo dilectione urgente conscribo.

ARTICULUS IV.

De cognitione Dei infatigabiliter requirenda.

LÆTETUR cor quærentium Dominum ; quærite Dominum et confirmamini, quærite faciem ejus semper. Quemadmodum quintodecimo de Trinitate Aurelius Augustinus disseruit : Id quod semper quæritur, nunquam inveniri videtur. Quomodo ergo lætabitur, et non potius contristabitur, cor quærentium Dominum, si *Ps.* civ, 3, 4.

Digitized by Google

quem quærunt, invenire non potuerint? Et tamen Deum posse inveniri Isaias testatur, qui monet : Quærite Dominum dum inveniri potest. Et Psalmista : Prope (inquit) est Dominus omnibus invocantibus eum. Si ergo quæsitus potest inveniri, cur dicitur, Quærite faciem ejus semper, nisi quia et inventus quærendus est? Sic enim sunt incomprehensibilia requirenda, ne se reputet nil invenisse, qui quam sit incomprehensibile quod quærebat, invenire atque agnoscere potuerit. Cur itaque amplius quærit, si incomprehensibile esse deprehendit quod quærit, nisi quia cessandum non est quamdiu in ipsa incomprehensibilium rerum inquisitione proficitur, et melior semper efficitur quærens bonum tam magnum, quod et inveniendum quæritur, et quærendum invenitur? Nam et quæritur ut inveniatur dulcius, et invenitur ut quæratur avidius. Unde in Ecclesiastico Sapientia ait : Qui edunt me, adhuc esurient; et qui bibunt me, adhuc sitient. Hæc Augustinus. — Sed obviare videtur quod apud Joannem dicit Salvator : Qui biberit ex aqua quam ego dabo, non sitiet in æternum. Sed hoc referri potest ad vitam futuram. Tunc enim replebitur in bonis desiderium nostrum, juxta illud Psalmistæ : Satiabor quum apparuerit gloria tua.

Is. LV, 6. *Ps.* CXLIV, 18. *Eccli.* XXIV, 29. *Joann.* IV, 13. *Ps.* CII, 5. *Ps.* XVI, 15.

Itaque, prædilecte, quæramus et læti quæramus faciem Domini Dei nostri. Deus nempe de cœlo prospexit super filios hominum, ut videat si est intelligens aut requirens Deum. Nec terreat nos incomprehensibilitas ejus, sed pensemus verba Hilarii : Ego, ait, non comprehendo, et consolabor me tamen. Archangeli nesciunt, Angeli non audierunt, sæcula non tenent, Propheta non sensit, Apostolus non interrogavit, Filius ipse non edidit : nihilo minus credendo incipe, procurre, persiste. Etsi non perventurum sciam, tamen gratulor profecturum : qui enim pie infinita persequitur, quamvis non contingat, tamen prodeundo proficiet. Hoc est quod ait Psalmista : Accedite ad eum, et illuminamini, et facies vestræ non confundentur; atque unigenitus Filius : Eum qui venit ad me, non ejiciam foras. Unde Cyrillus : Semper (inquit) disce, et in extremis horis sapientiæ stude. Nihil enim est homo sine sapientia. Sed vera sapientia est quæ sanctæ simplicitatis innocentia decoratur. Unde semper oportet addiscere, et in extremis horis fundum sapientiæ desiderabilius investigare. Finis enim prudentis sapientia est : ideo quo ei viciniores efficimur, eo majori avidiorique impetu ad ejus amplexum curramus. Si enim non proficimus, mox deficimus. Igitur, donec in semita fueris, semper disce, nec unquam putaveris satis esse : nempe si steteris, retrocedis. Sed, teste magno Cyrillo, vera sapientia ea est mentis veritas qua summum bonum, quod Deus est, recta fide conspicitur, et casta dilectione tenetur.

Ps. XXXIII, 6. *Joann.* VI, 37.

Denique, ad adipiscendam divinorum notitiam, ad sapientiæ quæ est summi Dei agnitio adeptionem, ipsi quoque meliores philosophi omne studium omnemque inferiorum rerum scientiam ordinabant. Unde Aristoteles, cui (teste Hieronymo) pene totum id revelatum est quod naturaliter sciri potest, primo de Animalium partibus ait : Modicum illud quod de divinis substantiis (et præsertim utique de vero Deo) cognoscere possumus, desiderabilius est atque præstantius omnibus quæ de corporeis entibus valemus agnoscere. Quod etiam Plato in Timæo insinuasse videtur. Quapropter beatus Apostolus : Omnia (inquit) arbitror detrimentum esse propter eminentem scientiam Domini mei Jesu Christi.

Philipp. III, 8.

ARTICULUS V.

De moderamine in divinorum investigatione servando.

SICUT denique gustui corporis dulce est mel, sic gustui mentis dulcis est Dei agnitio. Sed sicut qui nimium comedit

Prov. XXV, 27.

Digitized by Google

mel, non est ei bonum, sed evomit illud; sic qui perscrutator est majestatis, opprimetur a gloria. Idcirco, quemadmodum primo capitulo de Divinis nominibus Dionysius adstruit, et Damascenus primo libro inducit, non est audendum nec licitum, aliquid de superessentiali Divinitate asserere præter ea quæ nobis in sacris traduntur Eloquiis. Sed neque hæc ipsa debemus nimium velle discutere, profundare, scrutari. Verum, juxta Dionysii dogma, sursum respiciamus, quantum sapientia in Scripturis radians se ipsam immittit nosque ad divinos splendores deducit : ita ut sive docentes sive discentes, maneamus semper inter terminos veritatis ac nostræ possibilitatis sancte ac temperate constricti, sequentes leges hierarchicas, quæ exigunt unumquemque ad divina exerceri sine præsumptione et negligentia, secundum quod capax est et præstitutum est a Deo.

Itaque veneremur divinum secretum non scrutantibus et sanctis reverentiis mentis, honoremusque indicibilia Dei casto silentio, extendentes nos ad æternæ sapientiæ splendifluos radios nobis in sacra Scriptura fulgentes atque propositos; sicque affectualiter accendamur ad cognoscendas ac enuntiandas laudes divinas, quatenus secundum nostram capacitatem lumina intueamur divina cœlitus revelata, seu veritates divinas, sciamusque Deum laudare tanquam principium omnium luminum nobis divinitus apparentium, prout Colossenses hortatur Apostolus, dicens : Pax Christi exsultet semper in cordibus vestris, cantantes et psallentes in cordibus vestris Domino; omne quodcumque facitis in verbo aut opere, omnia in nomine Domini nostri Jesu Christi agite, gratias agentes Deo et Patri per ipsum.

Coloss. III, 15-17.

Porro hanc humani intellectus imbecillem capacitatem sapientialiter esse pensandam, præsertim dum divina tractantur, Plato, quem Augustinus nobilem, Hieronymus doctum appellat, in primo Timæi pulchre ostendit, dum ait ad Socratem : Mementote, tam me qui loquor quam vos qui auditis, homines esse, atque ita in rebus sublimibus mediocrem elocutionem, magni cujusdam esse onus laboris.

ARTICULUS VI.

An Deum esse, sit per se notum.

PORRO, secundum Thomam, dupliciter dicitur aliquid notum per se. Primo, secundum se et quantum ad nos, quando videlicet terminis cognitis, statim veritas innotescit. Sicque prima principia sunt per se nota : ut, omne totum est majus sua parte. Secundo dicitur aliquid per se notum secundum se, non tamen quantum ad nos, quando videlicet prædicatum includitur in ratione subjecti [sed apud aliquos notum non est de prædicato et subjecto quid sit] : ut, homo est animal. Talis quippe propositio est per se nota secundum se, vel ex sua natura; si vero quis nesciat quidnam sit quod subjectum atque prædicatum designant, non erit quod dicitur per se notum quantum ad illum. Itaque Thomas affirmat, quod Deum esse, sit per se notum secundo modo, quoniam Deus est ipsum suum esse; non autem primo modo, quia ignotum est nobis quid sit esse divinum.

Quamvis autem Joannes Scotus, qui et Doctor subtilis vocatur, ac Petrus de Aquila ejus secutor, in conclusione, videlicet quod Deum esse non sit per se notum, cum Thoma concordent; nihilo minus distinctionem B. Thomæ præinductam reprobare nituntur. Sed quoniam rationes quas afferunt non convincunt, idcirco distinctionem Thomæ admitto. Sentio tamen, quod et eximios viros sensisse ostendam, videlicet quod Deum esse, sit per se notum utroque modo. Et quidem Anselmus hoc ipsum non solum adstruit, sed insuper probat. Damascenus quoque primo libro evidenter testatur, quod Deus nequaquam reliquit humanum genus in

Digitized by Google

omnimoda Divinitatis ignorantia, quoniam omnibus naturaliter est inserta cognitio Deum exsistendi. Ergo utique etiam quantum ad nos per se notum est Deum esse, quum nil sit notius eo quod naturaliter innotescit.

Primo igitur introducenda est ratio S. Anselmi, quæ talis est : Deus est quo nil majus seu dignius cogitari potest, quum Deus sit ens summe perfectum. Sed tale ens non esse, concipi nequit : imo unicuique ratione sana utenti, certissimum est ipsum esse. Quod enim in sola ratione exsistit, nec in veritate rerum subsistit, nequaquam est tale ac tantum, ut nil eo cogitari queat præstantius, vel esse perfectius : quod enim in sola rationis apprehensione consistit, est imperfectum ac debile, atque declivius illo quod etiam reale ac verum esse sortitum est. Quum igitur is qui vere cognoscit quid hoc nomen Deus significet, in eo quod dicitur Deus, ens perfectum ac summum, et quo nil majus concipi valet, intelligat; clarissime elucescit, quod nil sit notius aut certius quam Deum esse. Idem dicit Albertus super librum de Causis. Constat ergo, quod Deum esse, sit utroque modo per se notum.

Præterea arguo ita : Id cujus oppositum apprehendi non potest, notissimum est : sed hujus quod dicitur, Deum esse, oppositum apprehendi non potest. Quum enim Deus sit ipsum perfectissimum atque plenissimum esse, quicumque Deum non esse affirmat, nescit quid dicit : imo propriam vocem nullo modo intelligit, quoniam esse perfectum ac plenum dicitur per meram atque omnimodam fugam, recessionem, abnegationem ejus quod est non esse. Quicumque itaque asserit Deum non esse, amplius deviat quam qui negat nihil non esse, vel terram non esse terram. — Denique Deum non esse implicat immediatam et claram contradictionem : quia, ut dictum est, Deus est naturaliter plenum summumque esse; et tale esse non esse ad extra, contradictionem includit, sicut ostensum est. Quod autem immediatam et claram contradictionem implicat, apprehendi non potest. Unde secundum Philosophum, contra negantes prima principia non est disputandum, eo quod tales propriam non intellexerint vocem. Ergo Deum esse adeo certum est, ut ejus oppositum apprehendi, cogitari, concipi nequeat.

Quid est ergo quod ait Scriptura : Dixit insipiens in corde suo, Non est Deus? Plane, secundum Augustinum, hæc tanta amentia est paucorum. Quemadmodum igitur non sequitur, illud primum, communissimum certissimumque principium, De quolibet affirmatio vel negatio, de nullo vero simul, idcirco non esse per se notum, quoniam quidam antiquorum philosophorum ipsum negabant; ita non sequitur, Deum esse non fore notum per se, quia insipiens, qui bestiis comparatur, ipsum stultissime negat. Et cur Deum esse negat, nisi quia non intelligit quid hoc nomen Deus importet? Et cur id non intelligit, nisi quoniam non advertit? Et cur non advertit, nisi quia malitia excæcavit animam ejus? Et quod dicit, non secundum rationis judicium dicit, sed secundum volitam, electam liberamque malitiam, sicut qui negat quod sensui constat. *Ps.* XIII, 1; LII, 1. *Sap.* II, 21.

Insuper, quod aliqui dicunt, Deum esse, non esse per se notum quantum ad nos, quoniam ignoramus quid sit esse divinum, stare non potest. Sic enim nulli in vita præsenti, quantumcumque edocto, esset per se notum, Deum esse : quum nullus in vita hac, quid sit Deus agnoscere valeat. Imo nec substantiis separatis, secundum naturalem ipsarum perfectionem esset per se notum, Deum esse : quoniam naturaliter divinam essentiam quoad quid est, capere nequeunt, sicut in libro de Causis, et in Elementatione theologica Procli Platonici comprobatur. Ad hoc ergo quod Deum esse, vel quodlibet simile, sit per se notum, sufficit ut quid termini signent veraciter cognito, prædicatum tam

Digitized by Google

evidenter subjecto conveniat, ut nemo ratione perfungens, de veritate ambigere possit. Unde quod aliqui dicunt, nil esse notum per se, nisi quod cadit sub sensu, veritatem habere non arbitror : quum veritas primorum principiorum sit nota per se, quam liquet sub sensu directe et primo non cadere.

Sed nunc videndum, an præinducta opinio, Damasceni auctoritatem efficaciter solvat. Ait equidem, ita debere verbum Damasceni exponi, ut omnibus naturaliter inserta sit notitia Deum exsistendi, secundum rationem confusam atque communem, in quantum videlicet Deus est beatitudo, quam omnes naturaliter appetunt. Videtur autem ista expositio, Damasceni proposito non esse concordans. Damascenus namque primo primi libri capitulo auctoritatem ita inducit : Omnibus cognitio exsistendi Deum ab ipso naturaliter inserta est. Tertio autem capitulo eam sic repetit : Cognitio exsistendi Deum, naturaliter inserta est nobis ; quia vero in tantum prævaluit diaboli perniciosa malitia hominum naturæ, ut quosdam in irrationabilissimum omniumque malorum pessimum perditionis deduceret barathrum, ut dicant Deum non esse, placuit Deo per Apostolos miracula facientes, eos ad veritatem reducere. Ex his Damasceni verbis patet, non solum naturaliter nobis esse innatam notitiam Deum essendi secundum rationem communem qua dicitur beatitudo, quum etiam pessimi quique beatitudinem appetant, secundum Augustinum in libro de Trinitate : quam nequaquam appeterent, nisi eam esse putarent. Itaque ultra hanc rationem communem, inserta est nobis de Deo quædam agnitio quoad id quod Deo est proprium : sicut quod Deus est ens perfectum, vel simile aliquid. Hoc tamen cum B. Thoma opinor, non esse omnino per se notum, an hoc ens quod est Deus, sit finitum vel infinitum, corporeum vel incorporeum ; sed quod ipsum sit, omnino per se notum est.

ARTICULUS VII.

Qualiter ex consideratione motuum atque mobilium perducamur ad unius immobilis entis et primi motoris, qui Deus est, contemplationem.

DENIQUE motus est via atque tendentia ad aliquam formam : quemadmodum instructio est via ad doctrinam. Forma vero est rei perfectio : ut anima corporis. Quod ergo movetur, ad perfectionem tendit, et nondum perfectum est : unde, secundum Philosophum, motus est actus entis in potentia. Quod autem movet, est in actu. Nil vero est simul in actu et in potentia secundum idem : nil ergo potest esse movens et motum secundum idem. Aliqua tamen movent se ipsa, quemadmodum animata ; sed non secundum idem : quia per animam se movent (anima enim est principium vitæ et motus formale atque intrinsecum) ; per corpus vero moventur, quia materiæ est moveri et pati. Verumtamen in his motor seu anima movetur per accidens : nam motis nobis, moventur omnia quæ in nobis sunt. Oportet igitur tandem venire ad unum primum motorem separatum ac prorsus immobilem : nam motor conjunctus, qui movetur per accidens, non habet a se ipso virtutem movendi, sicut nec essendi. Ut enim probat Philosophus, extra actum et potentiam, seu formam et materiam, oportet esse causam efficientem ac unientem unum cum alio. Potentia quippe seu materia nec unit nec movet se ipsam ad formam, quum omnis motus a forma causetur ; forma quoque non unit se ipsam materiæ, nec actus potentiæ : non enim præcedit eam, sed in eodem simul incipiunt, quamvis non semper simul desinant. Quum itaque conspiciamus in mundo sensibili multa esse mobilia diversosque motores, atque convenientem ordinem observari in eis (elementa namque inferiora a superioribus elementis moventur et alterantur, et infima sphæra movet

Digitized by Google

altius elementum, scilicet ignem, sphæ- A
ræ quoque seu orbes inferiores a superioribus circumferuntur); ante omnia igitur ista mobilia est unum omnino immobile movens, omnibus virtutem efficaciamque movendi originaliter ac immobiliter influens : non enim itur in infinitum. Hoc autem est Deus benedictus et sanctus.

At vero nullum mobile est sibi ipsi finis, sed præsupponit aliquid ante se, prius ac dignius ipso, quod sit finis ipsius. Motus enim ordinatur ad finis adeptionem seu copulam : unde quod mo- B
vetur, distat a fine, et fertur ad ipsum. Et sicut testatur Philosophus in libro de Cœlo et mundo : Quod fini propinquius est, uniformiori simpliciorique motu ad ipsum pertingit. Quemadmodum substantiæ separatæ uno ac simplici actu convertuntur ad Deum vel avertuntur ab ipso : quoniam, juxta Isaac Israelitam philosophum, substantia separata in umbra divinæ lucis seu proxime Deo creata est. Unde Augustinus in libro Confessionum ad Deum eloquia ponens : Duo (inquit) C
creasti, o Domine : unum prope te, scilicet angelum ; aliud prope nihil, puta materiam. Intellectus vero humanus, qui secundum Augustinum et Isaac, in umbra ultimi angeli factus est, multis diversisque motibus ultimo fini, videlicet Deo excelso, conjungitur : nam in ordinibus intellectualium essentiarum, a Deo maxime atque longissime distat. Liquet igitur, quoniam ante universa mobilia esse oportet ens quoddam immobile, quod sibi ipsi
sit finis, ad quod omnia ordinentur. Tale D
quoque ens nec errare, nec peccare, neque deficere potest : quoniam omnis error, omne peccatum ac omnis defectus, propter recessum seu deordinationem a fine contingit. Quum itaque primum ens sit sibi ipsi finis, sicut a se ipso separari non potest nec referri ad aliud, ita nec error, nec culpa, neque defectus in ipso accidere valent. Porro omne creatum deficere potest, quoniam indiget conservatore ; annihilari etiam potest, quia ex nihilo conditum est. Omnis autem intellectualis natura citra Deum, nedum deficere, sed et peccare errareque potest, quia a fine ultimo distat. Hoc Thomas super secundum Sententiarum pulchre deducit. *Cf.* t. XIII, p. 582 B et s.

Amplius, ubicumque invenitur medium ex extremis compositum, etiam reperiuntur extrema simplicia. Hæc autem propositio ab Aristotele sumitur, et ab Alberto Magno frequenter inducitur. Cujus exemplum est : nam quum sit ens ex actu potentiaque compositum, ut homo, lapis, cœlum ; necesse est esse aliquid quod sit potentia tantum, quod appellatur materia prima, aliquid quoque quod sit actus tantum, quod est Deus. Quum ergo sit aliquid movens motum, ut animatum, quod movetur et movet, quoniam movet se ipsum ; oportet fateri quia sit aliquid quod est movens tantum, et aliquid quod est motum tantum. Quemadmodum igitur omnes testantur, id quod est motum seu mobile tantum, fore ens infimum atque vilissimum (puta materiam primam, quæ secundum Philosophum septimo Primæ philosophiæ, nec est quid, nec quale, nec quantum : ratio enim ipsius consistit in abstractione ab omni forma, tam substantiali quam accidentali) ; sic universi intelligunt, id quod est movens tantum, esse ens summum ac prorsus dignissimum : quod est Deus gloriosus et felix. Constat ergo clarissime quoniam cuncta mobilia antecedit ens quoddam altissimum nullatenus mobile.

Hæc autem propositio introducta, præsertim in essentialiter subordinatis veritatem sortitur. Essentialiter vero subordinata censentur, quorum unum sine alio causare non potest, ut elementum, cœlum, intelligentia. Talia quoque sunt ipsa mobilia atque moventia : nam motus terrestrium dependet a motu cœlestium. Oportet, ait Philosophus, totum hunc mundum esse contiguum lationibus superiorum, ut tota ejus potestas inde gubernetur. Postremo in istis taliter subordinatis nunquam venitur ad aliquod

Digitized by Google

determinatum ac præsens, nisi sit aliquid primum a quo motus et actio originentur : infinita namque pertransiri non queunt. Id vero quod movetur per accidens, esse non valet principium motus simpliciter primum. Nam quum idem secundum idem non sit movens ac motum, de necessitate oportet fontale ac penitus primum motus principium fore omnino immobile : quod Plato quoque in Phædone denuntiat. Est igitur in universitate rerum ens quoddam omnifarie quomodolibetque immobile. — Possent interim aliæ multæ rationes ad idem adduci; sed quoniam in editione præsenti devotioni potius quam subtilitati vacare propono, dignum non reor his quæ a philosophis plenissime ostenduntur, nimium immorari, sed mediocriter atque faciliori quo potero modo talia tangere.

Nunc ergo, o frater, ex ordine moventium atque mobilium ad primi motoris contemplationem feramur, ad immobilis entis admirationem ducamur, ad primi moventis (quod a se ipso omnem movendi modum omnemque mobilium legem adinvenit atque instituit) dilectionem ardentius incitemur. Ex mobilium imperfectione, immobilis entis perfectionem pensemus; ex mobilium labore ac fatigatione, immobilis entis quietem noscamus; ex mobilium vicissitudine ac instabilitate, immobilis entis stabilitatem ac uniformitatem subtiliter consideremus. Nam opposita juxta se posita evidentius elucescunt. Sicque devote et vere sciamus quam vere de Deo ac Domino nostro dicat Scriptura : Tu autem idem ipse es; et, Quoniam mille anni ante oculos tuos tanquam dies hesterna, quæ præteriit; et, In pace in id ipsum dormiam et requiescam. Ipse equidem Deus noster dignissimus verissime dicitur id ipsum in quo mentem nostram ab omni distractione vanissima, ab omni phantasia indigna, ab omni occupatione culpanda dormire oportet, atque ab omni anxietate, formidine, sollicitudine, labore, mœrore fiducialiter suaviterque quiescere. O vere id ipsum, quod a propria stabilitate nunquam mutatur, quod a summa rectitudine nunquam deflectitur, quod a perfecta beatitudine nunquam movetur! Dicat illi anima nostra sitibunda et amore flammigera : Adhæsit anima mea post te; et, In Deo salutare meum et gloria mea, Deus auxilii mei, et spes mea in Deo est. Quis unquam tam dulcem versum audivit? Quis poetarum tam suave carmen deprompsit? Quis rhetorum tam venustum sermonem profudit? Quis philosophorum tam salubre eloquium edidit? Nonne beatissimus noster philosophus, sanctus divinusque David, omnes illos elingues mutosque efficit?

Ps. LXII, 9. *Ps.* LXI, 8.

Contemplemur insuper in motu cœlestium, in velocitate, uniformitate, incessabilitate circumvolutionum cœlestium orbium, superineffabilem potentiam superinæstimabilemque sapientiam adorandi atque æterni opificis, unius summi immobilisque motoris, qui stabilis manens, dat cuncta moveri. Perpendamus quam infinita millies millia milliaria sol, stellæ, planetæ omni die perambulent; quam ordinate percurrant, quam obedienter deserviant. Hanc nempe contemplationem solitario convenire; quæ etiam beatissimis patribus nostris Benedicto itemque Francisco plurimum placuit, magnus Basilius* pandens : Stat, inquit, solitarius Frater nocturnis temporibus cœlos prospiciens. Hinc per os ejus psalmi canuntur; hinc oculis corporis cursus astrorum cernuntur; hinc oculis mentis Creator ac motor agnoscitur, admiratur, laudatur, ac toto affectu amplectitur.

* Petrus Damianus

Ps. CI, 28. *Ps.* LXXXIX, 4. *Ps.* IV, 9.

ARTICULUS VIII.

In quo genere causæ posuerint philosophi Deum sublimem esse primum motorem.

ALITER demum movet efficiens causa, atque aliter causa finalis. Causa namque efficiens est principium immediate

Digitized by Google

motum producens. Causa vero finalis non A immediate motum producit vel elicit, sed movet efficientem ; efficiens autem motus a fine, movet mobile atque materiam. Finis namque est primum in intentione, quia efficiens non nisi propter finem operatur ac movet : sicut in bellicis rebus victoria seu favor regis est causa finalis pugnandi, et movet milites ut fortiter pugnent. Quemadmodum denique secundum philosophos finis est causa causarum, sic motio ejus est prior, fortior atque præstantior motione causæ efficientis, imo B cujuslibet aliæ causæ. Aristoteles ergo et Plato cum suis sequacibus, adstruunt Deum non esse primum motorem alicujus orbis cœlestis in genere causæ efficientis, sed finalis, ita quod Deus est finis propter quem singuli orbes a propriis circumferuntur motoribus : qui motores moventur a Deo secundum quod appetitus movetur a fine, seu desiderans a bono desiderato. Unde Avicenna testatur, quod Deus est agens ac movens extra omne genus ac ordinem ; et Averroes dicit, quod Deus C movet universos orbium motores eo modo quo rex sedens in throno movet subjectos. Hæc autem positio, sacræ Scripturæ et sanctis Doctoribus consonat. Scriptum

Eccli. 1, 8. est enim : Unus est Altissimus, creator omnium omnipotens, rex potens et metuendus nimis, sedens super thronum. Sancti quoque doctores Augustinus et Gregorius asserunt, totam creaturam corpoream dispensari ac moveri a Deo per creaturam spiritualem, ita quod singulæ sphæræ cœlestes proprios sortiuntur mo- D tores ; videturque Thomæ in Summa con-

lib. III, c. 80. tra gentiles, quod ad spiritus medii ordinis mediæ hierarchiæ, videlicet ad Virtutes, pertineat orbes movere. Porro confirma-

Joel. II, 11. tio horum est quod Joel ait : Multa sunt nimis castra Dei, fortia et facientia verbum ejus. Per castra etenim Dei intel-

Gen. XXXII, 1, 2. liguntur angeli sancti. Unde Jacob obviantibus sibi angelis sanctis dixit : Castra Dei sunt hæc. Verumtamen Deus dici potest causa efficiens lationum immediata ac prima, quum ipse sit conditor motoris et mobilis, quorum est motus ; quod autem est causa causæ, est causa causati : imo prima causa est potior causa quam quæcumque causa secunda.

ARTICULUS IX.

Quomodo intelligendum sit, quod aliqui summi doctores Deum dicunt moveri, seu motum ac mobilem.

DE increata insuper Sapientia, quæ est verus Deus verique Dei unigenitus Filius, quum ipsa sit candor lucis æternæ et emanatio pura claritatis divinæ, scriptum est : Omnibus mobilibus mobilior est sapientia. Dionysius quoque primo Angelicæ hierarchiæ capitulo : Omnis, inquit, Patre moto, processio luminum in nos optime provenit. Si itaque Sapientia quæ Deus est, nedum mobilis, sed cunctis mobilibus exstat mobilior ; et si Pater æternus movetur dum lumina gratiarum largitur : quomodo primum ens est motor omnino immobilis ? Et respondendum, quod motus uno modo accipitur proprie pro vicissitudinata sive continua quadam egressione entis in potentia ad actum, sicut sanatio. Secundo accipitur communiter pro quacumque operatione : sicque secundum Dionysium quarto capitulo de Divinis nominibus, angelicæ mentes intelligendo dicuntur moveri in Deum. Primo igitur modo non competit motus D Deo, sed secundo, in quantum de novo aliquid agendo dicitur moveri, quia procedit ad actum : quæ tamen processio recensque actio nil novitatis aut mutabilitatis ponit in Deo ; sed in creaturis novitatem ac mutationem inducit. Quum ergo Sapientia increata sit maxime suæ illustrationis diffusiva, suæ bonitatis communicativa, suique operis productiva ; ideo maxime mobilis appellatur. Quod vero iste sit sensus Scripturæ, ex verbis sequentibus innotescit. Causam namque

I Cor. I, 24.

Sap. VII, 26, 25.

Ibid. 24.

Digitized by Google

Sap. VII, 24. mobilitatis istius quasi assignans : Attingit (haud dubium quin Sapientia), inquit,
Ibid. 27. ubique propter suam munditiam; et quum sit una, omnia potest; et in se permanens, omnia innovat, et per nationes in animas sanctas se transfert, amicos Dei ac Prophetas constituit. Simili sensu Dionysius Patrem ait moveri, eoque moto dona diffundi. Unde Hugo verba Dionysii pulchre exponit : Movetur (inquiens) Deus, non turbatione sui, sed miseratione nostri; movetur, non se concutiens, sed nos colligens; movetur, non se evacuans, sed nos replens; movetur, ad nos veniens, a se nusquam recedens. Pari denique modo intellexit Plato dum primum motorem asseruit mobilem. Optime namque agnovit Deum non esse mobilem motu proprie dicto, quoniam Deum ponebat esse agens formale, maxime separatum ac superexaltatum. Unde Aristoteles Platonem in hac positione redarguens, non mentem sed verba Platonis impugnat : quod utique sæpius facit.

ARTICULUS X.

Quomodo ex ordine causarum atque effectuum demonstretur esse divinum.

HOC autem doctoribus constat, quod sicut esse divinum cognoscere quantum ad *quid est,* est penitus impossibile naturaliter; sic ipsum cognoscere quantum ad *quia est,* sit maxime facile. Videmus enim plurima esse in rebus quæ esse suum sortiuntur ab aliis. Oportet igitur devenire ad aliquod ens quod non sit ab alio : alias non esset status in rebus, vel entia causarent se mutuo. Quod autem non est ab alio, est utique ab æterno; estque ens per essentiam, a nullo dependens : tale vero ens omnes nominant Deum. Sed an possint esse plura hujusmodi entia, majori eget scrutinio : de quo inquisitio postea fiet, dum de unitate divini esse tractabitur. Denique, ens æternum, quum sit sibi ipsi ratio exsistendi ac finis, indissolubile est atque perfectum : non enim ordinatur ad aliud, nec indiget aliis, sed stat ad se ipsum conversum, in semetipso sufficiens. Palam est autem quoniam tale ens Deus exsistat. Præterea, in omni genere causarum essentialiter subordinatarum, necesse est esse unam causam simpliciter primam : quemadmodum in genere causæ materialis invenitur materia prima, quæ est omnium formarum primum subjectum; in genere quoque causæ formalis est aliqua forma informans penitus prima, videlicet forma primi compositi, quodcumque sit illud. Pariformiter ergo in genere causæ efficientis, est unum effectivum principium simpliciter primum; atque in genere causæ finalis, est unus primus summusque finis, ad nihil referibilis, ad quem cetera omnia referuntur. Id vero quod est prima omnium causa efficiens, primusque ac summus et ultimus finis, omnes Deum esse fatentur : ex consideratione itaque ordinis causarum atque effectuum convincitur esse Deum. Adhuc autem, quemadmodum est ostensum, nihil pro- art. VII. duci valet nisi sit aliquod primum a quo fluxus incipiat : est ergo in causis aliqua prima causa unde omnis causalitas fontaliter manat. Rursus, nisi in omni genere causæ esset una causa simpliciter prima, nec demonstratio esset neque scientia : quia demonstratio est syllogismus faciens scire; scire autem est rem per causam cognoscere : si ergo infinitæ sint causæ, quum infinita relinquantur ab arte secundum philosophos, nulla erit scientia.

Ex his itaque atque similibus multis argumentis cognoverunt meliores philosophi, esse in entium universitate unum verum atque altissimum Deum, qui est omnium rerum prima causa ac ultimus finis, in cujus virtute omnes causæ secundæ operantur et causant, in tantum ut causalitate et potestate primæ causæ abstractis, nulla causa posterior vel minimum quidpiam producere posset.

Digitized by Google

ARTICULUS XI.

Demonstratio quod Deus est, ex ordine rerum in perfectione.

MERITO demum sacra Scriptura eos redarguit qui Deum ex rebus creatis invenire nequibant, quum ordo rerum factarum sit scala qua ad Creatoris notitiam intellectus faciliter scandere potest. Unde
Sap. XIII, 1, 5. scriptum est : Vani sunt omnes homines in quibus non subest scientia Dei, et de his quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum qui est artifex : a magnitudine enim speciei et creaturæ poterit cognoscibiliter horum creator videri. Nempe, quemadmodum ex pulchro ædificio mox omnibus sapientia innotescit artificis, ita ex mundi hujus intuitu, ex cœlorum ac siderum atque cœlestium motuum contemplatu, potest faciliter cunctis excellentia patere primi opificis. Omnia enim hæc suo motu ac ordine, sua diversitate ac indigentia unanimiter protestan-
Ps. XCIX, 3. tur et clamant : Scitote quoniam ipse fecit nos, et non ipsi nos. Videmus namque quod in entibus sit ordo in bonitate ac perfectione : nam quædam quibusdam sunt perfectiora, actualiora, formaliora ac simpliciora. Magis autem et minus non accipiuntur nisi secundum accessum ad unum primum atque perfectum, quod sit ceterorum mensura ac regula, sic quod quanto amplius ad ipsum accedunt, tanto perfectiora consistant ; et quo longius distant, eo imperfectiora mox fiant. Est ergo in rerum ordinibus devenire ad aliquod ens perfectum, actualissimum, formalissimum et simplicissimum. Hoc autem est Deus sublimis et benedictus. Denique, in omni ordine est aliquid primum et summum, itemque aliquid ultimum et infimum : ordo namque est debita habitudo superiorum ac inferiorum ad invicem. Est itaque in ordine entium ens primum ac summum. Rursus, extrema seu termini cujuslibet multitudinis maxime distant : quum ergo in rerum universitate descendendo perveniatur ad ens minimum atque vilissimum, quod est materia prima, quæ est pure passiva potentia, primum subjectum et prope nihil ; oportet ascendendo quoque pertingere ad ens maximum atque dignissimum, quod sit prima forma omnia formans nilque informans, purus actus, nullius subjectum, et super omnia entia in semetipso independenter ac pure subsistens.

Præterea, ordo universi in speciebus mundi consistit. Species autem rerum convenienter coordinatæ connexæque sunt : habent se enim ut numeri, secundum Philosophum ; quod etiam sensui constat. In omni autem multitudine ordinata, inferiora omnia ad supremum aliquod convertuntur, ut conserventur vel perficiantur ab ipso : aliter ordo ille non esset necessarius neque stabiliter permanens. Omnes ergo naturæ ac species rerum convertuntur ad primum ens, ut bene se habeant perfectæque sint. Conversio autem tendit in id a quo processio facta est. Nam quod ad aliud naturaliter convertitur, naturaliter indiget eo : ideo namque convertitur, ut in essendo atque agendo perfectionem sortiatur. Omnes ergo naturæ seu species mundi indigent primo ente. Non autem eo egerent, nisi ab eo procederent : nam ab eodem sortitur res esse et bene esse, seu esse, posse et agere. Imo si esse rei a nullo dependet, ergo nec posse, nec agere, nec permanere. Si enim res a se ipsa esse habet, indissolubilis est : ergo omni alio non exsistente, nihilo minus permanebit. Quumque nil in rerum natura sit otiosum et frustra, non utique poterit potentia et operatione carere. Indissolubilis itaque ordo rerum in essendo ac operando atque causando, evidenter demonstrat esse supra omnia entia sub ordine comprehensa ens quoddam æternum, perfectum, primum operans atque efficiens, a quo omnia in ordine mundi inclusa tam esse quam bene esse, tam naturam quam operationem, tamque virtutem quam causalitatem adepta sunt.

Digitized by Google

Hæc autem ratio ex dictis Platonis et Procli colligitur; et alibi eam diffusius introduxi, multa argumenta ex ea eliciens.

Cf. de Lumine christ. theor. lib. I, art. XXVI.

Postremo, talis est entium ordo, quod quædam raro proveniunt, quædam frequenter, nonnullaque semper; et aliqua contingentia sunt, aliter se habere potentia. Est ergo aliquod ens omnino necessarium, atque incommutabile esse habens : alioqui totum universum dissolveretur et confunderetur. Tale vero ens Deum fatemur. Hanc quoque rationem Damascenus primo libro tangit : Omne, inquiens, increabile seu æternum, invertibile est et inalterabile; omne vero creabile, vertibile atque alterabile est : contrariorum namque sunt proprietates contrariæ; et quorum esse a versione incepit, hæc versioni subjecta sunt. Omnia autem citra Deum hujusmodi sunt : nam inferiora multiplici mutationi subduntur; superiora vero, vel localiter vel secundum electionem variabilia comprobantur. Omnia ergo creata, mutabilia sunt; et solum increatum ens, prorsus invariabile est. Verum hæc ratio Damasceni, dictis Platonis innititur. Peripatetici namque affirmant, intelligentias immutabiles esse atque immobiles, nec aliquo modo posse peccare neque errare, quamvis a primo ente procedant. Et hos S. Thomas sequens, ait quod in rebus creatis dici potest aliquid absolute necessarium. Non tamen sequitur eos in hoc quod adstruunt intelligentias nec errasse nec peccare potuisse : quod asserentes Aristotelici, dæmones esse negabant. Sed Plato aliter sensit. Inducit quippe primo Timæi summum Deum causis secundis cœlestibus (quas more suo deos appellat) ita loquentem : O dii deorum, quorum opifex idem paterque ego. Opera siquidem vos mea, dissolubilia natura; me tamen ita volente, indissolubilia.

Sed dubitatio oritur. Dictum est enim, quod Deum esse sit adeo per se notum, ut omni homini facillime possit ostendi Deum esse, imo hoc quilibet sanæ mentis, A de facili considerare atque elicere ex ordine entium valeat. Huic vero contrariari videtur quod Plato primo Timæi inducit, dum ait : Igitur genitorem opificemque universi tam invenire difficile, quam inventum impossibile profari condigne. Et respondendum, quod opificem mundi invenire difficile est, non quidem absolute, quantum ad hoc quod sciatur esse, sed ut sciatur per modum quo est universorum causale principium. Non enim est parum difficile determinare quemadmodum mundi sit instituta molitio. B

His itaque viis agnoverunt philosophi ex consideratione ordinis rerum, esse unum summum verumque Deum. Unde Aristoteles secundo Primæ philosophiæ fatetur quia id quod est maxime verum et ens, puta Deus, sit ceteris universis causa veritatis et entitatis.

ARTICULUS XII.

Ostensio quod Deum esse oporteat, ex contemplatione regiminis universi. C

GUBERNATIVUS insuper superiorum in hunc mundum influxus, sapientissimum, primum ac summum esse principem in universitate rerum demonstrat. Nempe in omni gubernantium multitudine, ad quoddam primordiale gubernans oportet recurrere statumque esse : quod Aristoteles quoque in Politicis dixit. Quum ergo inferiora et corruptibilia a cœlestibus causis moveantur atque regantur, ut orbes a suis motoribus, opus est ascendendo pertingere ad summum rectorem primumque principem : quem Deum rite censemus. D

Adhuc autem, ea quæ vita carent, ut elementa et mineralia, ea quoque quæ vitam habentia cognitione privantur, ut plantæ, et item quæ cognitionem habentia ratione non pollent, ut bruta, recte reguntur : quia ad certum finem moventur, quem etiam ut in pluribus adipiscuntur. Quum ergo nec finem agnoscant, nec raro eve-

Digitized by Google

niant, liquet utique quoniam nec a casu neque a se ipsis moventur. Unde Damascenus libro secundo affirmat, quod potius agantur quam agant, quia secundum impetum naturæ feruntur, nil deliberando. Oportet ergo fateri, fore actorem naturæ, qui eis finem præstituit, legemque movendi ac operandi ingenuit sive impressit. Quod nulli nisi altissimæ causæ competere potest, quæ sola juxta sapientiam suam immensam ordinem rerum instituit, quemadmodum scriptum est : Quam magnificata sunt opera tua, Domine ! Omnia in sapientia fecisti. Etenim quæ finem nequaquam agnoscunt, non feruntur in finem, nisi aliquo cognoscente regantur. At vero, sicut demonstrat Philosophus, entia nolunt male disponi : naturalia enim desideria rerum tendunt ad bonum. Quumque pluralitas principum mala sit (quemadmodum beatissima Barbara nondum baptizata decore probavit contra idololatras : posset enim inter eos oriri dissensio, qua orta, totus confunderetur ordo regiminis); unus ergo est omnium princeps, qui omnia regit, quemadmodum in libro de Causis habetur : Causa prima regit res omnes creatas, præter quod commisceatur cum eis. Quod Plato in Phædone clare testatur, ubi asserit animas defunctorum primum quidem in causam portari, an bene ac sancte vixerint, an minime.

Ps. CIII, 24.

Postremo (et est ratio Damasceni primo libro), contraria non jungunt se mutuo : imo separari conantur ab invicem. Quomodo ergo contrariæ naturæ, videlicet ignis et aquæ, terræ ac aeris, ad unius mundi constitutionem ad invicem convenissent indissolubilesque mansissent, nisi quædam omnipotens virtus eas copulasset et semper indissolubiles conservaret? Quid est quod statuit cœlestia atque terrestria, et quæcumque in elementis exsistunt? Quid est quod hæc movet ac agit incessabili et sine prohibitione motu? Nonne artifex horum, et qui rationem imposuit omnibus secundum quam machina mundi fertur itemque deducitur? Quis autem est artifex horum? Nonne qui fecit hæc et ad esse deduxit? Non enim casui dabimus talem virtutem : nam et si generatio fuit a casu, cujus erit ordinare, cujus erit conservare et custodire omnia secundum proprias rationes?

Ipsa ergo creaturarum permanentia et conservatio ac gubernatio docet nos, quoniam est Deus qui hanc universitatem consistere facit et continet atque conservat, semperque ei providet. Hoc est quod de Deo loquens Scriptura ait : Quem constituit alium super terram? Aut quem posuit super orbem quem fabricatus est? Et alibi : Universorum (ait) finem ipse considerat, et omnia quæ sub cœlo sunt respicit.

Job XXXIV, 13.

Ibid. XXVIII, 3, 24.

ARTICULUS XIII.

Quotuplici via conscendat intellectus humanus ad Creatoris notitiam ex rebus creatis.

OPORTET demum in primis propter dicenda advertere, quot modis aliquid Deo attribuamus, et quot viis eum agnoscere valeamus. Quidam autem affirmat, quod quamvis in particulari diversis viis utimur ad Dei cognitionem adipiscendam, reducuntur tamen ad tres, puta ad viam causalitatis et eminentiæ atque ablationis, dicens Dionysium septimo capitulo de Divinis nominibus hoc dixisse. Et utique verum est quod ex verbis Dionysii istud elici possit. Nihilo minus diversos Dionysii libros sollicitius perlustrando, convenientius dicendum invenio, quod quatuor viis in Dei nominationem atque notitiam ascendamus : quæ tamen ad duas reducuntur. Cognoscimus enim Deum : primo, per positionem, affirmando de Deo quæ absolute loquendo dignius est inesse quam non inesse : sicque adscribimus Deo esse bonum, esse vitam, esse substantiam. Secundo, per ablationem, negando de Deo quidquid in creatis entibus invenitur, tanquam de eo qui omnia in infi-

Thomas in *Rom.* I, lect. 6.

Digitized by Google

nitum transcendit. Tertio, per causalitatem : quoniam considerando naturam et modum rerum creatarum, pertingimus ad hoc ut pensemus esse unum primum atque fontale universorum principium, et quod perfectiones in creaturis inventæ Creatori non desint. Sed quia effectus, præsertim non univoci, sed æquivoci, ut sunt creata, causæ perfectionem diminute ac deficienter participant; ideo quarta via est, per eminentiam, quando videlicet creaturarum perfectiones seu nobilitates Deo adscribimus, non eo modo quo in creaturis exsistunt, sed eminentiori puriorique modo. In creaturis quippe invenitur justitia, sapientia, vita, esse ac bonitas; sed omnia hæc vel accidentaliter insunt et ad subjectum labuntur, vel dependent ab alio et ad certum limitata sunt gradum ac ordinem. Dum itaque ista atque similia Deo tribuimus, debemus abjicere atque relinquere id quod imperfectionis includunt; id vero quod nobilitatis comprehendunt ac retinent, Deo excellentissime attribuere congruit.

Denique constat, quod via causalitatis ad viam positionis reducitur : in utraque siquidem aliquid de Deo affirmamus. Via autem eminentiæ ad ablationis reducitur viam : hæc enim eminentia negationem includit, quia designat attributa aliter Creatori competere quam creaturæ. Damascenus etiam primo libro testatur, quædam de Deo per superabundantiam enuntiari, vim negationis habentia. Sicut dum dicimus, Deum esse tenebras : non quod Deus sit simpliciter tenebræ, sed quoniam non est lux visibilis aut comprehensibilis, sed super omnem lucem. Et iterum dicitur lux, quia non est tenebræ. Unde Dionysius in epistola ad Dorotheum : Divina (inquit) caligo inaccessibile lumen est. Lux ergo divina, propter propriæ claritatis superexcedentem atque immensum splendorem, caligo seu tenebræ appellatur. Diciturque invisibilis, propter suam excellentem claritatem; et inaccessibilis, per superexcellentiam superessentialis luminum manationis, id est ratione superexaltatæ suæ plenitudinis, a qua tanquam a superessentiali lucis fonte omnia lumina manant. In hac Deus caligine habitat, qui ponit tenebras, id est incomprehensibilem claritatem, latibulum suum, id est occultam mansionem : nam propter suæ plenitudinem lucis, incomprehensibilis perhibetur.

II *Par.* VI, 1; *Ps.* XVII, 10, 12.

Porro hæc esse de mente Dionysii, nunc breviter demonstrare incumbit. Prædicta autem opinio viam positionis omittit, quam tamen Dionysius primo Mysticæ theologiæ capitulo palam insinuat : Oportet (inquiens) omnium entium dicere positiones in Deo, sicut in omnium causa. Quod secundo quoque Angelicæ hierarchiæ capitulo et alibi sæpe fatetur. Quod autem Deum per ablationem noscamus, Dionysius secundo Mysticæ theologiæ capitulo declarans : Hoc est (ait) Deum vere videre, supersubstantialem supersubstantialiter per omnium entium ablationem laudare. Et idem septimo de Divinis nominibus asserit. Has quoque duas vias Deum cognoscendi Damascenus primo libro describit. Alias vero duas vias Dionysius toties reserat, ut tædii sit specialia loca adstruere.

Et quia nunc Deum quantum ad *quia est*, per viam causalitatis invenimus : consequenter, de ipso quid sit, prout in statu præsenti fieri potest, per viam positionis scrutari oportet; deinde hoc idem per viam ablationis (quæ dignior exstat) agendum est.

ARTICULUS XIV.

Explanatio quorumdam nominum sine quorum notitia ista intelligi nequeunt.

FREQUENTER interim orthodoxi doctores, qui scriptis suis theologicis naturalem philosophiam admiscent, utuntur nominibus apud philosophos assuetis ac notis, sed lectoribus in philosophia minus expertis, non adeo planis : expedit ergo

Epist. v.

Digitized by Google

nomina talia, prout præsens deposcit editio, paululum explanare. Sæpe namque occurrunt nomina ista : actus, potentia, forma, materia, operatio, habitus, esse, posse et agere, causa, principium, atque similia. Quorum nonnulla satis (ni fallor) sunt nota. Quædam vero, si perfecte intelligi debeant, maxima expositione atque graviori egent tractatu. Sed nunc compendiosius quo fieri potest reserentur.

Advertendum igitur, quia secundum Philosophum nono Primæ philosophiæ, actus et potentia dividunt ens, inveniunturque in omni genere entis seu prædicamento, et ex opposito distinguuntur. Actus enim proprie dicitur principium operandi, movendi ac transmutandi aliud secundum quod aliud. Non enim accipitur hic actus ut sit idem quod factus ; neque sic ut sit idem quod actio quæ est unum decem prædicamentorum ; nec sumitur pro operatione vel aliquo accidente dumtaxat, sed secundum communitatem qua ambit omne genus : ita quod quælibet res atque natura quæ est activum principium agendi, vel movendi seu transmutandi aliud in quantum aliud, sive sit in genere substantiæ sive accidentis, actus valeat nuncupari. Unde Deus, qui omnia condidit, movet ac regit, actus vocatur. Intelligentia quoque seu angelus, qui est activum principium cœlestium motuum, anima etiam, quæ corpus informat, regit ac perficit, actus dicuntur. Quælibet insuper forma, est actus suæ materiæ : ut color est actus parietis quem colorat. Dicitur autem in definitione actus, aliud secundum quod aliud. Nam quædam agunt in se, et movent atque transmutant se ipsa, quemadmodum animalia ; sed non secundum idem movent et agunt, moventur et aguntur. Movent nempe et agunt, in quantum aliquid de perfectione primi actus, utpote Dei, participant ; moventur vero, itemque aguntur, propter imperfectionem sibi annexam, vel propter sui distantiam a primo immobili ente. — Porro potentia uno modo active accipitur, A scilicet pro potestate seu vi ; sicque in Deo invenitur, nec ita ab actu distinguitur. Secundo autem potentia sumitur quasi passive, et differt ab actu : est enim passivum principium transmutandi seu movendi ab alio secundum quod alio. A potentia primo modo accepta, dicitur aliquid potens ; sed a potentia secundo modo sumpta, aliquid appellatur possibile. Omne ergo quod ab alio perficitur, mutatur, movetur vel actuatur, potentia nominatur, vel habens potentiam. Non ergo potentia B sumitur nunc prout differt ab essentia et operatione, videlicet pro quadam accidentali vi entis quæ inter essentiam operationemque mediat ; neque pro qualitate secundum quod in prædicamentis naturalis potentia vel impotentia dicitur secunda species qualitatis, sed prout in omni genere entis reperitur : ita ut quælibet entitas imperfecta ac mobilis, potentia appelletur. Sic enim materia prima vocatur potentia, quia a forma perficitur et ab ea movetur. Omne quoque genus se C habet ad propriam speciem sicut potentia ad actum. Genus enim designat naturam quantum ad perfectionem communem ac illimitatam, quam complet ac perficit species, id est, completur in se per differentiam.

Demum, sicut ens dividitur in actum et potentiam, ita secundum aliquem modum substantia composita dividitur in formam atque materiam. Forma enim est quæ dat esse rei ; materia vero est formæ subjectum, et recipit esse ab ea. Actus itaque D et potentia se habent in plus quam forma et materia. Nam inveniuntur in separatis seu incorporeis, atque corporeis ; materia autem et forma in solis corporalibus inveniuntur substantiis : quamvis forma vicissim in separatis esse dicatur. Dicitur enim in libro de Causis, quod intelligentia est plena formis. Et Boetius in libro de Trinitate Platonem sequens : Formæ (inquit) quæ in materia reperiuntur, a formis quæ extra materiam sunt derivantur. Dicitur namque forma non solum ab

Digitized by Google

informando, sed etiam a foris manendo. Duplex ergo est forma, puta : informans, qualis est omnis forma corporalium rerum ; et foris manens, quæ est origo et causa formæ materiam actuantis. Sicque Deus forma dici potest : quippe qui omnia superno ducit ab exemplo, omnia secundum ideales rationes producens, formans atque distinguens, ut Rabbi Moyses ait. Sic quoque intelligentiæ, quum sint separatæ naturæ et immateriales essentiæ, appellatæ sunt formæ.

A

Advertendum vero quod nomina ista, actus et potentia, forma et materia, multum solent extendi atque communiter accipi, in tantum ut omne perfectum respectu imperfecti, omne principium respectu principiati, omne agens respectu patientis, se habere dicantur per modum actus et formæ, et illa per modum potentiæ atque materiæ, seu potentialiter atque materialiter. Id quoque quod secundum unam considerationem seu comparationem se habet ut forma et actus, secundum alium modum se habet per modum potentiæ sive materiæ : ut anima rationalis, quantum ad corpus, cui dat esse, dicitur actus ; sed per comparationem ad Deum, a quo recipit esse et omne quod est, appellatur potentia. Et idem est de intelligentia. Unde in omni ente creato inveniuntur actus et potentia, eo utique modo quo Boetius in libro de Hebdomadibus asserit, in omni ente citra Deum esse compositionem ac distinctionem ex *quod* et *quo est*. Etenim per *quod est*, intelligitur potentia vel materia ; per *quo est*, forma seu actus. Verum an ista compositio atque distinctio sint reales, an secundum rationem dumtaxat, difficilis quæstio est, quæ hic solutionem non exigit.

B

C

D

Cf. t. XIX, p. 401 C et s.

Quid autem sit habitus ? Aliquid convenit rei vel actualiter, ut scientia consideranti ; vel potentialiter, ut beatitudo bonæ indolis puero, de quo dici solet quod sit felix puer ; vel medio, videlicet habitualiter : sicut de equo veloci ad præsepe ligato dicimus quia velociter currit ; et de viro erudito ac dormiente asserimus quod sit magnus contemplator et multa cognoscat, non utique actualiter, sed habitualiter. Inter potentiam enim et actum, habitus mediat, ut inter voluntatem et Dei dilectionem est caritas media. Iterum, inter essentiam et operationem potentia media perhibetur, sumendo potentiam pro naturali vi entis creati : nam inter animam et cognitionem mediat intellectus. In omnibus vero creaturis diversificari dicuntur essentia, potentia et operatio ; seu esse, posse et agere. Nam in angelicis quoque spiritibus, in quibus minus sic esse videtur, hæc diversificantur. Unde capitulo undecimo Angelicæ hierarchiæ Dionysius dividit angelos in essentiam, virtutem et operationem.

Hæc itaque pro intelligentia dictorum ac dicendorum tacta sunt magis quam dicta.

ARTICULUS XV.

Quod esse, Deo propriissime conveniat ; et de qualitate seu modo esse divini.

UNUMQUODQUE præterea tanto comprobatur esse plenius id quod est, quanto fonti suæ exsistentiæ ac perfectionis amplius appropinquat. In omni etenim ordine, primum est perfectum : quemadmodum primum calidum, scilicet ignis, perfecte est calidum ; et primum lucidum, scilicet sol, perfecte est lucidum. Quum ergo Deus æternus et summus, sit ens per essentiam, ens per se ipsum, ens independens ; oportet ut esse divinum sit prorsus perfectum ac plenum. Id enim quod enti per se convenit, non potest esse minoratum vel diminutum in ipso : nam propter recessum a primo perfectionis principio, diminutio et imperfectio in posterioribus oriuntur, quemadmodum Proclus Platonicus pulchre demonstrat. Ipsum igitur esse convenit Deo secundum omnem plenitudinem, nobili-

Digitized by Google

tatem ac perfectionem essendi : ita ut, A teste Anselmo in Monologio, omne quod absolute loquendo dignius est habere quam non habere, Deo attribuamus. Quemadmodum enim lux omnis creata, quantumcumque præclara, divinæ lucis respectu est velut caligo ac tenebra ; sic omne esse creatum, quantumcumque perfectum, per comparationem divini esse, potius non esse seu nihil quam aliquid fore videtur.

Nunc ergo, o nobilis anima, contemplare opificem tuum in nomine suo quod est B Esse seu Qui est. Contemplare esse divinum, quomodo cum summa simplicitate omnem nobilitatem cum immensa plenitudine comprehendit. Quum namque esse divinum sit æternum, a nullo dependens, idcirco est primum ; et quia est primum, ideo est maxime causans atque dignissimum, imo omnis causalitatis et bonitatis ac fecunditatis fontale principium. Rursus, quum esse divinum sit primum, oportet ut sit simplex ac purum : aliter posset resolvi in aliquid prius, nec esset sim- C pliciter primum atque perfectum, nisi simplex esset ac purum. Quum vero sit simplicissimum, quidquid in ipso est, non est nisi ipsummet esse divinum. Et quia est purum, nil habet de non esse, de potentialitate, de minoratione seu terminatione essendi admixtum : propterea est vere immensum et omnino plenissimum. Et sicut non esse seu nihil, dicitur per meram fugam omnis entitatis totiusque essentiæ ; sic esse perfectum, esse divinum, esse simpliciter dictum, accipitur D per omnimodam fugam totius non esse, atque per immensum recessum a non ente. Tale vero esse, quum sit ab omni potentialitate semotum, est vere actualissimum ; et quum sit ab omni materiali contagione ac proprietate liberrimum, est vere formalissimum ; et quum sit ab omni specificante seu contrahente differentia elongatum, tanquam omniformiter quomodolibetque perfectum, idcirco est vere illimitatum, interminabile, illocale, intemporale, incircumscriptum. Denique, ut Bonaventura testatur, ipsum esse adeo exstat certissimum, ut nequeat cogitari non esse. Idem dicit Albertus. Nil enim habet de non esse, nec actu neque potentia, nec secundum veritatem neque secundum æstimationem. Si ergo Deus nominat esse primarium, æternum, perfectum, impossibile est cogitare ipsum non esse. Quo devoti Doctoris testimonio confirmatur positio qua ante disserui quod Deum esse, sit omnino per se notum.

Elucescit ergo quod esse divinum sit æternum ac primum, maxime causans, præstantissimum, simplicissimum, purissimum, immensum, plenissimum, actualissimum, formalissimum, illimitatum, per cuncta incedens, omnia penetrans, immutabilissimum ac præsentissimum. Unde B. Hilarius septimo de Trinitate, ipsum esse Deo potissime competere docens : Esse, inquit, non est accidens Deo, sed subsistens veritas, manens causa, et naturalis generis proprietas. Et divinus C Dionysius quinto capitulo de Divinis nominibus, Deum in nomine suo præclaro quod est Esse, contemplans ac laudans : Laudemus, inquit, divinam bonitatem ut exsistentem, et omnibus entibus exsistentiam exhibentem. Ipsa equidem substantificatrix causa est totius esse secundum supersubstantialem suam virtutem, estque creatrix omnis exsistentis, substantiæ, personæ atque naturæ, omnium sæculorum principium et mensura. Non enim dicitur Deus aliquo particulari modo exsistens, D sed simpliciter, universaliter, indefinite et incircumscripte, quia essendi plenitudinem in se ipso accepit. Propter quod Rex sæculorum vocatur, tanquam sub- I Tim. I, 17. stitutor cujuslibet particularis entis ac esse. Hæc Dionysius.

Insuper, ut sciatur cur esse tam proprie competit Deo, pensemus quid de ipso esse creato secundum se atque communiter sumpto dicunt philosophi. De ipso nempe noster gloriosus philosophus, fidelis Boetius, dicit quod esse sit ac-

Digitized by Google

tualissimum : imo ipsum est actualitas omnium perfectionum posteriorum, quia nec vita, nec sapientia, neque cognitio, nec natura, nec gratia aliquid actualitatis seu perfectionis sortiuntur, nisi in quantum participant esse, seu rationem entis includunt. Propterea Avicenna in sua Metaphysica adstruit, quod esse vel ens, est primum quod cadit in intellectum. Nil enim intelligitur nisi in quantum est ens. Unumquodque namque intelligitur secundum quod est in actu : unde non ens seu nihil, intelligitur per ens vel aliquid ; ens quoque in potentia, intelligitur per ens in actu. Esse ergo secundum propriam rationem nominat actualissimam perfectionem, summe communem atque causalem. Idcirco in libro de Causis habetur : Esse est prima rerum creatarum, et non est ante ipsum creatum aliud. Quod Proclus in Elementatione theologica, Dionysius quoque quinto de Divinis nominibus contestantur, causam hujusmodi assignantes, quoniam ceteræ participationes divinæ bonitatis, videlicet vivere, sentire, cognoscere, sapientia, pietas, sanctitas, ac reliquæ bonitates creatæ, præsupponunt ipsum esse, et participant ipsum. Quum ergo nomina creaturarum ad perfectionem spectantia Deo præsertim conveniant, constat quod esse, Deo potissime convenit. Unde Damascenus primo libro fatetur, quod Esse seu Qui est, videtur primum principaleque nomen Dei, quia totum in se ipso comprehendit esse, velut pelagus quoddam substantiæ infinitum et indeterminatum.

ARTICULUS XVI.

Quod Deus sit essentialiter bonus, et quod natura Dei sit bonitas ; et quod nulla res post Deum sit essentialiter bona.

BONUM insuper, teste Philosopho, est quod omnia appetunt : bonum quippe est appetitus primum objectum. Quanto igitur aliquid ex se ipso appetibilius invenitur, tanto melius perhibetur. Nil enim appetitur nisi vel vere bonum, vel bonum apparens : nam malum sub ratione mali nunquam appetitur. Omnia autem propriam perfectionem ac fixionem desiderant. Quemadmodum ergo nihil secundorum sine divina bonitate communicante ac conservante, esse vel bene esse aut permanere valet ; sic Deus gloriosus et fortis, omnibus rebus est prime ac summe optabilis, et omnia ipsum finaliter appetunt naturali affectu. Deus ergo prime ac summe bonus exsistit, non particulariter vel quantum ad certum genus, sed universaliter et absolute. Denique bonum vocatur quod propriæ perfectionis diffusivum est : bonum enim, secundum Dionysium, diffundit se ipsum. Quum ergo Deus æternus et felix, perfectus nullius- De Divin. nom. c. IV. que egens, ob propriæ bonitatis plenitudinem, ob propriæ perfectionis liberalitatem, ob propriæ dilectionis exuberantiam cuncta condiderit, universa conservet, singulisque provideat ; liquet quod ipse naturaliter bonus sit, ita ut ejus essentia sit bonitas pura : quemadmodum quarto capitulo de Divinis nominibus Dionysius copiose deducit, introducens exemplum de sole corporeo, qui æterni atque intelligibilis Solis omnia illustrantis evidens est imago. Quemadmodum itaque sol iste visibilis non præmissa deliberatione neque præhabita electione, sed ex ingeniti luminis fecunditate seu principali suæ naturæ proprietate, radios suos circumquaque diffundit, et singula sicut capacia sunt ornat atque irradiat, et si aliquid non illuminatur, non est defectus ex sole, sed ex propria improportione ; sic bonitas divina incomparabiliter super solem perfecta, bona ac plena, universis se creaturis communicat, et cuncta capacia radiis ornat, atque quantum in se est, nil imperfectum seu tetrum ac luminis expers relinquit.

Deus ergo ex se ipso et naturaliter atque totaliter bonus est, ita quod secundum nullam considerationem, compara-

Digitized by Google

tionem vel possibilitatem est non bonus. Hoc autem nulli bonitati creatæ, nulli bonitati finitæ, nulli bonitati dependenti competere potest. Omnis equidem bonitas talis bonitatem participat, et divina summaque bonitate per intellectum paulisper subtracta, nequaquam bona manebit. Res ergo creatæ, ut in libro de Hebdomadibus tractat Boetius, non sunt substantialiter bonæ, nec substantialia bona, sed per participationem dumtaxat; nec sunt bona per se, sed per aliud. Verumtamen, secundum
q. VI, a. 3. Thomam in prima parte, bonum creatum, quamvis non valeat dici bonum per se, nihilo minus dici potest unum seu ens per suam essentiam, quoniam unum indivisionem designat, et ens actum essendi importat. Quæ rei per propriam naturam conveniunt, non utique efficienter, sed formaliter : quemadmodum homo est animal per se formaliter, quoniam esse animal est de ratione hominis; non autem efficienter, quia omne creatum, de se, in se et per se nihil est, effective loquendo. Bonum vero superaddit enti perfectionem quamdam (in qua ratio boni consistit), videlicet rationem appetibilis et perfecti. Perfectio autem per operationem acquiritur : idcirco non dicitur res creata per se bona, sed per aliquid aliud. Ideo itaque solus Deus sic naturaliter, independenter atque totaliter, quomodolibet ac omniformiter bonus est, ut natura ejus sit bonitas : quia nulla positione possibili facta sequitur ipsum non esse; et universis naturis creatis destructis, ipse æque perfectus manet ac bonus. Nec bonitas ejus terminum habet, non fine concluditur, non minorationem admittit, sed vere plena immensaque fertur. Idcirco, qualitercumque consideretur aut comparetur, semper perfectissima atque ditissima manet : propter quod quomodolibet ac omniformiter bona censetur.

Unde Plato in primo Timæi Deum naturaliter bonum designans : Dicendum, inquit, cur conditor genitorque universi universum mundum instituendum putaverit. Et respondens : Optimus (inquit) erat; porro ab optimo invidia longe relegata est. Itaque sui similia, prout uniuscujusque natura capax esse poterat, cuncta Deus effici voluit. Quam quidem Dei voluntatem originem rerum certissimam si quis ponat, recte eum putare consentiam. Hæc verba Platonis Damascenus sectatus, primo libro dicit : Bonus exsistens Deus et omnis boni tributor, non utique invidiæ aut passioni alicui exstat supposítus : longe enim a divina natura, quæ impassibilis et sola bona est, distat invidia. Deus igitur, tanquam omnia sciens, et quod confert unicuique providens, id quod utile est nobis cognoscere, revelavit; quod autem non poteramus ferre, celavit ac siluit. Hæc verba Damasceni pulchra sunt et sensu plenissima. Porro prædictam bonitatem ac communicabilitatem declarans Doctor divinus : Deus, ait, est quoddam fluens ac refluens mare, quod incessabiliter in omnes suos fluit dilectos, secundum uniuscujusque indigentiam ac dignitatem; et est refluens atque in se trahens universos quos implet ac ditat, cum omnibus quæ habent aut possunt. Hoc quippe a suis postulat Deus, ut cum laude et gratiarum repensione refluant redeantque in ipsum et sibi semper adhæreant.

Nunc ergo, mi frater dilecte, si qua in nobis est lux mentis, si qua cognitio veritatis, si tenebræ non obcæcaverunt corda nostra, advertamus atque pensemus quo caritatis calore, quo sanctæ affectionis ardore, quo divini amoris fervore, qua mentis munditia contemplandum, affectandum, amandum ac amplectendum sit hoc bonum æternum, bonum divinum, bonum immensum. Enimvero, si unumquodque in tantum exstat amabile quantum sortitur de bonitate, nonne hoc bonum quod essentialiter, totaliter atque infinibiliter bonum et pulchrum, suave ac splendidum, vivum atque beatum consistit, incomparabiliter et indesinenter est amandum, requirendum ac contemplan-

Digitized by Google

dum? Mundemus ergo ei animam nostram, inordinatos spernendo affectus, et pueriles actiones, instabiles, vanas ac viles. Nonne prorsus cæci atque miserrimi sunt, qui ista quæ de divino esse divinaque bonitate præhabita sunt, certissime noscunt, non tamen Deum sicut Deum glorificant, timorate et pure obsequendo altissimo Domino, sed carnaliter et negligenter conversantur, in creaturis consolari quærentes, nec se totos ad Creatorem vertentes? Isti gentilibus deteriores cen-
Rom. I, 21, 25. sendi sunt, de quibus ait Apostolus, quod quum Deum cognovissent, non sicut Deum glorificaverunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis, et servierunt atque per amorem adhæserunt creaturis potius quam Creatori. Quorum vestigia, heu! multi Christianorum philosophi damnabiliter infeliciterque sequuntur.

ARTICULUS XVII.

Quid sit prius ac principalius nomen Dei, Bonum vel Ens.

AMBIGUITAS porro qua quæritur, quid prius ac potius Deo conveniat, bonum, vel ens (seu esse vel qui est), originem sumit ex dictis magnorum virorum qui sibi in isto contrariari videntur. Sacratissimus enim ac theologorum princeps, divinissimus Dionysius, quarto capitulo de Divinis nominibus adstruit Bonum esse primum atque potissimum nomen Dei, et quod Dei natura sit bonitas pura. Unde Dionysius divina nomina pertractando, primo tractat de bono, videlicet quarto capitulo, deinde de ente, quinto capitulo de Divinis nominibus. Huic autem consonat verbum Salvatoris, qui
Matth. XIX, 16, 17; *Luc.* XVIII, 18, 19. adolescenti sibi dicenti, Magister bone, quid faciens vitam æternam possidebo? ita respondit: Quid me interrogas de bono? nemo bonus nisi solus Deus: quasi Deo sit proprium esse bonum. Quod utique Christo convenit, quum ipse sit verus Deus; sed hoc adolescens ille de Jesu, quem prophetam putavit, non sensit nec credidit: ideo increpationem hanc meruit. Sed his obviat quod Damascenus primo libro inducit: Videtur, inquiens, omnibus quæ de Deo dicuntur nominibus, principalius esse, Qui est, quemadmodum ipse oraculo loquens Moysi in monte, ait: Ego sum qui sum. Hæc dices filiis Israel: Qui est, misit me ad vos. *Exod.* III, 14.

Hanc demum contrarietatem S. Thomas prima parte dissolvere volens, asserit quod absolute loquendo, ens sit prius secundum rationem quam bonum: primum enim in intellectu cadens, est ens. Verumtamen Dionysius primo tractat de bono in loco prætacto, quoniam tractat de divinis nominibus prout respectum seu habitudinem causæ circa Deum designant: quia ex rebus creatis Deum cognoscimus et nominamus. Bonum autem spectat ad causam finalem: nam bonum et finis coincidunt, secundum Philosophum. Unde Cyrillus: Amamus (inquit) universa propter bonum, et finis omnium desiderabilium ac summum amabilium est bonum. Ens autem seu esse, pertinet ad causam efficientem. Quum itaque causalitas finis prior sit causalitate efficientis (efficiens enim non agit nisi motus a fine, quum finis sit primum in intentione), idcirco bonum, quantum ad rationem causandi, prius est ente: sicque Dionysius ordinat bonum ante ens. Denique Bonaventura in Itinerario mentis in Deum hanc difficultatem plenius solvens: Duo (inquit) sunt modi seu gradus contemplandi Deum, quorum unus versatur circa essentialia Dei, aliter circa propria personarum. Primus modus primo et principaliter defigit adspectum in ipsum esse, dicens quod Qui est, sit primum nomen Dei. Secundus vero defigit adspectum in bonum, dicens quod ipsum sit primum nomen Dei. Primus spectat potissimum ad vetus Testamentum, quod maxime prædicat divinæ essentiæ unitatem. Unde dictum est Moysi: Ego sum qui sum; et, Audi, Israel, Deus tuus, Deus unus est. Secundus autem, ad *Exod.* III, 14. *Deut.* VI, 4. q. V, a. 2.

Digitized by Google

novum, quod determinat personarum pluralitatem, baptizando in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Ideo magister noster Christus, volens adolescentem qui legem servavit, ad evangelicam levare perfectionem, nomen bonitatis principaliter atque præcise Deo attribuit : Nemo (inquiens) bonus nisi solus Deus. Damascenus ergo sequens Moysen, dicit quod Qui est, sit primum nomen Dei. Dionysius autem sequens Christum, dicit quod Bonus, sit primum nomen Dei.

Matth. xxviii, 19.

Luc. xviii, 19.

Hæ vero responsiones quodammodo in idem redire videntur. Hoc nempe ambæ prætendunt, quod Deus considerari potest dupliciter. Primo, secundum se : sicque primum nomen ejus est Ens, vel Qui est seu Esse. Secundo, prout est principium emanationis sive ad intra sive ad extra : et ita primum nomen ejus est Bonum. Et quamvis responsiones istæ sint pulchræ, non tamen contentant neque quietant sollicitum investigatorem. Dionysius enim, et ante eum Hierotheus, quem Dionysius in tantum commendat ut dicat Apostolos quoque sapientiam ejus fuisse miratos, concorditer adstruunt, quod participatio boni extenditur usque ad non ens, ita quod non ens participat bonum et appetit ipsum. Per non ens autem materiam primam notat, quæ secundum se nec est quid, nec quale, nec quantum, quum sit pura potentia : substantificatur enim per posse, secundum Averroem et Albertum. Itaque, secundum Dionysii intentionem, bonum est prius et latius atque communius ente : nam ad plura extendit se. Dico igitur, quod secundum intentionem Dionysii, simpliciter et absolute loquendo, Bonum est primum atque præcipuum nomen Dei, non Qui est. Et in hoc Dionysius Platonicos sequitur, qui ordinabant bonum ante ens : dicentes materiam primam esse non ens, propter actualitatis carentiam; sed tamen dicebant eam esse bonum, quoniam appetit bonum, scilicet formam. Appetitus namque ex similitudine nascitur : nisi ergo materia aliquid de bonitate participaret, nequaquam appeteret bonum. Igitur, quod Thomas super secundum Sententiarum affirmat, Dionysium pene in omnibus, quantum ad naturalem philosophiam pertinet, Aristotelem esse secutum, quamvis in multis veritatem possit fortasse sortiri, in multis tamen instantiam patitur, sicut et in loco præsenti. Quæ enim nunc de communitate et prioritate boni ante ens et non entitate materiæ dicta sunt, in Elementatione theologica Procli Platonici inveniuntur conscripta. Etenim, secundum Platonem et Proclum, ipsa primordialis materia quamvis æterna sit, tamen a summo bono, hoc ipsum quod habet et est, participavit sortitaque est.

De Divin. nom. c. IV. Ibid. c. III.

Sed dicet forsitan quispiam : Si Dionysius absolute intendit quod Bonum sit per prius nomen Dei quam Ens, quid ergo tenendum est? Et respondendum, quod utique non est facile determinare hoc ipsum. Verumtamen dico, quod quum Deum incomprehensibilem ac superessentialem ex creaturis noscamus et nominemus, idcirco id in quo divina perfectio plenius puriusque resplendet, primo atque potissime Deo convenit, et ipsum principaliter nominat. Hoc autem bonum esse videtur. Bonum enim includit ipsum ens, superadditque ei rationem appetibilis ac perfecti, sicut in libro de Hebdomadibus Boetius tangit : et ideo in nomine boni divina perfectio excellentius fulget. Nec obviat quod Moysi dictum est : Ego sum qui sum; et, Qui est, misit me. Per hoc enim innuitur, quod soli Deo competit esse, secundum perfectam ac plenam rationem essendi; non autem quod Esse, sit primum nomen Dei atque præcipuum. Sicut nec sequitur, quod immortale vel potens, sit primum nomen Dei, quamvis dicat Apostolus : Beatus et solus potens Deus, qui solus habet immortalitatem, et lucem habitat inaccessibilem. Nil quippe insinuatur per hoc, nisi quod immortalitas atque potentia soli Deo perfecte conveniunt. Denique natura cujuslibet entis

I *Tim.* VI. 15, 16.

Digitized by Google

principalissimo explicanda est nomine : cur ergo natura Dei dicitur bonitas pura, potius quam pura essentia, purus intellectus, vel pura veritas, nisi quoniam Bonum est principalius nomen Dei quam reliqua? Hæc tamen magis tangendo quam determinando induco : nam quæstionem hanc plene discutere, ampliori eget examine.

ARTICULUS XVIII.

Et est demonstratio per rationes naturales, quod non sit nec esse possit nisi unus verus Deus.

LICET interea multæ queant rationes adduci ad divini esse uniusque veri Dei unitatem probandam, illa tamen potissima atque certissima est et item facillima, quam magni philosophi et præclari quoque theologi introduxerunt. Si namque sunt duo vel plures veri Dii, vel in omnibus conveniunt, vel in aliquo differunt. Si in omnibus conveniunt, nequaquam sunt duo seu plures : convenientia enim pluralitatem non facit. Si autem in aliquo differunt, ergo unius perfectio alteri deest : non ergo uterque perfectus est, unde nec verus Deus. Hanc rationem Damascenus et auctor libri de Causis inducunt, et ipsa a Platone formata est. Denique, Deus est perfectus et simplex : quia ergo perfectus, omnis ei nobilitas inest; quia vero simplex, ipse substantialiter est sua perfectio. Si ergo sunt plures Dii differentes, quum uterque sit substantialiter sua simplex ac summa, imo immensa perfectio, utrique deerit summa atque immensa perfectio : sicque neuter erit verus Deus. Amplius, ex ordine rerum, ex ordine quoque causarum, atque art. x-xn. ex ordine gubernantium, probatum est esse unam primam essentiam primamque causam, ac unum primum rectorem. Prima autem essentia primaque causa ac primus rector, est verus Deus : non ergo est nisi unus verus Deus. Præterea, mundus ab uno principio emanavit, nec potuit idem mundus a pluribus essentialiter distinctis creari : non est ergo nisi unus Creator, qui solus adorandus digne censetur. Possent autem aliæ multæ rationes produci : quas quia alibi plenius posui, hic omitto. Postremo elucescit ex his error Rabbi Moysis et Varronis, dicentium unitatem Dei non esse demonstrabilem, sed solum per legem ac fidem innotuisse. *Cf.* t. XIX, p. 146 C et s.

Insuper, unitatem Dei vetus et nova lex concorditer adstruunt. Scriptum est enim : Audi, Israel, Deus tuus, Deus unus est; et iterum : Videte quod ego sim solus, et non sit alius Deus præter me. Apostolus quoque ad Galatas : Mediator (inquit) unius non est; Deus autem unus est. Et alibi : Unus Dominus, una fides, unum baptisma. *Deut.* VI, 4. *Ibid.* XXXII, 39. *Galat.* III, 20. *Ephes.* IV, 5.

Præterea, Deus est maxime unus. Unum enim cum ente convertitur, nilque reale ei superaddit, sed indivisionem dumtaxat: dicitur enim unum, quasi ens indivisum. Quum ergo sit Deus maxime ens, tanquam omnem plenitudinem essendi complectens ac possidens, sitque potissime indivisus a se, sicut qui summe simplex invariabilisque consistit atque per propriam suam puram bonitatem ab omnibus differens; constat quod sit maxime unus. Nec solum est unus et unum, sed unitas prima, pura, exemplaris ac summa. Unde Dionysius ultimo capitulo de Divinis nominibus : Unus (inquit) dicitur Deus, quoniam unitive est omnia secundum plenum unitatis excessum. Quod vero unum cum ente convertatur hinc liquet, quod Dionysius protinus addit : Unum est inegressibilis omnium causa. Nihil est enim exsistentium quod non participet uno; sed quemadmodum omnis numerus participat unitate (nam dicitur, unus binarius, unus ternarius, unus denarius), sic omnia uno participant. Unum quippe universaliter sumptum, est causa omnium rerum formalis, sicut et genus est causa speciei; unum vero per se, primo ac separate subsistens, quod est Deus benedictus et san-

Digitized by Google

ctus, est omnium causa efficiens exemplaris atque finalis. Denique non est aliqua multitudo quæ non participet uno, quemadmodum Proclus subtiliter probat, et Dionysius tertiodecimo capitulo de Divinis nominibus inductive demonstrat, quum ait: Quæ multa sunt partibus, sunt unum toto; et quæ multa sunt accidentibus, sunt unum subjecto; et quæ multa sunt numero, sunt unum specie; et quæ multa sunt specie, sunt unum genere; quæ vero sunt multa processibus, sunt unum principio. Et si auferas unum, neque totum erit neque totalitas, neque pars neque partialitas, neque aliquid exsistentium erit. Ideo Proclus : Omnis (ait) multitudo, secunda est ab uno; et iterum : Omnia entia procedunt ab una causa prima.

ARTICULUS XIX.

Quod Deus æternus sit veritas prima et exemplaris, omnisque veritatis creatæ causa fontalis.

PROINDE, quum esse divinum sit maxime illimitatum seu incontractum atque perfectum, idcirco nomina communissima, qualia sunt ens et convertibilia secum, nomina quoque quæ perfectionem simpliciter dictam includunt, videlicet sapiens, felix, sublimis, omnipotens, Deo præsertim conveniunt. Quum ergo bonum et verum ac unum convertantur cum ente, Deo maxime competunt. Nil namque reale addunt ad ens, sed aliquid secundum rationem : ens enim dicitur bonum in ordine ad appetitum, quia appetibile; dicitur etiam verum in ordine ad intellectum, quia cognitioni conformabile; dicitur quoque unum, quia a se ipso indivisum. Omne igitur ens est unum et verum ac bonum. Sed quemadmodum esse et bonum ac unum Deo potissime congruunt propter rationes inductas, ita et verum.

Oportet ergo advertere, quod duplex est veritas. Est enim veritas naturæ seu rei, quæ aliud nihil est nisi essentia rei; et est veritas intellectus, seu propositionis, quæ est enuntiatio intellectualis veritatis. Verumtamen utriusque veritatis ratio, in quadam conformitate seu adæquatione vel æqualitate consistit. Veritas equidem intellectus, est adæquatio ipsius intellectus ad rem intellectam; veritas autem naturæ seu rei, est adæquatio vel conformitas rei ad intellectum vel cognoscentem vel certe causantem. Quemadmodum nempe nostri intellectus conceptio dicitur vera, in quantum æquatur seu conformatur naturæ vel proprietatibus rei; sic res ipsa dicitur vera, in quantum conformatur exemplari rationi quam habet in mente sui auctoris, ut adstruit Avicenna. Dicitur enim vera domus, quæ talis est in re ad extra sicut in mente artificis erat concepta. Quemadmodum autem omnia artificialia comparantur ad intellectum humanum, qui videlicet est causa ipsorum, sic universa naturalia comparantur ad intellectum divinum. Unde sicut artificialia appellantur vera, quoniam perfectionem debitam assequuntur secundum præconceptionem artificis; sic naturalia vera dicuntur, quia perfectionem specificam suæ naturæ adipiscuntur secundum ordinationem sapientiæ Dei, seu ad imitationem idealium rationum mentis divinæ : ut dicatur verus homo, verus lapis, verus leo, quoniam naturas habent specificas naturaleque esse secundum dispositionem causalem mentis divinæ. Enimvero esse divinum seu Deus utroque modo excellentissime verus perhibetur. Veritas enim intellectus Deo optime convenit, quum ipse omnia æternaliter et quasi præsentialiter, clarissime ac infallibiliter atque distincte cognoscat. Veritas quoque naturæ seu rei Deo excelso præcipue competit, quum esse divinum sit summe perfectum, ac divino intellectui summe conforme et adæquatum vel potius unum. Unde secundum Avicennam in sua Metaphysica, veritas rei vocatur, secundum quod res actum seu perfectionem suæ naturæ consequitur, et nata est

Digitized by Google

facere veram æstimationem in intellectu. Quum igitur solius Dei esse sit plenum et purum atque perfectum, solique menti divinæ perfecte comprehensum seu cognitum, elucescit quod Deus utroque modo sit maxime verus.

Porro veritas mentis divinæ est causa fontalis ac prima omnis veritatis creatæ : quoniam Deus gloriosus et felix nil sine certissima ratione producit, sed omnia secundum ideales exemplaresque rationes
Ps. CIII, 24. molitus est : quippe qui omnia in sapi-
Sap. XI, 21. entia condidit, atque in mensura, numero ac pondere cuncta constituit. Propterea quoque intellectus divinus est mensura seu regula omnis veritatis creatæ, ita ut ideo unumquodque sit verum vel falsum, quia a Deo tale censetur : imo quidquid Deo apparet, necesse est verum consistere. Sic et ars vel ratio artificis dicitur regula artificialium rerum. Sed quoniam artifex errare potest et falli in opere suo, idcirco non est necesse artificiata semper conformari judicio sui artificis : interdum enim non fiunt directe, propter ejus errorem. Intellectus vero divinus nec errare potest nec decipi : ideo semper oportet cuncta creata divino conformari judicio. Imo, si quis insensatus affirmet intellectum divinum posse falsum esse, vel Deum posse a veritate recedere, tunc verum non erit verum, et falsum non erit falsum, et verum erit falsum atque econtra; perverteturque omnium entium ordo, et discolorabitur protinus omnium rerum ornatus, pulchritudo ac species. Quum ergo in omni ordine, primum dicatur perfectum et posteriorum mensura et causa, Deus adorandus et vivus, quum sit simpliciter primus ac simplex, est maxime naturaliter verus et veritas ipsa, omnisque veritatis secundæ causa originalis, origo idealis, idea æternalis, inviolabilis regula certissimaque mensura.

Hoc autem sacra Scriptura ubertim testatur. Scriptum est enim in Psalmo :
Ps. CXLIV, 13. Fidelis Dominus in omnibus verbis suis, et sanctus in omnibus operibus suis. Et Danielis tertio : Benedictus es, Domine Deus patrum nostrorum, et gloriosum nomen tuum in sæcula; universa opera tua vera, et viæ tuæ rectæ, et vera sunt omnia judicia tua. Et in Apocalypsi : Etiam, Domine Deus omnipotens, vera et justa judicia tua. Et hæc quidem de veritate intellectus accipi possunt. Demum, quod veritas naturæ seu rei Deo conveniat, patet Joannis primo : Erat (inquit) lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Et Christus de se loquens : Ego (ait) sum via, veritas et vita.

Dan. III, 26, 27. *Apoc.* XVI, 7. *Joann.* I, 9. *Ibid.* XIV, 6.

Prædictis insuper consonat quod secundo Primæ philosophiæ Aristoteles introducit, dum ait : Id quod est maxime verum et maxime ens, videlicet Deus, aliis omnibus causa est entitatis et veritatis.

ARTICULUS XX.

Cur Deus dicatur actus purus, et quam utile sit hoc intelligere, eo quod multa pulchra sequantur ex hoc.

OPORTET præterea præhabitorum reminisci, ubi distinctio inter actum et potentiam explanata consistit. Quum enim actus sit principium transmutandi, influendi atque movendi aliud, potentia vero sit principium transmutandi seu movendi ab alio, recipiendo illius influxum; constat quod actus dicatur illa natura quæ in se ita perfecta est, quod in aliud agere potest. Potentia vero vocatur illa essentia quæ in se imperfecta exsistens, influentiam capit ab alio. Porro purum id dicitur quod suo contrario est impermixtum : ut purum album, quod nil habet de nigro adjunctum. Dicitur itaque Deus esse purus actus, quoniam ipse in se ipso ita perfectus et dives ac plenus est, quod in omnia alia agere potest, producendo, transmutando, influendo, conservando, gubernando : ita quod ipse nulla perfectione est expers, nulliusque eget, sed eo potius omnia indigent. Quum ergo nulli secundorum hoc competat, palam quod solus

art. XIV.

Digitized by Google

Deus sit purus actus. Dicitur nempe actus, quoniam aliorum est causalis atque motivus ; et dicitur actus purus, quia de potentia seu de potentialitate (cujus proprietates sunt moveri, recipere, perfici) nil habet adjunctum.

In hoc ergo quod Aristoteles Deum disseruit purum actum, ipse cognovit et nobis patefecit, quod Deus est vere incommutabilis, æternus, perfectus, simplex, immensus. Nil enim mutatur, nisi impressionem moventis recipiat. Moventis autem impressionem recipere, potentiæ convenit, non actui puro. Nil etiam incipit, nisi sit in potentia ad esse dependeatque ab alio : quod palam est actui puro nequaquam competere. Iterum, quod est purus actus, omni actualitate ac nobilitate ornatur : aliter esset aliquo modo in potentia, quia perfici posset. Actus igitur purus, est omnino perfectus. Est etiam maxime simplex. Nam prima compositio est ex actu atque potentia : quum itaque purus actus, totius potentiæ admixtione penitus careat, sequitur quod prima compositione, et per consequens omni compositione sequenti, sit carens. Ac per hoc innotescit quod Deus sit quædam natura incorporalis et immaterialis, intemporalis et illocalis. Quod enim caret potentia, caret materia, quum materia sit pura potentia ; et quod caret materia, immateriale est et incorporale. Unde Judæi atque hæretici qui divinæ naturæ corporalia lineamenta attribuebant, multo detestabilius senserunt de Deo quam gentiles philosophi. Itaque, sicut materia prima appellatur pura potentia, quia secundum se ipsam, nude et absolute accepta, omni actualitate ac formali proprietate privatur, sed est in potentia ad omnes formas substantiales et accidentales, ad omnes motus ac alterationes ; sic Deus beatus et immortalis dicitur purus actus, quia in sua natura immunis et liber est ab omni potentialitate ac materiali proprietate, ita quod nil ei de novo accidere potest; nec ejus natura aliquo modo recipere quidquam aut perfici valet. Deus enim et materia, sunt duo extrema summe distantia, atque a se invicem primo diversa, non per differentias aliquas, sed se ipsis, per propriasque naturas.

Porro alia multa sequuntur ex hoc quod Deus est actus purus : de quibus seorsum tractabitur. Nec puto Aristotelem unquam tam subtile et utile verbum esse locutum, sicut quod dixit Deum esse purum actum : quod eum duodecimo Primæ philosophiæ dixisse recordor.

ARTICULUS XXI.

Quod Deus proprie appellatur essentia, abusive autem substantia.

UT autem septimo de Trinitate Augustinus testatur, essentia dicitur ab esse, substantia vero a subsistere. Quemadmodum ergo esse Deo tam proprie competit, ut ei dumtaxat plene perfecteque competat, sicut et Job sanctus fatetur : Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? nonne tu qui solus es? *Job* XIV, 4. Sicut itaque esse Deo soli propriissime convenit, ita et ipse aptissime dici potest essentia. Denique tam proprie Deo essentia, quæ Græce vocatur οὐσία, adscribitur, ut Augustino testante, fortassis solum Deum oporteat dici essentiam : vere enim solus est, qui prorsus incommutabilis exsistit. Unde Hieronymus ad Marcellam ait : Deus solus, qui exordio caret, vere essentiæ nomen tenet. Cujus natura propter suam immutabilitatem, nec præteritum novit neque futurum : non est enim in Deo successio. — Subsistere vero dicuntur, in quibus quasi in subjectis sunt aliqua. Subsistere namque est sub alio esse : quod secundum Augustinum septimo de Trinitate, rebus mutabilibus atque compositis congruit, quum ipsæ accidentium fiant subjecta. Quum igitur Dei natura simplicissima invariabilisque consistat, in quam nec motus nec accidens cadere valet ; sicut ipsa nulli subjicitur

Digitized by Google

accidenti aut formæ, ita nec substantia proprie appellatur, sed potius abusive, sumendo substantiam pro essentia.

Sed quæri potest, an intelligentia proprie nominetur substantia. Et respondendum, quod in omni natura intellectuali creata diversificantur esse, posse et agere. Intelligentia igitur dici potest substantia, quum ejus natura sit subjectum suæ potentiæ, et potentia actionis. Intelligentia quoque quum habeat esse limitatum, receptum atque specificum, ponitur in categoria seu prædicamento substantiæ; non autem Deus, cujus natura prorsus immensa illimitataque est, super omne genus ordinemque exsistens. Idcirco intelligentia proprie dici potest substantia, non Deus. Nihilo minus, quoniam usus doctorum est Deum appellare substantiam, decet nos consuetudinem assequi, et nomen substantiæ congruenter interpretari, non prout a subsistendo accidentibus dicitur, sed prout a per se stando nomen sortitur. Etenim substantia dicitur res nulli subjecto inhærens nec alteri innitens : quod Deo præcipue competit, quum ipse sit bonitas separata, idealis atque perfecta.

ARTICULUS XXII.

An hoc nomen, Deus, sit maxime proprium Deo, vel communicabile etiam aliis; an sit nomen naturæ, vel actionis seu operationis.

AGNOSCENDUM quoque, quod nomen Deitatis, seu nomen hoc, Deus, non est communicabile multis secundum veritatem, quum divina natura sit purus actus, qui multiplicari non potest. Quum ergo hoc nomen, Deus, designet naturam excellentissimam atque perfectam, secundum rem plurificari non valet, nec est communicabile multis secundum verum ipsius intellectum, sed solum secundum vanam et falsam errantium opinionem, multos Deos ponentium : velut si quis asserat multos esse soles, tunc nomen solis commune fit multis secundum opinionem ; tamen nomen Dei incomparabiliter incommunicabilius est quam nomen solis. Verumtamen advertendum, quod quum sacra Scriptura utatur pluraliter nomine Dei, juxta illud, Dii fortes terræ vehementer elevati sunt; et alibi, Diis non detrahes : idcirco hoc nomen, Deus, secundum similitudinem seu participatam proprietatem communicabile dicitur multis. Sicut enim quis dicitur canis propter furorem, vel lupus propter voracitatem ; sic sancti perfectique viri, dicti sunt dii propter divinæ vitæ assimilationem, quæ in contemplatione ac dilectione consistit. Rursus, quia hoc nomen, Deus, habet modum significandi communem, quemadmodum homo vel lapis, propterea communicabile dici potest quantum ad modum significandi, non autem quoad rem significatam. Unde considerando rem significatam hoc nomine, Deus, Thomas fatetur, quod hoc nomen, Deus, est magis proprium nomen Dei quam Qui est, quum sit magis incommunicabile. Sed considerando modum significandi et consignificandi, sic Qui est, magis proprie ponitur nomen Dei, quam hoc nomen, Deus : nam Qui est, designat ipsum esse secundum se, quod maxime competit Deo; designat quoque ipsum esse ut in præsenti, quod item Deo est proprium, quum ipse solus sit perfecte invariabilis atque æternus.

Ps. XLVI, 10. *Exod.* XXII, 28.

Summ. th. 1ª *part. q.* XIII, *a.* 11 *ad* 1um.

Præterea difficultas consurgit an Deus sit nomen naturæ, vel operationis. Ambrosius enim in libro de Fide asserit, quod sit nomen naturæ. Damascenus vero primo libro clare testatur, quod sit nomen operationis, affirmans quod Qui est, sit primum nomen Dei, esse divinum seu naturam significans ; Deus autem sit nomen secundum, scilicet operationem importans. Nam (ut ait) Deus dicitur a θέειν, quod est currere et fovere omnia (omnium enim Deus curam habet); vel ab αἴθειν, quod est ardere, quoniam Deus est ignis innocue ardens omnemque pravi-

Deut. IV, 24.

Digitized by Google

tatem consumens; vel a θεᾶσθαι, quod est omnia considerare : Deus enim est omnium contemplator, quem nulla cogitatio latet. Porro dissonantiam istam S. Thomas prima parte satis concordat atque determinat. Docet equidem, quod in aliquibus idem est id a quo nomen imponitur et cui nomen imponitur : sicut in his quæ per se ipsa noscuntur, quemadmodum qualitates sensibiles, ut color, calor et lumen; harum enim nomina ab ipsa essentia imponuntur. In aliis vero differunt cui nomen imponitur et a quo nomen imponitur, puta in his quæ non per se ipsa sed per operationem aut proprietatem aliquam innotescunt, ut substantiæ, quæ per accidentia cognoscuntur : accidentia enim magnam partem conferunt ad cognoscendum quod quid est. Quemadmodum ergo in nomine lapidis, aliud est a quo nomen impositum est, scilicet læsio pedis, et aliud cui nomen impositum est, scilicet ipsa essentia lapidis; ita considerandum est in hoc nomine, Deus. Quantum enim ad id cui nomen imponitur, est nomen naturæ : imponitur namque hoc nomen, Deus, ad designandam substantiam summam, perfectam, divinam, sine respectu ad alia. Sed quoad id a quo est nomen impositum, dici potest nomen operationis.

II *Par.* XVI, 9; *Prov.* XV, 3. *Job* XLII, 2. q. XIII, a. 8.

Videtur autem mihi superfluum, multum immorari huic materiæ, quum de quid nominis disputare, supervacuum æstimetur; et quæ dicta sunt, satis congruenter sonare videntur. Verum est namque quod Deus ita vocatur et nomen sortitur, ab universalissima et prima omnium rerum providentia et causalitate. Nam providentia atque causalitas, sunt proprietates Dei in quantum est Deus, saltem quoad id a quo nomen imponitur : id enim singuli, etiam barbari, Deum appellant, quod maxime causa et rector est entium. Ideo Dionysius duodecimo capitulo de Divinis nominibus : Deitas, inquit, est quæ omnia speculatur providentia generali et bonitate perfecta. At vero quod hoc nomen, Deus, sit omnium Creatori proprium, et incommunicabile aliis, contestatur Scriptura, sicut in Psalmo cantamus : Quoniam quis Deus præter Dominum, aut quis Deus præter Deum nostrum? Et iterum : Quoniam omnes dii gentium dæmonia. Apostolus quoque : His (ait) qui natura non sunt dii servie- batis. Imo Platonici, quamvis multos ponebant ordines deorum, nihilo minus asserebant unum solum esse verum ac summum Deum, qui secundum Proclum, tanta dignitate cunctos excellit, ut omnis catena deorum ei comparari non queat : sicut et in Psalmo habetur, Quoniam quis in nubibus æquabitur Domino, similis erit Domino in filiis Dei?

Ps. XVII, 32. *Ps.* XCV, 5. *Galat.* IV, 8. *Ps.* LXXXVIII, 7.

ARTICULUS XXIII.

De nomine Domini tetragrammaton.

RABBI Moyses denique in libro de Deo benedicto, et alibi, de divinis nominibus tractans : Aliqua (inquit) nomina dicuntur de Deo per respectum ad creaturas, ut Creator, prædestinator et Dominus; quædam autem nomina enuntiantur de Deo per modum qualitatis circa divinam essentiam, ut sapiens, pius, omnipotens; quædam per modum quantitatis, sicut immensus, incircumscriptus, magnus; aliqua quoque per modum aliarum proprietatum : quamvis hæc omnia transeant in divinam substantiam quantum ad rem significatam. Porro nomen Domini quod est tetragrammaton, significat divinam essentiam absolutam, puram ac nudam, prout in se ipsa subsistit, omni respectu ad alia circumscripto. Idcirco est nomen maxime incommunicabile, appropriatum soli Deo : quia designat veritatem divinæ essentiæ in se. Unde secundum Thomam, nomen tetragrammaton est magis incommunicabile et magis proprium Creatori quam hoc nomen, Deus : quia significat divinam essentiam ut incommunicabilem, atque (ut sic liceat fari)

1ª part. q. XIII, a. 11 ad 1um.

Digitized by Google

tanquam singularem singulariterque subsistentem. Hæc autem ita intelligenda non sunt quasi divinam essentiam vel nominare vel agnoscere valeamus absolute et pure, et sicut in se ipsa consistit quantum ad *quid est*, sed solum quantum ad *quia est*.

Exod. VI, 2, 3. Præterea, super illud Exodi, Ego Dominus apparui Abraham, Isaac et Jacob, in Deo omnipotente, et nomen meum Adonai non indicavi eis, dicit Nicolaus de Lyra, quod Adonai significat generale dominium, et non ponitur, vel potius non scribitur, in loco præsenti, quum dicitur, Nomen meum Adonai, etc., sed scribitur nomen Domini tetragrammaton; loco cujus pronuntiatur hoc nomen, Adonai : quoniam nomen istud tetragrammaton, tantæ sanctitatis ac reverentiæ reputatur apud Judæos, quod nominari non debet nisi a summo sacerdote, et solum in benedictionibus in templo fiendis. Propterea loco illius tam sanctissimi nominis, pronuntiatur Adonai, quod hic tamen non scribitur : sicut si apud nos hoc nomen, Deus, tantæ esset dignitatis, ut ubicumque scriptum inveniretur, loco ejus diceretur hoc nomen, Dominus. Nostra ergo translatio habet nomen quod pronuntiatur, non autem quod scribitur. Postremo istud nomen tetragrammaton revelavit Dominus Moysi, non tantum quoad vocem, sed quantum ad rem significatam : quando *Ibid.* XXXIII, 11; *Num.* XII, 8; II *Cor.* XII, 2-4. videlicet vidit divinam essentiam in raptu, sicut et Paulus, quemadmodum Augustinus in libro de Videndo Deum testatur.

ARTICULUS XXIV.

Quod Deus sit infinitus, et quod infinitas sit intrinseca proprietas divinæ naturæ.

ALITER autem infinitas convenit Deo, atque aliter creaturis. Sed et rebus creatis infinitas diversimode competit. Dicitur enim materia secundum se infinita, quia in sua natura est indeterminata et illimitata, tanquam omnium formarum susceptiva. Quum vero recipit formam, tunc determinatur atque finitur per eam, quia ad esse specificum et individuale contrahitur. Forma quoque secundum se infinita vocatur, quia communicabilis multis; sed dum in materia certa recipitur, determinatur et quasi finitur. Infinitas ergo materiæ, est propter carentiam universæ perfectionis formalis : et ideo ista infinitas ad imperfectionem pertinet. Infinitas vero formæ, est propter communicabilitatem ipsius, quæ in materia coarctatur. Ista ergo infinitas ad perfectionem utique spectat. Porro nec forma, neque materia, neque aliqua creatura est sic infinita, quod ejus essentia sit illimitata vel perfectionis infinitæ contentiva : quum omnis creata essentia contineatur sub aliquo genere, et determinetur ad speciem certam, habeatque terminum perfectionis et certum gradum ordinemque essendi. Omnia quippe in modo, specie et ordine constant, quia in *Sap.* XI, 21. mensura, numero et pondere facta sunt. Unde nulla creatura appellanda est simpliciter infinita, sed solus Deus est vere et absolute infinitus, infinitate formali ad perfectionem pertinente, non autem infinitate materiali, quasi terminus seu finis vel aliquid ejus sit extra ipsum.

Hujus igitur ratio prima est : nam uti præhabitum est, Qui est seu Esse, dicitur *art.* XVII. principale et proprium nomen Dei, quia designat ipsum esse absolute, tanquam infinitum pelagus perfectionis essendi. Quum ergo esse Deo conveniat secundum omnem nobilitatem plenitudinemque essendi, liquet quod esse divinum sit penitus infinitum. Præterea, omne finitum, terminum perfectionis sortitur. Ubi autem perfectio terminatur, ibi imperfectio inchoatur : ut ubi esse finitur, ibi non esse orditur. Tantum enim unicuique deest quanto caret. Si ergo divinæ naturæ perfectio terminum habet, et si esse divinum, limitem recipit, nequaquam est Deus om-

Digitized by Google

niformiter simpliciterque perfectus: cujus oppositum Aristoteles et Averroes quinto Primæ philosophiæ concorditer adstruunt. Denique, quod enti per se et naturaliter competit, non potest esse minoratum in ipso. Quod enim est per se, est primum : primum autem, in omni ordine est perfectum. Natura etiam cujuslibet rei, in indivisibili consistit, sicut et ratio numeri : nam sicut unitas addita numero variat speciem, ita perfectio addita generi aliam efficit speciem. Natura igitur rei in eo perfecta exsistit quod ad essentialem pertinet perfectionem ipsius. Quum itaque Dei natura sit bonitas, et Deus benedictus, sit substantialiter ac independenter ipsum esse; elucescit quod bonitas Dei et esse divinum, ab omni minoratione et fine ac imperfectione longius distent. Quod autem finitum est, ab infinito in infinitum minoratur ac deficit : nullatenus ergo Deus finitus est. Insuper, sicut art. VI. ostensum est, id quo majus atque præstantius cogitari non valet, est Deus : non est ergo finitus, quum omni finito majus et dignius concipi queat. Adhuc autem art. XI, XII. ostensum est, quod omne esse citra Deum, a Deo per creationem effluxit; et quod totus mundus conservetur, ordinetur et gubernetur a Deo. Quum ergo creatio sit de non esse ad esse productio, nulli finitæ potentiæ competit : quoniam non esse et esse, in infinitum a se invicem distant. Si ergo potentia Dei immensa est, tunc utique ejus essentia finem ignorat.

Unde positio quorumdam quantum ad præsens, in tribus merito displicet. Asserunt enim, quod Deum esse infinitæ potentiæ, demonstrari non possit, sed persuaderi; et item, quod mundum esse creatum, non sit nisi creditum; atque quod non esse et esse, infinite non distent.

Nunc enim de necessitate probatum est, quod Deus sit omnimode infinitus; et quod nullum ens præter Deum, sit a se ipso, vel independens. Imo, si independens consisteret, et a se ipso ac naturaliter esset id quod est, fingi non posset cur primo ente imperfectius esset : quia, ut Proclus demonstrat, nil imperfectum convincitur, nisi in quantum a fonte suæ perfectionis elongatur. Et ergo quod sibi ipsi est causa et ratio exsistendi, imperfectum esse non potest, nec aliis indiget, neque de necessitate sub ordine cadit. — Porro, si mundum esse creatum, est solum creditum, quomodo gentiles philosophi hoc agnoverunt? Nonne Avicenna et Algazel omnia esse creata testantur? Nonne Alphorabius ac Theophrastus, omne bonum deficiens, a pura bonitate quæ Deus est emanasse fatentur? Nonne Plato mundum sensibilem, a mundo illo mundissimo, a mundo utique exemplari, ideali atque archetypo qui in mente divina est, processisse disseruit? Nonne Commentator in libro de Substantia orbis affirmat, quod nunquam fuit de intentione Aristotelis dicere, quod cœlum dependeret a primo principio solum quantum ad conservationem, et non etiam quantum ad productionem? Unde in libro de Cœlo et mundo: Ab hoc (inquit) ente omnibus derivatum est esse et vivere. Nonne postremo Proclus in Elementatione theologica ait, quod totus mundus ab intellectu (haud dubium quin divino) substantiam habet, et ab ipso procedit ac semper dependet? — Præterea, quod non esse et esse in infinitum distant, omnes pene philosophi asserunt. Quum enim in nullo conveniant, in infinitum utique distant. Amplius, Deus et creatura in infinitum distant, et tamen in aliquo conveniunt, maxime secundum Scotum, qui ponit ens univoce prædicari de eis : cui tamen in hoc consentiendum non est. Si itaque Creator et creatura convenientes in aliquo, in infinitum nihilo minus distant, quomodo non ens et ens, quæ in nullo convenientiam sortiuntur, in infinitum non distant?

Verumtamen Scotus unum dicit circa præsentem materiam valde subtile et pulchrum, quod mihi semper complacuit : Inter omnes (ait) conceptus perfectionum quæ Deo conveniunt, conceptus entis infi-

Digitized by Google

niti est perfectior atque simplicior : quia infinitas dicit gradum intrinsecum in natura, facitque per se unum cum ea. Unde esse infinitum, magis intrinsece et prius atque intimius competit Deo, quam esse æternum : ita quod infinitas, secundum rationem præcedit æternitatem in Deo. Ex quo elucescit quam beatus et superbeatus sit Deus æternus et adorandus, cujus opulentia tam exstat immensa, cujus divitiæ tam sunt quomodolibet infinitæ, cujus beatitudo est prorsus intermina. Qui in horum contemplatione non delectatur, nec Deo intime congratulatur, Deum non diligit, sed ingratus atque ignobilis est. Sed nec vere diligit, qui pure et religiose non servit : amicorum enim esse debet una voluntas et compar affectio.

Hanc igitur infinitatem Dei sublimis, magni philosophi agnoverunt. Avicebron enim Platonicus in libro Fontis vitæ eam professus est. Et auctor libri de Causis : Omnes (inquit) virtutes quibus inest * finis, pendentes sunt per infinitum primum, quod est virtus virtutum. Aristoteles quoque octavo Physicorum testatur, quod primus motor sit infiniti vigoris. Actus quippe non terminatur nisi per potentiam : quum ergo Deus sit actus purus, et esse subsistens, et ideale separatumque bonum, nulla ratione esse vel dici potest finitus. Quod etiam sacra Scriptura edisserit, quemadmodum in Psalmo cantamus : Magnus Dominus, et laudabilis nimis, et magnitudinis ejus non est finis. Et Jeremiæ vicesimo tertio : Putasne Deus e vicino ego sum, dicit Dominus, et non Deus de longe? Si occultabitur vir in absconditis, et ego non videbo eum? dicit Dominus. Numquid non cœlum et terram ego impleo? dicit Dominus. Unde ad insinuandum divinæ majestatis immensitatem, Isaiæ quadragesimo scriptum est : Quis mensus est pugillo aquas, et cœlos palmo ponderavit? Et Job undecimo : Excelsior cœlo est, et quid facies? Profundior inferno, et unde cognosces? Longior terra mensura ejus, et latior mari.

* non est

Ps. CXLIV, 3.

Jer. XXIII, 23, 24.

Is. XL, 12.

Job XI, 8, 9.

Idcirco tertio capitulo de Divinis nominibus Dionysius ait, quod Deus est omnibus æque immediatus, sed non omnia sunt ei æque immediata et proxima. Tunc autem vere ei immediati et proximi sumus, quum ei castissimis precibus puraque mente conjungimur. Deus ergo sanctus et vivus omnia penetrat, cunctisque intimus est, atque intimior quam aliquid sibi ipsi, vel ipsa essentialia rei principia ipsimet enti : solus quippe illabitur universis essentiis rerum. Propterea Gregorius optime dixit : Deus est ante omnia, non solus, post omnia, non præventus ; supra omnia, non elatus, infra omnia, non oppressus ; extra omnia, non exclusus, intra omnia, non inclusus.

ARTICULUS XXV.

An Deus sit sibi ipsi infinitus.

COMPREHENDERE autem aliquid proprie dicitur is qui illud quodammodo ambit atque includit, et quasi clausum intra se tenet ; apprehendere vero dicitur, qui licet rem plene non capiat, tamen eam attingit. Omne itaque comprehensum, est finitum. Si igitur Deus se ipsum perfecte comprehendit, finitus est sibi. Sed quod Deo est tale, simpliciter est tale. Si ergo Deus est sibi finitus, est simpliciter dicendus finitus : nam quod intellectus divinus de aliquo censet, hoc ei simpliciter atque verissime competit. Rursus, si Deus se ipsum non comprehendit, ergo nec se ipsum perfecte cognoscit : quod nefas est dicere. Et si Deus sibi ipsi infinitus est, ergo non capit se totum, sed aliquid ejus, cognitionem ipsius excedit ac latet.

Et respondendum, quod Deus benedictus est simpliciter infinitus, et tamen perfecte comprehendit se ipsum : nam sicut ejus essentia, quæ divini intellectus objectum est, infinita exsistit ; ita intellectus divinus infinitæ virtutis est in intelligendo. Deus igitur sic se comprehendit, quoniam se perfecte cognoscit; non autem

Digitized by Google

se comprehendit quasi divinus intellectus A sit aliquid ab essentia divina distinctum, illam in se recipiens et intra terminos suos concludens ac retinens. Unde, quemadmodum istæ propositiones, Deus est sibi ipsi causa et ratio exsistendi, Deus est in se ipso, atque consimiles, negative sunt exponendæ, ut sit sensus : Deus est sibi ipsi causa essendi, vel causa prima exhibet sibi ipsi exsistere, id est, non habet esse ab alia causa ; et Deus est in se ipso, id est, non continetur ab aliquo alio : sic ista locutio, Deus comprehendit B se ipsum, negative exponitur, id est, nil sui suam cognitionem evadit. Conformiter ista, Deus est sibi ipsi finitus, intelligenda est secundum similitudinem quamdam proportionis : sic enim se habet Deus non excedendo proprium intellectum, quemadmodum habet se aliquod finitum non transcendendo capacitatem intellectus finiti. Non autem est Deus sibi ipsi ita finitus quasi intelligat se esse aliquod bonum finitum : imo quantum ad hunc sensum, est sibi ipsi infinitus, quia C vere cognoscit se esse infinitum, et hoc cognoscit infinito intellectu, cum claritate prorsus immensa. Non autem est Deus sibi infinitus tanquam aliquid ejus evadat aut lateat ipsius intuitum.

ARTICULUS XXVI.

Quod immensitas Dei quatuor respicit.

CONSIDERARE insuper possumus Deum quadrupliciter. Primo, quantum ad se D ipsum : sicque infinitus vocatur. Quemadmodum enim Deus est causa efficiens, non effecta, causa quoque formalis formans, non formata ; ita est entium causa finalis, omnia finiens, nullo finita. Imo, quum divina essentia sit ipsa divina potentia, sicut divina potentia secundum suam absolutam potestatem potest infinitos mundos producere et creare, ita divina essentia potest infinitos mundos, si essent, replere, eo utique modo quo mundum hunc replet. Et sicut divina potentia nec fecit nec facere potest tanta, quin facere valeat infinities plura ; sic divina essentia nec est nec esse potest in tot entibus, quin esse queat in infinities pluribus. Nequaquam enim opinandum est quod Deus, quantum ad suam naturam pertinet, aliquam sortiatur vel habeat habitudinem ad locum vel tempus, aut certe determinationem ad hunc mundum vel quodcumque creatum : imo infinita celsitudine cuncta transcendit. Idcirco, si innumerabiles seu infiniti mundi consisterent, universos penetraret, repleret et contineret. Non igitur magis competit Deo esse in cœlo empyreo quam in inferno, vel in mundo quam extra mundum, nisi quoniam magis operatur et ostendit atque communicat se in cœlo quam in inferno, et in mundo quam in nihilo. Unde quemadmodum esse divinæ naturæ, quod in infinitum omni spiritu creato exstat simplicius, non nobilitatur neque perficitur quia est in rebus dignissimis, sic neque inficitur nec ignobilitatur quia est in rebus vilissimis : quippe quum nil ipsum contingat corporeum, nil inquinet vitiosum sive immundum. Verumtamen mens imaginationibus involuta, mens rudis, impura atque carnalis, veritates tam splendidas sincere contemplari non potest.

Porro secundo consideratur Deus in comparatione ad intellectum creatum : sicque incomprehensibilis nominatur. Tertio consideratur Deus sublimis in ordine ad locum. Et ita incircumscriptibilis appellatur, sicut Ambrosius ait : Nihil præscriptum aut circumscriptum, nihil dimensum Divinitas habet ; non loco clauditur, non æstimatione concluditur, non ætatibus variatur. Et ideo tertio Regum Salomon dicit : Cœlum et cœli cœlorum te capere non possunt. Quarto consideratur Deus in comparatione ad durationem : et ita æternus asseritur. III *Reg.* VIII, 27.

Sed dicere quispiam potest : Si Deus quia loco non clauditur, incircumscriptibilis dicitur, tunc substantiæ separatæ

Digitized by Google

seu angeli incircumscriptibiles erunt: non enim loco terminantur, nec sunt in loco circumscriptive, sed definitive. Unde secundum Boetium in libro de Hebdomadibus, incorporalia non esse in loco, est propositio apud sapientes per se nota. Et respondendum, quod Anselmus in Proslogion concedit angelicos spiritus dici posse incircumscriptos, propter rationem prætactam, et etiam circumscriptos, quia in pluribus locis simul exsistere nequeunt. Verumtamen melius arbitror ut cum Damasceno primo libro, dicamus quod solus Deus incircumscriptibilis est. Siquidem, Damasceno testante, quamvis angelus corporaliter non comprehendatur, quum careat figura sitque incorporea ac intellectualis natura, tamen intelligibiliter circumscribitur ubi et operatur : non enim potest secundum idem in diversis locis operari. Iterum, secundum Damascenum, incircumscriptibile est, quod nec loco, nec tempore, nec comprehensione continetur; circumscriptibile vero, quod aliquo horum contentum est. Sic autem esse incircumscriptum, Deo est proprium : quippe qui solus est sine principio et sine fine, et omnia continens, et nulla comprehensione contentus. Angelus vero et tempore circumscribitur, quia esse incepit, et loco, intelligibiliter saltem, et comprehensione, quoniam unus angelorum alium plene cognoscit.

Denique addam quod cui placet accipiat : quia etsi aliqua spiritualis creatura ab æterno fuisset, et tantæ dignitatis activitatisque esset, quod totum mundum sua præsentia adimpleret, vel etiam extra mundum foret, quæ omnia Deo possibilia exstant; adhuc creatura talis incircumscripta non esset, dato quoque quod nullus angelorum eam comprehendere posset. Licet enim nec loco, nec tempore, nec comprehensione contineretur, tamen propriæ essentiæ terminis finiretur. Nam eo ipso quo creatura esset, necessario poneretur in aliqua specie entis, et haberet genus atque differentiam, quæ totam ejus terminarent essentiam, et ad determinatum gradum essendi contraherent. Ideo namque, secundum Philosophum, definitio rei, quæ ex genere et differentia constat, terminus appellatur, quia sub certis limitibus essentialem rei perfectionem exprimit atque constituit.

Postremo, quamvis prædicta distinctio incircumscripti et infiniti idonea sit, vicissim tamen unum pro alio sumitur.

ARTICULUS XXVII.

De incircumscriptibilitate Dei; et quomodo Deus dicitur esse ubique per essentiam, præsentiam atque potentiam.

DUM igitur aciem mentis ad divinæ contemplationem naturæ erigimus, procul ab animo loca corporum et corpora locorum propellamus. Discedat ab interiori intuitu omne quod situs differentiam recipit, omne quod temporalem vicissitudinem sustinet, omne quod finem admittit. Deus enim æternus et sanctus, sibi ipsi est locus, et in se ipso invariabiliter æternaliterque subsistit. Et ante mundi productionem erat ubi nunc est, et nunc est ubi tunc erat; nec tamen tunc erat in mundo, in quo nunc est : quoniam esse in mundo, nullam mutationem aut novitatem in Deo constituit, sed in ipso utique mundo. Denique, sicut si mundus esse desineret, Deus sine mutatione sui esse, in mundo esse cessaret, sic sine sui mutatione in mundo esse incepit. Nec aliquo modo opinari fas est, quod Deus ante mundi constitutionem, potius aut verius erat ubi nunc mundus creatus atque locatus est, quam foris extra quæcumque imaginabilia spatia extra mundum. Unde quantum ad hoc, vere concedi potest, quod Deus sit extra mundum per spatium imaginabile infinitum; tamen præpositio *extra* non denotat ibi præsentiam actualem ad locum, sed potentialem dumtaxat : quæ utique sine mutatione Deitatis reduceretur ad actum, si infiniti exsiste-

Digitized by Google

rent mundi. Porro, quum Deus gloriosus et felix, sit maxime simplex, sic ubique esse asseritur, ut tamen in singulis rebus sit totus. Ubique ergo est Deus et nusquam, sicut et semper et nunquam. Est enim ubique et semper, quoniam nulli deest loco aut tempori; et nusquam ac nunquam est, quia nec capitur loco, nec tempore clauditur.

Considerandum vero, quod circa Creatorem in comparatione ad condita, triplex exstitit error. Quidam enim, quamvis omnia faterentur creata, Deum tamen dicebant non nisi unam spiritualem substantiam immediate creasse, et illam cetera condidisse : quem errorem Ariani secuti sunt. Fuitque error iste antiquus, et magnus ac latus : nam a Platonicis sumpsit exordium; imo ab Hermete Trismegisto (qui et Mercurius dicitur) ortus videtur. Avicenna quoque et Algazel eum secuti sunt. Posuerunt namque Platonici, ut Macrobius refert, summum Deum, quem omnium patrem vocabant, primo omnium creasse mentem quamdam, in qua omnium rationes entium relucerent, quam νοῦν appellabant : quam ultra dicebant mundum creasse. Et hanc mentem, Arius atque Eunomius posuerunt esse unigenitum Filium Dei, Dominum nostrum Jesum Christum, quem puram esse creaturam mentiti sunt. Contra hunc ergo errorem dicitur Deus esse in omnibus rebus per essentiam, ita quod ipsemet Deus, qui est sua essentia, per se ipsum universa, cœlum, terram et maria, visibilia invisibiliaque, in ipso mundi exordio est molitus. — Secundus error erat, quod quidam divinam providentiam vel omnino negabant, vel usque ad ista mutabilia extendi nequaquam putabant. Et contra hos dicitur Deus esse in omnibus rebus per præsentiam, ita quod omnia divino lumini innotescunt, quemadmodum ait Apostolus : *Hebr.* IV, 13. Omnia nuda et aperta sunt oculis ejus. Et *Sap.* VI, 8. alibi de Deo ait Scriptura : Æqualiter ei cura est de omnibus. — Tertius error fuit Manichæorum, duo rerum principia ponentium : qui ista visibilia a per se malo creata dicentes, negabant ea boni Dei potentiæ fore subjecta. Unde contra hos dicitur Deus esse ubique per potentiam, ita quod ejus imperio cuncta ad nutum subduntur ac protinus parent.

Sed si Deus ubique est atque in omnibus, ergo et in diabolo est : quod dici non decet. Et respondendum, quod diabolus nominat naturam vitio deformatam : et ideo Deus in diabolo esse non est dicendus, nisi cum additamento, ut in diabolo esse dicatur in quantum diabolus est creatura vel intellectus seu simile aliquid. — Præterea, in omni intellectuali creatura, tam bona quam mala, est Deus objective, secundum quod ab ea cognoscitur. In bonis vero est non solum sicut objectum intellectus, sed etiam tanquam voluntatis objectum, quia ab eis amatur. Et in viatoribus quidem esse perhibetur per gratiam, in comprehensoribus vero per gloriam; in reprobis quoque est per iram atque vindictam. Sunt demum alii modi quibus Deus multiformiter esse fertur in rebus : qui reduci possunt ad istos.

Sed quæstio ingens se offert, qualiter Deus immutabilis et simplex, sit in rebus tam multipliciter atque difformiter, quum tamen in libro de Causis conscriptum sit, quod causa prima est in omnibus rebus secundum unam dispositionem, sed omnia non sunt in ea secundum dispositionem unam. Cui Dionysius consonat, dicens quod Deus in omnibus est secundum unum modum, non autem econtrario. Et idem Proclus affirmat. Et respondendum, quod existentia Dei in rebus est una et simplex, ad Deum relata; si vero comparetur ad res ipsas, tunc diversificatur et multiformis efficitur, secundum variam capacitatem et dignitatem atque distinctionem rerum quæ divinæ bonitatis influxum, illuminationem, gubernationem participant. Unde in commento libri de Causis habetur : Et diversitas quidem receptionis non fit ex causa prima, sed propter recipiens. Quo enim recipiens magis accedit

De Cœlest. hier. c. IX; *de Divin. nom.* c. II.

Digitized by Google

ad Deum, tanto de bonitatibus ejus plenius participat. Confirmatio quoque horum exsistit quod Damascenus primo libro inducit, dum ait : Igitur Deus quidem immaterialis exsistens, in loco non est; ipse enim sui ipsius locus est, omnia implens, et super universa exsistens, et ipse continens omnia. Dicitur autem in loco esse, et dicitur locus Dei, ubi manifesta ejus operatio fit. Nam ipse quidem per omnia immiscibiliter pertransit, et omnibus operationem suam tradit, secundum uniuscujusque aptitudinem et susceptivam virtutem. Dicitur ergo Dei locus, qui plus participat operationem et gratiam ejus.

Sed adhuc nescio quis his non contentus, instabit et dicet : Quum Deus per sapientiam suam immensam sit causa ordinis distinctionisque entium, sequitur quod diversitas ista sit originaliter ex parte Dei, sitque referendum ad Deum, quod ipse in rebus esse multiformiter perhibetur. Et respondendum, quod sapientia Dei utique institutrix atque origo est distinctionis ac ordinis rerum ; verumtamen operatio Dei qua ipse omnia edidit, et edita regit atque dispensat, actio quoque propter quam esse in rebus censetur, una et simplex est per comparationem ad Deum, diversificatur autem et multiplicatur quantum ad terminos. Operatio enim Dei aliud non est nisi Deus agens; sed ab hac operatione diversi fluunt effectus, in quibus Deus est et multipliciter, et uno modo seu secundum unam dispositionem : multipliciter quidem propter diversitatem effectuum, uniformiter vero propter sui ipsius incommutabilem simplicitatem. Multiplicitas enim quæ convenit Deo per respectum ad creaturas, non est in Deo nisi secundum rationem; in creaturis autem est secundum rem : sic quippe in Deo dicuntur multæ ideæ. Nam relatio Dei ad creata, in qua multiplicitas ista fundatur, in Deo est secundum rationem dumtaxat, in creatis autem secundum rem. Quoniam igitur multiplicitas ista diversitatem facit in rebus, in Deo autem nec mutabilitatem neque diversitatem constituit; ideo Deus esse in rebus secundum unum modum asseritur. Hujus demum solutionis veritas, ex verbis Damasceni fulcitur : Deus, inquit, ubique ens et super omnia, ubique et secundum idem differenter operatur una et simplici operatione. Et rursus : Sciendum, ait, quoniam Deus impartibilis est, totus totaliter ubique est, et non pars in parte corporaliter divisus, sed totus in omnibus, et totus super omne.

ARTICULUS XXVIII.

Quod solus Deus æternus sit, secundum completam æternitatis rationem.

ÆTERNUM denique quasi extra terminum interpretatur. Terminus autem est duplex : principium scilicet, et finis. Quum ergo omnis essentia præter divinam naturam, a prima causa de non esse ad esse translata sit, constat quod sui esse exordium habet : unde nec æterna censetur. Præterea, Trismegisto testante, sola monas est Alpha et Omega sine Alpha et Omega : solus igitur Deus principio caret fineque.

Amplius autem, æternitas est mensura entis plene simpliciterque perfecti; esse vero hujusmodi entis, omni necessario vicissitudine ac dependentia, omni quoque compositione et protensione est carens : sed tale non est nisi divinum esse, quod est totum simul et increatum, simplicissimum, non distentum. Idcirco Boetius subtilissime ait, quod æternitas est interminabilis vitæ tota simul et perfecta possessio. In eo quippe quod ait, interminabilis vitæ, insinuatur id cujus æternitas est mensura, esse non inceptum ac independens. In eo autem quod ait, tota simul, innuitur ipsum non esse distentum secundum essentiam vel operationem, sed in ipso æternitatis momento immutabiliter esse, habere et agere quidquid est,

De Consolat. lib. v, pros. 6.

Digitized by Google

habet et agit. In eo quoque quod ait, perfecta possessio, demonstratur æternitas nulli enti composito convenire, quum nullum compositum sit perfectum : indiget enim partibus suis, unaque partium se habet per modum actus, et alia per modum potentiæ. Æternitas ergo est possessio, diuturnitas sive duratio, perfecta et tota simul, vitæ interminabilis, id est esse vitalis : quod enim non vivit, imperfectum putatur. Itaque ad æternitatem perfectam tres conditiones inseparabiliter requiruntur, videlicet : interminabilitas, propter cujus defectum corruptibilia non sunt æterna; invariabilitas, ob cujus carentiam incorruptibilia, puta orbes et sidera, non exstant æterna (variantur enim secundum situm et ubi); atque simplicitas, propter cujus absentiam nec intellectuales substantiæ creatæ æternæ sunt, quoniam diversificantur in ipsis esse, posse et agere, secundum B. Hierotheum atque divinum Dionysium. Verum nulla harum trium conditionum alicui competit creaturæ, stricte loquendo.

De Cœlest. hier. c. XI.

Porro æternitas taliter definita, aliud nihil est nisi Deus æternus. Sed et *nunc*, quod (secundum Boetium) semper stando et nunquam fluendo, æternitatem causat, et *quando*, quod secundum rationem enti æterno adjacet, et quasi in eo ex æternitatis præsentia, adhæsione seu mensuratione relinquitur, realiter idem sunt quod ipsa æternitas. Substantialiter ergo idem sunt, Deus, æternitas, nunc æternitatis et quando æternitatis. Nec dicitur ipsum nunc stans æternitatem causare, vel æternitas quando æternitatis producere, nisi secundum nostram apprehensionem. Nam æternitatem aliter intelligere non valemus, nisi per oppositum modum ad nunc temporis. Unde quemadmodum nunc temporis semper fluendo causat tempus, ita opposito modo accipimus rationem æternitatis, dicentes quod nunc semper immobiliter stans, æternitatis est causa.

At vero tempus et omnes differentiæ A temporis Deo æterno attribuuntur. Dicimus enim, Deus est hodie, Deus fuit ab æterno, Deus erit in æternum : non quod tempus sit mensura divinæ durationis vel cadat in Deum, sed quia æternitas omne tempus comprehendit atque includit. Neque enim univoce neque secundum eumdem sensum dicitur Deus fuisse et hodie esse et semper fore, et res transitoria atque caduca. Nempe dum dicimus, Deus fuit, sensus est, secundum Magistrum primo Sententiarum, Deus nunquam esse B desiit; Deus erit, id est, nunquam esse cessabit. Idcirco, quod Hieronymus ad Marcellam et Anselmus in Monologion asserunt, Deo competere esse, non autem fuisse aut fore, intelligendum est quod non univoce competunt Deo nec proprie temporales differentiæ. Quod etiam Plato in primo Timæi pulchre fatetur : Dicimus (inquiens) de divina natura, Fuit et erit. At illi esse solum competit juxta veram sinceramque rationem; fuisse vero et fore deinceps, illi non competit, quippe cui C mansio perpetua et immutabilis. Ergo neque junior neque senior fuit vel erit; nec patitur aliquid eorum quæ sensibilis natura patitur, sed hæc omnia sunt vices temporis, genituræque temporis propria.

dist. VIII B.

Sed dubitatio nascitur quomodo æternitas Deo sit propria, quum in libro de Causis scribatur : Omne esse superius, aut est superius æternitate et ante ipsam, aut est cum æternitate, aut est post æternitatem et supra tempus. Cujus expositio D in commento adjicitur : Esse (inquit) quod est ante æternitatem, est causa prima, quoniam est causa ejus; esse autem quod est cum æternitate, est intelligentia, quoniam est secundum unam habitudinem, et non alteratur neque destruitur, sed parificatur æternitati; esse vero quod est post æternitatem et supra tempus, est anima, quoniam est in horizonte æternitatis. Per animam autem intelligit animam cœli, quam vocat animam nobilem. Nam corpora cœlestia ponit animata, sicut et

Digitized by Google

Socrates, Plato, Aristoteles, omnesque eorum sequaces : quibus et magni consenserunt theologi, inter quos sunt Origenes et Rabbi Moyses ; et si S. Thomas non fallitur, tunc ipse quoque beatissimus noster Hieronymus eis consentire videtur. Et respondendum, sicut et Thomas in prima parte respondet, quod æternitas quandoque accipitur pro æternitate creata et participata, quæ solito nomine ævum vocatur : de qua Augustinus in libro LXXXIII Quæstionum testatur, quod Deus est auctor æternitatis. Quemadmodum enim Deus gloriosus et voluptuosus suam immutabilitatem, ita et suam æternitatem creaturis aliquo modo communicat. De hac igitur æternitate loquitur auctor libri de Causis, et ante eum Proclus Platonicus : ex cujus Elementatione theologica totus liber de Causis excerptus est, sicut et Thomas affirmat, quamvis Albertus aliter putet.

q. x, a. 3.

Præterea, nedum substantiis separatis, sed etiam inferioribus rebus æternitas secundum quamdam participationem adscribitur. Quædam enim in Scripturis dicuntur æterna quia semper erunt, non obstante quod materialia mutabiliaque consistant. Unde in Ecclesiaste dicitur : Terra in æternum stat. Et in Psalmo : Elevamini, portæ æternales ; et, Annos æternos in mente habui. Quædam demum appellantur æterna propter durationem longissimam, prout Moyses ait : De pomis collium æternorum. Interdum quoque accipi solet æternitas pro sæculo, quod est periodus certa cujuslibet rei : nam secundum Philosophum, omnia corruptibilia habent certam periodum, id est certam temporis durationem. Et ita in Exodo legitur : Dominus regnabit in æternum et ultra. Alia namque translatio continet : Dominus regnabit in sæculum et ultra.

Eccle. I, 4. *Ps.* XXIII, 7, 9. *Ps.* LXXVI, 6. *Deut.* XXXIII, 15. *Exod.* XV, 18.

Porro, esse superius de quo auctor libri de Causis effatur, Albertus describens : Esse (inquit) superius, est quod neque magnitudine distenditur, neque motu distrahitur, neque materia contrahitur, neque privatione ad malitiam inclinatur.

Postremo, quoniam Deus excelsus et sanctus, est vere immensus, realem mensuram non habet, præsertim quum ipse sit omnium entium prima mensura. Æternitas ergo mensura Dei perhibetur quantum ad nos, vel secundum rationem : quoniam considerando Deum sub proprietate rei eodem modo se semper habentis, ipsum cognoscimus atque ab aliis sequestramus. Nunc enim æternitatis, est esse divinum ut uniformiter stans : in quo consideratio nostra rationem æternitatis fundat ac stabilit. Non est equidem inconveniens, idem considerare atque cognoscere per se ipsum secundum diversa quæ ei conveniunt. Ex hoc enim quod scio hominem rationalem, elicio quod sit disciplinæ susceptivus, et admirativus, itemque risibilis.

ARTICULUS XXIX.

De incomprehensibilitate divinæ naturæ, et de variis rationibus incomprehensibilitatis divini esse.

PORRO Deum incomprehensibilem et quoad quid est incognoscibilem esse, omnium tam philosophorum quam theologorum compar et una exstat sententia. Et hujus quidem prima ratio hæc est. Unumquodque enim scitur atque cognoscitur per propriam causam : quum ergo Deus adorandus et benedictus causam non habeat, quippe quum ipse sit omnium entium prima fontanaque causa, constat quod nec sciri nec comprehendi neque cognosci queat quoad quid est. Et hanc rationem assignat auctor libri de Causis, dum ait : Et quidem omnis res non cognoscitur neque narratur nisi ex ipsa sua causa ; quum ergo res est causa tantum et non est causatum, non scitur per causam priorem neque narratur. Itaque eo ipso quo divina natura seu esse divinum a se ipso est, non dependens neque pro-

Digitized by Google

cedens, sed prorsus æternum, eo (inquam) ipso Deus sublimis et gloriosus est prorsus ignotus, incomprehensibilis, imperscrutabilis, invisibilis, inenarrabilis penitusque nescitus. Unde in libro de Causis habetur : Causa prima est superior omni narratione, quoniam ipsa est supra omnem causam, et non narratur nisi per causas secundas, quæ illuminantur a lumine causæ primæ. Causa enim prima est lumen purum, supra quod non est aliud lumen : ideo ipsa non illuminatur a lumine alio.

Denique alia ratio divinæ incognoscibilitatis, est ipsa excellentia divinæ naturæ. Ut enim Boetius docet, quædam cognitionem nostram effugiunt propter sui esse imperfectionem, suæque entitatis defectum seu parvitatem, quemadmodum materia prima, motus, tempus, punctum, instans, momentum, atque similia. Quædam vero capacitatem nostram evadunt propter suæ essentiæ dignitatem, plenitudinem et perfectionem : sicut secundo Primæ philosophiæ Aristoteles asserit, quia sicut se habet noctuæ visus ad solis splendorem, ita se habet mens rationalis ad manifestissima naturæ, id est ad cognoscendum substantias separatas : quæ (quantum in se est) sunt maxime cognoscibiles, propter actualitatis suæ eminentiam ; sed a nobis cognosci non posse feruntur, propter nostri intellectus debilitatem : sicut et lumen solis ex sua natura est maxime visibile, sed oculus, ob suam improportionem, in ipsum figi non valet. Quoniam igitur Deus est purus actus puraque bonitas, et ens simpliciter quomodolibetque perfectum, elucescit quod ob suam excellentiam omnino et penitus sit ignotus. Et hanc rationem Proclus, Platonem sequens, tangit pulcherrime in Elementatione sua theologica : in qua, secundum B. Thomam, pene totam mentem magistri sui Platonis expressit. Ait equidem Proclus : Ens divinum ipsum quidem, propter supersubstantialem unitatem, indicibile est et incognoscibile omnibus simul secundis substantiis, a participantibus autem capabile est et cognoscibile. Propter quod, solum primum est penitus ignotum, tanquam ἀμέθεκτον ens seu incausatum. Causam quoque hujus incomprehensibilitatis divinæ naturæ clarius pandens : Omnis (inquit) cognitio, entium est ; Deus autem est ultra omnia entia : nullatenus itaque agnoscibilis est. Et hanc rationem Dionysius primo capitulo de Divinis nominibus, et Damascenus primo libro, inducunt. Unde Dionysius in epistola ad Dorotheum testatur, quod lux divina propter sui splendoris vigorem invisibilis est. Propter quod etiam appellatur divina caligo, quoniam penetrari non potest : ideoque Deus inaccessibilem lucem inhabitare perhibetur. *Epist. v.* *1 Tim. vi, 16.*

Insuper alia ratio incomprehensibilitatis divinæ, est ipsa Dei æterni et gloriosi summa simplicitas : quæ tanta est, ut intellectum creatum omnimode vincat. Quis enim illam naturam cognoscet, cujus essentia est sua actio ; quæ nunquam in se ipsa otiosa est, et tamen operationem a substantia procedentem, naturaliter scilicet, non habet ; quæ semper in actu est, et nunquam actionem producit, sed est sua actio ? Nil enim producit se ipsum. Quis etiam apprehendet qualiter Dei voluntas sit libera, et libere omnia plasmans, conservans ac moderans ; quomodo quoque intellectus divinus cuncta in se ipso prædeterminet atque disponat, prædestinet, eligat, reprobet, reddendo singula singulis non necessario, sed libere : quum nihilo minus divina voluntas et intellectus divinus aliud nihil sit nisi esse divinum, quod omniformiter necessarium exstat, incommutabile atque immobile ?

Postremo quarta et summa ratio cur incomprehensibilis et incognoscibilis Deus dicatur, est infinitas primæ causæ. Quum enim secundum Philosophum, cognitio fiat per quamdam assimilationem inter cognoscentem et cognitum, oportet inter intelligentem remque intellectam proportionem exsistere. Finiti vero ad infinitum nulla censetur proportio. Quum ergo sit

Digitized by Google

Deus vere tamque vehementer et intensive immensus, ut quidquid ei convenit, cum infinita plenitudine interminabilique perfectione ipsi insit et competat, liquet (ni fallor) quod Deus nostram cognitionem et capacitatem in infinitum excedit : imo, quidquid ei adscribitur, infinitam quoad nos incomprehensibilitatem et inaccessibilitatem sortitur. Itaque divina natura, quæ limitem nescit, divinum esse, quod circumscriptionem ignorat, divina potentia, quæ coarctari non potest, divina sapientia, cujus non est numerus, divina magnitudo, cujus non est finis, divina felicitas, jucunditas, justitia, pietas, similesque proprietates, nostræ mentis, imo omnis creati ingenii, perspicacitatem et naturalem virtutem in infinitum excedunt, reverberant, latent.

Ps. CXLVI, 5. *Ps.* CXLIV, 3.

Sed hoc animæ contemplativæ ac sanctæ summa debet esse delectatio, quod Deus ejus tantæ dignitatis beatitudinisque consistit. Unde Dionysius primo capitulo de Divinis nominibus : Sicut, inquit, intelligibilia incomprehensibilia sunt corporeis sensibus, et simplicia ac infigurabilia, compositis et figuratis ; sic veritas divina, quæ est super omnem mentem atque substantiam, excedit omnem notitiam. Omnis enim vera ejus scientia et contemplatio, omnibus exsistentibus est impenetrabilis, per hoc quod ab omnibus supersubstantialiter segregatur. Propterea Damascenus optime dixit : Infinitus est Deus et incomprehensibilis ; et hoc solum ejus comprehensibile, infinitas et incomprehensibilitas : id est, hoc solum de Deo comprehendere possumus, quod vere est infinitus et incomprehensibilis. Ideo Augustinus quoque quintodecimo de Trinitate disseruit : Sic sunt incomprehensibilia requirenda, ne se existimet nihil invenisse, qui quam sit incomprehensibile quod quærebat, invenire jam potuit. Hanc incomprehensibilitatem primi principii Proclus profunde fatetur, dum ait : Neque ergo opinabile est divinum, neque meditabile, neque intelligibile ; neque opinio est ipsius, neque scientia aut mens, neque intelligentia.

Præterea, istam Dei incomprehensibilitatem divina Scriptura copiose insinuat. Scriptum est enim : Ecce hæc ex parte dicta sunt viarum ejus ; et quum vix parvam stillam sermonum ejus audierimus, quis poterit tonitruum magnitudinis ejus intueri ? Et iterum : Ecce Deus magnus, vincens scientiam nostram. Et sequenti capitulo : Nos (ait) involvimur tenebris ; digne eum invenire non possumus, et enarrari non potest. Et Jeremias : Domine Deus, ecce tu fecisti cœlum et terram in fortitudine tua magna ; fortissime, magne, potens, Dominus exercituum nomen tibi ; magnus consilio, et incomprehensibilis cogitatu ; cujus oculi aperti sunt super omnes vias filiorum Adam, ut reddas unicuique juxta vias suas. Hinc Joannes ait : Deum nemo vidit unquam. Et dixit Dominus Moysi : Faciem meam videre non poteris ; non enim videbit me homo et vivet. Unde divinus Apostolus : O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei ! Quam incomprehensibilia sunt judicia ejus !

Job XXVI, 14. *Ibid.* XXXVI, 26. *Ibid.* XXXVII, 19, 23. *Jer.* XXXII, 17-19. *Joann.* I, 18. *Exod.* XXXIII, 20. *Rom.* XI, 33.

Qui igitur hanc Dei incomprehensibilitatem attendet, propriamque parvitatem perpendet, nequaquam profunda Dei rimabitur, nec majestatem scrutabitur, ne a gloria opprimatur. Vere etenim dico quia nil Deo præsentius, et nil eo ignotius quoad quid est.

Prov. XXV, 27.

ARTICULUS XXX.

An cognitio quam de divina natura per ablationem habemus, sit potior ea notitia quæ per positionem de Deo habetur.

IN præinductis autem declaratum recordor, quemadmodum ex creaturis ad Creatoris notitiam duplici potissimum via erigimur, puta : per positionem, affirmando de Deo quæ ejus dignitati non derogant ; atque per ablationem, abnegando

art. XIII.

Digitized by Google

de Deo quæ suæ perfectioni non congruunt. Denique, secundum sacratissimum Dionysium capitulo secundo Mysticæ theologiæ, in harum viarum processu opposito modo progredimur. Oportet, inquit, ablationes contrarie positionibus laudare. In via enim positionis, a præstantissimis inchoamus, per media usque ad ultima descendendo; et quæ priora dignioraque sunt, Deo benedicto et summo prius principaliusque conveniunt. In hac itaque via dicimus Deum in primis esse bonitatem, esse essentiam, esse vitam, veritatem, sapientiam, et ita de reliquis. Sic quoque in libro de Divinis nominibus Dionysius
De Theol. myst. c. III. Deum laudat per intelligibiles nominationes. Porro in via ablationis, ab infimis inchoantes, per media usque ad summa conscendimus, omnia auferentes a Deo, tanquam ab universorum principio cunctis in infinitum superposito.

Verumtamen prius et magis proprie atque principalius abnegamus de Deo inferiora et vilia, quam superiora atque nobilia. Aptius namque dico, Deus non est corpus, quam, Deus non est substantia; Deus non est sensus, quam, Deus non est mens seu intellectus; Deus non est anima, quam, Deus non est forma; Deus non est stultus, quam, Deus non est sapiens. Nihilo minus in via ablationis omnia hæc atque similia abnegantur de Deo; et quanto magis ascendimus, tanto sermo amplius abbreviatur, donec tandem omnia etiam summa de Deo negantes, ipsam ingrediamur superlucidam divinam caliginem, uniamurque Deo sicut omnino ineffabili atque ignoto. Hoc enim Dionysius capitulo tertio Mysticæ theologiæ deducit : Ibi (scilicet in via positiva), inquiens, a superiori ad ultima descendens sermo, secundum quantitatem descensionis dilatabatur. Nunc autem (videlicet in via ablativa), ab inferioribus ad supremum ascendens, secundum ascensionis mensuram corripitur; et post omnem ascensionem, totus sine voce erit, et totaliter Ineffabili unietur.

A Est igitur quæstio ingens, quæ harum notitiarum de Deo sit major et clarior atque perfectior. Et respondendum, secundum beatissimum theologorum ducem ac principem Dionysium, quòd illa cognitio potior est qua Deum per ablationem dignoscimus. Et quidem veritas hujus certissime elucescit ex omnibus in præcedenti articulo introductis. Si namque, ut ibi ostensum est, Deus omnino (quantum ad quid est) ignotus est, incomprehensibilis, imperscrutabilis ineffabilisque exB sistens; tunc palam est, quod de Deo melius scimus quid non est, quam quid est : imo, quid est, penitus ignoramus. Notitia ergo Dei per abnegationem præstantior est quam per affirmationem exsistens. Denique, omnis nostra intellectualis cognitio, ex creaturis, imo ex sensibilium apprehensione, exordium sumit, secundum Dionysium et Aristotelem, quamvis Plato in Menone aliter tradat. Quum ergo sit Deus super omnia sensibilia atque creata exaltatus et elevatus, per se ipsum C a nobis cognosci non potest nec nominari; sed prout in suis creatis effectibus relucet cognoscitur, et creaturarum nominibus explicatur. Quia igitur Deus gloriosus universa creata superessentialiter et infinite transcendit, constat quod ex creaturis sciri nequeat quid sit, sed quid non sit : sicque per omnium quæ in creaturis reperiuntur ablationem, excellentius noscitur. Melius ergo atque profundius dico, Deus non est bonitas, vita, sapientia, beatitudo, etc., quam, Deus est D bonitas, vita, sapientia, beatitudo. Nam in secunda quasi designatur Deus esse aliquid, et rebus creatis in aliquo similis esse : qui tamen super omnia est, atque ab omnibus suis effectibus infinita disparitate et eminentia segregatur. In prima vero innuitur Deus non esse sic bonitas, vita, sapientia et beatitudo, ut cetera, et ut nos intelligere æstimareque possumus; sed cum supersubstantiali excessu, cum fontali causalitate, cum infinita et prorsus incognita atque incomprehensibili pleni-

De Cœlest. hier. c. II; de Divin. nom. c. XIII; de Theol. myst. c. I.

De Cœlest. hier. c. I; de Eccl. hier. c. I.

Digitized by Google

tudine insinuatur esse bonitas, vita, sapientia, beatitudo, et alia quæ ei proprie æstimantur competere.

Unde secundo Mysticæ theologiæ capitulo Dionysius : Hoc est, ait, Deum vere videre et cognoscere, supersubstantialem supersubstantialiter per omnium entium
Epist. v. ablationem laudare. Et in epistola ad Dorotheum diaconum : Invisibilis, inquit, est Deus, propter excellentem suam claritatem. Quod tamen secundo Angelicæ hierarchiæ capitulo clarius pandit : Negationes, inquit, in divinis sunt veræ, id B est, proprie atque veraciter dictæ; affirmationes autem incompactæ, id est non cohærentes nec propriæ, ut Hugo exponit : unde alia translatio habet, inconvenientes. His quoque consonat Damascenus primo libro, dum ait : Familiarius magis est ex omnium ablatione facere rationem. Nihil enim eorum quæ sunt, est Deus : non ut non ens, sed ut super omnia ens, et super ipsum esse ens. Et istud philosophi quoque præcipui, Alphorabius, Avicenna, auctor libri de Causis, et alii C multi testantur : naturalis enim ratio dictat hoc.

ARTICULUS XXXI.

Et est introductio quæstionis difficilis, scilicet an aliquid de Deo sublimi affirmative et substantialiter prædicetur.

ALIQUA denique, sicut ex dictis clarescit, de Deo dicuntur per respectum ad creaturas, ut Dominus, Creator, guber- D nator; aliqua autem negative, ut dum dicitur : Deus est incorporeus. Palam est autem horum nullum de Deo substantialiter dici; sed relationem ejus ad creata designant, aut ab eo aliquid removent.

Quædam vero absolute et positive Deo attribuuntur, ut esse bonum, esse vitam, sapientiam, veritatem. De talibus igitur quidam opinati sunt, quod nec positive nec substantialiter enuntientur de Deo, sed magis inventa sint ad aliquid remo- A vendum ab eo, ut dum dicimus, Deus est intelligens, Deus est vivens; sensus sit : Deus non est eo modo quo non intellectualia et non viventia sunt. Et hæc erat opinio Rabbi Moysis. Quidam vero dixerunt, quod nomina talia instituta atque reperta sunt ad insinuandam causalitatem Creatoris ad creata, ut dum dicitur, Deus est bonus; sit sensus : Deus est causa bonitatis in rebus.

Has opiniones Thomas in prima parte, quæstione tertiadecima, recitat, atque in- art. 2. eptas et falsas affirmat. Primo sic arguens: quia secundum eas, ratio non est cur potius unum nomen dicatur de Deo quam aliud. Quum enim sit Deus omnium causa, nec aliquid omnium, sequitur æque omnia veraciter prædicari de eo. Unde sicut veraciter dicimus, Deus est bonus, quoniam causa est bonitatis, et quia non est ut ea quæ bona non sunt; ita vere dici posset, Deus est corpus seu lapis et aqua, quum ipse sit causa eorum, nec talem habeat modum essendi ut entia in potentia tantum, sicut materia prima. Secundo Thomas arguit sic : nam secundum positiones prædictas, nomina perfectionalia prius dicerentur de creaturis quam de Deo. Cujus oppositum ante innotuit : art. xv, quoniam esse, et bonum, atque similia, xvi. Deo potissime competunt, adeoque perfecte, ut ei dumtaxat secundum perfectam rationem conveniant, præsertim quum omnis creaturarum atque effectuum perfectio excellentius inveniatur in Deo omnium creatore et causa, quam in rebus productis. Tertio sic arguit : hæ namque positiones contrariantur intentioni de Deo loquentium. Dum enim dicimus, Deus est bonus, vivens, intelligens, intendimus dicere quod Deus in se ipso propriaque natura sit talis.

Verumtamen, quamvis B. Thomæ non minimus imitator, amator et fautor exsistam, tamen salva in omnibus tanti Doctoris reverentia, quantum judicare prævaleo, has positiones, et maxime primam, videlicet Rabbi Moysis, qui erat maximus

Digitized by Google

philosophus atque theologus, insufficienter resolvit, determinat, reprobat : quod diligenter declarare oportet. Occurrat ergo
art. xxiii. memoriæ quod superius introduxi Rabbi Moysen dicere : quædam nomina prædicari de Deo per respectum ad creata ; quædam per modum quantitatum, ut immensus, incircumscriptus ; quædam per modum qualitatum : quæ omnia, secundum eum, transeunt in divinam substantiam. Denique dicit, nomen tetragrammaton significare divinam essentiam puram ac nudam, prout in se ipsa subsistit, omni videlicet alieno penitus circumscripto. Non ergo Rabbi Moyses tam absolute tamque simpliciter adstruit nil positive ac substantialiter dici de Deo, ut recitat Thomas : præsertim quum Rabbi Moyses sæpius dicat, omnium creaturarum perfectiones excellentissime et unitissime seu simplicissime summo ac sancto Creatori inesse. Breviter ergo, positioni ejus in tantum consentio, in quantum documentis Dionysii et catholicorum doctorum potero eam esse concordem ostendere.

Erat nempe (ni fallor) Rabbi Moysis intentio, quod nihil substantialiter aut positive Deo conveniat proprie, et prout nos illud intelligere possumus, vel quantum ad quid est, aut quantum ad modum significandi, seu juxta modum quo in creaturis consistit. Quod enim his modis nil affirmative aut substantialiter enuntietur de Deo excelso, ex doctrina Dionysii primo sic comprobo : Quidquid verius atque subtilius negatur de Deo quam affirmetur de eo, nec substantialiter nec affirmative prædicatur prædictis modis de eo. Sed omnia præinducta, quantumcumque perfecta, magis proprie magisque vere auferuntur de Deo quam ei conveniant : et hoc quidem in præcedenti articulo plenissime, ratione atque auctoritatibus Dionysii et Damasceni, ostensum est. Non ergo substantialiter nec affirmative enuntiantur de Deo secundum modos prætactos. Præterea, etiam præstantissima nomina Dionysius ultimo Mysticæ theologiæ capitulo aufert seu negat de Deo : Rursus (inquit) ascendentes, dicamus quod omnium causa nec intellectus est, nec intelligentiam habet ; neque ratio est, neque intelligentia ; nec dicitur, nec intelligitur ; nec stat, neque movetur ; neque habet potentiam, neque potentia est, neque lumen est ; nec vivit, nec vita est ; neque substantia est, neque veritas, neque regnum, neque sapientia, neque unum, neque unitas, neque deitas, neque bonitas, neque spiritus, neque aliud aliquid nobis aut alicui exsistentium cognitum ; neque entia cognoscunt ipsam secundum quod ipsa est, neque ipsa cognoscit entia secundum quod entia sunt. Hucusque verba Dionysii pro Rabbi Moyse militant.

Porro sequentia aliæ opinioni fulcimentum ministrant. Addit namque : Neque ratio est ipsius (scilicet Dei), neque nomen, neque cognitio ; neque tenebræ est, neque lumen, nec error, nec veritas. Neque est ipsius universaliter positio, neque ablatio ; sed eorum quæ sunt post ipsam, positiones et ablationes facientes, ipsam nec ponimus neque auferimus : quoniam ipsa est super omnem positionem, sicut omnino perfecta omniumque unitiva causa, et super omnem ablationem, superexcellentia ab omnibus simpliciter absoluta. Insuper, primo capitulo de Divinis nominibus Dionysius de Deo fari orsus : Est (inquit) irrationabilitas et non intelligibilitas et innominabilitas, per excessum rationis et intelligentiæ ac nominationis ; et est omnibus causa essendi, ipse vero est non exsistens, per excessum exsistentiæ. Et iterum ait : Quum tota virtute nos unierimus divinis theoriis, tunc omnia resecantes, immittimus nos ad supersubstantialem radium : quem neque cogitare possibile est, neque dicere, nec aliquo modo contemplari, eo quod sit ab omnibus segregatus, et in se ipso supersubstantialiter collocatus, tanquam in incomprehensibili virtute, super omnes mentes cœlestes. Porro secunda opinio fortissime roboratur auctoritate Dionysii

Digitized by Google

secundo capitulo de Divinis nominibus : Divina (inquit) et invisibilia Dei, per solas ipsorum participationes cognoscimus ; et dum dicimus Deum esse vel substantiam vel vitam aut lumen seu mentem, aliud his nominibus non intelligimus nisi processus Dei in nos participationesque divinæ plenitudinis quibus nos justificat, substantificat, vivificat vel sapientificat. p. 53 A et s. Insuper ad idem facit quod nunc ante a Dionysio dictum monstravi : videlicet, quod affirmationes de Deo dictæ, sunt vere negationes ; et quod hoc est supersubstantialem vere cognoscere, eum per omnium ablationem supersubstantialiter laudare. Sunt autem et alia plurima valde Dionysii testimonia quæ induci possent ; sed propter prolixitatem vitandam, ista sufficiant.

ARTICULUS XXXII.

Et est confirmatio responsionis inductæ, ex testimoniis Damasceni et Hugonis atque Doctoris divini.

ROBORANTUR demum præhabita, auctoritate Damasceni, qui primo libro sic ait : Quæcumque de Deo affirmative dicimus, non naturam, sed ea quæ sunt circa naturam ejus ostendunt. Etenim si bonum, si justum, si sapientem, et si quodcumque aliud dixeris, non Dei naturam dicis, sed ea quæ sunt circa naturam. Et iterum planius loquens nono primi libri capitulo : Oportet, inquit, singulum eorum quæ de Deo dicuntur, non quidem quod secundum substantiam est significare, æstimare, sed quod non est ostendere, aut habitudinem quamdam ad aliquid eorum a quibus separatur et distinguitur, aut aliquid eorum quæ assequuntur naturam aut operationem. His verbis, tam Rabbi Moysis quam aliorum opiniones jam recitatæ, manifeste stabiliuntur. Imo videtur Damascenus utramque adstruere. Si enim quæ de Deo dicuntur, non dicunt naturam ejus nec quid est, sed quid non A est, apparet quod non proprie prædicentur de Deo substantialiter et positive. Rursus, si non designant Dei naturam, sed aliquid circa eam et habitudinem quamdam, sequi videtur quod per causalitatem de Deo dicantur.

Denique consonant verba Hugonis super Angelicam hierarchiam : Audi, inquit, magnum sacramentum. Quod Deus est, super omne est. Et quum quæritur, Quid est ? hoc dici non potest, quia cogitari non potest. Quod enim cogitatur, vel in rebus B est, vel secundum aliquid rerum. Quod autem Deus est, nec est in rebus quasi aliquid rerum, quia creatura non est ; nec secundum res est, quia creator earum. Quod ergo Deus est, nec in istis inveniri potest, nec secundum ista intelligi valet quale est. Si enim aliquid horum dicitur, aliud est ; et si secundum aliquid horum dicitur, aliter est. Quid ergo dicendum est quod Deus est ? Solum hoc dici potest, quia aliud est ; et quid est, dici non potest. Habemus ergo quod dicamus, Non est C hoc Deus ; sed non habemus quod dicamus, Hoc est Deus : quoniam omne quod habemus vel invenimus, hoc non est Deus ; et omne quod dici et cogitari potest, minus est et infra est quam quod Deus est. Et si dixerimus de Deo nobiliora, veritatem dixisse putamur : sicut dum dicimus, Deus est spiritus, Deus est sapientia. Et tamen hæc sunt tantum figuræ et signa veritatis, non veritas ipsa. Alia quoque plura his paria asserit Hugo.

Porro Doctor divinus in libro Spiritualis D desponsationis idem fatetur : Alta (inquiens) Dei natura conspicitur, quomodo ipsa est inaccessibilis altitudo, abyssalis profunditas, incomprehensibilis latitudo, æterna longitudo, caliginosum silentium seu tenebrosa taciturnitas, voluptuosumque desertum. In libro quoque de Perfectione filiorum Dei, testatur quemadmodum summa Dei contemplatio aliud non sit nisi intensio quædam caliginis : quam Dionysius irrationalem et amentem appellat, propter excessum rationis et mentis. cap. II. De Divin. nom. c. VII.

Digitized by Google

Nempe in hac divinæ caliginis (quæ est supersplendidissimum ac invisibilissimum lumen) intuitione, divinæ claritatis splendor purissimus aciem mentis reverberat, vincit, obtenebrat penitusque obcæcat. Propterea Deo sicut prorsus ignoto conjungitur, et in divinarum tenebrarum speculatione deficiendo demergitur, liquescit et deliquescit, profundatur et deprofundatur, in superlucidissimas divitiarum Dei opulentias assurgere cupiens, sed figi non valens.

Postremo, omnium horum confirmatio est quod S. Dionysius in prima epistola ad Caium monachum scribit : Divinæ tenebræ cooperiuntur omni lumini, et absconduntur omni visioni. Et si quis videns Deum, intellexit quod vidit, non ipsum Deum contemplatus est, sed aliquid eorum ab ipso exsistentium et cognitorum. Ipse autem super animum et super essentiam superessentialiter superpositus est, universaliter non cognoscendo neque videndo, id est, in hoc quod non cognoscitur neque videtur. Unde in libro de Causis subtiliter dictum est : Causa prima est super omne nomen quo nominatur, et non pertinet ad eam diminutio neque complementum.

ARTICULUS XXXIII.

Resolutio et concordia horum quæ dicta sunt et sibi videntur contraria.

QUONIAM vero non minus difficile est præinducta verba Dionysii, Damasceni et aliorum intelligere atque salvare, quam positionem Rabbi Moysis et alterius opinionis; idcirco utile reor, tantorum virorum de Deo profunde loquentium, doctrinales sententias paulisper pro viribus explanare et concordare. Nullatenus enim puto tam summos doctores circa Dei naturam errasse : quod tamen esset, si sibi mutuo repugnantia docuissent.

Advertendum ergo, quod aliquid dici potest de alio substantialiter et positive dupliciter. Primo proprie, scilicet quoniam designat et exprimit quid sit ipsa natura, vel in specie, vel certe in genere, aut saltem secundum univocum aliquod : sicut dum dico, Homo est animal, homo est corpus, homo est substantia. Secundo improprie, vel minus proprie, seu quantum ad nos : quando videlicet prædicatum nequaquam significat subjecti essentiam seu quid sit ipsum subjectum, secundum quod in propria natura est et in se ipso subsistit, sed solum eo modo quo a nobis cognosci potest; vel quando designat ea quæ ad veritatem essentiæ cognoscendam magis accedunt. Quum ergo secundum omnes pene antiquos theologos atque philosophos, Deus nec sit species neque in specie, nec genus neque in genere, neque de Deo et creaturis aliquid univoce prædicetur; elucescit quod secundum primum modum, nihil de Deo substantialiter seu affirmative dicatur in statu præsenti, sed potius insinuetur in tali prædicatione voce tenus positiva, quid Deus non sit, vel quid ab ipso sit, seu quid circa ipsum sit, quemadmodum ex plurimis testimoniis prædictorum doctorum inductis clarissime liquet. Non autem signatur quid Deus sit, qui secundum substantiam omnino atque omnimode exstat ignotus. Et hæc erat mens Rabbi Moysis, affirmantis nil substantialiter vel affirmative enuntiari de Deo incomprehensibili et excelso.

Et ad idem redit secunda opinio, cujus assertores fassi sunt, ea quæ de Deo dicuntur, habitudinem causæ significare, sicque per causalitatem de ipso enuntiari. Nam eo ipso quo ita locuti sunt, agnoverunt utique omnes entium perfectiones Deo excellentissime convenire, tanquam universorum primo principio et Creatori altissimo. Cur ergo dixerunt prædicata perfectionalia de Deo non dici substantialiter, sed magis causaliter, nisi quod Deo non competunt eo modo quo in rebus inveniuntur atque a nobis agnoscuntur, sed per modum nobis imperscrutabilem et a nobis innominabilem?

Digitized by Google

Enimvero ita intelligendum opinor quod A dici de Deo substantialiter, et aliqua re-
De Divin. nom. c. II. p. 55 A. Dionysius ait jamque præhabitum est, quod dum bonitas, esse, vita, sapientia, etc., de Deo dicuntur, nil aliud significatur nisi processus Dei in nos, et participationes perfectionis divinæ. Hoc enim ita dictum non arbitror, quasi hæc nomina solum causaliter et nequaquam substantialiter prædicentur de Deo, neque significent Deum, sed effectus dumtaxat divinos : sic namque præinductæ objectiones procederent. Quid igitur Dionysius affirmare intendit, nisi quod istis nominibus B non designetur nec intelligatur Deus secundum id quod est, nec prout in se ipso exsistit, sed prout ejus natura atque perfectio in suis effectibus innotescit atque resplendet? Secundum hunc quoque sensum verba Damasceni sumenda sunt, quibus nil de Deo dictum substantiam Dei significare fatetur, sed aliquid circa eam, et quod singulum eorum quæ de Deo dicuntur, non quid est sed quid non est importat : videlicet quoniam nullum nomen exprimere potest divinam naturam C seu esse divinum secundum propriam subsistentiam, sed secundum aliquam proprietatem qua vel in rebus creatis quasi in speculo refulget et declaratur, vel ad eas refertur, vel ab ipsis distinguitur, seu
art. XIII. simili modo. Nam uti ostensum est, Deum ex suis effectibus agnoscimus et nominamus : idcirco, prout in creaturarum perfectionibus variis modis divina resplendet perfectio, juxta hoc Deum multiformiter contemplamur ac nominamus. Sed sicut omnis creata essentia ab in- D creatæ essentiæ perfectione in infinitum occumbit ac distat, sic omnis intelligibilis forma creata a perfecta repræsentatione divinæ naturæ in infinitum deficit et recedit. Nullum ergo nomen ex creaturis receptum et Deo tributum, exprimit quid Deus est : imo ab hoc infinite et incomparabiliter deficit. Substantialiter tamen dici de Deo conceditur, secundum distinctionem prætactam : præsertim quum Augustinus et Boetius asserant quædam

aliter.

Postremo, quantum intelligo, ad istud reducitur Thomæ positio : qui Rabbi Moysi contradicens, ait prædicta nomina de Deo substantialiter dici, ejusque substantiam designare ; non tamen perfecte, et sicut in se est, eam designant, sed id potius innuunt, quod perfectiones significatæ per nomina, altiori modo conveniant Deo quam rebus creatis. Hoc autem prædictis non obviat.

ARTICULUS XXXIV.

Quod non obstantibus his quæ de divinæ naturæ incomprehensibilitate et incognoscibilitate inducta sunt, veram habeamus de Deo benedicto et sancto notitiam.

HOC porro quod secundum magnum Dionysium dictum est, non cognoart. XXXI. scere nos Deum sicut est, nec esse notiam, scientiam vel sapientiam de superessentiali et superignota Divinitate, dubitationem facere potest. Qui enim rem aliter intelligit quam est, false intelligit : imo non cognoscit eam, sed errat. Si ergo Deus omnino ignotus est, neque cognoscimus eum sicuti est, false cognoscimus.

Et respondendum, quod operatio sequitur operantis naturam : idcirco (secundum De Consolat. lib. v, pros. 4. Boetium) cognitio, quæ est operatio interior cognoscentis, est secundum naturam et modum cognoscentis, non cogniti. Quemadmodum ergo Deus universa cognoscit non sicut illa sunt, sed secundum suæ divinitatis excellentiam (intelligit namque temporalia æternaliter, sensibilia insensibiliter, mutabilia invariabiliter) ; ita et nos divina cognoscimus non sicut illa in se sunt, sed secundum nostræ parvitatis potentiam, nostrique intellectus conditionem. Vere tamen divina cognoscimus, quamvis obscure, imperfecte, et aliter quam in se ipsis sint : quoniam ista obscuritas, imperfectio et alteritas non est refe-

Digitized by Google

renda ad objectum, sed ad cognoscentis potentiam. Si enim Deum dicerem corporalem consistere aut corporaliter esse, errarem. Sed si incomprehensibilem comprehendere nequeo, quin potius secundum meam capacitatem eum considero; non erro, neque ejus dignitati in aliquo derogo : quoniam quidquid imperfectionis contingit in contemplatione et appellatione qua eum contemplor et nomino, hoc totum propriæ imperfectioni adscribo, certissime sciens Deum nobilissimo modo subsistere.

Hoc est quod Hugo super Angelicam cap. II. hierarchiam inducit, dum ait : Minus est Deo quidquid de eo dicis; et tamen de ipso hoc dicis, non ut ad ipsum accedas, sed ut ei propinques. Magnum est hominis nunc ad ipsum ire, etsi non detur pervenire in hoc statu. Dabitur autem postea; nunc vero interim totum imago est.

Quamvis enim quædam Deo sint propria, et quasi totum quod Deus est exprimentia, ut esse infinitum, esse simpliciter perfectum, esse purum, bonum; tamen secundum quod nos ista cognoscere possumus, inferiora atque minora sunt eo quod Deus est. Et ideo, secundum auctorem libri de Causis, nec complementum convenit Deo : quoniam omnis perfectio prout a nobis apprehendi valet, indigna est eo, cujus essentia nostram capacitatem in infinitum transcendit.

ARTICULUS XXXV.

De simplicitate divini esse.

SICUT præterea ex Elementatione Procli elucescit, est quædam simplicitas per carentiam totius perfectionis : et hæc est simplicitas materiæ primæ, quæ est pura potentia, tanquam totius actualitatis formalitatisque expers. Talis ergo simplicitas imperfectissimo entium convenit. Alia vero exstat simplicitas, per totius imperfectionis carentiam : et ista est simplicitas primi principii, quod est purus actus, tanquam universæ materialitatis admixtione et potentialitatis consortio carens. Deus ergo sicut omnino perfectus censetur, ita veraciter summe simplex, imo sua superessentialis simplicitas perhibetur.

Insuper, omnis compositio, indigentiæ signum est. Si enim compositum in uno eorum quæ in ipso sunt totam suam perfectionem haberet, nequaquam alio indigeret, nec ipsum haberet, quum non sit pluralitas sine necessitate ponenda, secundum Philosophum. Si ergo esset in divina natura compositio, diversitas aut non identitas aliqua, non esset in Deo summa perfectio, sed unum eorum quæ in ipso essent, aliquo indigeret. At vero, ubicumque compositio invenitur, unum perficit aliud : idque quod perficit, rationem actus sortitur; quod autem perficitur, proprietatem habet potentiæ atque materiæ. Nisi enim unum perficeret aliud, inaniter jungerentur, essetque in eodem multitudo sine causa. Quum ergo superius demonstratum art. XX. sit, quod Deus est purus actus, esse non potest in eo compositio aliqua, sed est simplicitas plena.

Adhuc autem, extrema seu ultimi termini omnis multitudinis, sunt maxime indivisibiles summeque simplices. Quum ergo purus actus qui Deus est, et pura potentia, puta materia, sint duo extrema et termini rerum, oportet utrumque in sua natura simplicissimum esse : nam alias, componentia utriusque essent ante ipsa composita, sicut principia sunt ante principiata; et tunc Deus non esset simpliciter primum nec causa simpliciter prima, sed unum eorum ex quibus componeretur, nec esset ens penitus independens : quæ omnia absurdissima sunt. Deus ergo, ut ait Anselmus, adeo purus et simplex est, ut nec re nec intellectu dividi queat. Denique, ante probatum art. XVIII. est, quod Deus non solum est unus, sed unitas prorsus purissima; et quod non est quid unitum, nec est in ipso aliqua unio, sed quod ipse est simplicissima uni-

Digitized by Google

tas, omnes entium diversitates in ordinem redigens, simplificans atque unificans. Deus ergo in fine totius simplicitatis est simplex.

Non est itaque in Deo forti et glorioso compositio ex esse et essentia, ex actu et potentia, ex forma et materia, ex *quod est* et *quo est*, ex natura et supposito, ex genere et differentia, vel ex aliquo alio; sed quidquid in Deo est, est ipsemet Deus, et quidquid Deus habet, hoc ipse est. Unde in Deo idem sunt essentia, virtus et actio, esse, posse et agere, intelligens, intellectus et intelligere, natura et persona, sapientia, beatitudo et omnis perfectio : imo ipsum esse divinum, est simplicissime omnia ista, quæ nec sunt neque dicuntur multa vel omnia nisi quantum ad nos, qui esse divinum in se ipso et sicuti est, agnoscere non valemus, sed per species rerum creatarum ipsum multiformiter consideramus atque exprimimus, secundum quod divinæ naturæ perfectio, quæ in se una et simpla est, in rebus variis modis relucet.

Elucescit demum ex his, quod Deus non est corpus, nec virtus corporea, nec corporis virtus, nec virtus in corpore; sed est esse ab omnibus superessentialiter separatum, nulli miscibile, cum nullo componibile, in nullo terminabile, sed intra cuncta exsistens, ab omnibus infinita distantia (non locali, sed perfectionali) segregatur itemque distinguitur, estque ab omnibus se ipso, primo et immediate diversus. Unde constat pessimus error ponentium quod Deus sit esse formale omnium rerum, vel anima mundi, aut simile aliquid. Verumtamen Dionysius in libro cap. 1. de Divinis nominibus dicit, et idem asserit Damascenus, quod Deus est esse omnium entium, et vita viventium, et virtus agentium. Sed hoc intelligendum est causaliter seu efficienter, quoniam ipse est Creator et causa omnium secundorum; non autem formaliter, tanquam sit intrinsecum rei principium sicut est forma. Advertendum vero pro intellectu dictorum, quod virtus corporea dicitur quæ in corpore majori est major, et in minori minor : quemadmodum calor, frigiditas, siccitas. Sed corporis virtus, est quæ secundum dispositionem complexionis seu harmoniæ conditionem agit, et est actus seu perfectio organi, secundum Rabbi Moysen : ut vis visiva et auditiva. Virtus vero in corpore nominatur, quæ non est corpori quasi subjecto de necessitate innitens, quamvis sibi formaliter uniatur : quemadmodum intellectus, qui a corpore separatur sicut perpetuum a corruptibili, secundum Philosophum.

Porro Deum esse simplicem, Damascenus primo libro testatur, adjiciens quod ea quæ de Deo per modum differentiarum dicuntur, ut incorporeum, intemporale, immortale, æternum, justum, etc., non sunt distinctæ nec substantiales differentiæ Dei, neque designant Deum ex multis conflatum. Anselmus quoque in Proslogion : Quid es, inquit, Domine, quid es? Certe vita es, sapientia, veritas, bonitas, beatitudo, æternitas, et omne bonum es. Multa, ait, sunt hæc; sed non potest angustus meus intellectus tot simul uno intuitu videre, ut omnibus simul delectetur. Quomodo ergo es, Domine, omnia hæc? An sint partes tui, an potius unumquodque eorum est totum quod es? Utique, Domine, unumquodque eorum est totum quod es et quod sunt reliqua omnia. Omnia vero hæc roborantur testimonio Dionysii, qui nono capitulo de Divinis nominibus ait : Deo attribuitur identitas æterna, inconversibilis, in se ipsa supersubstantialiter manens, munda, immaterialis, simplicissima, nullius indigens, sed semper per se perfecta, omnibus supersplendens ut convenienter eam participent.

Innotescit autem ex his quam sit inconveniens quorumdam opinio, qui distinctionem formalem ponunt in Deo præter personalem distinctionem. Est nempe opinio aliquorum, quod in divinis sit distinctio perfectionum attributalium ex natura

Digitized by Google

rei, circumscripto omni intellectu creato : ita quod inter attributa divina sit quædam non identitas ex natura rei, quæ dici potest distinctio formalis sive modalis ; estque intelligenda non per positionem, sed per abnegationem, prout hoc formaliter non est hoc. Unde secundum eos, aptius est uti hac negativa, non idem, quam distinctum.

Hæc opinio veritati demonstratæ repugnat. Ostensum est enim quod Deus sit simplicissima unitas, et unitissima, vel potius (ut sic loquar) unissima atque purissima simplicitas. Est ergo in Deo quantum ad perfectiones attributales, omnimoda, summa et pura atque perfecta identitas. Non est igitur in Deo ex natura rei quantum ad attributa, aliqua non identitas seu formalis distinctio. Denique, juxta Philosophum, unum in substantia facit idem ; in quantitate, æquale ; in qualitate, simile. Ubi ergo est pura unitas, est pura identitas, et nulla formalis distinctio. Quum ergo Deus dicatur incomparabiliter purissima unitas ac plena simplicitas, non est in eo ex natura rei talis distinctio. Ista quoque opinio directe repugnat Anselmo, qui in Proslogion ad Deum devotissime atque verissime loquens : Nullæ (inquit) partes sunt in te, Domine ; nec es plura, sed sic unum quiddam et idem tibi ipsi, ut in nullo sis tibi ipsi dissimilis : imo tu es ipsa unitas nullo intellectu divisibilis. Nescio quid planius dici queat. Sed non est propositi in hoc opere isti materiæ immorari : habet enim alibi locum convenientiorem. — Postremo, quoniam Albertus et Thomas in istis consentiunt, ideo, quod Thomas ponit in divinis distinctionem rationis rei rationabilis, non autem Albertus, sed solum ponit ibi distinctionem rationis ratiocinantis, non est difficile concordare : in nominibus enim dumtaxat dissentiunt, sed in ipsa veritate concordant.

Cf. t. XIX, p. 149 B et s.

Quum autem Damascenus primo libro testetur, quod Deum esse compositum affirmare, extremæ impietatis est ; tanto unusquisque extremæ impietati magis propinquat, quanto a vera Dei simplicitate, unitate et identitate magis recedit. Dicta autem opinio asserit, quod attributales perfectiones in Deo, scilicet sapientia, pietas, misericordia, æquitas, beatitudo, potentia, etc., formaliter distinguuntur, seu ex natura rei sunt non idem, ita quod omni actu creatæ mentis secluso, unum formaliter non sit aliud. Istud contrariatur Augustino, qui apertissime in libro de Trinitate, de divina simplicitate loquens : Deus, inquit, etsi multipliciter dicatur, vere tamen et summe simplex est. Dicitur enim magnus, bonus, sapiens, beatus, verus, et quidquid aliud non indigne dici videtur ; sed eadem magnitudo ejus est quæ sapientia, et eadem bonitas quæ sapientia et magnitudo, et eadem veritas quæ illa omnia. Undecimo quoque de Civitate Dei : Ideo, ait, Deus simplex vocatur, quia hoc est quod habet ; excepto quod relative una persona ad alteram dicitur, nec est ipsa. Omnia ergo quæ in Deo sunt, omnino unum et idem sunt, ubi non obviat oppositio relativa. Quod in libro de Trinitate Boetius quoque fatetur. Quum ergo attributa in Deo relativam oppositionem non habeant, constat quod ex natura rei sint penitus unum et idem.

Amplius, secundum omnem doctrinam Dionysii, Deus ideo simplex censetur, quoniam esse divinum, omnium creaturarum perfectiones in se ipso cum immensa plenitudine et infinita perfectione atque perfectissima ac superessentiali simplicitate complectitur. Ideo valde opposita Deo conveniunt, secundum diversas perfectiones quas sua essentia in se comprehendit. Quid ergo opus est aut expedit distinctionem formalem somniare in Deo ? Augustinus demum quinto de Trinitate, Dei simplicitatem declarans : Intelligamus (ait) Deum, quantum possumus, sine qualitate bonum, sine quantitate magnum, sine indigentia creatorem, sine situ præsidentem, sine habitu omnia continentem,

Digitized by Google

sine loco ubique totum, sine tempore sempiternum, sine ulla sui mutatione mutabilia facientem nihilque patientem. Quisquis Deum sic cogitat, etsi nondum potest omni modo invenire quid sit, pie tamen cavet, quantum potest, aliquid de illo sentire quod non sit. Hilarius insuper octavo de Trinitate, de divina simplicitate sic dicit : Non humano modo ex compositis Deus est, ut in eo aliud sit quod ab eo habetur, et aliud ipse qui habet; sed totum quod est, in ipso vita est, natura videlicet perfecta et infinita, et non ex disparibus constituta, sed vivens ipsa per totum.

Verumtamen, ut in libro de Fide ad Petrum Augustinus testatur, hæc facile dici possunt et credi, videri autem nisi puro corde omnino non possunt. Propterea, frater carissime, ut hujus divinæ simplicitatis simus non vaniloqui assertores ut multi, sed sinceri contemplatores ut (proh dolor!) pauci, simplificemus corda nostra, abstrahendo nostrum affectum a rebus carnalibus atque caducis, et ipsum divino ac incommutabili bono fortiter af-
Luc. x, 42. figendo. Unum enim est necessarium; totaque nostra perfectio est deiformis simplificatio, id est amorosa mentis ad simplicitatem divinam conversio : cui tanto integrius tantoque purius copulamur, quanto a multis atque compositis longius separamur, pro solis divinis solliciti, et in Dei obsequio fideles, puri ac fervidi.

ARTICULUS XXXVI.

De incommutabili stabilitate divinæ essentiæ.

OMNIS porro mutatio aut est alicujus novæ dispositionis adeptio, aut pristinæ dispositionis abjectio. Quum ergo sit Deus vere simpliciterque perfectus, nec dispositionem quam habet amittere potest, nec novam acquirere : est ergo incommutabilis Deus. Denique, dictum est quod Deus est unitas pura ac summa simplicitas, et quidquid in Deo est, est ipsemet Deus : nil ergo recipere valet de novo, nilque amittere. Si enim quidquam amitteret, se totum amitteret, et esse desineret. Si vero quidquam reciperet, non esset ipse quidquid in ipso est : quia quod advenit, non est id quod antea inerat. Insuper, omne quod aliquo modo mutatur, est potentialitati admixtum, sicut frequenter jam patuit. Deus vero est purus actus : quod item sæpe innotuit. art. XX. Nequaquam ergo mutabilis est. Hoc etiam patet ex his quæ de æternitate Dei præ- art. XXVIII. habita sunt. Item ostensum est, quod Deus art. XXIV. beatus et verus, est ipsa sua superessentialis infinitas. Si igitur aliquid per mutationem amitteret, infinitam perfectionem amitteret; et si aliquid reciperet, ei quod ex omni parte infinitum est, additio fieret : quod Aristoteles impossibile testatur. Adhuc autem, nullum mutabile, est essentialiter quidquid est, neque totaliter invariabiliterque beatum. Deus autem est ens per essentiam, naturaliterque beatus : non est ergo mutabilis.

Unde quod Deus vicissim aliquid dixit futurum, quod tamen non evenit, hoc secundum causas inferiores asseruit, non autem secundum causas superiores : et in talibus dicitur mutare sententiam, quæ dicit respectum ad ipsa negotia; non autem consilium, quod mentem consiliantis concernit, atque in Deo æternaliter sistit. *Ps.* XXXII, 11.

Dicit autem Damascenus, quod solus Deus est invertibilis et inalterabilis; omne vero creatum, est vertibile atque mutabile. Nam intellectuales substantiæ secundum electionem mutabiles sunt, et illuminationem atque profectum in bono recipere possunt. Omne quoque quod ex nihilo factum est, ex sua natura defectibile est et in nihilum redigibile. Esse igitur immutabilem omnino et plene, Deo est proprium. Propter quod in Phædone ait Plato : Divinum immortale est et intelligibile, itemque uniforme, sincerum et indissolubile, et semper similiter simul secundum idem se habens.

Digitized by Google

Præterea, quidquid Deus in tempore agit, ab æterno operari disposuit; nec est aliquid novitatis in ipso propter temporalem recentemque effectum creatum, sed ipse æternus et stabilis manens, temporalia condidit ac cuncta moveri concessit. Ipse quippe sibi ipsi est finis : idcirco non ordinatur neque movetur ad aliud. Ipse etiam omnium aliorum est finis. Propterea omnia suo modo ad ipsum moventur, tanquam a quo conservari ac perfici indigent : quoniam, sicut in libro de Causis habetur, omnes virtutes quibus est * finis, sunt pendentes per infinitum primum, quod est virtus virtutum. Et secundum Dionysium nono capitulo de Divinis nominibus, dicitur Deus idem, sicut in Psalmo cantatur, Tu autem idem ipse es : quoniam semper secundum eadem et eodem modo se habet, omnibus eodem modo præsens, in se firme in optimis identitatis summitatibus incontaminabiliter collocatus; datque se ipsum inflexibili virtute, convertentibus se ad ipsum ut deificentur ab eo.

* non est

Ps. ci, 28.

Hanc autem immutabilitatem sacra Scriptura ubertim commendat. Scriptum est enim : Non est Deus ut homo, ut mentiatur; neque ut filius hominis, ut mutetur. Et alibi : Ego sum Dominus, et non mutor; rursumque : Porro Triumphator in Israel non parcet, et pœnitudine non flectetur.

Num. xxiii, 19.

Malach. iii, 6.

1 *Reg.* xv, 29.

Huic divinæ immutabilitati pro viribus conformari conemur. Scriptum est enim : Estote perfecti, sicut et Pater vester cœlestis perfectus est. Porro huic divinæ incommutabilitati assimilamur, dum non circumferimur omni vento doctrinæ; dum studemus esse non sicut arundo flatibus agitata; dum nec vana jucunditate resolvimur, neque inordinato mœrore opprimimur; dum nullius rei creatæ immoderato ligamur affectu, sed virtutibus inhæremus corde, ore, effectu. Qui enim passionum impulsu a medio rationis abducitur, et voluptatis amore a virtute distrahitur, deiformem nequaquam immutabilitatem sortitur; nec dicere potest illud divini Apostoli : Quis nos separabit a caritate Christi? Nec illud beati Job : Justificationem meam, quam cepi tenere, non deseram; et donec deficiam, non recedam ab innocentia mea.

Matth. v, 48.

Ephes. iv, 14.

Rom. viii, 35.

Job xxvii, 6, 5.

ARTICULUS XXXVII.

Quod Deus æternus sit vivens vita purissima, nobilissima, delectabilissima æternaliterque perfecta.

APUD nos autem vivere perhibentur quæ movent se ipsa : unde secundum Philosophum, nil movet se ipsum nisi animatum. Si igitur Deus gloriosus et fortis, rite vocatur omnium entium prima causa primusque motor, tunc utique ipse potissime vivit, et est omnis vitæ fontana origo, inestque ei fontaliter totius vitalis perfectionis plenitudo. Quomodo enim omnis vita ab ipso efflueret, et universa viventia atque moventia, virtutem movendi se ipsa aut alia ab ipso susciperent, nisi ipse utique plenissimam et superditissimam in se ipso vitam originaliter possideret? Deus ergo est primum vivens et omnis vitæ principium.

Præterea, dictum atque ostensum est, quod Deus altissimus est purus actus, simplicissima unitas et maxime simplex. Quidquid ergo in Deo est et quidquid Deus habet, hoc est ipse Deus. Quum igitur Deus sit vivens, sequitur quod essentialiter atque totaliter vivit, estque substantialiter ipsa sua vita. Deus ergo vivacissima vita vivit, et ipse realiter est mera plenaque vita : ita quod nihil in eo est quod non sit omnimode vivens, et integra, infinita ac simplicissima vita. Nil itaque non vitæ, nil de imperfectione minorationeque vitæ, vitæ admiscetur divinæ, sed est Deus sublimis et verus secundum se totum vivens, imo immensa vitæ totalitas. Idcirco vita primi principii exstat vere ac prorsus purissima. Purum est enim, cui nil alienæ aut repugnantis

art. xx, xxxv.

Digitized by Google

naturæ adjungitur : ut purum dicitur aurum, quod de alieni metalli natura nil habet admixtum. Quum ergo sit Deus purus actus et simplicissima unitas, substantialiter atque totaliter vivens, imo cum infinita plenitudine, vivendi perfectionem complectens ac possidens ; liquet quod vita divinæ naturæ purissima sit, vel potius puritas ipsa superessentialis, vitalis ac separata.

Porro nobile appellatur, quod a propria et debita dignitate in nullo recedit, deficit neque degenerat. Quum igitur, juxta præhabita, Deus sit omnino immutabilis et penitus simplex, a naturali dignitate et propria perfectione nusquam degenerat : ideo vera et summa ipsi nobilitas convenit. Vita igitur primi entis nobilis est et nobilissima penitus. Quumque Deus immensus atque perfectus, sit ipsa sua immensa perfectio ac perfecta immensitas, patet quod vita primi entis sit immensæ omniformiterque perfectæ nobilitatis, imo immensa quomodolibetque perfecta nobilitas.

Insuper, quod rei conveniens est ac connaturale, hoc delectabile nuncupatur. Conveniens quoque est, cui nil contrariæ dispositionis miscetur ; connaturale vero, quod secundum propriam rationem atque essentiam competit. Quum ergo Deus adorandus et summus, sit purissime simplex et simplicissime purus, elucescit quod vita sua sit sibi summe conveniens. Item, quum Deus sit sua essentia, et a se ipso, et substantialiter quidquid est, constat quod quidquid in ipso est, connaturale est sibi. Sed et propter plenissimam divinæ naturæ perfectionem fateri oportet, quod quidquid in Deo est, cum infinita plenitudine ei inest. Vita ergo beati et incommutabilis Dei, non solum delectabilis est, sed vere delectabilissima, imo delectatio intensive et penitus infinita.

art. XXVIII, XL. Innotescit quoque ex dictis, quod Deus sit vere solus æternus simpliciterque perfectus, et superessentialis æternitas ac supersubstantialis perfectio. Vita ergo dignissimi Dei æterna et incessabilis est, in qua non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. Quidquid itaque vitalis perfectionis in creaturis exsistit, in creatrice essentia cum infinita eminentia invenitur, omni imperfectione quæ vitæ creatæ adhæret sublata. Et quemadmodum esse Deo est proprium, prout dicit infinitum pelagus perfectionis essendi ; sic vita Deo est propria, prout designat quamdam immensam abyssum vitalis perfectionis, ex qua oritur omnis vita creata. *Jacob.* 1,17.

Unde Dionysius sexto capitulo de Divinis nominibus : Deus, inquit, vita dicitur, ex qua est per se vita et omnis vita, immortalis vita cœlestium animorum et indestructibilitas sempiterni motus ipsorum. Et quidem divina vita supervivens, est vivificativa et substantificativa totius vitæ, tam animarum quam animalium et plantarum, quæ secundum ultimam vitæ resonantiam, divinam vitam participant. Extenditur quoque vita divina per bonitatis abundantiam ad dandam dæmonibus vitam. Omnia vero animalia et plantæ, ex divinæ vitæ participatione vivificantur et florent. Ipsa ergo est supervivens, et princeps vitæ, et omnis vitæ causa generativa, adimpletiva, discretiva et conservativa ; et ex omni vita laudanda est, secundum exuberantissimam fecunditatem et superabundantissimam bonitatem : qua etiam nos a se recedentes, ad se ipsam convertit et revocat.

Ideo Aristoteles duodecimo Primæ philosophiæ testatur, quod vita intellectus divini sit sempiterna atque perfecta et semper in actu. Et in libro de Cœlo dicit, quod operatio Dei est immortalitas. In Ethicis quoque fatetur, quod Deus voluptuosissimam vitam ac sibi in se semper sufficientissimam ducit ; unaque simplici operatione delectatur et gaudet, eo quod ejus natura sit simplex : quo enim natura rei simplicior et purior fuerit, eo operatio erit magis simplex ac pura.

Digitized by Google

Postremo, quod vita Deo propriissime congruat, sacra Scriptura affirmat. Dixit enim Archiapostolus Christo : Tu es Filius Dei vivi. Et in Joanne scriptum est : Pater habet vitam in semetipso. Denique, quod factum est, id est omnis creatura, in ipso, id est in Deo, vita erat. Quod enim in alio est, est in eo secundum modum ejus in quo est. Quumque Deus sit vita et mens, omnia in eo vitaliter intellectualiterque exsistunt secundum rationes æternas, ideales et exemplares : et ideo omnia Deo vivunt. Nil enim variabilitatis in ipso contingit propter varias rerum mutationes.

Matth. xvi, 16. *Joann.* v, 26. *Ibid.* i, 3, 4.

ARTICULUS XXXVIII.

Quam convenienter Deus dicatur intellectus universaliter agens.

MANIFESTUM demum opinor ex dictis, quod Deum sublimem neque cognoscere neque appellare valemus nisi nominibus secundorum et creatorum. Quo ergo natura et nomen rei creatæ præstantius fuerit, eo in ipso atque per ipsum Creator limpidius cognoscetur convenientiusque exprimetur : quoniam divinæ bonitatis excellentia in hujuscemodi creatura copiosius splendet evidentiusque resultat. Porro in creaturarum ordinibus, substantiæ separatæ, quæ intelligentiæ appellantur, primatum sortitæ sunt. Ipsæ enim, Dionysio teste, deiformem intellectum adeptæ sunt, nec indigent conversione ad corpora, sed in naturalibus perfectionibus a sua creatione perfectæ fuerunt. Nullius igitur creaturæ nomine Deus aptius nominatur, nisi nomine intelligentiæ aut intellectus dicatur, quia non invenitur in rerum natura perfectio intellectu sublimior. Et istud Proclus, et auctor libri de Causis, Anselmus quoque in Proslogion, asserunt. Dicitur igitur Deus intellectus et mens, juxta illud Platonis in primo Timæi : Deus est mens cujus visus contemplatioque intellectus. Aristoteles quoque duodecimo Primæ philosophiæ ait, quod Deus est sempiternus, purus, simplicissimus et honoratissimus intellectus, ab omnibus finaliter desideratus.

De Cœlest. hier. c. VII.

Cur autem adjectum est, universaliter agens, nisi quod solus Deus omnibus influit, cuncta illuminat, et supra omnia genera rerum subsistens, universis rerum ordinibus imprimit, providet, præeminet, omnemque entitatem, virtutem et operationem fontaliter administrat? Quod nulli causæ secundæ competere palam est : talis etenim causa in certo rerum ordine operatur; estque finitæ virtutis, nec ex propriis influens, sed a primo principio omne quod est, potest, agit et habet, recipiens. Convenienter itaque Deus dicitur intellectus universaliter agens, estque nomen hoc proprium sibi. Sumitur autem intellectus seu mens quandoque pro intellectuali substantia, et ita jam sumitur; quandoque vero accipitur pro potentia talis substantiæ, ac aliis modis.

ARTICULUS XXXIX.

Quod intellectus divinus cognoscit perfecte atque distincte, æternaliter et immaterialiter omnia genera, species et individua, tam substantiæ quam accidentium, omnia quoque quæ esse possunt.

AMPLIUS denique liquet, quoniam omnis essentia, omne esse, et quidquid entitatis in rebus invenitur, a divina natura processit, nec aliud est nisi participatio quædam bonitatis divinæ. Quidquid autem a causa procedit, dependet et conservatur, sive mediate sive immediate, hoc utique in causa virtualiter continetur, et quodammodo præexsistit in ipsa. Omne ergo creatum, qualecumque sit illud, in Deo virtualiter ac originaliter continetur, et præexsistit in ipso. Ideo enim Proclus dicit: Omne causatum manet in sua causa, et procedit ab ea, et convertitur ad ipsam.

Digitized by Google

Manet quippe in ea virtualiter, procedit ab ea essentialiter, convertitur ad ipsam finaliter. Quidquid autem continetur et præexsistit in aliquo, continetur et præexsistit in ipso secundum naturam et proprietatem seu modum ejus in quo est : nam et receptum, est in recipiente secundum conditionem recipientis, non recepti. Quum ergo Deus sit vita et mens ac honoratissimus intellectus, res causatæ continentur ac præexsistunt in eo vitaliter et intellectualiter divinoque modo. Quod autem alicui intellectualiter inest, ab ipso cognoscitur. Omnia ergo causata, quæcumque sint illa, cognoscuntur a Deo secundum id totum quod sunt vel eis accidere potest. Quo enim de re plures proprietates sciuntur, eo perfectius noscitur. Nisi ergo omne quod rebus accidere potest conspiceret Deus, eas perfectissimo modo non intelligeret.

Præterea, omne causatum causæ secundæ, est magis causatum causæ primæ quam causæ secundæ, quemadmodum Proclus et auctor libri de Causis demonstrant. Omnes ergo effectus secundarum causarum excellentius continentur et præexsistunt in causa prima, quam in aliqua secundarum causarum. Clarius ergo perfectiusque cognoscuntur a causa prima, quam ab aliqua causa secunda.

Insuper, virtus habitudinem seu respectum designat ad ea quæ ejus causalitati subjecta sunt. Virtus namque seu potentia est principium operandi et aliud transmu-
art. XIV. tandi, ut dictum est. Quod autem respectum habet ad aliqua, perfecte non scitur nisi et illa sciantur. Quum ergo Deus propriam virtutem seu causalem potentiam plenissime noscat, oportet ut omnia illa intelligat ad quæ se divina virtus extendit : quæ quum sit infinita, non tot facit nec facere potest, quin in infinitum plura producere queat. Non solum ergo agnoscit Deus cuncta quæ sunt, fuerunt vel erunt, sed omnia quoque quæ esse possunt, imo et infinita quæ nec fuerunt, nec sunt neque futura sunt : omnia namque quæ Deus facere potest, in sua virtute continentur, et in ea intellectualiter splendent, et ideo Deo æternaliter innotescunt.

At vero, sicut esse divinum perfectum non esset, nisi omnes essendi perfectiones et gradus in se eminentissime comprehenderet ; ita divini intellectus scientia non utique foret perfecta, nisi omnes perfectiones scientiarum quæ in mentibus creatis esse queunt, excellenter includeret. Quidquid itaque ad decorem et perfectionem scientiarum mentium creatarum spectat, hoc divinæ scientiæ competit, verumtamen per modum sublimiorem et perfectiorem. Cognitio autem mentis creatæ confusa, universalis et indistincta, est maxime imperfecta. Si ergo Deus non cognosceret creata nisi in communi et indistincte, imperfecte ea cognosceret : cognoscit ergo ea distincte ac proprie. Unde Philosophus ait, quod si Deus ignoraret ea quæ nos scimus, insipiens esset ; et primo de Anima, contra Empedoclem asserit, quod si Deus lucem nesciret, imperfectus exsisteret.

Nihilo minus, circa præsentem materiam philosophi communiter inveniuntur errasse, non tamen æqualiter. Themistius enim et Avicenna et Algazel, concesserunt Deum cognoscere aliqua etiam in particulari, sed non quantum ad omnes singulares circumstantias et proprietates ; Averroes vero pejus erravit. Sed omnes positiones istæ atque consimiles, vanæ et falsæ sunt. Omnis enim entitas quæ est, vel esse potest, quantum de entitate participat, in divina essentia idealiter splendet sicut in primo fonte, cujus perfectionem aliquo modo participat atque consequitur, quum nil in creaturis divinæ bonitatis participatione destituatur. Rursus, quidquid fieri potest, hoc in divina virtute causaliter et exemplariter relucet. Omnia ergo hæc Deo perfectissime innotescunt. Nec ex hoc vilescit intellectus divinus, ut Averroes fingit : imo, quum opposita juxta se posita clarius elucescant, quanto Deus aliquorum imperfectionem, gradum et

Digitized by Google

ordinem, atque naturas, variabilitates et motus lucidius distinctiusque cognoscit, tanto propriam perfectionem ac dignitatem excellentius atque perfectius intelligere comprobatur. Si autem cognosceret res secundum quod in se ipsis sunt, vel ex rebus cognitio ejus dependeret aut gigneretur, hoc dignitati divini intellectus utique derogaret. Ideo Aristoteles duodecimo Primæ philosophiæ testatur, quod intellectus divinus nil extra se cognoscit : quia videlicet non per objectum aut speciem aliunde acceptam cognoscit, sed per essentiam propriam, in qua sicut in luce purissima, universa refulgent.

art. XIX. Præterea habitum est, quod Deus benedictus et felix, est veritas prima, exemplaris, perfecta atque immensa. Quemadmodum ergo omne esse creatum, in divino esse originaliter et excellentissime continetur; sic omnis veritas secundorum, in divina veritate fontaliter et eminentissime comprehenditur, et in ipsa cognoscitur.

Jacob. I, 17. Quumque in Deo non sit mutatio aut vicissitudo, sed sempiterna, summa et invariabilis perfectio, constat quod quidquid intellectus divinus cognoscit, in ipso æternitatis momento cognoscit. Idcirco præterita atque futura, tanquam præsentia conspicit; et intuetur temporalia omnia, sicut nos ea adspicimus quæ in nostra geruntur præsentia.

Porro cognitio omnis fit secundum naturam et modum cognoscentis. Modus nempe agendi parificatur modo essendi : nam eamdem rem aliter cognoscit visus, aliter imaginatio, aliter intellectus, quem-

Pros. IV. admodum quinto de Consolatione philosophiæ pulchre Boetius deducit. Quumque intellectus divinus sit æternus, immaterialis, impotentialis, insensibilis, sequitur quod temporalia et tempora omnia cognoscat intemporaliter et æternaliter, materialia immaterialiter, potentialia actualiter, sensibilia insensibiliter; et simili ratione divisibilia cognoscit indivisibiliter, contingentia necessario, variabilia invariabiliter, corruptibilia incorruptibiliter, creata increate, imperfecta perfecte, vilia nobilissime atque dignissime. Et istud auctor libri de Causis et Proclus manifeste declarant. Quod autem Deus inferiora et actus humanos cognoscat, Plato in Phædone testatur, ubi adstruit animas defunctorum primum in causam portari, sicque divinitus præmiari. In primo quoque Timæi Deum invocans : Sit (inquit) hoc meis precibus comprehensum, ut ea dicantur potissimum quæ Deo placent.

Porro omnia nunc inducta, ex verbis Dionysii septimo capitulo de Divinis nominibus fulciuntur. Laudemus (inquit) Deum sicut sapientem, et sicut per se sapientiam omnisque sapientiæ substantificatorem seu fundatorem : nam Deus non solum est omni sapientia superplenus, ita quod sapientiæ ejus non est numerus, sed collocatus est super omnem rationem et mentem et sapientiam. Oportet vero nos divina adspicere statuendo nos supra nos ipsos tota virtute Deo unitos, prout scriptum est : Levabit se supra se. Divinam igitur sapientiam excedenter laudantes, dicimus quod ipsa est causa omnis mentis et rationis, omnisque sapientiæ; ipsa quoque est omne consilium, et ab ipsa omnis cognitio et providentia atque prudentia, suntque in ea absconditi omnes thesauri sapientiæ et scientiæ; omnem etiam angelicam mentem immaterialem et mundam ipsa illuminat. Mens ergo divina omnia continet, et ab omnibus segregata, omnium scientiam in se ipsa præaccepit, secundum quod ipsa est omnium causa, cuncta sciens et in esse producens. Divina namque sapientia in quantum se ipsam cognoscit, universa intelligit : materialia immaterialiter, divisibilia indivisibiliter, et multa unitive. Non enim Deus habet unam propriam sui ipsius notitiam, et aliam aliorum; sed cognitione sui, universa cognoscit : quoniam ipse secundum unam simplicem causam omnibus esse communicat. Ex his Dionysius tandem concludit, quod Deus cognoscit exsistentia, non scientia exsistentium, sed sui

Ps. CXLVI, 5. *Thren.* III, 28. *Coloss.* II, 3.

Digitized by Google

ipsius scientia : nam se ipsum contemplans, omnia intuetur quæ ab ipso sunt esseve possunt.

ARTICULUS XL.

Quod in Deo idem sunt intelligens, intellectus, species intelligibilis, intellectio et objectum.

DEUM præterea esse simplicissimam unitatem et actum purum in se ipso omnino perfectum, ex præhabitis liquet : in Deo igitur omnia unum et idem sunt quæ ad divinæ naturæ perfectionem concurrunt. Objectum autem est perfectio potentiæ, et potentia essentiæ, operatio quoque utriusque. Non enim potest essentia nullam esse sortita potentiam, neque potentia sine operatione perfecta est, secundum Dionysium octavo capitulo de Divinis nominibus. Species etiam intelligibilis ad actum intelligendi exigitur, eo quod forma sit totius operationis principium. In simplicissimo igitur Deo omnia hæc unum ac idem rite censentur. Sed considerare oportet qualiter secundum rationem distincta sunt, ut tam variis appellentur nominibus.

art. XVIII, XX.

Advertendum itaque, quia sicut Deum cognoscimus, ita divina exprimimus. Imo grossius exprimuntur quam intelligantur : secreta enim divina melius atque subtilius agnoscuntur quam explicentur, secundum Gregorium. Nostra autem agnitio a sensibilibus sumit initium. Sensibilia vero composita sunt. Porro in rebus compositis, id quod subsistit non est forma tantum, sed ex materia et forma conjunctum : tota tamen perfectio fluit a forma, quæ est quædam simplex essentia. Divinæ autem naturæ perfectio, quia in uno vel paucis repræsentari sufficienter non potuit, in multis ac variis rebus multiformiter participatur et diversimode innotescit. In rebus quoque compositis, id quod subsistit, significatur per nomen concretum, ut homo, leo, jaspis ; forma autem, quæ dat esse composito, designatur per nomen abstractum, sicut humanitas. Exprimimus ergo Deum per nomina concreta, insinuando quod ipse vere et perfecte subsistit ; per nomina abstracta quoque, innuendo quod ipse in se ipso sine diversorum unione sit perfectus et simplex. In quantum ergo Deus est persona seu res quæ agit, dicitur volens, intelligens, creans. In quantum vero est immediatum et proximum operationis principium, appellatur potentia, intellectus, voluntas. In rebus autem creatis potentia inter essentiam et operationem est media. In quantum insuper Deus se ipsum cognoscit et diligit ac vult, atque alia omnia in se, sic divina essentia nominatur objectum divinæ voluntatis et divini intellectus. In quantum vero Deus cognoscit se per se, non per similitudinem aliam vel adjunctam, sic divina essentia appellatur intelligibilis forma seu species divini intellectus. In quantum autem divina essentia in se ipsa adeo perfecta est ac dives, tanquam purissimus actus, quod non indiget per operationem a se distinctam actuari et perfici, sic ipsa dici potest operatio sua. Omnia itaque ista in Deo substantialiter identificantur, et incomparabiliter amplius quam nos valeamus concipere.

Patet ergo ex his, quod Deus per unam intelligibilem speciem, quæ est sua immensa essentia, se ipsum et alia universa cognoscit. Idcirco uno simplici æterno intuitu se ipsum et omnia simul intelligit : ea namque simul videntur quæ per eamdem speciem repræsentantur. Denique, quanto intellectus creatus altior et Deo propinquior fuerit, eo et ipse per pauciores species perfectiori modo cognoscet quam inferior intellectus. Verum, quia objectum voluntatis dicitur bonum, objectum vero intellectus verum, propterea divina essentia prout voluntatis objectum est, dicitur bonitas summa ; sed prout est intellectus objectum, dicitur veritas prima. Hæc vero quæ dicta sunt, ita sunt ve-

Digitized by Google

ra et certa, ut a philosophis et theologis A consona voce dicantur.

ARTICULUS XLI.

Quod divina cognitio varia nomina sortitur, secundum diversitatem eorum quæ sub ea cadunt et comprehenduntur.

SCIENTIA denique Dei a nostra scientia differt, quoniam ipsa est causa rerum: et ideo non diversificatur secundum diversitatem scibilium nisi secundum nostram apprehensionem. Nostra autem scientia a rebus nascitur, et secundum objecta diversa distinguitur : secantur enim scientiæ sicut et res de quibus sunt, secundum Philosophum. Dei ergo scientia quamvis in se una et simplex sit, quippe quæ aliud non est quam divina essentia, diversa accipit nomina, secundum quod ratio nostra eam ad diversa refert et comparat. In quantum ergo Deus cognoscit se ipsum, sic ejus cognitio dicitur sapientia ; in quantum vero creata cognoscit, vocatur C scientia. Unde Apostolus inter sapientiam
Rom. XI,33. et scientiam Dei distinguens, exclamat : O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei ! In quantum autem divina cognitio est eorum quæ in mundo fiunt vel sunt, dicitur visio. Sed prout est eorum quæ nec fuerunt nec sunt nec erunt, appellatur simplex intelligentia : talia equidem dicitur Deus cognoscere cognitione simplicis intelligentiæ. In quantum autem divina cognitio est eorum quæ bene fiunt, dicitur approbatio : sic enim Deus fertur D
Matth. VII, 23; XXV, 12; *Luc.* XIII,25, 27. malos nescire, quia non approbat eos. Cognitio quoque Dei prout est futurorum, nominatur prævisio ; prout est gubernandorum, dicitur providentia ; prout est faciendorum a Deo, dicitur dispositio; prout est salvandorum, dicta est prædestinatio, quæ est præordinatio alicujus ad gloriam ; prout est damnandorum, reprobatio appellatur. Hæc Magister Sententia-
dist. XXXV A, XXXVI B, XL D. rum primo libro plenius evidentiusque pertractat.

ARTICULUS XLII.

Quod in mente divina sint rerum factarum ideæ.

AUGUSTINUS in libro LXXXIII Quæstionum de ideis effari orsus : Ideas, inquit, Plato primus posuisse perhibetur. Ἰδέα autem Græce, Latine forma seu species interpretatur. Deus enim æternus et gloriosus, virtute suæ naturæ universa B producit, et luce suæ veritatis cuncta cognoscit. Itaque divina essentia prout est principium cognoscendi et producendi creata, nominatur idea rei creatæ. Unde divina essentia ut imitabilis intellecta, vocatur idea. Omne quippe creatum, aliquid divinæ bonitatis participat : sicque prout intellectus divinam essentiam apprehendit ut imitabilem seu participabilem a creatura, divina essentia nomen et rationem ideæ sortitur. Eadem ergo Dei essentia, diversarum rerum idea est, secundum quod diversimode suam perfectionem rebus communicat. Sunt enim in Deo plures ideæ, eo quod Deus omnia distincte cognoscit, et cuncta propriis rationibus efficit : alia enim ratione condidit angelum, alia hominem, alia terram. Sed hæc pluralitas divinæ simplicitati non obviat. Idea enim relationem dicit ad ideatum remque formatam : idcirco secundum distinctionem ideatorum distinguuntur ideæ. Sed sicut relatio Dei ad creata non est nisi secundum rationem in Deo, realiter vero D in creatura ; ita pluralitas idearum non ponit in Deo nisi pluralitatem rationis, in creaturis autem ponit pluralitatem realem.

De his ideis Augustinus sic ait : Ideæ sunt principales formæ seu rationes rerum stabiles et incommutabiles, quæ ipsæ factæ non sunt, ac per hoc æternæ sunt, semper eodem modo se habentes : quæ in divina intelligentia continentur; et quum ipsæ neque oriantur neque intereant, secundum ipsas tamen formatur

Digitized by Google

omne quod oriri et interire potest, et omne quod oritur ac interit. Secundum has divinæ mentis ideales rationes, totius hujus mundi instituta est molitio; secundum has, cursus rerum peragitur, elementa subsistunt, cœli feruntur, et singula propriis legibus currunt.

Hæc Augustini eloquia Platoni per omnia consonant, dempto quod Plato, ut ei imponitur, posuit formas separatas (quas appellavit ideas) et universalia ante rem. Quidquid autem sit de hoc, an ita posuit, sicut ei imponitur, et sicut verba ejus sonare videntur, hoc constat quod etiam in mente divina ideales rationes seu formas constituit. Ait nempe in primo Timæi : Operi formam dat opifex summus. Atque post ostendens et probans quod opifex primus mundum produxit, non ad similitudinem exemplaris aliunde sibi ostensi aut facti, sed secundum imitationem increatæ atque æternæ rationis seu ideæ : Certe (inquit) dubium non est, ad cujusmodi exemplum animadverterit mundani operis fundamenta constituens, utrum ad immutabile, an ad factum et elaboratum. Nam si (ut quidem est) incomparabilis pulchritudinis mundus est, opifexque et fabricator ejus optimus; perspicuum est quod juxta sinceræ atque immutabilis proprietatis exemplum, mundi sit instituta molitio. Insuper in secundo Timæi sic disseruit : At vero Deus, ut mens cujus visus contemplatioque est intellectus, idearum genera contemplatur in intelligibili mundo. Quæ ideæ sunt illi animalia, et quasi quidam fontes continentur in mente divina, in qua est mundus archetypus, idealis, exemplaris et intelligibilis, ad cujus enucleationem factus est iste mundus sensibilis. Unde secundum Platonem, mundus iste dictus est mundus, quasi purus, quoniam a mundo illo mundissimo divinæ mentis profluxit. Concludit igitur Plato, quod opifex Deus universitatis machinam fecit non secundum elaboratum exemplar, sed potius secundum suæ increatæ atque æternæ sapientiæ rationem; non aliunde instructus, neque a quoquam adjutus, eo quod ipse efficientium omnium sit utique optimus.

Huic autem concordat major auctoritas. Hinc enim in Isaia scriptum est : Quis adjuvit spiritum Domini? Aut quis consiliarius ejus fuit, et ostendit illi? Cum quo iniit consilium, et instruxit eum? Unde Apostolus : O altitudo divitiarum sapientiæ Dei! Quis prior dedit illi, et retribuetur ei? Quoniam ex ipso et per ipsum et in ipso sunt omnia. *Is.* XL, 13, 14. *Rom.* XI, 33, 35, 36.

Elucescit ergo ex his, quod duo attribuuntur ideæ : primo, quod est ratio cognoscendi alia; secundo, quod est principium productivum illius quod ejus similitudinem recipit. Ea ergo quæ fiunt a Deo, secundum utrumque horum sortiuntur ideam in Deo; quæ vero nullatenus fiunt vel sunt, nec fuerunt nec erunt, non habent ideam nisi quantum ad primum, videlicet prout cognoscuntur a Deo. Porro, secundum Thomam, individua habent proprias ideas præter ideas specierum, eo quod divina providentia usque ad individua extendatur. Genera vero non habent ideas præter ideas specierum, prout idea est principium productivum : genera namque extra species nec esse nec fieri possunt. Materia vero, quoniam esse non potest sine forma, habet quidem ideam, non tamen aliam ab idea compositi. Unde aliqui asserunt eam quasi coideatam. Similiter esse dicit de accidentibus inseparabilibus; sed accidentia separabilia dicit habere proprias ideas. Verumtamen Scotus affirmat omnino contrarium, asserens materiam, genera, accidentia, proprias habere ideas. Dicit namque quod idea sit res objective cognita : sicut itaque a Deo cognoscuntur, ita et proprias sortiuntur ideas. Verum an hoc dictis Augustini et rectæ rationi, his quoque quæ bene inducta sunt consonet, boni lectoris reservo judicio, illud postremo adjiciens, quoniam his quæ de ideis secundum Platonem

Digitized by Google

et Augustinum præhabita sunt, consentit fidelis noster Boetius, dum ait :

De Consolat. lib. III, metr. 9.

O qui perpetua mundum ratione gubernas ;
. . . . . .
Quem non externæ pepulerunt fingere causæ
Materiæ fluitantis opus, verum insita summi
Forma boni, livore carens : tu cuncta superno
Ducis ab exemplo, pulchrum pulcherrimus ipse
Mundum mente gerens, similique imagine for-
[mans, etc.

ARTICULUS XLIII.

De libertate primi entis.

LIBERUM dicitur, secundum Aristotelem, quod est causa sui. Quum ergo Deus sit maxime causa sui, quippe qui causam priorem non habet, constat quod libertas ei conveniat. Imo, quum homo ideo appelletur dominus actuum suorum quod ipse causa sui operetur, multo magis Deus excelsus et adorandus, dominus est omnium operationum suarum ad extra. Præterea, Deus immunis est ab obligatione, quæ contingit ex parte causæ materialis, et coactione, quæ est ex impressione causæ efficientis, et inevitabilitate, quæ est ex influxu causæ formalis, et auctoritate positionis, quæ est ex conditione causæ finalis : quoniam Deus nullam habet harum causarum. Est ergo omnino liberrimus. Amplius, irrationalia et naturalia aguntur et moventur, potius quam agant et moveant, quemadmodum Damascenus demonstrat : non est enim in eis agere et non agere, nec habent actus sui dominium, sed secundum naturalem instinctum impelluntur, et illum de necessitate sequuntur. Hunc autem instinctum ab auctore naturæ sortita sunt. Auctor ergo naturæ libere agit, tanquam primus institutor totius proprietatis atque naturæ in aliis. Denique sacra Scriptura Deum libere operari professa est. Ait enim Apostolus ad Ephesios : Deus omnia operatur secundum consilium voluntatis suæ.

Ephes. I, 11.

Si autem quis instet et dicat, quod quid-

A quid in Deo est, est esse divinum ; sed esse divinum, est necesse esse omnino et maxime : non ergo est liberum, neque libertas competit Deo, sed magis perfecta et pura necessitas. — Rursus, omne liberum videtur esse mutabile : potest enim agere et non agere. Deus autem incommutabilis est : non ergo est liber.

Respondendum, quod sicut esse divinum omnem perfectionem superessentiali ac supersimplici modo complectitur, sic diversa attributa ipsi conveniunt, secun-

B dum quod diversæ perfectiones in eo pensantur. Esse ergo divinum ad se ipsum relatum, non potest non esse, sed est penitus necesse esse. Verumtamen non habet necessariam dependentiam aut inseparabilem habitudinem ad creata : idcirco per comparationem ad ea dicitur liberum. Non enim de necessitate ea producit, conservat et regit, sed prorsus liberrime : nisi loquamur de necessitate hypothesis, quæ est necessitas ex suppositione. Quia enim Deus testatus est

C se velle ea conservare et regere, ideo necessarium est ea non destrui, sed in æternum manere. — Ad aliud respondendum est, quod in Deo est agere et non agere, sic quod in sua natura non est determinatus ad unum ; sed non est in eo mutatio de uno in aliud, quia quod semel dictat agendum, non omittit. Itaque, quoniam quædam invenitur necessitas quæ libertate quadam melior est atque præstantior (melius namque est non posse corrumpi, peccare, deficere, indigere, quam

D habere libertatem ad ista), et iterum quædam reperitur libertas necessitatem quamdam in dignitate præcellens (nobilius enim est secundum propriæ voluntatis beneplacitum beneficia elargiri, quam ex necessitate naturæ ; et item præstantius est producere alia sine indigentia et dependentia ad ea, quod est libere operari, quam aliter) ; ideo Deo summo atque perfecto libertas necessitasque conveniunt. Illa enim necessitas quæ ad nobilitatem

Digitized by Google

pertinet, illa quoque libertas quam dignius est habere quam necessitatem oppositam, Deo insunt et congruunt. Unde Peripatetici quidam Deum dixerunt esse liberalissimum sive largissimum, secundum illam largitatis speciem quæ magnificentia nominatur. Hæc enim virtus illi convenit, qui in optimis fluit nec deficit, eo quod omnium sufficientiam bonorum in se ipso possideat.

Sed iterum aliquis potest objicere : Omne æternum necesse est esse ; quidquid autem in Deo est, æternum est : nil ergo in Deo est liberum. Rursus, quidquid Deus creando producit, ab æterno producere disposuit : non ergo aliquid libere agit, quia si libere ageret, posset non agere quod ab æterno operari decrevit. — Et respondendum, quod operatio qua Deus omnia condidit, non est quid distinctum aut additum divinæ naturæ. Nil igitur in Deo est quod potest non esse in eo quantum ad id quod est : nihilo minus liberrime agit ad extra. Et quamvis voluntas atque propositum taliter operandi, ab æterno in Deo exstiterit, non tamen necesse est Deum talem voluntatem ac tale habuisse propositum, loquendo de necessitate absolute dicta, sed solum secundum necessitatem hypothesis. Quamvis enim voluntas creandi sit Deus volens, tamen divina voluntas ad creandum necessitatem non habet : et ergo voluntas creandi non est de necessitate in Deo, quia respectus Creatoris ad creaturas, non ponit aliquid reale in Deo ad creaturam dependens. Nullatenus enim sequitur : Deus est sua voluntas ; sed voluntas creandi est divina voluntas : ergo sicut Deus non potest non habere voluntatem, ita non potest non habere voluntatem creandi. Est enim ibi manifesta fallacia. Nam et necesse est hominem habere voluntatem ; non tamen necesse est hominem habere voluntatem cantandi aut ambulandi.

Postremo, ex dictis diligenter observandum est, quod illa necessitas ad perfectionem pertinet et libertatem excellit, quæ est in his in quibus perfectio rei consistit : ideoque libertas perfectionem concernit, quæ est circa ea quæ ad perfectionem agentis non exiguntur. Propterea necesse est Deum esse, et agere actiones proprias et immanentes, sicut se ipsum diligere atque cognoscere ; non autem necesse est eum operari ad extra, nisi ex suppositione : et ideo absolute loquendo, hoc libere convenit Deo.

ARTICULUS XLIV.

De voluntate primi principii.

REFERT Albertus super librum de Causis, quosdam præcipuorum Peripateticorum, videlicet Aristotelem, Theophrastum, Porphyrium, Avicennam atque Averroem, voluntatem in Deo negasse. Verumtamen, nisi Albertus hoc dictum suum melius profundiusque resolveret, mirabiliter satis sonaret : constat enim aliter se habere. Quemadmodum namque Aristoteles asseruit Deum se ipsum intelligere, sic dubium non est quin agnoverit atque concesserit Deum se ipsum diligere : quod est actus voluntatis. Denique ipse Albertus alibi allegat Avicennam dixisse, quod Deus in hoc comprobatur omnipotens, quia omnia agit ut vult.

Oportet ergo advertere, quod perfectiones omnium secundorum sunt in Deo per modum unitum et eminentem : imperfectio enim quæ ipsis cohæret et item diversitas, relinquendæ sunt dum Deo eas adscribimus. Quum ergo intellectuales creaturæ habeant voluntatem tanquam excellentem potentiam, liquet quia Creator voluntate non caret. Sed voluntas creaturæ diversos actus sortitur : quorum nonnulli ad imperfectionem, aliqui autem ad perfectionem pertinere noscuntur. Quia enim voluntas creata ab alia causa perficitur, ideo competit ei desiderare atque moveri : desiderat namque propriam perfectionem et movetur ad eam. Desiderare

Digitized by Google

autem et moveri, imperfectionem includunt, videlicet indigentiam et a propria perfectione distantiam. Sicut vero voluntas perfectionem nondum adeptam desiderat et ad eam movetur, sic adeptam diligit et in ea delectatur. Quumque Deus sublimis et benedictus, sit in se ipso summe simpliciterque perfectus, non competit ei perfectionem aliquam velut ab alio dandam vel datam desiderare aut ad eam moveri, sed propriam bonitatem æternaliter diligere, atque in ea incessabiliter delectari. Si ergo prædicti philosophi voluntatem in Deo negabant, non est hoc absolute intelligendum, sed de voluntate quantum ad actus primos et imperfectos.

Unde, ut narrat Albertus, quidam antiqui triplicem voluntatem posuerunt. Est enim quædam voluntas quæ dicitur appetitus imperfectus, in ratione fundatus seu deliberativus; estque rei absentis et deficientis, nec competit Deo. Alia autem voluntas, est immobilis complacentiæ in fine et optimo : quam certum est Deo inesse, cui propria bonitas invariabiliter placita est atque amabilis. Tertia quoque voluntas vocatur liber animi motor : qua dicimus, Si volo, facio illud vel illud. Quæ et ipsa in Deo exsistit, quoniam nihil eum ad operandum impellit, sed (sicut ostensum est) libere agit. Hæc autem voluntatis distinctio accipi potest, non secundum species distinctas, sed secundum triplices actus voluntatis.

Porro, quod voluntas his duobus ultimis modis in Deo sit, non est difficile demonstrare. Ostensum est enim præcedenti articulo, quod Deus libere agit : libertas vero in voluntate primo atque potissime reperitur, in ceteris vero potentiis, per redundantiam a voluntate. Denique, in quocumque invenitur cognitio, invenitur et aliquis appetitus, quoniam appetitus cognitionem assequitur. Quum ergo in Deo sit intellectualis cognitio, palam est quod in eo sit intellectualis appetitus, qui voluntas dici consuevit. Insuper, causa naturaliter suum causatum diligit et conservat ipsum, providens cui est influens. Hoc namque in omnibus cernimus : nam et bruta fetus suos fovent et protegunt. Auctor ergo universæ naturæ, qui entibus legem hanc indidit, multo amplius creata diligit, fovet, conservat : quod sine voluntate esse non valet. Præterea, quæ voluntate non fiunt, laudabilia non sunt. Si igitur Deus per voluntatem non agit, laudem de operibus suis habere non debet, nec actus ejus laudabiles sunt. Voluntatem ergo habere competit Deo nobilissimo modo; et omnis voluntas atque libertas, divinæ voluntatis et libertatis participatio quædam obscura est, a sui fontis dignitate in infinitum occumbens et distans.

Vult quoque Deus et diligit non tantum se ipsum, sed etiam creaturas, illis suam bonitatem diffundens. Propter quod in libro Sapientiæ de Deo Scriptura testatur : Diligis omnia quæ sunt, et nihil odisti eorum quæ fecisti. Non tamen diversificatur divina voluntas secundum exteriora objecta seu volita : quoniam primum et proximum atque perfectum divinæ voluntatis objectum, est bonitas increata divina, quam Deus et maxime amat et vult; et propter eam, sicut ob ultimum finem, omnia cetera diligit et vult. Non itaque Dei voluntas ab exteriori movetur objecto, sed ipsa bonitas divina est ei ratio diligendi omnia alia. Imo, quemadmodum divinus intellectus uno actu incommutabili et æterno se ipsum et cetera cuncta intelligit, ita Dei voluntas se atque reliqua universa uno actu amat et vult. Unde sicut intellectus divinus non obstante multitudine intelligibilium permanet unus ac simplex, ita de voluntate divina sentire par est.

Sap. XI, 25.

Voluntatem vero esse in Deo, Plato in Timæo et Avicebron in libro Fontis vitæ testantur : quod et sacra Scriptura tam frequenter tamque evidenter testatur, ut superfluum arbitrer specialem locum inducere.

Digitized by Google

ARTICULUS XLV.

Quod quamvis absolute necessarium sit Deum scire ac intelligere quidquid scit atque intelligit, non tamen absolute necessarium sit eum velle seu diligere quæcumque vult seu diligit.

FIT insuper inter voluntatem et intellectum talis distinctio, quod actus intelligendi completur per hoc quod intelligibile est in ipso intelligente : scientia namque habetur de rebus secundum quod B per species suas in sciente consistunt. Voluntas autem tendit in ipsam rem volitam : ideo actus volendi completur per hoc quod voluntas ipsi rei conjungitur. Quemadmodum ergo necesse est omnia idealiter seu exemplariter ac virtualiter esse in Deo, sic necesse est omnia a divino intellectu cognosci, etiam de absoluta necessitate loquendo. Sed quia, ut paulo ante clare monstratum est, divina voluntas non habet necessariam habitudinem ad creata, nec ejus perfectio exigit C ut illis uniatur vel inclinetur; idcirco creata non sunt necessario a Deo volita necessitate absoluta, sed ex suppositione. Sicut enim necesse est hominem scribere dum scribit, sic necesse est Deum velle et amare creata : quoniam dato quod ea velit et amet, non potest ea non velle aut non amare.

At vero ea quæ appetuntur, quædam appetuntur propter se, ut finis : et ista necessario appetuntur. Alia vero appetuntur propter aliud, ut media ad finem, D quæ propter finem appetuntur. Dum autem finis sine mediis talibus adipisci non valet, tunc et media ipsa appetuntur necessario sicut et finis. Si vero finis sine mediis potest acquiri, tunc media non de necessitate appetuntur, sed libere. Quum ergo divina bonitas, quæ est finis divinæ voluntatis, sit Deo æternaliter præsens, et unum ac idem substantialiter cum voluntate divina, evidens est quod divina voluntas non indiget creaturis propter sui A finis adeptionem : non ergo de necessitate vult eas, sed libere. Unde in Exodo dicit Deus : Miserebor cui voluero, et clemens ero in quem mihi placuerit. Propter quod ad Romanos ait Apostolus : Ergo cui vult miseretur, et quem vult indurat.

Exod. XXXIII, 19. *Rom.* IX, 18.

ARTICULUS XLVI.

An divinæ voluntatis possit causa seu ratio assignari; an etiam semper impleatur.

NUNC autem (ut reor) satis ostensum est, quod velle finem sit causa et ratio volendi ea quæ ordinantur ad finem. Et quidem hoc verum est in voluntate quæ finem et media diversis vult actibus, volendo unumquodque seorsum. Voluntas autem divina, ut habitum est, art. XLIV. omnia simul unoque actu vult, videlicet divinam bonitatem, quæ est omnium rerum summus ac ultimus finis, atque creata, quæ ad bonitatem divinam tanquam ad finem referuntur. Idem vero actus nequaquam est causa sui ipsius : actus ergo quo vult Deus se ipsum, non est causa actus quo vult alia, sed utrumque vult simul et actu eodem. Hoc igitur modo non potest divinæ voluntatis causa assignari. Verumtamen Deus vult unum propter aliud : ordinat enim creaturas ad se sicut ad finem. Unde Thomas in prima q. XIX, a. 5. parte dicit, quod Deus vult hoc propter hoc, sed non propter hoc vult hoc. Cujus aptum exemplum adducit de intellectu. In illo equidem intellectu qui principia (seu præmissas) et conclusiones seorsum cognoscit, notitia principiorum est causa notitiæ conclusionis; in eo autem intellectu qui utrumque simul cognoscit, assignari non valet ratio notitiæ conclusionis ex principiorum notitia, et tamen principia intelliguntur esse quasi causæ conclusionis.

Porro voluntas Dei proprie dicta, non est nisi Deus volens; potestque appellari

Digitized by Google

[illegible]

[illegible] Itaque vo-
luntas antecedens in Deo dicitur, per
quam vult Deus aliquid secundum ratio-
nem communem et primam. Sic nempe
1 Tim. ii, 4. vult omnes homines salvos fieri : nam
bonum est hoc, considerando hominem
in communi et absolute in quantum est
homo. Voluntas vero consequens nomi-
natur in Deo, per quam vult Deus rem
secundum suam rationem completam et
ultimatam : et sic non vult omnes ho-
mines salvari, [illegible] non est bonum
[illegible] sal-
vari. Sed voluntas antecedens non est
[illegible] quia vo-
luntas [illegible] quod in
se [illegible] quod
voluntas antecedens non semper imple-
tur, sed voluntas consequens semper im-
pletur [illegible] est per-
fecta et [illegible] Prima
ergo voluntas est potius [illegible] quæ-
[illegible]

3. [illegible] si-
gnum [illegible] vindicta
[illegible] vin-
[illegible] Si-
gna [illegible] quinque.
[illegible] consi-
lium. [illegible] quia
se [illegible] autem duo
signa [illegible] et operatio.
[illegible] se namque
[illegible] autem jam
[illegible] Unde
[illegible] quo est
[illegible] enim dire-
[illegible] volentis.

[illegible] transeo, eo
[illegible] ex-
[illegible] ac theolo-
[illegible] pertineant. Di-
[illegible] operis, non
[illegible] Dei natura tra-
[illegible] naturalis rationis
[illegible] confirmatio-
[illegible] testimonia in-
[illegible] naturali, quæ
[illegible] consentiatur. Un-
[illegible] modo firmanda
[illegible] voluntatis ratio
[illegible] elucescit quod
[illegible] incomprehensibilia Rom. xi, 33.
[illegible] et investigabiles viæ
[illegible] voluntas incas-
[illegible] patet ex illo quod in
[illegible] Apostolus : Vo- Ibid. ix, 19.
[illegible] resistit ? Unde et apud
Isaiam [illegible] ait : Audite me, domus Is. xlvi, 3, 10.

Digitized by Google

Jacob. Consilium meum stabit, et omnis voluntas mea fiet. Et in Jeremia : Quis similis mei? et quis sustinebit me? et quis est iste pastor qui resistat vultui meo?

Jer. XLIX, 19.

Verumtamen Augustinus testatur, quod voluntas Dei quamvis sit sæpe occulta, nunquam tamen est irrationabilis. Hoc autem non est ita sumendum, quod voluntatis divinæ sit ratio aliqua, sed quia vult unum propter aliud esse. Sic enim quosdam vult salvari, ut in eis misericordia sua resplendeat; voluitque universa creari, ut divinæ naturæ perfectio in ipsis reluceret, secundum Platonem. Quum vero divina voluntas sit prima entium causa, primæ autem causæ causa assignari non possit, hinc liquet quod divinæ voluntatis ratio dari non possit; nec tamen est aliquo modo irrationabilis vel injusta, quum realiter idem sit quod divina sapientia atque divina justitia.

Rom. IX, 23.

ARTICULUS XLVII.

An divina voluntas sit proxima causa rerum et propria.

RECITANS Albertus super librum de Causis positionem Avicebron Platonici philosophi : Solus (inquit) Avicebron primum principium per voluntatem agere dixit. Avicebron igitur in libro quem de Fonte vitæ vocavit, disseruit Deum omnia per verbum intus conceptum producere : per verbum, intelligens rationem exemplarem atque idealem. Quum autem Deus immensus sit, omnia penetrans, per cuncta incedens, atque in omnibus operans, effectus vero Dei de necessitate finitus exsistat; posuit Avicebron, quod Deus per voluntatem quasi per medium operetur, tanquam ex electione determinans hoc vel illud esse agendum. Hanc autem positionem Albertus redarguens : Mirabile (ait) videtur, quod ille nullam dictorum suorum rationem attendit; voluntas enim non potest esse primum vel proximum rei principium, sed id quod formam dat operi, videlicet intellectus.

Quidquid autem sit de reprobatione Alberti, positio Avicebron non solum rationi, sed catholicis quoque doctoribus consona comprobatur. Et quod Albertus affirmat, solum Avicebron dixisse Deum per voluntatem producere, non videtur satis perspectum. Plato enim in primo Timæi hoc adstruit. Causam enim finalem mundanæ institutionis inquirens : Dicendum, inquit, cur conditor fabricatorque universi omne hoc instituendum putarit. Optimus erat. Ab optimo porro invidia longe relegata est. Itaque consequenter sui similia cuncta, prout cujusque natura capax beatitudinis esse poterat, effici voluit : quam quidem voluntatem Dei, originem rerum certissimam si quis ponat, recte eum putare consentiam. Denique Dionysius quarto capitulo de Divinis nominibus ait, quod divinus amor non reliquit Deum sine germine esse : et loquitur ibi de productione creaturarum. Amor itaque Dei, creationis rerum exstitit causa; amor autem voluntatem concernit: voluntas ergo divina, est proxima entium causa. Insuper, secundum Algazelem Peripateticum (et idem adstruunt omnes theologi), emanatio creaturarum a Creatore convenienter assimilatur emanationi donorum a datore; largitio autem donorum, voluntatis est actio, quia ab amore procedit : creata ergo a Deo per voluntatem fluxerunt. Amplius, inter infinitum atque finitum, est infinita distantia, et nulla proportio naturalis, sed imitativa dumtaxat. Sed inter causam et effectum similitudo quædam seu proportio exigitur. Quid ergo est causa quod Creator immensus rebus dona diversa atque finita communicat, nisi quod libere agit, et quid agendum sit, in se ipso eligit et item determinat? Rationes namque et ideæ rerum, non libere sed naturaliter in Deo sunt, sicut scientia. Confirmatur quoque ista positio auctoritate Scripturæ, quæ ait : Omnia quæcumque voluit Dominus,

Ps. CXXXIV, 6.

Digitized by Google

affectus mentis divinæ : et hæc procul dubio semper, imo de necessitate expletur. Si enim tanta est omnium electorum Deo fruentium beatitudo, ut eorum desiderium sive affectus impleatur in omnibus, quanto magis divinæ mentis felicitas, quæ prorsus immensa censetur, requirit ut divini cordis affectus nunquam cassetur, sed in omnibus impleatur? Denique, cujus voluntas sic dicta non impletur, pœnam habet : non enim aliud pœna interior est nisi voluntatis renisus contra sibi contraria. Quum ergo Deus non solum impassibilis sit, sed voluptuosissima atque omnino immensa delectatione plenus, constat quod contra ejus voluntatem sic dictam nil fieri queat : semper ergo voluntas Dei proprie dicta impletur.

Verumtamen, sicut dicunt theologi, voluntas Dei est duplex, videlicet voluntas beneplaciti et voluntas signi. Voluntas vero beneplaciti ponitur duplex in Deo, videlicet antecedens et consequens, secundum Damascenum. Et sumitur ista distinctio, non ex parte voluntatis divinæ, quæ quum sit æterna, non habet prius neque posterius, sed ex parte volitorum, quæ considerari possunt dupliciter, secundum rationem communem et primam, et item secundum rationem ultimatam atque completam. Potest autem aliquid secundum primam rationem esse optabile, quod secundum aliam rationem optabile non exsistit : quemadmodum bonum est Titium vivere, prout est homo; sed non est bonum eum vivere, prout est impugnator boni communis. Itaque voluntas antecedens in Deo dicitur, per quam vult Deus aliquid secundum rationem communem et primam. Sic nempe
1 *Tim.* II, 4. vult omnes homines salvos fieri : nam bonum est hoc, considerando hominem in communi et absolute in quantum est homo. Voluntas vero consequens nominatur in Deo, per quam vult Deus rem secundum suam rationem completam et ultimatam : et sic non vult omnes homines salvari, quoniam non est bonum homines in quantum sunt peccatores salvari. Sed voluntas antecedens non est voluntas nisi secundum quid, quia voluntas fertur in rem secundum quod in se ipsa est. Dicunt ergo doctores, quod voluntas antecedens non semper impletur; sed voluntas consequens semper impletur, quoniam talis voluntas est perfecta et simpliciter dicta voluntas. Prima ergo voluntas est potius appellanda quædam velleitas quam voluntas.

Postremo, voluntas signi vocatur signum voluntatis divinæ : sicut vindicta peccati dicitur ira in Deo, quoniam vindicta in nobis est iracundiæ signum. Signa vero voluntatis divinæ sunt quinque, videlicet : præceptum, prohibitio, consilium. Et hæc non semper implentur, quia se habent sicut in fieri. Alia autem duo signa, quæ sunt permissio et operatio, semper implentur : habent se namque sicut in factum esse; quod autem jam factum est, non potest non fieri. Unde operatio est semper de illo de quo est voluntas beneplaciti. Operatio enim directe demonstrat volitionem volentis.

Sed de his superficie tenus transeo, eo quod præsentis editionis intentionem excedant, et ad supernaturalem ac theologicam inquisitionem magis pertineant. Dixi equidem in hujus exordio operis, non me velle de unius summi Dei natura tractare nisi secundum naturalis rationis indaginem : ad cujus tamen confirmationem, theologicæ veritatis testimonia introduco, quatenus rationi naturali, quæ sæpius decipitur, certius consentiatur. Unde et horum veritas simili modo firmanda est. Quod enim divinæ voluntatis ratio assignari non possit, inde elucescit quod ait Apostolus : Quam incomprehensibilia *Rom.* XI, 33. sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus! Quod vero divina voluntas incassabiliter impleatur, patet ex illo quod in eadem epistola ait divinus Apostolus : Vo- *Ibid.* IX, 19. luntati ejus quis resistit? Unde et apud *Is.* XLVI, 3, Isaiam Dominus ait : Audite me, domus 10.

Digitized by Google

Jacob. Consilium meum stabit, et omnis voluntas mea fiet. Et in Jeremia : Quis similis mei? et quis sustinebit me? et quis est iste pastor qui resistat vultui meo?

Jer. XLIX, 19.

Verumtamen Augustinus testatur, quod voluntas Dei quamvis sit sæpe occulta, nunquam tamen est irrationabilis. Hoc autem non est ita sumendum, quod voluntatis divinæ sit ratio aliqua, sed quia vult unum propter aliud esse. Sic enim quosdam vult salvari, ut in eis misericordia sua resplendeat; voluitque universa creari, ut divinæ naturæ perfectio in ipsis reluceret, secundum Platonem. Quum vero divina voluntas sit prima entium causa, primæ autem causæ causa assignari non possit, hinc liquet quod divinæ voluntatis ratio dari non possit; nec tamen est aliquo modo irrationabilis vel injusta, quum realiter idem sit quod divina sapientia atque divina justitia.

Rom. IX, 23.

ARTICULUS XLVII.

An divina voluntas sit proxima causa rerum et propria.

RECITANS Albertus super librum de Causis positionem Avicebron Platonici philosophi : Solus (inquit) Avicebron primum principium per voluntatem agere dixit. Avicebron igitur in libro quem de Fonte vitæ vocavit, disseruit Deum omnia per verbum intus conceptum producere : per verbum, intelligens rationem exemplarem atque idealem. Quum autem Deus immensus sit, omnia penetrans, per cuncta incedens, atque in omnibus operans, effectus vero Dei de necessitate finitus exsistat; posuit Avicebron, quod Deus per voluntatem quasi per medium operetur, tanquam ex electione determinans hoc vel illud esse agendum. Hanc autem positionem Albertus redarguens : Mirabile (ait) videtur, quod ille nullam dictorum suorum rationem attendit; voluntas enim non potest esse primum vel proximum rei principium, sed id quod formam dat operi, videlicet intellectus.

Quidquid autem sit de reprobatione Alberti, positio Avicebron non solum rationi, sed catholicis quoque doctoribus consona comprobatur. Et quod Albertus affirmat, solum Avicebron dixisse Deum per voluntatem producere, non videtur satis perspectum. Plato enim in primo Timæi hoc adstruit. Causam enim finalem mundanæ institutionis inquirens : Dicendum, inquit, cur conditor fabricatorque universi omne hoc instituendum putarit. Optimus erat. Ab optimo porro invidia longe relegata est. Itaque consequenter sui similia cuncta, prout cujusque natura capax beatitudinis esse poterat, effici voluit : quam quidem voluntatem Dei, originem rerum certissimam si quis ponat, recte eum putare consentiam. Denique Dionysius quarto capitulo de Divinis nominibus ait, quod divinus amor non reliquit Deum sine germine esse : et loquitur ibi de productione creaturarum. Amor itaque Dei, creationis rerum exstitit causa; amor autem voluntatem concernit: voluntas ergo divina, est proxima entium causa. Insuper, secundum Algazelem Peripateticum (et idem adstruunt omnes theologi), emanatio creaturarum a Creatore convenienter assimilatur emanationi donorum a datore; largitio autem donorum, voluntatis est actio, quia ab amore procedit : creata ergo a Deo per voluntatem fluxerunt. Amplius, inter infinitum atque finitum, est infinita distantia, et nulla proportio naturalis, sed imitativa dumtaxat. Sed inter causam et effectum similitudo quædam seu proportio exigitur. Quid ergo est causa quod Creator immensus rebus dona diversa atque finita communicat, nisi quod libere agit, et quid agendum sit, in se ipso eligit et item determinat? Rationes namque et ideæ rerum, non libere sed naturaliter in Deo sunt, sicut scientia. Confirmatur quoque ista positio auctoritate Scripturæ, quæ ait : Omnia quæcumque voluit Dominus,

Ps. CXXXIV, 6.

Digitized by Google

Ps. CXLVIII, 5. fecit in cœlo et in terra. Et iterum : Ipse mandavit, et creata sunt.

Nihilo minus Deus dicitur causa rerum per intellectum. Quamvis namque in Deo sint idem voluntas et intellectus, tamen alia ratione Deus asseritur causa rerum per intellectum, atque alia per voluntatem. Ad intellectum quippe pertinet ordinare, distinguere, voluntatem dirigere; ad voluntatem vero spectat amare, præcipere, et cognita exsequi. In quantum itaque opifex Deus creabilia in sua sapientia conspicit, distinguit atque ordinat producenda- B que dictat, dicitur causa per intellectum, *Ps.* CIII, 24. quemadmodum scriptum est : Omnia in *Ps.* CXXXV, 5. sapientia fecisti ; et rursus : Qui fecit cœlos in intellectu. In quantum vero practice cognita fieri jubet atque exsequitur, causa est rerum per voluntatem, secundum quod in libro Sapientiæ habetur : *Sap.* XII, 18. Subest tibi, quum volueris, posse. Quod autem Avicebron dixit, Deum per voluntatem quasi per medium agere, intelligi noluit quasi divina voluntas sit aliquid a Deo distinctum, sed quia secundum C rationem aliud convenit Deo secundum suam infinitatem, et aliud secundum voluntatem.

ARTICULUS XLVIII.

An primum principium sit causa rerum per esse suum seu per naturam ; et qualis sit emanatio rerum a Deo.

LICET præterea, juxta præhabita, omnes meliores philosophi universorum D machinam a Deo productam professi sint, tamen in determinando modum productionis istius a Deo, non mediocriter erraverunt. Quidam enim dixerunt productionem universi a primo, esse per modum naturalis emanationis : sicut est calor ab igne, et rivus a fonte. Alii, per modum essentialis emicationis : sicut esset effluxio lucis a sole, si sol substantialiter esset lux sua. Alii, per modum formalis generationis : sicut calor parietis naturaliter similitudinem suam in aere generat. A Alii quoque ponebant mundum esse quasi umbram quamdam lucis divinæ, eamdem naturaliter concomitantem. Contra quos Ambrosius in Hexaemeron disputat. Omnes itaque hi asserebant Deum producere per esse suum, id est per se ipsum immediate, atque per naturam, id est per necessitatem naturæ : quemadmodum splendor generatur a luce. Quod ita probabant. Omne compositum atque per aliud, reducitur ad aliquid simplex et per se. Primum ergo principium, quum sit simpliciter prima entium causa, erit causa simplex et causa per se : ergo per esse suum et secundum naturæ suæ essentialem proprietatem, causa est rerum, non per aliquid additum. Quod autem causat per esse suum et naturam, naturaliter et necessario causat. Unde prædicti philosophi dixerunt mundum ab æterno fuisse, et tamen a Deo fluxisse, quemadmodum Proclus manifeste testatur.

Sed quoniam jam satis ostensum est art. XLIII-XLVII. ante, quod Deus rerum creatarum est voluntaria ac libera causa, non est opinandum quod Deus agat per esse suum seu per naturam secundum sensum expositum, sed agit per intellectum et voluntatem, sponte atque liberrime. Quod autem dicunt, causam compositam et agens per aliud, reduci ad causam per se, verum est : et sic Deus est causa per se, quia non agit per aliquid additum vel distinctum. Nam idea et intellectus atque voluntas, realiter idem sunt quod esse divinum. Idcirco ad hunc sensum potest concedi quod Deus agit per esse suum seu per naturam, quia non agit per quidpiam a se diversum seu additum, in ipso consistens. Emanatio ergo rerum a Deo, potius assimilatur emanationi donorum a datore et artificiatorum ab artifice, quam emanationibus præinductis. Unde dici potest emanatio sapientialis et liberalis, artificialis atque spontanea : et hoc fidei consonat ac sanctis doctoribus.

Digitized by Google

ARTICULUS XLIX.

De regimine et providentia mentis divinæ.

SICUT autem Plato locutus est et Dionysio consonat, prima causa, imo et quodlibet agens, in tribus perfectum est atque idoneum ad agendum, videlicet, in scire, posse et velle : ut sit scientia non obtenebrata, potentia non impedita, et voluntas ab invidia relegata. Cui enim hæc præsto sunt, hoc utique ad omnem operationem sibi convenientem ac naturalem est efficax. Enimvero, ut ex prædictis patescit, Deus est omnium causa in triplici genere causæ. Est enim prima causa efficiens ; et est causa rerum finalis, omnia propter se operans et ad se reducens ; est quoque causa rerum formalis formans, non formata : quæ proprie dicitur causa exemplaris, ad cujus videlicet imitationem aliquid fit. Quum enim Deus dicatur ab Augustino ars æterna rationibus plena, et mundus archetypus, exemplar ac species rerum creatarum, omnia ad aliquam suæ bonitatis similitudinem faciens ; constat quod merito causa exemplaris vocatur. Est autem regere, aliquid ad suum finem dirigere. Quoniam itaque Deus omnia ad se ipsum reducit ac ordinat sicut ad ultimum finem, movens unumquodque, et singulis influens, vel mediate vel immediate, secundum dignitatem et capacitatem suæ naturæ ; palam est quod Deus omnia regit. Unde et Plato disseruit, opificem Deum cuncta fecisse, quatenus singula, secundum suam possibilitatem, divinæ beatitudinis et perfectionis forent capacia. Et hoc idem Dionysius et Augustinus testati sunt. Præterea, sicut ostendit duodecimo Primæ philosophiæ Aristoteles, entia nolunt male disponi, eo quod naturalia desideria singulorum ad debitum ac proprium finem festinent ac tendant. Naturalia autem desideria rerum, ab auctore naturæ impressa sunt. Deus ergo gloriosus et sanctus, qui est auctor naturæ, universa gubernat. Insuper, dictum atque monstratum est, quod Deus benedictus universa et singula cognoscit et diligit, tanquam omnium intellectualis et optima causa. Quod autem alia cognoscit et diligit, hoc utique providet eis, si potest et si ipsa indigent. art. XXXIX, XLIV.

Non solum ergo cœlestia, incorruptibilia et intellectualia sub divina providentia cadunt, sed inferiora quoque, et bruta ac inanimata, et singula entia quantumcumque minuta. Et in hoc Rabbi Moyses invenitur errasse, qui corruptibilia dixit non subesse providentiæ Dei nisi quantum ad species, homine dempto, quem propter splendorem intellectus asseruit providentiæ Dei subesse. Hic autem error, et veritas prædictorum, veteris atque novæ legis auctoritate ostenditur. Quod enim irrationalia etiam sub providentia cadunt, Psalmista insinuat, loquens de Deo : Qui dat jumentis escam ipsorum, et pullis corvorum invocantibus eum. Job quoque ait : Quis præparat corvo escam, quando pulli ejus clamant ad Deum, vagientes eo quod non habeant cibos ? Unde et apud Lucam ait Salvator : Nonne quinque passeres veneunt dipondio, et unus ex illis non est in oblivione coram Deo ? Et apud Matthæum : Respicite (inquit) volatilia cœli, quoniam non serunt neque metunt ; et Pater vester cœlestis pascit ea. *Ps.* CXLVI, 9. *Job* XXXVIII, 41. *Luc.* XII, 6. *Matth.* VI, 26.

Porro Epicurei providentiam rerum dixerunt non competere diis, ne pax et quietudo eorum minorationem incurreret. Opinabantur enim deos sine sollicitudine et inquietudine inferioribus providere non posse. Hunc autem errorem Platonici correxerunt, dicentes Deum cuncta regere sine habitudine, id est distractione et multiplicitate atque occupatione gravante. Propter quod Proclus ait : Omne divinum providet secundis, et ereptum est ab his quibus providetur. Ens namque divinum providet rebus per esse suum, sine habitudine seu compositione vel additione ad suum esse : ideo quietissima atque pacifica mente regit ac providet ; nec occu-

De Divin. nom. c. I, IV.

Digitized by Google

patur mundum regens, nec turbatur hunc disponens conservansque stabiliter. Unde in libro de Causis habetur : Causa prima regit res omnes præter quod commisceatur cum eis. Quod est quoniam regimen non debilitat unitatem ejus : quia causa prima est fixa, stans cum unitate sua pura semper, eo quod sit bonitas per esse suum. Ideo est agens verum et regens verum, faciens res per finem decoris. — Verumtamen providentia divina necessitatem rebus nequaquam imponit, sed regit unumquodque secundum dispositionem et exigentiam suæ naturæ : idcirco non impedit semper malorum eventum, sed contingentia et variabilia regit sicut capacia sunt.

Advertendum autem, quod ad providentiam pertinent duo, videlicet dispositio et exsecutio. Quantum ad primum, omnia immediate sub providentia cadunt, sicut et immediate cognoscuntur a Deo ; quantum vero ad secundum, Deus regit et providet inferioribus per superiora : oportet namque hunc mundum contiguum esse lationibus superiorum, ut tota ejus virtus inde gubernetur. Quoniam tamen divina providentia omnia comprehendit, præsertim quantum ad dispositionem ordinis rerum, propterea in Job habetur : Quem constituit alium super terram ? aut quem posuit super orbem quem fabricatus est ? Ubi Gregorius dicit : Mundum per se ipsum regit, qui eum per semetipsum condidit. Denique, sic perfecte et speciose Deus mundum gubernat, quod nullum inordinatum relinquet inordinatum, sed sua justitia reparabit per pœnam quod inordinatum erat per culpam. Imo nec mala permitteret fieri, nisi sciret, vellet et posset ex eis bona elicere. Postremo, quod ait Apostolus, Numquid cura est Deo de bobus ? non est ita intelligendum quod boves et bruta extra providentiam divinam consistant, sed quia propter se ipsa non curantur a Deo, sed propter aliud : ordinantur namque ad hominem. Vel, ut Thomas affirmat, hoc ideo ait Apostolus, quoniam actus talium rerum non cadunt sub ratione meriti vel demeriti. Simili modo exponendum opinor quod ait B. Hieronymus super Michæam, Deum non curare de pulicibus atque similibus.

Job XXXIV, 13.

I Cor. IX, 9.

ARTICULUS L.

De omnipotentia Dei et immensitate divinæ potentiæ.

PORRO Deus, qui purus actus perhibetur, passivæ potentiæ admixtionem non patitur : non est ergo in Deo nisi activa potentia. Hæc quoque in Deo excelso eatenus perfecta ac plena est, ut vere omnipotens appelletur. Quidquid enim in Deo est, divinæ identificatur essentiæ. Sicut ergo divina essentia infinita est simpliciterque perfecta, ita divina potentia est prorsus perfecta et vere immensa. Denique, sicut operatio proportionatur potentiæ, et sequitur eam, fluens ex ea, sic potentia proportionatur essentiæ eamque consequitur : nobilior enim et plenior atque perfectior essentia, excellentiorem vigorosioremque sortitur potentiam. Quum igitur, juxta præhabita, divina essentia sit infinita, incircumscripta, incomprehensibilis et æterna, palam est talem quoque divinam esse potentiam. Præterea, si divina potentia non est immensa, erit finita : finitum autem infinito in infinitum inferius et minus exsistit. Si itaque divina essentia exsistente immensa, divina potentia asseratur finita, sequitur divinam potentiam in infinitum esse divina essentia inferiorem atque minorem : quod absurdissime sonat. Quo autem activa potentia fuerit major, eo in plura potest, et plura ejus causalitati subduntur. Quum ergo infinita potentia omnem finitam potentiam infinite incomparabiliterque excedat et vincat, constat quod infinities plura atque majora facere potest quam quæcumque finita potentia. Imo nec potest in tot, quin possit in infinities plura. Si autem hoc ita se habet, tunc utique

art. XXIV et 8.

Digitized by Google

Deus omnipotens est, et omnipotentia ejus est sua essentia. Unde, quemadmodum divina essentia nostri intellectus capacitatem atque notitiam in infinitum transcendit, ita divina potentia nostræ rationis investigationem et cognitionem infinite exsuperat. Incomparabiliter ergo plura et imperscrutabiliter mirabiliora potest efficere, quam nos possimus concipere. Ideo Augustinus : Demus (inquit) Deo aliquid posse facere, et nos non posse intelligere.

Vanissimi igitur censendi sunt, qui divinam potentiam limitare præsumentes, dicunt Deum aliter operari non posse quam agit, nec immutare posse solitum entium cursum naturalemque legem. Imo hoc totum falsissimum est, et Deus gloriosus et fortis in infinitum plura majoraque potest, quam nos vel cogitare vel effari possimus. Propterea, secundum suam absolutam potentiam posset omni momento novum mundum creare, imo et hunc mundum destruere. Et si aliqua sunt quæ dicuntur non posse fieri, sicut corpus infinitum, hoc non est ex impotentia Dei, sed rerum. Naturæ enim creatæ, non sunt capaces omnium ad quæ divina potentia se extendit quantum in se est.

Porro, si Deus omnia potest, oportet ut objectum divinæ potentiæ sit esse, seu ens simpliciter atque communiter sumptum : et hoc verum est. Nam quum Deus sit prima et universalissima causa, oportet ut proprius ejus effectus sit aliquid in rebus creatis primum et universalissimum : hoc vero est esse. Et ideo in libro de Causis habetur : Prima rerum creatarum est esse, nec est in creaturis latius ipso. Omnis autem potentia perfecta, ad universa extenditur quæ sub suo objecto proprio continentur. Quidquid itaque fieri potest, id est, cuicumque ratio entis non repugnat, Deus facere potest. Nihilo autem, seu non esse, secundum quod tale, repugnat ratio entis. Similiter, contradictorie oppositis, et omnibus quæ contradictionem includunt seu implicant, ipsum esse repugnat. Propterea dicitur Deus non posse facere ut non ens sit, vel contradictoria simul sint vera. Melius tamen et verius dicimus talia non posse fieri, quam Deum non posse ea facere : quia quod fieri nequeunt, non est ex impotentia divinæ virtutis, sed propter entium incapacitatem, ut ait Albertus.

Insuper, quum Deus sit purus actus, idcirco divina potentia est mere activa nullatenusque passiva. Tria ergo a divina potentia excluduntur, secundum Thomam in Summa contra gentiles ; et idem dicit Albertus : videlicet privativa, mala ac materialia. Omnia enim hæc passivam potentiam in eo esse requirunt in quo ipsa consistere possunt. Et ideo Deus non potest se ipsum corrumpere, aut velle non esse, aut mentiri, peccare, comedere, dormire, aliud esse induere, neque similia quæ nobilitati ac dignitati divinæ potentiæ derogant : quæ (ut arbitror) contradictionem veraciter implicant. Quodcumque enim istorum dicatur Deus posse, sequitur ipsum Deum non esse : quoniam sequeretur eum non esse perfectum et simplicem, et quo dignius cogitari non potest ; quo dato, sequeretur eum non esse Deum, sicut ostensum est. Deus itaque omnia potest quæ posse, est simpliciter posse et vera nobilisque potentia. Si vero dicatur aliquid non posse, accipitur ibi posse potius pro non posse quam pro posse, videlicet quoniam talia posse, non pertinet ad præclaram et actualem potentiam, sed ad defectum potentiæ, vel ad potentiam determinatam et incompletam : ut posse sanari, posse illuminari, irasci, juvari ; quæ omnia summæ derogant potestati.

lib. II, c. 25.

art. VI.

Omnipotentiam insuper Dei philosophi quoque agnoverunt. Aristoteles namque Agathonem philosophum laudat, quoniam nil a divina exclusit potentia, nisi impossibile fieri. Et Avicenna asserit, quia primum principium in hoc atque idcirco appellatur omnipotens, quoniam omnia potest quæ vult et sicut vult, nil habens potentialitatis admixtum. Quod sacra etiam

Digitized by Google

Scriptura copiose fatetur. Scriptum enim est in Genesi : Ego Dominus omnipotens ; ambula coram me, et esto perfectus. Et apud Jeremiam : Domine Deus, ecce tu fecisti cœlum et terram in fortitudine tua magna ; non erit tibi difficile omne verbum : fortissime, magne, potens, Dominus exercituum nomen tibi. Unde et Archangelus dixit : Quia non erit impossibile apud Deum omne verbum.

Gen. XVII, 1. *Jer.* XXXII, 17, 18. *Luc.* I, 37.

Postremo patet ex dictis, quod naturali ratione demonstrari possit Deum esse omnipotentem : ideoque opinio dicentis, quod omnipotentia Dei persuaderi potest, non demonstrari, non reputatur conveniens.

Cf. t. XX, p. 578 D'.

ARTICULUS LI.

Confirmatio prædictorum de omnipotentia Dei, ex verbis Dionysii, Augustini et Anselmi ; de potentia quoque Dei absoluta et ordinata.

AMPLIUS, de divina virtute orsus effari divinus Dionysius octavo capitulo de Divinis nominibus : Quoniam (inquit) Divinitas segregatur ab omnium virtute, quomodo laudant eam theologi sicut virtutem ? Dicimus ergo quod Deus est virtus, tanquam omnem virtutem in se supersubstantialiter habens et continens, et per suam inflexibilem immobilemque virtutem universa producens, et tanquam infinitæ virtutis exsistens : eo quod virtus ipsius universa excedens, inexcogitabilis sit, ineffabilis et ignota, pervenitque ad omnia, et salvat ac perficit ea, et participatur ab omnibus. Nihil enim exsistentium privatur omni virtute. Quod namque nullam habet penitus virtutem, nulla erit ipsius positio : nam si omni caret virtute, nullam habebit operationem, et per consequens vanum erit et frustra. Omne ergo exsistens sortitur virtutem, aut intellectualem, ut angeli ; aut rationalem, ut homines ; aut sensualem, ut bruta ; aut vegetabilem, ut plantæ ; aut naturalem, ut inanimata. Et ex divina virtute emanant deiformes ornatuum angelicorum virtutes. Concludens igitur Dionysius : Laudamus (ait) Deum sicut potentem, sicut omnipotentem, sicut in sua æterna potentia dominantem, et sicut omnia exsistentia præhabentem et superhabentem secundum suam superessentialem virtutem, et exuberanti effusione largientem omnibus exsistentibus posse esse et esse ac omnia, secundum abundantissimam plenitudinem suæ virtutis omnia excedentis.

Denique Augustinus in Soliloquio Deum fiducialiter alloquens : Omnipotens (inquit) manus tua, Domine, una semper ac eadem, creavit in cœlo angelos, et in terra vermiculos, non in illis superior, neque in istis inferior. Quemadmodum enim nulla alia manus angelum, sic nulla posset creare vermiculum ; sicut nulla cœlum, ita nulla minimum arboris folium, sed omnipotens manus tua, cui pari modo omnia sunt possibilia. Nec enim possibilius tibi est creare vermiculum quam angelum, nec impossibilius extendere cœlum quam folium, nec difficilius fundare terram super aquas, quam fundare aquas super terram ; sed omnia quæcumque voluisti, sicut voluisti, fecisti in cœlo et in terra, in mari et in omnibus abyssis.

Matth. XIX, 26. *Ps.* CIII, 2. *Ps.* XXIII, 2. *Ps.* CXXXIV, 6.

Porro Anselmus in Proslogion : Quomodo, inquit, omnipotens Deus est, si omnia non potest ? ut si non potest corrumpi, nec mentiri, nec facere verum esse falsum. An hæc posse non est potentia, sed impotentia ? Nam qui hoc potest quod sibi non expedit et quod non debet, quanto magis hoc potest, tanto magis adversitas et perversitas possunt in illum et ipse minus contra illas. Qui ergo sic potest, non potentia potest, sed impotentia : non enim dicitur ideo posse quia ipse potest, sed quia sua impotentia facit aliud in se posse. Multa enim improprie dicuntur : sicut dum ponimus esse pro non esse, et facere pro non facere. Dicimus enim sæpe ei qui aliquid negat, Sic est quemadmodum dicis esse ; quum magis

Digitized by Google

proprie videatur dici : Sic non est, quemadmodum dicis non esse. Item dicimus, Iste sedet, sicut ille facit; vel, Iste quiescit, sicut ille facit : quum sedere sit quoddam non facere, et quiescere sit nihil facere. Sic utique quum quis dicitur habere potentiam faciendi vel patiendi quod sibi non expedit aut quod non debet, impotentia intelligitur per potentiam. Tanto ergo Deus est magis vere omnipotens, quo minus aliquid per impotentiam potest et nihil contra se potest. — Hæc autem verba Anselmi Dionysio consonant, qui octavo capitulo de Divinis nominibus illud soluturus quod objiciebat Elymas magus Paulo apostolo, qui ait ad Timotheum, II *Tim.* II, 13. Deus se ipsum negare non potest : contra quod Elymas institit, dicens, Si Deus se ipsum negare non potest, non est omnipotens. Hoc ergo Dionysius soluturus : Si hanc (inquit) instantiam solvo, timeo ne tanquam puer deridear, in eo quod studeam ædificia infirma super arenam fundata dissolvere. Verumtamen breviter solvens, dicit : Quum Deus sit veritas, negatio Dei est casus a veritate : ergo non ad potentiam, sed ad impotentiam pertinet.

Oportet demum postremo advertere, quod in Deo ponitur duplex potentia, videlicet ordinata et absoluta. Quamvis enim in Deo sint idem, sapientia, voluntas atque potentia; tamen sapientia sumitur tanquam dirigens, voluntas ut imperans, potentia tanquam exsequens. Ideo, quod pertinet ad divinam potentiam secundum se consideratam, dicitur Deus posse absoluta potentia : et hoc est omne id quod continetur sub potentiæ divinæ objecto, quod est ens, seu esse communiter dictum. Unde omne illud in quo ratio entis potest salvari, potest Deus de potentia absoluta. Quæ vero attribuuntur divinæ potentiæ, seu ad eam pertinere dicuntur in quantum exsequitur imperium voluntatis juste sapientialiterque jubentis, illa potest Deus ordinata potentia. Multa potest Deus primo modo quæ secundo modo non potest : quoniam multa subsunt suæ potentiæ quæ non congruunt suæ justitiæ et sapientiæ. Posset tamen ea facere congruentia, ut aliqui asserunt; sicque posset ea simpliciter.

ARTICULUS LII.

Quomodo misericordia et justitia in Deo sunt.

AB exordio hujus editionis frequenter dictum recordor, quemadmodum esse divinum simplicissimum perseverans, omnem perfectionem cum infinita plenitudine continet; et quod omnipotens ac sapiens Deus idcirco machinam mundi compegit, quatenus divinæ bonitatis perfectio in creaturis luceret : quæ quia propter suam eminentiam, in una rerum specie vel paucis sufficienter in entibus participari atque lucere non valuit, institutæ sunt multæ species ac varii ordines rerum, ut unoquoque aliquid divinæ perfectionis participante, omnia simul Creatoris perfectionem excellentius declararent. Porro misericordia atque justitia sunt præclaræ virtutes. De justitia enim testatur Philosophus, quod nec Hesperus, nec Lucifer est ita mirabilis. Sed et Cicero Julium laudans : Nulla, inquit, in virtutibus tuis admirabilior gratiosiorque invenitur quam misericordia. Et idem Augustinus nono de Civitate induxit. Hæ ergo virtutes in divina natura consistunt, quemadmodum de sapientia et voluntate præhabitum est. Et quoniam hæ virtutes in Deo sunt, voluit Deus eas in creaturis relucere, quædam operans per misericordiam, quædam autem per justitiam. art. XI, XX, XXIV. art. XXVII, XL. art. XLIV, XXXIX.

Est autem misericordia in Deo, non prout passio animæ speciesque tristitiæ, scilicet alienæ miseriæ quædam compassio. Dicitur namque misericors, secundum Damascenum, quasi cor miserum habens : quod beatissimo Deo non competit. Rursus, misericordia prout est virtus moralis prædictæ passionis ordinatrix, non est proprie in Deo, sicut nec passio talis.

Digitized by Google

Verumtamen est in Deo, dignissimo et excellentissimo modo, quantum ad suam radicem, ex qua omnis effectus pietatis et misericordiæ effluit. Ideo aliqui dicunt, quod sit in Deo non secundum passionis affectum, sed ratione effectus, eo quod Deus miserorum infirmitati subveniat, inopiam suppleat, necessitudines relevet : sicque per modum compatientis se habet, ideoque misericors nuncupatur. Quantum ergo ad id quod perfectionis in virtute misericordiæ continetur, dicenda est misericordia esse in Deo.

Porro, secundum Macrobium, justitia in Deo, est observatio legis æternæ in suis operibus. Et ut ait Anselmus, dupliciter dicitur aliquid justum in Deo : primo, quoniam decet eum ; secundo, quia meritum creaturæ id exigit. Unde in Proslogion ad Deum loquens : Domine, inquit, dum punis malos, justum est, quia illorum meritis congruit. Item, dum misereris et parcis malis, justum est, quoniam bonitatem tuam decet. Tanta nempe est bonitas Dei, ut justum sit eam quibusdam indignis misereri et parcere, quamvis illorum vita et merita pœnam mereantur et iram. Quomodo autem justitia consideretur in Deo, Dionysius octavo capitulo de Divinis nominibus plene ac pulchre insinuat : Deus, inquiens, dicitur justus, tanquam universis distribuens secundum singulorum congruentiam et commensurationem et pulchritudinem et ornatum ac ordinem. Divina namque justitia omnia ordinat et terminat, et singula a singulis incommixta et inconfusa custodit, et omnibus prout capere queunt, distribuit. Et in hoc declaratur esse vera justitia, quod cujusque rei naturam salvat in proprio ordine et virtute ac specie.

Quamvis itaque non sit in Deo commutativa justitia, quæ circa commutationes humanas, videlicet emptionem ac venditionem, versatur ; est tamen in Deo justitia distributiva, per quam unicuique secundum propriam dignitatem capacitatemque influit. Sed quia justitia in æqualitate consistit et debitum respicit, mirum apparet quomodo esse dicatur in Deo respectu creaturæ : quum inter Deum et creaturas nulla exsistat æqualitas, nec Deus alicujus sit debitor, quippe qui ad nihil aliud ordinatur, neque ad aliud extra se dependentiam sortitur. Et respondendum, quod in Deo, apud quem non est personarum acceptio, consideratur æqualitas quantum ad hoc quod nulli minus confert quam meretur et dignus est. Non autem oportet inter eos inter quos invenitur justitia, esse omnimodam æqualitatem, sed aliquam proportionem : aliter inter regem et servum non posset attendi justitia. Quamvis etiam proprie Deus nulli sit debitor, præsertim quum nostra merita cunctaque bona, ejus sint dona ; nihilo minus dicimus Deum rebus debitam perfectionem vel gratiam juste largiri, dum præstat rebus quod eis naturaliter competit : nam talis perfectio rebus est debita per comparationem ipsarum ad proprios fines. Præterea, in Deo idem esse dicuntur veritas atque justitia. Omnia namque quæ nunc justitiæ sunt adscripta, ad divinam pertinent veritatem, quoniam veritas Dei est causa, mensura ac regula rerum. Idcirco ipsius est in rebus congruentem instituere ordinem, stabiliterque conservare eumdem : quod est justitiæ actus, sicut ostensum est.

Ephes. VI, 9 ; *Coloss.* III, 25 ; etc.

Postremo pensandum, quod communicatio donorum divinorum attribui solet quandoque divinæ bonitati, quandoque misericordiæ Dei, interdum liberalitati, vicissim quoque justitiæ. Et quamvis in Deo omnia ista sint idem, tamen propter rationes diversas fit istud. Nam communicatio bonitatum absolute considerata, adscribitur bonitati divinæ ; in quantum vero præstatur secundum proportionem dignitatis capacitatisque rerum, ad justitiam pertinet. In quantum autem Deus beneficia sua largitur non suæ sed nostræ utilitatis intuitu, communicatio ista liberalitati tribuitur ; in quantum vero nostram miseriam inopiamque depo-

Digitized by Google

nit, ad misericordiam pertinere censetur.

Quomodo autem in omni opere Dei misericordia justitiaque concurrunt, de prædestinatione quoque et præscientia, atque de præsenti materia, plura hic loqui non decet, quoniam naturalis rationis forum transcendunt, et ad theologicam supernaturalemque sapientiam pertinent. Hoc tamen breviter commemorandum opinor, quod quum Dei justitia et misericordia ejus sit ipsa divina essentia, ideo sicut divina essentia omnem rationem et investigationem in infinitum excedit, po- B
Ps. xvii, 12. nens tenebras latibulum suum, tanquam
I Tim. vi, 16. inaccessibilem lucem inhabitans; sic divina justitia, misericordia quoque divina, quum utraque sit vere immensa, omnem intellectum creatum et omnem perscrutationem ipsius sine mensura excedit et
Ps. xxxv, 7. superat. Propter quod judicia Dei dicuntur abyssus multa. Quis enim, ut de ceteris taceam, quis (inquam) mirari sufficiat, cur in primordiali rerum productione, quam nulla merita præcesserunt, Deus sapiens atque omnipotens uni rei majo- C rem perfectionem dederit quam alteri, tam in essentialibus quam in accidentalibus?

ARTICULUS LIII.

De beatitudine et infinita delectatione ac sincerissima voluptate supergloriosissimi et superbeatissimi Dei.

EX omnibus porro potentiis rerum factarum, non nisi intellectus atque voluntas Deo conveniunt. Hæ namque D potentiæ nobilissimæ sunt, et in operatione ipsarum beatitudo consistit : præsertim in actione intellectus, secundum Philosophum decimo Ethicorum, ubi in speculatione optimi speculabilis felicitatem contemplativam constituit. Estque major et certior Salvatoris auctoritas, qui
Joann. xvii, 3. ad Patrem loquens : Hæc est (inquit) vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum.

Felicitas itaque essentialiter in actu intellectus consistit, quum intellectus sit nobilissima virtus, secundum philosophos. Voluntas enim secundum se comparatur tyranno; et nisi ab intellectu regatur, in omne malum præcipitat. Quanto itaque actio intellectualis perfectior fuerit atque nobilior, tanto beatitudo et delectatio consequens plenior erit et major. Perfectio autem intellectualis operationis ex tribus præsertim dependet, videlicet, ex nobilitate potentiæ, ex dignitate objecti, et ex modo unionis, seu forma intelligibili per quam potentia intellectiva agit et objectum suum cognoscit ac perspicit. Quo nempe potentia fuerit dignior et objectum sublimius ipsaque intelligibilis species plenius repræsentans objectum, eo utique operatio intellectiva perfectior erit et nobilior, delectabilior atque felicior. Ostensum est autem superius, quod intellectus divinus art. xxiv et s., xl. est substantialiter infinitus, et quod ejus objectum adæquatum ac proprium, non est nisi divina essentia, quæ et ipsa vere est incircumscripta; quod item Deus cognoscit se per se, sic quod intelligibilis species divini intellectus est divina natura. Quum itaque omnia ista in Deo benedicto infinita consistant, et ipse divinus intellectus divinam essentiam plenissime comprehendat atque cum infinita limpiditate intueatur et clare perspiciat, constat quod beatitudo mentis divinæ sit vere immensa, et delectatio Dei gloriosi sit penitus infinita.

Gaudium quippe, secundum Albertum, est diffusio animi in conceptione apprehensioneve boni. Quum ergo Deus excelsus et felix se ipsum contemplans, videat se esse infinitam et puram simpliciterque perfectam bonitatem, certum est quod se ita conspiciens, infinito gaudio delectetur in semetipso : præsertim quum id quod est, ab alio nullo receperit, sed de propriis independentibusque divitiis gloriose exsultet. Considerans nempe Deus æternus se ipsum, videt se a se ipso esse quod est, ideoque nullius egere, sed omnia reliqua, ejus beneficiis incessabiliter indi-

Digitized by Google

gere; videt se in se in omni nobilitate cum infinita plenitudine perfectissimum esse; adspicit se immensæ pulchritudinis, immensæ sapientiæ, immensæ potentiæ, immensæ dignitatis ac sanctitatis exsistere; inspicit se universa creata interminabili exaltatione transcendere. Quum ergo omnia ista in se ipso perspiciat, nonne voluptuosissimo, et (ut sic loquar) tempestuosissimo ac impetuosissimo gaudio prorsus exuberat, atque lætitia mentis intensive et vere immensa redundat atque abundat?

Præterea, delectatio voluntatis ex fruitione amati et possessione boni concupiti oriri censetur; et quanto quis aliquid amplius diligit vehementiusque concupiscit, tanto in illius adeptione, possessione ac fruitione intensius atque sublimius gloriatur. Deus autem propriam bonitatem, quum sit immensa, infinita dilectione amat. Quanto igitur ea perfectius fruitur et plenius possidet eam, tanto copiosius jucundatur. Quum igitur Deus, et ipse solus, propriam bonitatem perfecte comprehendat, ipse solus ea perfecte fruitur, et sempiternaliter possidet eam tanquam sibi consubstantialem. Unde quemadmodum bonitas ejus immensa est, ita et beatitudo et delectatio ejus sunt quomodolibet infinitæ; quantoque infinitum majus est omni finito, tanto beatitudo mentis divinæ omnem felicitatem creatam excedit. Ineffabilis itaque et inexcogitabilis et incomprehensibilis est beatitudo Dei sublimis et adorandi, omnem sensum inæstimabiliter superans, omnemque mentis creatæ capacitatem infinite transcendens; omni creato intellectui inexperta, et soli divino intellectui nota: ita quod sicut comparatione divinæ essentiæ, omnis creata natura quasi nihilum reputatur et sicut inane; sic comparatione divinæ beatitudinis, omnis creata felicitas videtur velut tristitia et tanquam defectus. Propter quod ad Timotheum ait Apostolus: Beatus et solus potens, Rex regum et Dominus dominantium.

Is. XL, 17.

1 Tim. VI, 15.

Insuper, quanto forma denominans aliquid, vicinius intimiusque conjungitur illi, tanto habens formam illam, perfectius perhibetur in ordine illo. Idcirco ignis est maxime calidus, quoniam calor ei est intimus; et sol quoque simili ratione est maxime lucidus. Verumtamen ignis non est suus calor, nec sol suus splendor. Si autem ignis esset suus calor, sol quoque proprius splendor, quis ferret eorum calorem atque splendorem? Itaque, quanto beatitudo menti beatæ intimius et inseparabilius copulatur, tanto perfectius denominat eam et feliciorem efficit ipsam. Quum ergo Deus sanctus ac simplex, sit nedum beatus, sed etiam essentialiter propria beatitudo, palam quod ipse omnibus modis incomparabiliter sit beatus, cunctis beatior, et beatissimus prorsus. Beatitudo namque est operatio optima et perfecta, secundum Philosophum. Quum ergo solus Deus propter incomprehensibilem suam simplicitatem sit idem quod operatio sua, neque dicatur agens seu operans propter aliquid a se distinctum atque egrediens, sed sicut omnem actualitatem complectens; liquet quod solus Deus sit substantialiter felix. Idcirco secundum se totum beatus est atque totaliter felix; nec est aliquid in eo quod non sit interminabilis et incircumscriptibilis et incomprehensibilis beatitudo, sed quidquid in eo est, id omnibus modis est infinita hilaritas, illimitata jucunditas, voluptas sempiterna, æternaliter plena, vicissitudinem non admittens, mensuram, modum ac terminum nesciens. Deus enim sublimis et benedictus, simplicissimus finis est, objectum et gloria. Cui idem est esse quod perfectum esse, quod beatum esse, quod divitem esse: quoniam ejus perfectio est sua essentia, ejus quoque beatitudo est sua natura, et ejus divitiæ sunt sua substantia.

In horum contemplatione, o frater dulcissime, nos vehementer gloriari oportet; et tanto vehementius, quanto Deum nostrum præ omnibus diligere debemus to-

Digitized by Google

talius atque calidius. Ipse enim in se ipso omnino gloriosissimus est, sicut qui vere est pulchritudo infinita, lumen immensum, sanctitas incircumscripta, dulcedo æterna, pax quietissima, supersubstantialis essentia, vita perfecta, omniumque bonitatum plenitudo intermina.

Postremo, beatitudo divina omnis felicitatis plenitudinem vere et intellectualiter comprehendit. Nam quidquid vel in vera vel in falsa felicitate desiderabile est aut bonum apparet, hoc Deus vivus et verus, in suo superessentialissimo esse perfecte et vere complectitur : quoniam de contemplativa felicitate, habet sui ipsius et omnium quæ sunt vel esse possunt perfectam notitiam. De felicitate vero activa, habet totius mundi gubernationem liberrimam. De beatitudine quoque terrena et falsa, quæ in divitiis et voluptate, potestate et fama quæritur atque locatur, habet pro divitiis, omnium bonorum et pulchrorum sufficientissimam possessionem : per quam dicitur esse dives in se, sicut nullo indigens; et dives in alios, tanquam omnibus providens. Pro voluptate autem habet gaudium de se ipso, et delectationem de universis suis effectibus. Unde Scriptura testatur : Sit gloria Domini in sæculum; lætabitur Dominus in operibus suis. Porro pro potestate habet omnipotentiam atque infinitam virtutem. Pro fama autem habet omnis creaturæ admirationem. Divitiæ ergo, voluptas, potestas et fama in Deo vere et intellectualiter sunt; in aliis vero false et inordinate quæruntur. Idcirco in solo Deo quærendæ consistunt.

II *Cor.* VIII, 9. II *Mach.* XIV, 35. *Rom.* X, 12; *Sap.* XIV, 3. *Ps.* CII, 31.

ARTICULUS LIV.

De supersplendenti lumine atque luciflua claritate divinæ essentiæ.

LUX denique appellatur, quod obscura visibilia efficit, quod tenebrosa illustrat, quod opaca clarificat. Quum ergo Deus benedictus et gloriosus, incorporea atque corporea suæ bonitatis effusione perficiat, nihilique abyssum sua omnipotenti virtute ad esse deduxerit, quum insuper sine ejus bonitatis communicatione omne creatum tenebrosum exsistat; constat quod ipse veraciter lumen dicatur : cujus utique luminis, omne sensibile lumen imperfecta et diminuta resonantia debilisque participatio exstat; intellectuale vero intellectualium hypostasium lumen, præsertim supercœlestium animorum, evidentior atque perfectior participatio perhibetur lucis divinæ.

Præterea, omnes simplices bonitates, cujusmodi sunt esse, vivere, intelligere, etc., quid aliud sunt nisi lumina quædam? Carentia autem eorum, peccata quoque et non esse, omnisque defectus et omnis privatio, quid aptius nominantur nisi tenebræ quædam? Esse namque et vivere ac intelligere, bonitatesque similes, reddunt unumquodque visibile sive corporaliter sive intellectualiter. Cetera vero quæ dicta sunt, actum sortiuntur oppositum. Quoniam igitur omne esse et vivere, omne quoque intelligere, omnisque forma et bonitas creata ac simplex, ex sincerissimo et superpurissimo divinæ essentiæ fonte originaliter profluxerunt; carentia vero bonitatum istarum, et non esse atque defectus, rebus nequaquam conveniunt prout a Deo emanant, sed secundum quod ab ipso distando occumbunt : quum (inquam) sit ita, certissime liquet, quod Deus sanctus et potens, convenientissime lumen vocetur.

Joann. VIII, 12.

Est ergo divina essentia lux summa et plena, lux æterna atque immensa, lux supersplendidissima et superpulcherrima, lux utique quæ in se ipsa infinita claritate resplendet, lux pura, in qua nullæ sunt tenebræ, nulli defectus, nullusque terminus lucis; lux demum superdelectabilissima, supergaudiosissima et superbeata, quæ omnem lucem creatam, sensibilem ac intelligibilem, incomparabili puritate transcendit, infinita limpiditate excedit, et superessentiali ac superignoto splendore

I *Joann.* I, 5.

Digitized by Google

exsuperat. O lux amabilissima, desiderabilissima, deliciosissima, quanta sinceritate in te ipsa refulges, quanta claritate omnia æternaliter et invariabiliter conspicis, quam vere ac intensive infinita delectatione perfrueris, quam jucundissimam vitam ducis, quam stabili securitate, libertate ac nobilitate ornaris, quam consummata perfectione subsistis!

Porro Dionysius quarto capitulo de Divinis nominibus, ostensurus cur Deus excelsus et sanctus lumen nuncupetur : Solis (inquit) radius ex bono est, id est ex divina bonitate emanans. Propterea bonum seu Deus laudatur nomine luminis, propter assimilationem lucis cum bono divino. Quemadmodum enim Deus universa illustrat, nec aliquid (in quantum in se est) participatione suæ bonitatis destitutum relinquit, sed omnibus supereminens, singulorum capacitates adimplet, et unicuique prout meretur et dignum est, bonificos radios influit, et cuncta perornat; sic sol iste sensibilis, qui divinæ bonitatis evidens est imago, omnia visibilia luminis sui diffusione clarificat, ornat et complet, atque unicuique secundum quod capere potest, radios luciformes infundit. Insuper Dionysius : Tractemus, ait, quomodo bonitas divina intelligibile lumen vocetur. Quod utique ideo dicitur, quoniam ipsa omnem supercœlestem intellectum intelligibili lumine implet, et ab animabus quibus ingignitur, omnem ignorantiæ fæcem repellit, et omnibus secundum quod capere queunt, sanctum lumen infundit : quibus gustantibus lucis infusæ dulcedinem, atque accensis ac magis optantibus, bonitas divina copiosius emicat et abundantius superfulget ac amplius tradit, quoniam dilexerunt multum. Bonitas itaque divina lumen intelligibile appellatur, tanquam radius fontanus in se ipso coassumens et superhabens et præhabens omnem dominationem illuminativæ virtutis, tanquam superexcedenter et principaliter lucens, omnesque illuminatos superfuso radio congregans atque concordans. Quemadmodum enim ignorantia est divisiva ab invicem deceptorum et in errorem labentium, sicut in hæresum multitudine patet : ita præsentia luminis intelligibilis desuper fusi, est coadunativa et illuminativa eorum qui illud recipiunt; est quoque perfectiva et conversiva eorum a multis opinionibus ad vere exsistens; variasque visiones, vel potius phantasias inanes, ad unam, veram, mundam et uniformem notitiam colligens, speculatoresque suos unitivo lumine implens.

Porro Augustinus de hac luce divina affectuosissime loquens, ait : O lumen verum, lumen sanctum, lumen delectabile, lumen admirabile et supermirabile, quod illuminas oculos angelorum, quod non nisi a purgatissimis cordibus videri potes! Beati mundo corde, quoniam ipsi videbunt te. O lux quam non vidit alia lux, lumen quod non videt aliud lumen, lux quæ obtenebras lucem, cujus comparatione omne lumen est tenebra, cui omnes tenebræ lumen, cui omnis obscuritas lux! *Matth.* v, 8.

ARTICULUS LV.

An lux, splendor, lumen et radius proprie Deo conveniant, vel potius transumptive seu metaphorice.

HANC insuper quæstionem, videlicet an lux proprie esse dicatur in spiritualibus, S. Thomas super secundum Sententiarum inducit, eamque absolvens : Videtur, inquit, inter Sanctos esse diversitas, an lux verius esse dicatur in spiritualibus, vel in corporalibus. Dionysius namque, et sequens eum Ambrosius, asserunt quod lux in spiritualibus metaphorice dicitur. Ait enim Dionysius quarto capitulo de Divinis nominibus, quod Deus dicitur lux ex eo quod in solis radio propter ipsius causalitatem, maxime appareret divinæ bonitatis similitudo. Et Ambrosius in libro de Fide, inter ea quæ transumptive de Deo dicuntur, annumerat lumen atque splendorem. Augustinus vero *dist.* XIII.

Digitized by Google

sentit oppositum; sed prima positio videtur Thomæ verior esse, eo quod lux sit forma qualitasque sensibilis : unde in spiritualibus non est per naturam, sed per proprietatem. Lucis enim proprietas est tenebrosa manifestare, et hoc spiritualibus potius quam corporalibus com-
Joann. i, 9. petit. Deus igitur dicitur lux vera, quantum ad id a quo similitudo accipitur, non autem quoad lucis naturam : quemadmo-
Ibid. xv, 1. dum dicitur vitis vera. Tamen magis proprie dicitur Deus lux vera quam vitis vera.

Hæc est B. Thomæ responsio. Et quidem si hoc mihi constaret, quod magni atque divini Dionysii mens fuisset asserere quod lux Deo non convenit nisi transumptive, nequaquam præsumerem aliter affirmare. Tanta quippe est ejus auctoritas apud me, ut in nullo scienter velim ejus doctrinæ obsistere. Verumtamen, quoniam nondum hoc evidens habeo, expedit hujus pulchræ quæstionis veritatem ex Dionysii libris diligentius perscrutari.

Videtur nempe Dionysius, si verba ejus rite pensentur, Deo et angelis lucem proprie atque potissime ubertim adscribere. Denique, quarto capitulo de Divinis nominibus, post præinducta in præcedenti articulo verba, in quibus rationem exposuit cur Deus lumen vocetur, mox addit, quod ob eamdem causam laudatur sicut pulchrum et sicut pulchritudo pulchrificans omnia. Et istud Dionysius manifeste in textu prosequitur, asserens Deum dici pulchrum juxta similitudinem et significantiam radii solis, qui omnibus inferioribus pulchrificas luminis distributiones immittit: et istud in sequenti articulo plenius explanabo. Si ergo (ut Thomæ apparet) ideo lumen de Deo metaphorice dicitur, quia Deo adscribitur juxta similitudinem lucis solaris, tunc pulchritudo seu pulchrum non nisi metaphorice Deo conveniet. Hoc autem est manifeste contra Dionysii intentionem. Nam sicut ipse docet moxque pandetur, bonum et pulchrum convertuntur; et sicut omnia appetunt bonum, ita et pulchrum. Unde secundum similem rationem laudatur Deus ut bonum atque ut pulchrum.

Præterea, primo Angelicæ hierarchiæ capitulo Dionysius dicit : Ergo Jesum invocantes, qui est paternum lumen, quod est, quod verum est, quod illuminat om- *Joann.* i, 9. nem hominem venientem in hunc mundum, per quem ad principale lumen Patrem accessum habemus. In his Dionysius Jesum appellat lumen paternum (id est a Patre progenitum), et lumen verum. Patrem quoque nominat principale lumen, non quod sit Filio major, nisi secundum naturam assumptam. Jesus ergo est vera lux, et Pater æternus principale est lumen. Quamvis autem solvi possit hoc, et dici quod Filius dicitur lux paterna et vera, absque hoc quod dicatur lux per naturam; non tamen videtur rationabiliter solvi posse cur Pater principale lumen nominetur, nisi quod essentialiter et a se ipso lumen est. Principale namque quasi principium dicitur. Principale ergo lumen non est nisi quod in universitate ac ordine omnium luminum principatum sortitur primatumque obtinet, ita quod ipsum primo atque potissime lumen dicatur.

Præterea, Dionysius in epistola ad Doro- *Epist.* v. theum diaconum docet, quod lux divina propter suæ claritatis excessum, plenitudinem et superexuberantiam, caligo vocatur. Deus ergo non solum dicitur lux per proprietatem, videlicet propter effectum seu aliorum manifestationem, sed propter propriæ claritatem essentiæ, ita quod ipsa divina essentia substantialiter sit lux infinita et claritas superplenissima. At vero ea quæ Deo transumptive conveniunt, non adeo proprie ei conveniunt ut propter excessum negentur de ipso, sed propter defectum. Quæ autem proprie Deo conveniunt, secundum Dionysium per excessum negantur de ipso. Quoniam etenim lapis, vitis, agnus, leo, transumptive affir- *Ephes.* II, 20; I *Cor.* X, 4; *Joann.* XV, 1. 5; I, 29, 36; *Apoc.* V, 5. mantur de Deo, ideo non negantur de ipso propter excessum, sed propter defe-

Digitized by Google

ctum. Non enim dicimus, Deus non est leo, Deus non est lapis, propter excessum seu abundantiam leonitatis et lapiditatis in eo, sed propter defectum : imo verius magisque proprie negantur de Deo quam affirmentur de ipso, etiam dum solum inquiritur atque asseritur de Deo quia est. Sed quæ proprie Deo conveniunt, per excessum auferuntur de ipso : quemadmodum primo capitulo de Divinis nominibus, ultimo quoque Mysticæ theologiæ capitulo, Dionysius adstruit, quod Deus non est mens neque intellectus, nec ratio nec sapientia, nec bonum nec bonitas, nec Deus nec divinitas. Quum ergo sacratissimus Dionysius neget seu auferat lumen de Deo propter excessum, dicens quod Deus est caligo, id est privatio lucis, quemadmodum alia prædicta de ipso negavit, palam est quoniam eo modo quo illa Deo proprie essentialiterque conveniunt, lumen quoque seu lux proprie sibi conveniat. Non ergo metaphorice, sed vere et proprie, imo primo atque verissime enuntiatur de Deo.

Amplius, in toto processu librorum Dionysii, tam de Angelica quam de Ecclesiastica hierarchia, Dionysius actiones hierarchicas in tribus constituit, scilicet in purgatione, illuminatione et perfectione. Hæ vero actiones ad lumen proprie pertinent. Purgatio namque, illuminatio et perfectio si active sumuntur, ad lumen pertinent ejus qui aliis lumen infundit. Nam lumen infundendo, primo mentem a dissimilitudine minorationeque lucis purgat; sicque purgatam illuminat, et illuminatam continuo perficit. Hæ namque actiones non semper realiter distinguuntur, ut asserit Thomas et verum est, sed ratione tantum quandoque. Si vero operationes istæ passive sumuntur, respiciunt lumen ejus qui ab illuminatore influentiam recipit. Tam proprie ergo et vere lumen convenit Deo et angelis, quam vere et proprie actiones hierarchicæ ipsis conveniunt : quæ utique, secundum Dionysium, propriissime atque verissime competunt eis.

His demum sacra Scriptura, cujus auctoritas omni rationi silentium imponit, favet et consonat. Ait enim Joannes in prima sua Canonica : Deus lux est, et tenebræ in eo non sunt ullæ. Quid est autem hoc, Deus lux est, et tenebræ in eo non sunt ullæ, nisi, Deus est lux pura? Et quid est, Deus est lux pura, nisi quia eatenus natura lucis convenit Deo sublimi et sancto, quod nihil de natura luci contraria congruit sibi? quod non esset, nisi multum proprie lux diceretur de Deo. Unde et iterum de Christo habetur : Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem. Cur autem de Joanne Baptista præhabitum est, Non erat ille lux, nisi quoniam Christus vere et substantialiter lumen est? Nam et Joannes utique lumen erat per proprietatem, secundum quod Christus Apostolis loquens : Vos (inquit) estis lux mundi.

I Joann. I, 5.

Joann. I, 9.

Ibid. 8.

Matth. V, 14.

Postremo, responsio Thomæ non appareret satis resoluta sibique ipsi consona. Nam super secundum Sententiarum testatur, expositionem Augustini de operibus sex dierum esse subtilem et bonam. Sed hoc dici non potest, nisi lux proprie in spiritualibus esse dicatur : quod etiam Thomas fatetur. Aliter namque expositio Augustini non esset litteralis, sed mystica : quia per lucem intelligit naturam angelicam, per diem vero ejus notitiam. Quum ergo Thomas nunc dicat positionem Ambrosii aptiorem, nunc vero id asserat ex quo sequitur Augustini positionem esse veram, non videtur sibimet consonus. Verumtamen hoc satis faciliter solvi potest, et dici, quod et verum est, scilicet quod Thomas non multum asserendo dicit quod dicit. Ideo namque respondens : Videtur (inquit) positio Ambrosii verior. Sed in hoc ei consentire non audeo (propter præhabita) quod dicit Dionysium id dixisse, quod lux non nisi metaphorice spiritualibus convenit.

dist. XII.

Nihilo minus Dionysius dicit, quod Deus laudatur ut lumen sicut per imaginem in qua veritas lucet. Quod sic intelligo : Deum laudamus sicut eum cognoscimus;

De Divin. nom. c. IV.

Digitized by Google

nostra autem cognitio ex sensibilibus originatur : unde ex proprietate lucis sensibilis, primo cognoscimus quomodo Deus laudetur ut lumen. Nihilo minus natura lucis bene et proprie considerata, Deo benedicto proprie competit. Propter quod primo capitulo de Cœlesti hierarchia Dionysius ait, quod non est nobis possibile aliter splendere divinum radium, nisi sensibilibus formis multipliciter circumvelatum.

Insuper, non est necesse concedere, quod lumen secundum totum ambitum suum sit forma qualitasque sensibilis; sed hoc de lumine illo quod nostræ cognitioni primo occurrit, est verum. Nam et sapientia atque justitia, in rebus creatis, ex
Rom. 1, 20. quarum notitia invisibilia Dei cognoscuntur, sunt qualitates : nihilo minus Deo proprie competunt, non secundum quod qualitates sunt, sed quia ad perfectionem sic pertinent, quod melius est eas habere, absolute loquendo, quam non habere. Proinde propria actio luminis non est visibilium manifestatio, sed illuminatio : quæ in spiritualibus maxime reperitur.

ARTICULUS LVI.

Prædictorum confirmatio ex verbis Augustini, Anselmi et Hugonis.

EA insuper quæ Deo transumptive conveniunt, prius et potius de creatura quam de ipso dicuntur, sicut et Thomas testatur. Nam esse vitem vel agnum seu petram, prius magisque proprie sensibilibus rebus convenit, quam incorporali ac simplici Deo. Si ergo lux transumptive convenit Deo, tunc magis proprie atque per prius convenit creaturis quam ei. Hoc autem prædictis verbis Augustini non convenit, quibus ait, quod Deus est lux cujus comparatione omne lumen creatum est tenebra. Ergo lucem esse, excellentissime competit Deo. Denique idem ait
Job XXV, 5. Gregorius super illud in Job : Ecce luna non splendet et stellæ non sunt mundæ in conspectu ejus. Et certe videtur sacra Scriptura innuere, quod splendere ac lumen esse, tam proprie et eminenter conveniat Deo, ut aliis quæ multum splendida reputantur, divini splendoris comparatione non competat.

Præterea, quidquid simpliciter loquendo melius est habere quam non habere, id vere et proprie competit Deo in omni nobilitate perfecto. Et ista est regula Anselmi in Monologion atque in Proslogion. Sed melius est esse lumen quam non esse lumen. Ergo lumen proprie convenit Deo. Et hoc quoque Anselmus apertius contestatur. Dum namque probasset, quod Deus est major qui cogitari possit, protinus addit, quod tale bonum est inaccessibile lumen.

Præterea Hugo super Angelicam hierar- *cap.* 1.
chiam : Deus, inquit, est lumen per naturam; creatura vero non est lumen nisi per gratiam. Quod autem per naturam competit, vere et proprie seu essentialiter congruit.

Quidam vero Thomam sequentes dicunt, quod si nomine luminis proprie et secundum primam suam impositionem utamur, non nisi transumptive convenit Deo; si autem eo utamur prout est in usu loquentium, sic proprie Deo et spiritualibus convenire censetur. Sed istud parum valere videtur : quia si usus loquentium non est irrationabilis neque improprius, tunc uti non debent nomine luminis nisi prout veram lucis naturam designat. Nec iterum sequitur, si nomen luminis primo impositum est ad significandum formam sensibilem, quod ideo spiritualibus proprie non conveniat. Nam primi philosophi, qui inter sensum et intellectum non distinxerunt, nomen cognitionis ad designandum sensitivam cognitionem primo instituerunt. Nihilo minus vere cognito quid sit cognitio, conceditur quod cognitio magis proprie convenit cognitioni intellectuali ac spirituali quam exteriori atque sensibili. Simili modo, dum vere cognoscimus quid sit lucis natura, puta quod sit quæ-

Digitized by Google

dam forma sive essentia cujus proprius actus est illuminare et lucidum facere; concedimus quod lux Deo et spiritualibus proprie convenit, quamvis ad hanc lucis naturam cognoscendam, ex sensibilis lucis notitia primo occasionem sumpserimus.

ARTICULUS LVII.

De pulchritudine summæ naturæ et speciositate divinæ essentiæ.

RERUM præterea visibilium pulchritudo in duobus consistit, videlicet, in debita habitudine seu convenienti proportione partium inter se et ad totum, et item in congrua superfusione coloris aut luminis partes corporis informantis ac decorantis. Spirituales autem substantiæ, partes non habent, neque colorem aut lucem sensibilem. Earum igitur pulchritudo in debita operatione et recto intellectus judicio est ponenda. Operatio namque se habet ad operantis essentiam sicut membrum ad corpus; et intellectualis cognitio sic operationem venustat atque illuminat, quemadmodum lumen sensibile seu splendidus color corporalia membra aut corporis partes. Quum ergo superius declaratum sit, quod actio Dei, præsertim immanens, sit sempiterna et Deo convenientissima, connaturalis, consubstantialis et superjucunda, quod item cognitio intellectus divini sit incessabilis, splendidissima, omniumque cum infinita limpiditate atque incommutabili sinceritate intuitiva; patescit quod Deus excelsus et felix, sit pulcher et vere pulcherrimus atque incomparabilis pulchritudinis.

art. LIII, XXXIX.

Denique, pulchrum vocatur quod visui placet. Quum ergo Deus sublimis et sapiens, sit in se ipso bonitas infinita, omnium bonorum perfectionem simplicissime possidens, sine cujus omnipotenti virtute atque bonifica manutenentia nil esse vel bene esse potest, imo quum Deus sit veritas prima et sapientia increata, a qua omnis est veritas et illuminatio atque cognitio; constat quod ipse omni interiori visui intellectualium creaturarum bene dispositarum, summe ac optime atque incomparabiliter placet, tanquam summe conveniens eis. Merito igitur Deus laudatur ut decorus et superpulcherrimus. Imo, quum bonitas Dei nulli menti creatæ in tantum placeat placereve possit ut digna est, nec tam perfecte et certe innotescat sicut cognoscibilis est, sed soli divino intellectui perfecte et plene complaceat et innotescat; palam quod divina essentia per comparationem ad intellectum divinum, sit infinitæ pulchritudinis et immensi decoris : et ideo adspicit Deus omnipotens semetipsum sicut bonum superpulchrum, et sicut pulchritudinem superessentialem ac vere prorsusque immensam. Unde et Deus placet sibimetipsi complacentia infinita, et in hoc possidet ipse beatitudinem sempiternam, independentem, perfectam ac propriam.

Denique, quæ lucidiora et puriora apparent, pulchra vocantur. Nunc autem ostensum recordor, quod Deus est non solum lucens et purus ac splendidus, sed etiam quod ipse est lux æterna, incircumscripta, perfecta, et quod esse divinum, est substantialiter lumen immensum; item, quod Deus non solum est purus ac simplex, sed unitas simplicissima et puritas omnimode impermixta. Deus ergo est lumen essentialiter purum et pure immensum, vel potius lux puritatis immensæ, et puritas lucis interminæ. Liquet ergo quod Deus non solum sit pulcher et superpulcher atque pulcherrimus, sed quod sit pulchritudo substantialiter pulchra, speciositas infinita, ad intuendum jucunda, ad perfruendum suavis, ad possidendum deliciosa.

art. LIV. art. XX, XXXV, XXVIII.

At vero, quidquid excellentiæ in creaturis exsistit, Creatori cum incomparabili exaltatione atque immensa eminentia convenit. Mundus vero, ut in primo Timæi Plato testatur, speciosissimus est et incomparabili pulchritudine adornatus, quemadmodum ordinem partium ejus et universi principales partes singularumque

Digitized by Google

ornatus sapientialiter contemplanti elucescit. Nonne igitur opifex mundi, Creator altissimus, in infinitum in sua natura pulchrior, speciosior, splendidior atque præclarior merito perhibetur? Nonne pulchritudinem ejus sol et luna et omnia astra juste mirantur, id est, mirari nos faciunt, quia opificem suum multo se pulchriorem demonstrant? Nonne in comparatione pulchritudinis divinæ, omnis pulchritudo creata velut turpitudo apparet, et quasi deforme vilescit, ita ut non sit ei respective decor vel species?

Contemplemur ordinem siderum, claritatem stellarum, planetarum decorem, solis splendorem, lunæ candorem, cœlorum ornatum, colligantiam elementorum, species rerum, singulorum harmoniam, corporum formationem, formarum perfectionem; et miremur, si possumus, pulchritudinem causæ omnium horum. Sed ista nunc dicta in nostro prospectu sunt, et quum nec ea explicare queamus, quantum in divinæ pulchritudinis admiratione deficeremus, si invisibilium animorum essentias, si supernorum spirituum hierarchias, si supercœlestium intellectuum species specialissimas, soli Creatori (secundum Damascenum) cognitas, si omnium spiritualium creaturarum ornatus ac ordines agnosceremus! Vere præ admiratione non remaneret in nobis vigor aut spiritus. Merito ergo canit Psalmographus:

Ps. xxv, 8. Domine, dilexi decorem domus tuæ, et locum habitationis gloriæ tuæ. Quis nempe est decor domus Dei, nisi ipsemet Deus? Quemadmodum per Isaiam domui

Is. lx, 19. Domini dicitur: Non erit tibi ultra sol ad lucendum per diem, nec splendor lunæ illuminabit te; sed erit tibi Dominus in lucem sempiternam, et Dominus tuus in gloriam tuam. Quemadmodum et in Apo-

Apoc. xxi, 23. calypsi scriptum est: Civitas non eget sole neque luna, quoniam claritas Dei illuminabit eam.

Porro veritas horum, ex verbis principis theologorum quarto capitulo de Divinis nominibus, claret. Laudatur (inquit) divina bonitas ut pulchrum et ut pulchritudo. Pulchrum autem et pulchritudo in creatis differunt sicut effectus et causa, sed in Deo sunt idem. In creaturis namque pulchrum appellamus quod pulchritudine participat; pulchritudo autem est ipsa participatio primæ pulchritudinis omnia pulchrificantis. Deum autem alia ratione pulchritudinem esse asserimus, puta quia ipse cuncta pulchrificat secundum uniuscujusque proportionem; causatque universalem omnium harmoniam et claritatem, et omnia ad se vocat et congregat. Pulchrum autem dicitur Deus, sicut superpulchrum et totaliter pulchrum ac superpulcherrimum; nec uno respectu pulchrum et alio turpe, nec huic pulchrum et non illi, sed tanquam ipsum secundum se ipsum, cum se ipso semper exsistens uniforme pulchrum, habensque in se ipso excedenter formam pulchritudinis omnis pulchri. Omnis etenim pulchritudo omneque pulchrum, uniformiter atque causaliter præexsistunt in supersubstantiali ac simplici omnium pulchrorum natura; et ex pulchro et propter pulchrum sunt omnium concordiæ et amicitiæ ac uniones, et cuncta pulchro participant. Propter quod pulchrum est omnium causa efficiens atque finalis, omnia continens et ad pulchritudinem finaliter movens: nam causa pulchri omnia fiunt. Estque pulchrum causa exemplaris universorum in Verbo, quoniam omnia secundum ipsum determinantur. Unde elicitur, quod idem est pulchrum et bonum, eo quod omnia desiderent pulchrum et bonum, neque sit aliquid exsistentium quod non participet pulchro et bono. Hucusque Dionysius.

Propterea quoque Thomas prima parte affirmat, quod bonum et pulchrum sunt idem secundum rem, sed ratione distincta sunt. Bonum namque vocatur in ordine ad appetitivam potentiam: quoniam bonum est quod omnia appetunt. Pulchrum vero nominatur in ordine ad vim cognoscitivam: nam pulchrum censemus quod visui placet.

q. v, a. 4 ad 1um.

Digitized by Google

ARTICULUS LVIII.

De superexuberanti et supersuavi dulcedine bonitatis divinæ.

SICUT igitur bonum dicitur in ordine ad appetitum, et pulchrum in ordine ad visum; sic dulce dicitur quantum ad gustum : unde quod in sua natura tale est ut gustum oblectare queat, dulce perhibetur. Gustus vero objectum est sapor, quemadmodum visus, lumen vel color. Sed gustus et sapor est duplex. Est namque gustus exterior : cujus objectum est sapor sensibilis, qui est qualitas materialis. Unde et cibus qui corporeo gustui bene convenit, dulcis vocatur. Est quoque gustus interior, in intellectu seu voluntate consistens, imo idem cum eis : cujus objectum est sapor internus; a quo sapientia nomen sortitur, quoniam sapientia a sapore imponitur, et quasi sapida scientia interpretatur.

Porro menti id dulcius sapit quod amplius diligit. Sapor igitur qui interioris objectum est gustus, est veritas cognita in quantum amata, vel bonitas amata secundum quod cognita : quia nec veritas sapit nisi ametur, nec bonitas sapit nisi noscatur. Quanto itaque veritas exstat sublimior et convenientior, bonitasque copiosior atque nobilior, tanto ex sua natura dulcior delectabiliorque consistit, imo et menti dulcius sapit, delectabiliusque eam oblectat, nisi fuerit ex parte mentis defectus, videlicet quia sensibilibus rebus immergitur, aut vilibus delectationibus jucundatur. Ait namque Avicebron in libro Fontis vitæ, quod carnales et bestiales delectationes, a contemplationis sinceritate atque dulcedine summe impediunt. Et in libro de Causis habetur, quod unusquisque prout dignus et capax est recipere ex influxibus bonitatis primæ causæ, secundum hoc recipit inde; in quantumque recipit ex primo principio, tantum delectatur in eo. Sed et omnis passio animæ, præsertim acedia, timor, tristitia, rancor, A contemplationem et internæ dulcedinis gustum impediunt. Necesse enim est mentem contemplativam, esse quietam et liberam, amorosam ac mundam : recipiens quippe oportet proportionari recepto.

Quanto igitur veritas divina, quæ est veritas exemplaris, fontalis ac prima, quanto item bonitas Dei, quæ est bonitas summa, æterna, perfecta ac infinita, omnem veritatem ac bonitatem creatam (quæ utique est finita) transcendit, tanto præ B omnibus creaturis Deus verus et vivus in se ipso dulcis delectabilisque consistit; et menti creatæ tanto fit dulcior, quanto plus se studet ad ejus receptionem ac gustum disponere. Dissimilium etenim unio, inconveniens et innaturalis censetur : velut si quis aurum luto conjungat ac misceat. Necesse est ergo mentem creatam, divinam dulcedinem gustare optantem, Deo assimilari, id est deificari : quatenus sicut ille simplex et stabilis, sanctus, purus ac justus est, ita et ipsa satagat se C a multis abstrahere atque ad unum verum bonum colligere, studeatque constans et sancta ac justa exsistere, et interioris exercitationis amore ac divinæ bonitatis affectu, cuncta sensibilia, prout possibile est, transcendere atque relinquere. Tunc utique, si in istis stabilis manserit, tanta Dei dulcedine contemplando ac diligendo implebitur, quod vere experietur et sciet quantum dulcedo intellectualis, divina, interna, delectationem sensualem, ignobilem, corporalem excedit; et demum D clamabit cum Sancto : Gustate et videte quoniam suavis est Dominus. *Ps.* XXXIII. 9.

Porro lumen suave est oculis. Quis igitur explicet quam dulcis est Deus, qui est naturaliter lux infinita, a quo omne lumen creatum, intellectuale et materiale in infinitum occumbit? Quam dulcis utique est Creator noster omnipotens, qui rebus parvis et infimis tantam suavitatem impressit, qui melli suam dulcedinem indidit, qui vino saporem suum infudit, qui oleo suavitatem exhibuit, qui aromatibus *Eccle.* XI, 7.

Digitized by Google

cunctis, virgultis et herbis, cinnamomo ac balsamo odores suos donavit! Et ecce, mi frater amantissime, super omnia ista Dominus Deus noster incomparabilis dulcedinis est, et sine mensura gratior atque suavior. Nonne ergo, dilecte mi, justum et item dignissimum putas, ut corda nostra ei mundemus atque illibata servemus, timorate et affectuose in ejus præsentia conversando?

Denique, Anselmo testante, harmonia, odor, sapor, pulchritudo et lenitas, divino et ineffabili modo in Deo sunt; et utique quidquid delectationis, quidquid complacentiæ atque dulcedinis in creaturis hæc continent, hoc in Creatore, ignotissimo et superessentialissimo et superperfectissimo ac superverissimo modo includitur. Sed quis capiat quomodo in simplicissimo esse divino omnia ista comprehendantur, nisi qui, Deo præstante, utcumque experiri meretur?

ARTICULUS LIX.

De desiderabilitate et amabilitate divinæ bonitatis.

BONUM igitur est appetitus objectum; et quanto aliquid melius fuerit, tanto nondum adeptum, est desiderabilius, adeptum vero amabilius. Nunc itaque excitemus animas nostras, o optime frater, et erigamus intellectum nostrum, et cogitemus quantum valemus, quale et quantum sit summum bonum substantialiter pulchrum, quamque appetibile, et quam ardenter amandum. Nempe, ut ait Anselmus : Si singula bona delectabilia sunt, cogitemus intente quam delectabile sit illud bonum quod continet jucunditatem omnium bonorum, non talem qualem sumus in creaturis experti? sed tanto differentem, quanto differt a creatura Creator. Si enim bona est vita creata, quam bona est vita creatrix? Quid ergo vagaris per multa, o homo, quærendo bona? Ama bonum in quo sunt omnia bona, et sufficit. Desidera simplex bonum, quod est omne bonum, et satis est.

Unde Dionysius quarto capitulo de Divinis nominibus : Omnibus (inquit) desiderabile et amabile et delectabile est pulchrum et bonum divinum; et ipsum est universorum principium, forma exemplaris et finis, quoniam ex ipso, per ipsum et in ipso sunt omnia. Vocant autem theologi Deum diligibilem atque amabilem : quod vere est, quia omnibus appetibilis. Et in quantum ipse aliis amorem ingignit ac imprimit superessentiali et universali sua appetibilitate, moveri dicitur; sed prout ipsemet est ipsa appetibilitas, omnium per infinitatem pulchritudinis et amabilitatis attractiva, movere perhibetur, sicut et adamas ferrum attrahens et quiescens, movere asseritur. Item moveri dicitur Deus, in quantum per bonitatem suam est sui ipsius ad exsistentia adductivus, id est, prout procedit in actum; movere vero dicitur Deus, in quantum est motivus rerum et reductivus earum ad se ipsum. *Rom.* XI, 36.

Elucescit ergo patenter, quod Deus benedictus, qui solus naturaliter, substantialiter, quomodolibet atque totaliter bonus est, tanto (quantum possibile est) præ omnibus desiderari et diligi debet, quanto ipse omnibus melior est atque præstantior, ditior atque perfectior; et quum ipse sit bonitas superessentialis, pura atque immensa, incomparabili super omnia est appetendus affectu, calidissimo concupiscendus fervore, fervidissimo amplectendus amore, affectuosissimo constringendus amplexu, diligentissimo tenendus venerandusque cultu. Quidquid enim in creaturis sparsim et diminute ac finite invenimus amabile, hoc in Domino Deo nostro collectim et perfecte atque cum infinita plenitudine reperimus. Si sapientiam quærimus et veritatem amamus, nonne Deus noster est sapientia increata, æterna, perfecta, in qua omnia idealiter splendent, invariabiliter manent, ex cujus sapientiæ splendidissimo fonte omnis cre-

Digitized by Google

ata sapientia, scientia atque notitia originem sumpsit? Si divitias quærimus, nonne in ipso est omnium bonorum perfecta possessio, omniumque pulchrorum incomprehensibilis plenitudo? Nonne causa prima est dives in se, et dives in aliis? Et quæ ejus divitiæ, nisi lux pura, vita æterna, beatitudo completa, et omnium quæ cogitari et appeti queunt, plenitudo omniformiter vere immensa? Porro, si honorari, exaltari, dominari, famari et jucundari optamus, cur non humiliamur sub eo, deserviendo ei fideliter qui semetipsos vilipendentes honorat, qui se humiliantes exaltat, qui obedientes principes facit, qui nesciri amantes famosos constituit, qui lugentes lætificat?

Imitemur igitur ardentem Dei amatorem gloriosissimum Augustinum, et dicamus cum eo, sicque vivamus ut digne
Ps. XVII, 2. cum eo dicamus : Diligam te, Domine, virtus mea; diligam te, ineffabilis exsultatio mea, et vivat jam non mihi sed tibi tota vita mea. Idcirco enim jussisti mihi in
Deut. VI, 5. lege tua, ut diligam te toto corde, tota anima, tota mente, et ex omnibus viribus meis, atque ex omnibus medullis cordis mei, omnibus horis et momentis quibus fruor bonis et beneficiis tuæ pietatis. Sicut enim nulla hora aut nullus punctus est in omni vita mea quo beneficiis tuis non utor, sic nullum debet esse momentum quo te non habeam ante oculos meos et in memoria mea, et te non diligam ex omni fortitudine mea. Omni enim momento ad te amandum me obligas, qui tua beneficia mihi incessabiliter præstas. Verum qui ista implere conatur, indiget omnem inordinatum amorem abjicere, et quidquid Dei dilectionem minuit, propulsare.

ARTICULUS LX.

De superessentiali et infinita sanctitate mentis divinæ.

SANCTITAS insuper, secundum Dionysium duodecimo capitulo de Divinis nominibus, taliter definitur : Sanctitas est munditia ab omni immunditia libera, et perfecta et penitus immaculata. Cui autem hoc tam plene et proprie competit sicut Deo? Deus enim altissimus, essentialiter lumen est et puritas, et quidquid in eo est, infinita et immutabilis atque sempiterna munditia est. Ipse ergo est sanctus, et Sanctus Sanctorum, et sanctitas ipsa, omnis creatæ sanctitatis principium, finis atque mensura. Denique, sanctitas in actu intellectus et voluntatis consistit. Quemadmodum ergo divinæ sa- *Ps.* CXLVI, 5.
pientiæ nullus est numerus, et sicut divini amoris nullus est terminus; ita divinæ sanctitatis nullus est finis. Imo Deus gloriosus et felix, est superincomprehensibilis et supersplendidissima infinitaque sanctitas, quum divina essentia sit lux immensa ac pura, intellectualis, vitalis, et omnis creatæ munditiæ origo fontana. Et adeo sanctus et purus est Deus æternus, ut omnes nostræ justitiæ, *Is.* LXIV, 6.
per comparationem ad sanctitatem mentis divinæ, appareant quasi pannus menstruatæ, quemadmodum Isaiæ sexagesimo quarto scriptum est. Unde et alius, quamvis eximie sanctus, imperfectum suum considerans, clamare compulsus est : Non *Ps.* CXLII, 2.
intres in judicium cum servo tuo, Domine, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.

Porro, quo aliquis sanctior exstat et justior, eo injustitiam immunditiamque magis detestatur et odit, et si sibi incumbit ac potest, terribilius ulciscitur et gravius punit. Quum ergo, uti præhabitum est, Deus sit tam ineffabiliter, incomparabiliter et interminabiliter sanctus et justus, constat quod ipse immunditiam culpæ atque iniquitatem peccati incomprehensibiliter abhorreat et spernat; et nisi peccator se corrigat, horribilius quam cogitari queat, eum vindicabit itemque torquebit.

Quoniam itaque magnis dominis magnifice ministrare oportet, et tanto sincerius atque fidelius, quo dominus fuerit justior atque præstantior; perpendamus

Digitized by Google

sollicite cum quanta sanctitate et æquitate, diligentia et munditia, nos Domino Deo nostro tam sancto, justo, puro ac superdignissimo, et in omni nobili dignitate summo, perfecto, immenso, deservire necesse sit. Similitudo namque est causa unionis et dilectionis; dissimilitudo autem, origo est separationis atque rancoris. Si ergo tam sancto et justo Domino Deo nostro uniri, placere et amabiles esse concupimus, omnino oportet ut sancti ac justi esse conemur, Deo cui servimus conformantes (prout possibile et fas est) animas nostras. Ideo enim Deuteronomii octavodecimo habetur : Perfectus et absque macula eris cum Domino Deo tuo. Et Salvator Matthæi quinto : Perfecti (inquit) estote, sicut et Pater vester cœlestis perfectus est.

Deut. XVIII, 13.

Matth. V. 48.

Postremo, quanta est negligentia, impietas et ingratitudo doctorum virorum, omniumque eorum, præsertim Christianorum, et maxime clericorum, qui ista quæ de Dei perfectione, sanctitate atque justitia dicta sunt, agnoscunt, nec tamen hoc modo conversari apponunt, sed vitiis carnis seu vanitatibus sæculi variisque implicati peccatis, Deum labiis venerantur et corde contemnunt; imo plerumque corde, ore et opere, ipsum quem noscunt esse altissimum, tanquam vilissimum aspernantur et deserunt! Quibus convenit illud Apostoli ad Romanos : Quum Deum cognovissent, non sicut Deum glorificaverunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum.

Is. XXIX, 13.

Rom. I, 21.

ARTICULUS LXI.

De incomparabili excellentia Dei, eo quod de ipso et creaturis nihil dicatur univoce. In quo declaratur, quod Deus non est genus neque in genere, nec species neque in specie, neque individuum vel suppositum sub aliquo genere prædicamentali contentum.

AMPLIUS, secundum Aristotelis et ejus sequacium documenta, genus comparatur ad speciem quemadmodum imperfectum ad perfectum, et potentia ad actum. Sumitur enim genus a generali et indeterminata perfectione rei, quæ contrahi potest ac perfici : sicut ratio animalis, a perfectione sensitiva, cui in homine adjungitur rationalis perfectio. Quum ergo Deus sit actus purus, omnino perfectus, non determinabilis aut perfici potens vel contrahi, sed in sua natura omnimodo completus, atque secundum omnem veram considerationem summe actualis; non potest in eo ratio generis fundari : non ergo est genus.

Porro species, quamvis sit genere suo perfectior propter essentialem differentiam additam, tamen finitam ac limitatam perfectionem dicit : differentia enim contrahit naturam generis ad determinatam ac certam perfectionem in specie. Deus autem est ens non determinatæ et limitatæ, sed infinitæ et incircumscriptæ perfectionis : non ergo est species. Sed neque in specie. Quod enim in specie est, ad specialem atque specificam perfectionem contractum est : quod Deo, qui universaliter et illimitate perfectus est, non convenit. Insuper, species rerum se habent ut numeri, secundum Philosophum; ordo quoque universi in speciebus consistit. Numeri vero sibi propinqui sunt; et proximi numeri ita sibi vicini sunt, ut nullus alius numerus inter eos exsistere valeat. Ea etiam quæ ejusdem sunt ordinis, sibi invicem coordinata sunt, nec infinite distare possunt. Si ergo est Deus species, aut certe in specie, tunc prima species creata, videlicet summa substantia separata, in tantum divinæ naturæ vicina erit, ut inter Deum et eam alia species mediare non possit. Hoc autem nec auctoritati Sanctorum nec veræ rationi concordat. Sancti namque consona voce fatentur, quod Deus posset plures rerum species ascendendo creare, scilicet inter se et primam mentem creatam. Sed et ratio contestatur : nam Deus infinitæ virtutis est, et inter ipsum atque quamcumque nobilissi-

Digitized by Google

mam creatam hypostasim infinita exstat distantia. Rursus, si Deus sub ordine entium continetur, quod opinari nefarium reor, tunc erit entibus coordinatus, nec infinite distabit ab eis.

Adhuc autem, quod in prædicamento locatur ut species, genus differentiamque sortitur; et si quasi individuum collocetur in illo, tunc mediate seu reductive genus ac differentiam habet : individua namque reducuntur ad speciem. Quod vero genus et differentiam habet, sub demonstratione definitioneque cadit : non ergo incomprehensibile est. Sed neque infinitum : nam definitio, secundum Philosophum, terminus appellatur, eo quod partes ejus, videlicet genus et differentia, totum esse definiti comprehendunt, et quasi sub certis limitibus ponunt ac finiunt. Quum ergo sit Deus indemonstrabilis et indefinibilis, infinitus et incomprehensibilis, liquet quod ratio generis et differentiæ et omnis prædicamenti sibi directe repugnat. Quod etiam Avicenna et Algazel dicunt, primum principium esse extra et supra omne genus et ordinem. Et Dionysius pene semper Deum supersubstantialem et superessentialem appellat.

Denique, de Deo atque creatis nihil univoce dicitur. Quæ enim de Deo et creaturis prædicantur, ita se habent quemadmodum ea quæ de causa et suo effectu dicuntur. Nil vero de causa et effectu prædicatur univoce, nisi effectus adæquet virtutem suæ causæ, id est, virtuti ejus causali perfecte correspondeat : sicut dum homo generat hominem, et calor calorem. Nulla autem creatura virtutem causalem Creatoris adæquat, sed in infinitum ab eo occumbit ac deficit. Non ergo de Creatore et creaturis aliquid univoce dicitur : præsertim quum nec genere nec specie conveniant, sed infinite penitus distent. Unde dum dicimus Deum sapientem et justum, et dum hominem quoque sapientem et justum asserimus, non est univoca ratio. Hominem enim sapientem vocamus, tanquam qui sapientiam aliunde adeptus est, neque essentialiter sapiens est; Deum autem sapientem nominamus, quasi substantialiter sapientem. Verumtamen, secundum Thomam, ista quæ de Deo et creaturis dicuntur, non penitus æquivoce sed analogice prædicantur de eis. Primo enim atque perfecte Deo conveniunt prædicata perfectionalia, et secundario rebus creatis.

Postremo, nomina de Deo dicta, quamvis realiter idem significent, non tamen sunt æstimanda fore synonyma, quoniam secundum distinctas rationes ac proprietates divinum esse designant.

ARTICULUS LXII.

De variis nominibus Dei, quæ diversimode sibi conveniunt.

DENIQUE constat ex dictis, quod quædam nomina Deo proprie competunt : scilicet quæ perfectionem simpliciter dictam important, ut sapiens, justus, sanctus. Quædam vero transumptive Deo conveniunt : ea videlicet quæ aliquid materialiter et cum modo imperfectionis important, ut lapis, vitis, agnus. Iterum, quædam nomina Deo conveniunt sine respectu ad creata : ut quæ divinam essentiam significant non connotando habitudinem ad effectum, quemadmodum bonum, ens, vita, intellectus. Quædam vero divinam essentiam principaliter designant, tamen connotant effectum in creatura : vel in actu, sicut Creator, justificator, Dominus; et ista ex tempore Deo conveniunt. Vel in habitu, ut justus et misericors; vel in potentia, sicut omnipotens : et ista, quia non præsupponunt effectum in actu, æternaliter Deo conveniunt. Insuper, nomina quæ Deo conveniunt per respectum ad creaturas, et consequuntur actionem intellectus seu voluntatis Dei non transeuntem, sed immanentem, sicut est scire, amare, ab æterno conveniunt Deo : sicut prædestinator, præcognitor, providentia, idea.

Digitized by Google

Quædam etiam nominum horum principaliter relationem, et secundario seu indirecte designant substantiam, ut Dominus, rex. Quædam principaliter atque directe important substantiam, respectum vero ad creata indirecte, quemadmodum Creator, Salvator. Relatio autem Dei ad creata nunquam in Deo realis est, sicut præhabitum est.

art. XXVII, XLII, XLIII.

Ecce, carissime, de natura æterni et veri Dei, ad ejus honorem et gloriam, pro viribus utcumque tractatum est, secundum naturalis rationis indaginem atque processum, quamvis de tam præclaro et summo objecto nemo digne queat effari : quanto minus ego pauper et modicus? Tamen, quidquid bene et vere inductum est, in ipsius laudem sit dictum ipsique placeat, a quo descendit omne bonum, qui nil boni impræmiatum relinquit. Porro, quidquid inconvenienter et insufficienter allatum est, id meæ imperfectioni attribuo, a bonitate divina ignosci concupio, et a doctioribus emendari ac perfici opto. Ad venerationem atque præconium ejus qui est super omnia Deus sublimis et benedictus. Amen. Deo gratias.

Jacob. I, 17.

FINIS TRACTATUS DE NATURA ÆTERNI ET VERI DEI.

Digitized by Google

Digitized by Google

CREATURARUM IN ORDINE AD DEUM

CONSIDERATIO THEOLOGICA

Digitized by Google

Digitized by Google

CREATURARUM IN ORDINE AD DEUM

CONSIDERATIO THEOLOGICA

Digitized by Google

Digitized by Google

PROŒMIUM

DELECTASTI *me, Domine, in factura tua, et in operibus manuum tuarum exsultabo.* Ps. XCI, 5.

Non uniformiter pertinet creaturarum consideratio ad philosophum et theologum. Philosophus namque considerat eas secundum se ipsas et prout in propria natura consistunt : ideo proprias causas et proprietates rerum inquirit. Theologus autem creaturas intuetur in ordine ad Deum opificem, prout videlicet ab ipso fluxerunt et ad eum ordinantur atque ab ipso disponuntur.

Digitized by Google

Digitized by Google

CREATURARUM
IN ORDINE AD DEUM
CONSIDERATIO THEOLOGICA

ARTICULUS PRIMUS.

Quod non est nisi unum primum principium.

D. Thom. in 2um Sent.

PRIMUM dupliciter dicitur, scilicet : primum simpliciter, et primum in genere seu in certo ordine. De primo in genere constat, quod sunt plura prima principia, secundum diversa causarum genera. Est enim primum materiale principium, scilicet materia prima ; et primum formale, quod est esse. Decem quoque prædicamenta dicuntur decem rerum principia.

Primum vero simpliciter, necesse est unum esse, et omnia ab eo pendere : quod ex ordine rerum patet. Partes enim universi sibi invicem coordinatæ sunt, sicut partes animalis in animali. Talis vero rerum ordo non esset, nisi unum primum foret in quod omnia naturaliter tenderent, quod omnia ordinaret, et tam disparia atque tam multa in unione stabiliter conservaret : hoc autem est Deus. Hæc est ratio Damasceni.

Præterea, in omni specie rerum semper est natura unius nobilior alia, secundum majorem et minorem permixtionem actus et potentiæ, donec tandem deveniatur ad unum quod est purus actus : sic tamen quod in entibus non est idem esse et ipsa A essentia : quoniam esse non est de intellectu essentiæ aut quidditatis entis. Nam quidditas rei intelligi potest sine ejus actuali exsistentia. Est ergo essentia talium rerum de se in potentia ad esse. Non ergo habet esse nisi ab alio, cujus esse est ipsa sua quidditas. Hoc autem est Deus, qui est purus actus. Et hæc est ratio Avicennæ.

Præterea, in his quæ sunt sine materia, natura multiplicari non potest, nisi secundum quod natura unius est actualior B atque completior natura alterius : ideoque id cujus essentia est purus actus, multiplicari non valet. Et a tali ente proficiscitur omne id quod potentialitati miscetur. Actus enim præcedit potentiam, et completum diminutum, secundum Philosophum nono Primæ philosophiæ. Denique, quod alicui essentialiter convenit et per se, non potest in ipso esse deficiens : ideoque si sint plura increata, ratio assignari non potest cur unum sit nobilius altero.

C Ex his innotescit non esse unum essentialiter malum, quia malum nihil est. Si enim esset aliquid purum malum, non sustineret sed corrumperet se ipsum, ut quarto Ethicorum ait Aristoteles. Malum itaque non habet causam per se, sed per accidens : nam voluntas creata, secundum

Digitized by Google

quod ex nullo est, est nata deficere, et fit accidentaliter causa mali. Nullus enim respiciens ad malum, operatur malum, secundum Dionysium.

De Divin. nom. c. IV.

Insuper patet, quod summum malum non opponitur summo bono, nisi secundum vocem dumtaxat: tum quia summum malum esse non potest; tum quia, quum summum bonum nec auferri queat nec minui, nihil ei opponitur contrarie aut privative : unde nec particulare malum ei directe opponitur, sed particulari alicui bono, quod per ipsum privatur.

Considerandum est quoque, quod licet res creatæ, contrariæ sint secundum proximos fines atque effectus, in ultimo tamen et principali fine concordant, nam utrumque horum exigit ordo rerum et propria natura singulorum : quemadmodum elementa secundum se contraria sunt, in constitutione tamen mixti concordant, et ad æqualitatem harmoniæ in ipso concurrunt.

ARTICULUS II.

De possibilitate et ratione creationis.

AD rationem autem creationis duo requiruntur. Primo, ut ex parte ejus quod producitur, nihil præsupponat : et per hoc differt creatio a generatione naturali et omni mutatione physica. Generatio enim requirit materiam ; et alteratio, subjectum in actu. Sed creationis causalitas ad totam rei substantiam se extendit. Secundo requiritur ut in re creata, non esse naturali ordine præcedat esse : et per hoc differt creatio a generatione æterna. In increato enim, non esse non præcedit esse. Dici quippe non potest, quod Filius Dei si sibi relinquatur, non habeat esse, quum recipiat id ipsum esse quod Patris est, quod est esse absolutum ac independens. Sic itaque de creatione loquendo, etiam a philosophis concessa est, et ratione demonstrari potest. In omni etenim genere, quod incompletum est et minoratum a plenitudine perfectionis illius generis, necesse est oriri a primo illius ordinis, quod plenum est in ordine illo atque perfectum : sicut calor est in rebus ab igne, et lumen a sole. Quia ergo in omni ente post primum, est admixtio actus et potentiæ, necesse est ut a puro actu emanet. Denique, agens semper agit secundum quod in actu est. Sed quod est partim in actu et partim in potentia, producit rem secundum aliquid tantum, formam scilicet inducendo, aut subjectum transmutando. Deo igitur, qui est actus potentiæ impermixtus, proprium est ut rem totam efficiat, utputa quidquid in re est producens.

Si autem accipiamus tertium oportere ad rationem creationis, ut scilicet etiam duratione res creata prius non esse quam esse habeat, sic creatio demonstrari non potest, sed per fidem supponitur.

Est autem (ut Avicenna ait) duplex agens : quoddam naturale, videlicet per motum operans ; et aliud divinum, sine motu rem causans. In actione itaque primi agentis, duplex potentia exigitur : activa ex parte causæ, et passiva in subjecto mutationis. In operatione vero divini actoris, sufficit activa potentia.

Advertendum autem, quod creatio active dicta, in Creatore est, et est ipse Deus creans. In Deo namque non differt actio a natura. Creatio vero passiva, in creatura est, et est quoddam accidens, nominatque relationem ad Creatorem, et est in prædicamento *ad aliquid,* et consequitur actionem creantis, qui simul est causa substantiæ, et relationis, et accidentis.

ARTICULUS III.

An soli Deo conveniat creatio.

QUEMADMODUM jam tactum est, de ratione creationis est, ut nihil præsupponat, seu nihil ei præexsistat. Hoc

Digitized by Google

autem dupliciter intelligi potest. Primo, A ex parte creantis : et sic illa actio dicitur creatio, quæ non fundatur super actionem causæ prioris. Et palam est, quod sic dicta creatio, non nisi primæ causæ convenire possit. Omnis namque causa secunda agit in virtute causæ primæ, et innititur actioni illius, sicut auctor libri Causarum ait. Secundo intelligi potest ex parte creati : et sic illud creatur cujus nihil præexsistit in re. Sic autem, esse dicitur proprie creari, quia nihil est eo prius. Et ideo ait auctor libri Causarum : Prima rerum creatarum est esse. Sic quoque creationem sumendo, secundum Avicennam et quosdam philosophos, scilicet auctorem libri Causarum et Algazelem, causis secundis convenit. Dicunt enim unam intelligentiam creatam ab alia : quod tamen hæreticum est, et forte rationi non consonum.

Sciendum ergo, quod quidam secundo modo de creatione loquendo, dicunt eam rei creatæ non esse communicabilem, eo quod creatio sit effectus infinitæ potentiæ : quia distantia non esse ab esse, infi- C nita est. — Alii vero, sicut Magister Sen-
lib. IV, dist. v C. tentiarum, dicunt oppositum. Dicunt enim causam secundam in virtute causæ primæ posse creare, licet hæc potestas causæ creatæ data non sit. Et huic opinioni Ma-
Sent. II, dist. 1. q. 1. gistri consentit hic Thomas. Verumtamen
Summ. th. 1ª part. q. alibi reprobat positionem hanc, et primæ
XLV, a. 5. assentit. Et hoc mihi rationabilius videtur. Sicut enim causa secunda nullo modo est capax infinitæ potentiæ, sic neque ut creet aliquid aliquo modo. Ideoque Damascenus cum zelo loquens : Imitantur, in- D quit, patrem suum diabolum, qui angelos creare dicunt.

Elucescit itaque, quia sicut operatio artis fundatur in actione naturæ, quoniam natura præbet arti materiam ; sic actio naturæ fundatur in operatione primi creantis, in quantum præstat naturæ materiam. Soli quippe Deo competit totam rei substantiam producere. Nam solo intel-
Sap. XII, 18. lectu efficit rem : subest enim ei, quum voluerit, posse.

ARTICULUS IV.

An causis creatis conveniat productio alicujus veræ essentiæ.

EX præinductis jam constat creationem soli Deo competere. Utrum vero rei creatæ competere possit, aliquid producere, seu propriam operationem habere, nunc contemplandum est.

Sciendum igitur, de hac quæstione diversas fuisse opiniones. Quidam enim, ut B Avicebron in libro Fontis vitæ, subtraxerunt rebus naturalibus proprias operationes. Unde secundum eos, ignis non calefacit, sed virtus separatæ substantiæ per ignem. Itaque quidam dixerunt, Deum immediate cuncta efficere, auferentes rebus operationes connaturales. Sed hæc positio nedum rationi et Aristoteli, sed ipsi quoque experientiæ contradicit : et ideo secundum Averroem, stulta est. — Alii, ut Avicenna, qui dixerunt ab uno simplici et invariabili, immediate non nisi unum posse produci, eo quod idem in quantum idem, natum sit facere idem, secundum Aristotelem, dixerunt unam dumtaxat intelligentiam a Deo creatam, et a secunda tertiam, et ita deinceps. Hæc autem positio, secundum præhabita, fidei et rationi est dissona. Agens enim per intellectum, plurium est simul causa, sicut diversa simul intelligit secundum ordinem sapientiæ suæ.

Est ergo positio tertia vera, quod rebus creatis competant propriæ operationes et actiones connaturales : non tamen nisi in virtute primi principii. Omnium ergo quæ sine motu vel generatione facta sunt, utputa quæ per creationem in esse processerunt, solus Deus est immediata et proxima causa. Horum autem quædam sine mutatione seu generatione esse cœperunt, propter naturæ suæ simplicitatem, ut substantiæ immateriales. Nihil enim generari potest, si materia careat. Unde nec anima rationalis generabilis est, quia ad corpus non semper dependet. Aliæ autem formæ per accidens generantur, quia insepara-

Digitized by Google

biles sunt. Per se vero compositum atque subsistens, generabile est. Secundo, corpora cœlestia ingenerabilia sunt, quia a contrarietate aliena sunt : generatio enim ex contrario est. Tertio, prima individua specierum ingenerabilia sunt, quoniam generatio est a simili secundum speciem : et ideo esse talium immediate per creationem derivatum est. Eorum igitur quæ per motum et generationem fiunt, causa creata potest esse efficiens : vel univoca, ut homo hominis, quando scilicet simile producit simile secundum speciem ; vel æquivoca, ut sol est causa rerum naturalium, quæ specie differunt. Verumtamen, in omnibus his est Deus intimior causa omni agente secundo : nam ipse dat atque conservat esse in rebus. Aliæ autem causæ sunt quasi determinantes ipsum esse ad certam speciem. Unde virtus divina est sicut conjungens et moderans causam secundam cum suo effectu : ideoque Deus est universale et illimitatum rerum principium.

ARTICULUS V.

Utrum mundus sit ab æterno.

DE inceptione et æternitate mundi, diversæ positiones fuerunt et sunt, tam philosophorum quam theologorum. Aristoteles namque Platonem sæpe reprobare nisus est, eo quod posuit mundum ex præjacenti et inordinata materia factum. Tria quippe posuit rerum principia, Deum, exemplar, materiam ; et neque materiam neque exemplar a Deo esse habere, sed Deum secundum exemplaris intuitum cuncta ad ordinem redegisse. Hoc ergo modo Aristoteles, et etiam Magister Sententiarum, referunt positionem Platonis ; sed utique non plene, nec ad mentem Platonis referunt eam, sed solum sicut verba ejus sonant. Sciendum ergo, quia ut Boetius ait, tam Plato quam Aristoteles mundum posuit ab æterno. Dicit enim Proclus Platonicus : Totus mundus ab intellectu substantiam habet. Thomas etiam super secundum Sententiarum refert positionem Platonis sicut Magister in littera ; sed alibi eamdem verius atque subtilius resolvit et narrat. Sed dimitto talia hic, quia festino. Aristoteles quoque dixit totam naturam universi, et omnium rerum esse, a Deo fluxisse, sed ab æterno. Denique, ad probandum æternitatem mundi, multas rationes induxit, quas ipse bene scivit non esse demonstrativas.

lib. II, dist. 1 A.

De Consolat. lib. v, pros. 6.

Omnes autem theologi mundum de novo cum tempore incepisse fatentur. Et adjiciunt quidam, non potuisse Deum mundum ab æterno fecisse, non propter suam insufficientiam, sed rerum incapacitatem. Et hi dicunt demonstrari posse, mundum de novo incepisse. Alii dicunt oppositum, scilicet neutrum demonstrari posse, nec æternitatem mundi nec novitatem ejus. Et hoc Aristoteli magis consonat, dicenti quod problema de æternitate mundi, est neutrum, id est ad utramque partem probabile. Hæc quoque positio in auctoritate Gregorii se fundat, dicentis quamdam prophetiam esse de præterito, ut quod Moyses ait : In principio creavit Deus cœlum et terram. Sic ergo non nisi per revelationem constat novitas mundi. Sed et rationes aliorum, quibus se demonstrare opinantur mundum ex tempore factum, non sunt veræ demonstrationes : cujus signum est, quod eædem rationes a philosophis positæ sunt atque solutæ. Unde nec securum esset talibus rationibus tanquam demonstrationibus uti contra adversarios fidei : quia magis ad irrisionem quam confirmationem fidei facerent.

Gen. 1, 1.

Omnes ergo qui vel æternitatem vel novitatem mundi demonstrare intendunt, errant ex hoc, quia sic volunt judicare de primordiali institutione rerum quemadmodum esse et fieri vident in ordinibus rerum jam institutis : ut quia jam res non producuntur sine transmutatione, vel quia causa duratione præcedit effectum, etiam sic fuerit ab initio. Hoc autem erroneum est : quoniam natura rei variatur secun-

Digitized by Google

dum quod est in suo primo fieri, exiens a prima causa, et prout est illa in esse perfecto. Unde si quis vellet conformiter judicare de homine nato et homine in utero exsistente, erraret: sicut refert Rabbi Moyses de puero quodam, qui quum mortua matre, paucorum mensium exsistens, ad insulam quamdam delatus fuisset et in ea nutritus, ad annos discretionis solitarius pervenit. Quadam ergo die quæsivit a quodam, si homines facti essent, et quomodo. Quum ergo ille puero ordinem nativitatis humanæ asseruisset, objecit puer hoc esse impossibile, quia homo nec per diem unam vivere potest, nisi respiret, et comedat, et superflua egerat, et ergo per novem menses nequaquam sine talibus in utero esse potuisset, aut per tam angustam portam exire.

Considerandum est igitur, quia Creator rerum, est agens incommutabile, simplex et liberum. Itaque, quia liberum est, omnia secundum propositum voluntatis suæ agit; et quoniam incommutabile, hoc suum propositum invariabile est atque æternum. Insuper, quum sit simplex, non distinguuntur in eo natura, voluntas et actio. Sic ergo a voluntate æterna profluit operatio recens sine mutatione agentis : quoniam sicut universa simul Deus intelligit, sic cuncta quæ acturus est, ab æterno, invariabili dispositione instituit, et infallibili intuitu præagnovit. Agens autem naturale, et omne id in quo diversificatur actio ab agente, nil sine propria mutatione de novo producit, quia de potentia et otio procedit in actum : sed hoc a Deo longe est.

Ephes. I, 5, 11.

Advertendum est autem, quod in libro de Substantia orbis Commentator ait : Aristoteles nunquam intendit, quod Deus esset causa motus cœli tantum, sed etiam quod esset causa substantiæ ejus. Nam quum sit finitæ virtutis (quia corpus est), indiget alio quodam agente infinitæ virtutis, a quo dependeat, et a quo perpetuitatem motus et esse sortiatur.

Porro, ut Thomas dicit, res ab æterno non fuerunt nisi in manu seu potestate Dei ; et postea aperta Dei manu clave amoris, prodierunt in esse : quia (ut Dionysius ait) divinus amor non sinebat Deum sine germine esse.

De Divin. nom. c. IV.

Denique, ut Rabbi Moyses ait, facillima via ostendendi Deum esse, et ab ipso omnia processisse, est ex suppositione novitatis mundi : et ideo in lege statutum est, ut septimo die festum agerent, in quo mundus consummatus est, ut per novitatem mundi, semper in Dei cognitione permanerent.

Lev. XXIII, 3.

ARTICULUS VI.

De expositione ejus quod in principio Genesis scriptum est : In principio creavit Deus cœlum et terram.

DENIQUE, hoc quod Scriptura ait, In principio creavit Deus cœlum et terram, tripliciter exponitur ab Ambrosio in Hexaemeron. Primo, In principio, id est in Filio ; secundo, In principio, id est initio temporis ; tertio, In principio, id est ante omnia. Pater enim fecit omnia in Filio, quia Filius est ars et sapientia Patris, et exemplar omnis rei creatæ. Unde esse *in*, potest dupliciter exponi : vel sicut in continente et salvante, et sic appropriatur Spiritui Sancto, cui appropriata est bonitas; vel sicut in ratione exemplari, et sic convenit Filio.

Gen. I, 1.

Sciendum est autem, quod secundum illos qui omnia asserunt simul facta in materia et forma, omnia facta sunt in principio temporis quod est mensura motus primi mobilis : non quod tempus creationem mensuret, quæ instantanea erat; sed quia simul condita sunt tempus et rerum species. Secundum alios autem Sanctos, qui ponunt rerum factam distinctionem secundum intervalla dierum, non potest intelligi de tempore quod est mensura primi motus (quia secundum eos, firmamentum secunda die factum est), sed de tempore quod est mensura illius vicis-

Digitized by Google

situdinis qua esse mundi succedit ad ejus non esse. Vel secundum alios, sumitur tempus pro ævo. — Item, per cœlum intelligenda est natura etiam angelica; et per terram, omnis generabilium et corruptibilium consistentia.

ARTICULUS VII.

Quod Deo conveniat agere propter finem.

DUPLEX autem distinguitur finis. Est enim finis operis, id videlicet ad quod ordinatur opus ab agente, et dicitur ratio operis : sicut domificator congregat ligna et lapides, propter compositionem seu formam domus. Finis vero operantis est quem agens principaliter intendit, et est semper in agente; sed finis operis in alio esse potest, quemadmodum in ædificatore patet, qui ultimate ac principaliter intendit utilitatem aliquam, quæ ipsi ex constitutione domus provenit. Quia igitur opus Dei vanum esse non potest, in finem aliquem proprium unumquodque creatum ordinatum est : et hoc est finis operis. Ideo Psalmista ait : Numquid vane constituisti omnes filios hominum? Et secundo Metaphysicæ ait Philosophus : Omne agens per intellectum, agit propter finem. Quia autem finis operis ad finem semper reducitur operantis, ideo necesse est ut etiam assignetur finis Deo operanti : et hic est propria et immensa ejus bonitas, quia hæc sola in eo est.

Ps. LXXXVIII, 48.

Porro, propter bonitatem Dei finaliter agere, contingit dupliciter : vel propter desiderium ejus, et sic res creatæ agunt propter Dei bonitatem (desiderium namque, ut Augustinus ait, est rei non habitæ); vel propter amorem ejus, et sic convenit Deo : quia amor est rei habitæ. Deus enim bonitatem suam perfecte amat, et ideo diffundit eam. Sciendum est igitur, quod omne agens creatum, agit propter finem quo ipsum perficitur et cujus indiget; sed Deus non agit nisi propter se ipsum, sicut scriptum est : Universa propter se ipsum operatus est Dominus. Nec ex hoc aliquod ei commodum evenit, sed rebus creatis. Et ideo ait Augustinus, quod in quantum Deus bonus est, nos sumus. Et Magister ait, quod Deus creavit res propter suam bonitatem et rerum utilitatem : in primo finem operantis, in altero finem operis insinuans.

Prov. XVI, 4.

Sent. II, dist. 1 G.

ARTICULUS VIII.

Quod creaturæ sunt propter Dei bonitatem participandam factæ.

QUONIAM bonum et finis coincidunt, ideo sicut divina bonitas est summum bonum, sic est omnium rerum ultimus finis : quia in hoc consistit cujuslibet entis summa perfectio, secundum Dionysium, ut divinæ bonitati secundum possibilitatem suam conformetur, aliquam scilicet participationem ejus acquirens.

De Divin. nom. c. IV.

Denique, consimilis est proportio agentis et finis, et formæ atque materiæ. Sicut enim diversæ formæ diversas requirunt materias sibi proportionatas, sic secundum diversitatem agentium, est differentia finium. Agentium autem quoddam est univocum, quod scilicet effectui suo proportionatum est, idem secundum speciem producens : sicut ignis generat ignem, et domus quæ est in artificis mente, est causa formæ domus in materia, secundum Philosophum septimo Metaphysicæ. Et talis agentis finis non excedit id quod est ad finem, sed recipitur sicut perfectio in eo cujus est finis : sicut ignis generatus, recipit formam et veram similitudinem ignis generantis; et sanitas fit in eo circa quem operatur ars medici. Aliud vero est agens æquivocum et excedens. Et hujus agentis effectus non recipit similitudinem seu formam suæ causæ secundum eamdem rationem : sicut sol dicitur causa caloris, quamvis soli calor non insit formaliter, sed causaliter. Et tale agens est Deus. Hujusmodi quoque agentis finis excedit capacitatem effectus, neque recipi-

Digitized by Google

tur in effectu ut inhærens perfectio, sed fit in re quædam ipsius similitudo. Sicque divina bonitas est finis rerum, prout utcumque participari potest a rebus : quia omnis natura tendit naturaliter in bonum aliquod, quod est divinæ bonitatis imitatio quædam. Verumtamen, bonitas Dei singulari modo rationalis creaturæ finis est : quia est objectum felicitatis ejus, prout ab ea videri potest atque amari. Operatio etiam dicitur finis ejus, in quantum per eam conjungitur ultimo suo fini, vel per eam Deo amplius assimilatur : et sic sunt ejusdem multi fines subordinati.

ARTICULUS IX.

Quomodo omnia dicuntur propter hominem facta.

PROINDE finis alicujus rei dupliciter dicitur. Vel in quem tendit res naturaliter : et sic corporalis creatura est propter intellectualem, et sic homo est finis creaturarum inferiorum; et hoc ex parte operis. Secundo dicitur res aliqua finis alterius, quia utilitas aliqua provenit ipsi ab altero : et sic quoque est homo finis omnium, quia ex omnibus oritur ei quædam utilitas; et hoc ex parte agentis, ordinantis omnia in bonum hominis. Deus enim duplicem ordinem indidit rebus : unum principalem, quo omnia ordinantur in ipsum sicut in ultimum finem; secundarium vero, prout res una aliam juvat ut ad proprium finem atque divinam similitudinem veniat. Ideo undecimo Primæ philosophiæ ait Aristoteles : Ordo partium universi ad invicem est propter illum ordinem qui est in ultimum bonum. Et sic omne id cui ex aliquo utilitas provenit, finis illius vocatur. Hoc autem contingit dupliciter : quia vel id quod alteri utilitatem affert, non habet participationem divinæ bonitatis, nisi in ordinem ad id cui utile est, sicut pars ad totum; et talia non essent, nisi essent et ea ad quæ ordinantur. Alia vero licet alicui utilia sunt, habent tamen bonitatem absolutam : et talia etiam fierent, licet non essent ea quæ eorum finis dicuntur. Sic angeli et alia sunt propter hominem; sic et homo est propter reparationem ruinæ angelicæ : quia hæc utilitas consecuta est et a Deo provisa. Unde sic Deus angelum propter hominem fecit, sicut rex est propter rusticum, cui provenit utilitas pacis propter leges regis. *Hebr.* 1, 14.

ARTICULUS X.

An anima rationalis corpori naturaliter unibilis sit.

ASSIGNAT denique Magister in littera tres rationes unionis animæ rationalis ad corpus : quæ tamen omnes sunt ex parte finis. Una est ex parte agentis : et sic dicit, quod Deus univit animam corpori propter suam bonitatem. Secunda ratio est ex parte operis, scilicet participatio divinæ similitudinis : et sic conjuncta est anima corpori ut ex unione tam distantium naturarum, scilicet spiritus et carnis, daretur exemplum futuræ unionis quæ erit spiritus creati cum increato Spiritu; et hæc attenditur secundum esse animæ. Alia et tertia ratio, est participatio divinæ bonitatis secundum operationem : et ita unita est anima corpori propter suum meritum. *Sent.* II, *dist.* 1 K.

Porro, quum divinæ sapientiæ sit cuncta ordinate producere, sintque aliqua pure spiritualia, aliqua omnino corporalia, decuit et esse medium ex spirituali corporalique constans : et hoc est homo. Præterea, quum intellectus possibilis sit in principio sui tanquam tabula rasa, corpori naturaliter unibilis est.

Sciendum tamen est, quod proportio aliquorum dupliciter valet intelligi : vel secundum esse ac proprietates naturæ, et sic corpus et anima valde distant; vel secundum ordinem potentiæ ad proprios actus, et sic propinquissima ac naturalissima est convenientia animæ et corporis.

Digitized by Google

Plato autem (ut refert Gregorius Nyssenus) dixit animam esse in corpore quemadmodum est motor in mobili, et nauta in navi. Sed hoc vanum est, quia sic anima et corpus non fierent vere unum.

Est autem corpus humanum maxime cœliforme (quia temperatissimum, secundum Avicennam), quoniam anima est nobilissima forma. Ait enim Aristoteles, quod rationalis anima est finis omnium formarum naturalium et ultimate intenta a natura.

ARTICULUS XI.

An idem sint ævum et æternitas.

TRIPLEX traditur rerum mensura, scilicet æternitas, ævum et tempus : quarum ævum medium est. Est enim ævum, mensura rei permanentis, scilicet esse separatæ substantiæ, et illius quoque operationis quæ est beatitudo angelorum, utputa visionis Deitatis et rerum omnium in Verbo. Actionum vero quæ in angelis vicissitudinem habent, mensura est tempus discretum. Quod non est ejusdem rationis cum tempore continuo. Continuitas enim (ut Commentator dicit) accidit tempori ex parte motus numerati : nam secundum suam formam qua numerus est, continuitatem non habet.

Insuper sciendum, quod ipso nunc temporis, mensuratur ipsum mobile in quantum est in motu : quia secundum Philosophum quarto Physicorum, sicut se habet tempus ad motum, sic se habet nunc temporis ad mobile. Sed nunc ævi mensurat substantiam ipsius primi mobilis prout in se consideratur. Ratio quippe mensuræ accipitur ex mensurato, quia secundum Philosophum quarto Metaphysicæ, diversorum generum sunt diversæ mensuræ. Verumtamen auctores sæpe utuntur ævo pro æterno, sicut Dionysius, et auctor libri de Causis, qui dicit intelligentiam parificari æternitati.

De Divin. nom. c. x.

ARTICULUS XII.

Utrum omnium æviternorum sit unum ævum.

SECUNDUM Commentatorem autem quarto Physicorum, unum est tempus omnium rerum temporalium. Quumque sit ævum simplicius tempore, ipsum quoque unum erit. Porro unitatem ævi sumi oportet ad similitudinem unitatis temporis. Tempus vero, ut ait Averroes, unum est ab unitate motus primi mobilis, ad quem motum comparatur non jam dumtaxat sicut mensura ad mensuratum, sed etiam sicut accidens ad subjectum, quod ponitur in ejus definitione : a quo habet unitatem et multitudinem. Unde primo mensurat tempus motum diurnum, et ex consequenti omnes alios motus : quia secundum Philosophum nono Metaphysicæ, unumquodque mensuratur per primum et minimum sui generis. Similiter ævum est unum ab unitate simplicissimi æviternorum, scilicet primi angeli, ad quem comparatur ævum non solum ut mensura ad mensuratum, sed sicut accidens ad subjectum. Est autem ævum, sicut et tempus, mensura extrinseca, non intrinseca : et ideo non multiplicatur secundum mensurata, sed est in uno primo sicut in subjecto ad quod alia mensurantur, quemadmodum multi panni ad longitudinem unius ulnæ.

Sed forte quis dicat : Primus angelorum lapsus est : videtur ergo, quod omnium sanctorum angelorum esse mensuretur ad ævum dæmonis; quod male sonat. — Præterea, unus angelus non dependet ab alio; sed omnes motus a primo motu : ergo non est simile de ævo et tempore.

Sed dicendum ad primum, quod quum ævum sit participatio quædam æternitatis, ideo ad illius angeli ævum qui est magis in participatione æternitatis, alii mensurantur. Propterea angelus sanctus non mensuratur ævo dæmonis, sed econtrario. — Ad aliud dicendum, quod licet unus

Digitized by Google

angelus non sit alterius causa, est tamen eo simplicior : et hoc sufficit ad rationem mensuræ.

ARTICULUS XIII.

An creaturæ spirituales conditæ sint ante mundum sensibilem.

QUUM creatio mundi ex libertate divinæ voluntatis dependeat, ratione initium ejus invenire non valemus ; sed sicut Sanctis revelatum est, fide tenemus. In eo igitur quod fidei est, omnes sancti Doctores conveniunt, quod videlicet nulla creatura Deo coæterna sit. In his autem quæ de necessitate fidei non sunt, ubi opinari nil prohibet, difformiter vicissim senserunt. Plures itaque theologorum qui Augustinum præcesserunt, scilicet Hieronymus, Hilarius, Gregorius Nazianzenus, dixerunt ante creaturam corporalem, factam naturam angelicam ; corporalem quoque creaturam primo fuisse confusam, postea per temporum intervalla distinctam. Augustinus vero asserit, simul creatam naturam angelicam atque corpoream, et corpoream etiam ab initio secundum species suas distinctam, sed secundum individua generari quotidie. Posteriores autem, ut Gregorius et Beda, partim sequuntur Augustinum, dicentes angelos cum sensibili mundo creatos ; sed in distinctione rerum, sequuntur alios. Unde jam communiter tenetur, simul esse conditos angelos cum speciebus corporalium rerum. Hoc enim rationabilius videtur propter omnipotentiam Creatoris, cui non competit successive operari ; et etiam ne detur occasio opinandi angelos creasse ista corporea. Verumtamen alteri sententiæ præjudicandum non est, sicut dicit Magister in littera.

Sent. II, dist. II E.

ARTICULUS XIV.

An cœlum empyreum sit corpus.

ESSE insuper cœlum empyreum, ratione investigari non potest : quia quid quid per rationem de cœlo cognoscitur, per visum vel motum scitur. Sed nec visui nec motui cœlum hoc subjacet, ut dicit Magister. Sed hoc cœlum esse, per auctoritatem habetur. Dicitur autem intellectuale, non quia non sit corpus, sed quia per intellectum, non per sensum, agnoscitur. Et est principaliter institutum ut sit habitatio Beatorum : magis tamen propter homines quorum corpora glorificabuntur, quam propter angelos, qui loco non indigent. Est tamen cœlum empyreum locus contemplationis, non propter necessitatem, sed congruitatem, sicut et ecclesia dicitur locus orationis.

Sent. II, dist. II F.

Quum autem unumquodque sortiatur nomen et qualitatem a fine, oportet conditiones hujus cœli accipi secundum exigentiam status Beatorum : et quoniam Beati sunt in plena divinæ lucis, quietis et æternitatis participatione, ideo necesse est cœlum empyreum totum esse lucidum, immobile et incorruptibile. Sciendum est tamen, quod cœlum empyreum non dicitur lucidum quasi radios fundat sensu perceptibiles. Talis namque luciditatis causa, est congregatio partium diaphani, sicut in crystallo, ut Avicenna et Averroes dicunt : unde secundum philosophos, ignis in propria sphæra non lucet. Sed dicitur cœlum lucidum, quia naturam lucis in se habet : est enim maxime formale.

Si autem quis dicat, quod cœlum empyreum, quum sit corpus quantum et naturale, erit et mobile : quia natura est principium motus. — Et rursus, quum sit in cœlo futura laus vocalis, est ad minus divisibile per densitatem et raritatem : aliter in eo vox formari non posset, ut in aere patet.

Respondendum ad primum, quod naturale dicitur dupliciter. Vel prout distinguitur contra ens rationis : et sic omne quod habet naturam veram et esse in re, dicitur naturale ; sic etiam cœlum empyreum est ens naturale. Secundo dicitur naturale, prout naturale distinguitur contra ens divinum : et sic non est naturale.

Digitized by Google

Et quoniam ordinatum est ad gloriam Beatorum, habet ad hoc determinatam materiam atque naturam, et ideo non est mobile. — Ad secundum dicendum, quod de hoc sunt opiniones. Illi tamen qui dicunt ibi laudem futuram, ponunt in pulmone et instrumentis vocalibus aerem esse, et per illum posse vocem formari : nam ad formationem vocis, non requiritur expulsio et attractio aeris. Sed hoc non videtur sufficere, quia sic non posset deferri vox illa ad alios. Sed ad hoc dicunt, quod species ibi deferentur secundum esse spirituale tantum : et sic non requiretur confractio aeris, vel motus in medio aut condensatio. Vel dici potest (ut Thomas dicit), quod ibi erit confractio cœli empyrei ; nec tamen hoc erit ei ignobilitas, quia erit instrumentum linguæ glorificatæ, et materia laudis divinæ. Neque igitur est generabile ac corruptibile, quoniam densum et rarum æquivoce dicuntur de illo corpore et inferioribus istis. Sic et astrologi ponunt inter duas sphæras quæ scindi non possunt, esse aliquod spatium repletum corpore divisibili : in quo spatio est motus planetarum secundum motum epicycli. Et per hoc patet quomodo sit ibi motus futurus corporum gloriosorum. Vel potest dici, quod per miraculum sit ibi penetratio dimensionum. Quid tamen de istis verum sit, incertum est, quia nec fide habetur nec ratione ostenditur.

ARTICULUS XV.

An cœlum empyreum influentiam habeat supra alia corpora.

EX quo, juxta præinducta, cœlum empyreum ordinatur ad statum gloriæ, qui omnino alius est a statu generationis et corruptionis, qui competit viæ, non est ejusdem ordinis cum corporibus aliis : ideoque non habet influentiam in alia corpora. Item, corpori non competit imprimere in aliud nisi per motum : unde in libro de Causis dicitur, quod anima differt ab intelligentia, quia non imprimit in res nisi per motum. Empyreum autem immobile est. Non tamen negatur quin Deus potuerit ei vim influxivam dedisse sine motu ; sed hoc nec ratione nec auctoritate ostenditur, et ideo tenendum non est. Non enim in talibus quæritur, quid Deus possit per miraculum, sed quid conveniat rerum naturis, secundum Augustinum super Genesim.

Unde patet, quod cœlum empyreum non est locus sphæræ mobilis, nisi per accidens : quia secundum Averroem quarto Physicorum, corpus circulariter mobile, non eget loco extrinseco conservante vel continente, nec dependet ab eo nisi in quantum revolvitur motu ipsius. — Rursus, quum lux cœli empyrei non sit per modum fulgoris radiantis in alia corpora, ideo neque per lumen suum influentiam habet, præsertim quum influentia lucis præsupponat motum.

ARTICULUS XVI.

Utrum in angelis sit materia.

TRIPLEX invenitur positio circa præsentem materiam. Quidam enim, ut Avicebron et eum sequentes, in omni natura creata ponunt materiam. Secunda est positio Avicennæ, quod in omnibus corporibus est materia unius rationis. Tertia est Averrois et Rabbi Moysis, quod corpora cœlestia non communicant in materia cum elementis ac elementatis : et hæc videtur Thomæ rationabilior et Aristoteli conformior.

Quod autem non sit in angelis materia, primo patet ex ratione intellectualitatis. Materia quippe non recipit formam in quantum est forma, sed ut est hæc : et ideo forma exsistens in materia, non est intellecta nisi in potentia, quia cognitio est formæ in quantum est forma. Si ergo intellectus sit materialis, forma exsistens in eo non erit intellecta in actu, nec per eam intelligeret. Hujus etiam signum est, quod

Digitized by Google

res non fit actu intelligibilis, nisi per abstractionem a materia. Secundo patet idem ratione incorporeitatis : nam incorporeitas repugnat materiæ. Materia enim secundum se nullam diversitatem habet. Oportet ergo antequam in diversis inveniatur, ut primo habeat id per quod possit esse in diversis. Hoc autem est quantitas, sine qua nulla potest esse in materia diversitas, quum diversitas præsupponat partes. Quum ergo sint angeli incorporei, sunt et immateriales : et ideo dicit Dionysius quarto capitulo de Divinis nominibus, quod angeli intelliguntur immateriales et incorporales ; et Boetius in libro de Duabus naturis Christi, quod natura incorporeæ substantiæ non innititur fundamento materiæ.

Est tamen in angelo compositio ex actu et potentia, seu ex *quo est*, et *quod est*. Solus nempe Deus est ipsum suum esse. In aliis diversificantur esse et quidditas. Materialium autem quidditas etiam composita est : et ideo quia in talibus quidditas dependet ex partibus, ipsa quidditas non subsistit in esse quod sibi acquiritur, sed compositum seu suppositum. In separatis autem quidditas ipsa quum sit simplex, subsistit in suo esse : et quia recipit illud ab alio, ipsa est *quod est*, et potentia ; et esse ejus, est *quo est*, et actus.

ARTICULUS XVII.

De personalitate angelorum.

EST porro, secundum magistros, persona hypostasis proprietate distincta ad dignitatem pertinente ; secundum Boetium autem, rationalis naturæ individua subsistentia. Unde patet angelum esse personam : aliter tamen quam homo. Quod patet, si tria pensemus quæ sunt de ratione personæ, scilicet : subsistere, ratiocinari, individuum esse. Homo nempe in partibus ex quibus constat, subsistit ; angelus, in sua simplici natura. Ratiocinatur homo per discursum ; angelus per simplicem intuitum intelligit. Individuatur homo per materiam ; natura vero angelica ex se determinata est, non innitens neque egens fulcimento materiæ. Eminentiori itaque modo convenit personalitas angelo quam homini. Deo quoque eminentissime convenit : quia (sicut ait auctor libri Causarum) prima causa est de se maxime hæc ; et individuatio ejus, est pura bonitas ejus ; et subsistentia ejus non penitus eget ; ejus etiam intellectualitas sincerissima est, atque simpliciter ac infinite perfecta.

ARTICULUS XVIII.

De numero angelorum.

SICUT secundo Primæ philosophiæ Aristoteles ait, ad ea quæ sunt manifestissima naturæ, habet se noster intellectus sicut visus noctuæ ad radium solis. Ideoque, sicut ipse secundo de Animalibus asserit, valde pauca de separatis substantiis scire valemus, quamvis id ipsum modicum, sit desiderabilissimum et valde jucundum. Et igitur de intellectibus separatis philosophi quasi nihil demonstrative, et pauca probabiliter locuti sunt : quod ex diversitate opinionum ipsorum clarum est. Quidam enim posuerunt numerum intelligentiarum secundum numerum cœlestium motuum, sicut Aristoteles undecimo Metaphysicæ ; quidam secundum numerum sphærarum, ut Avicenna in sua Metaphysica. Alii quidam hæretici posuerunt non nisi unum angelum, secundum diversa officia nomina multa sortitum. Empedocles autem et Democritus et Sadducæi negaverunt esse incorpoream substantiam. Porro unus quidam, ipse videlicet Rabbi Moyses, dixit angelos nobis innumerabiles ; sed tantum per angelos significari asseruit in sacra Scriptura virtutes naturales, sive corporales sive spirituales, per quas Deus ordinem providentiæ suæ in rebus exsequitur, quasi divinæ dispositionis ministros voluntatisque nun-

Digitized by Google

tios. Substantias vero separatas enumerat sicut philosophi. — Sed fides docet angelorum numerum, Deo quidem finitum, nobis autem infinitum, sicut Gregorius ait in glossa Danielis septimo; et Dionysius ait, eos omnem multitudinem naturalem excedere, quartodecimo capitulo Hierarchiæ cœlestis. Et hoc probabile est. Videmus enim corpora digniora, scilicet cœlestia, quasi improportionabiliter corruptibilia corpora excedere. Nam quum productionis rerum causa sit ut in entibus creatis bonitas divina reluceat, rationabile videtur, illa quæ perfectiora sunt, vehementius multiplicari : et sic superiorum ordinum spiritus plures essent.

Distinctio proinde angelorum secundum numerum seu speciem, est secundum majorem et minorem permixtionem actus et potentiæ : quia quo a Deo, qui est purus actus, amplius distant, eo potentialitati permixtiores sunt : et hoc Averroes dixit. Sicque tandem ordo intellectualium substantiarum pertingit usque ad intellectum humanum, qui eatenus a primo distat, et in quo intellectuale lumen tantum occumbit, ut corpori naturaliter uniatur. Numerus autem qui est in separatis substantiis, non est numerus materialis, sequens unum quod est principium numeri exsistentis de genere quantitatis; sed est numerus formalis, sequens unum quod cum ente convertitur.

Denique philosophi qui posuerunt distinctionem seu numerum in rebus immaterialibus secundum causam et causatum, volebant quod causa et causatum non sunt per se distinguentia, sed consequentia distinctionis principia. Etenim secundum eos, esse plus in actu, est ratio ut sit unum causa alterius quod potentialius est : et sic, secundum gradum actus et potentiæ primo et directe est sumenda distinctio. Verumtamen, quemadmodum etiam Averroes undecimo Metaphysicæ asserit, positio eorum qui dixerunt ab uno simplici primo principio, scilicet Deo, non nisi unum potuisse procedere, scilicet primam intelligentiam, insufficiens est : et ergo ipse concedit, a primo potuisse plura procedere; et in hoc ipse magis quam Avicenna fidei concordat.

Advertendum vero est, quia id quod a Daniele scribitur, Millia millium, etc., a Dionysio et Gregorio partim conformiter partimque dissimiliter exponitur. Siquidem in hoc concordant, quod angelorum numerus incertus est nobis. Sed distant in hoc, quia secundum Dionysium, quum dicitur, millia millium, unum mille multiplicat aliud, ac si diceret, millies mille; et sic æqualis numerus significatur, quum dicitur, millia millium, et decies centena millia (quod habet una littera) : quia tantum est decies centena millia, quantum millies millia. Et secundum hoc datur intelligi quod adsistentium et ministrantium angelorum æqualis est numerus. Vel secundum aliam litteram, quæ habet, Millia millium ministrabant ei, et decies millies centena millia, etc., datur intelligi quod numerus adsistentium excedat numerum ministrantium : et hoc præhabitis consonat, quia secundum intentionem Dionysii, nobiliores creaturæ plures sunt. Dicit enim, quod hic, maximus numerus, scilicet mille, multiplicatur per omnes maximos numeros, scilicet per mille, quum dicitur, millia millium; per denarium, quum dicitur, decies millies; et per centum, quum dicitur, centena millia. Sed Gregorius vult quod sit constructio partitiva : ut quum dicitur, millia millium, intelligantur multa millia de numero millium : et ita vult quod numerus ministrantium major sit, eo quod ipsis attribuatur numerus indeterminatus, adsistentibus vero numerus determinatus.

Dan. VII, 10.

De Cœlest. hier. c. XIV.

Ibidem.

ARTICULUS XIX.

Utrum plures sint angeli unius speciei.

FUERUNT præterea qui dixerunt omnes angelos, imo et animas rationales, ejusdem speciei. Alii vero ponunt angelos

Digitized by Google

diversorum chororum specie differre, sed non unius chori. Alii autem asserunt nullum angelum cum alio convenire in specie. Et hæc positio dictis philosophorum et Dionysii consonat. Dionysius namque decimo capitulo Cœlestis hierarchiæ, etiam in eodem choro ponit primos, medios ac ultimos. Et hæc positio necessaria est : nam quum non sit in angelis materia, non potest in eis esse distinctio nisi formalis, quæ constituit diversitatem specificam. Nulla enim forma multiplicatur secundum numerum, nisi prout in materia recipitur. Denique, quum sint angeli incorporei, etiam si materiales essent, tamen specie convenire non possent : quoniam natura specifica non numeratur in individuis, nisi prout recipitur in diversis materiæ partibus. Diversitas autem partium materiæ dimensionem præexigit, quia substantia sine dimensione accepta indivisibilis est, sicut primo Physicorum ait Philosophus. Item, diversitas individuorum sub una specie, est propter conservationem perpetuam speciei, et in incorruptibilibus locum non habet. Rursus, secundum Aristotelem primo Cœli, quædam corpora, scilicet cœlestia, tam perfecta sunt, ut nihil suæ naturæ sit extra ea, quia constat ex tota sua materia : ergo multo fortius extra angelum nihil suæ speciei est, quum sit perfectior illis. Insuper, quum perfectio universi attendatur in suis speciebus, magis apparet divina bonitas in rebus, in hoc quod angeli differunt specie, quam si essent unius speciei tantum.

Si dicatur, quod perfecta delectatio requirit naturæ consortium, et sic angelis, in quibus est summa lætitia, erit naturæ identitas; respondet Thomas, quod verbum illud Boetii, Nullius rei sine consortio potest esse jucunda possessio, locum non habet nisi in illis quorum operatio nequit sine alterius adjutorio esse perfecta : ut est homo, qui per se ipsum non sufficit ad operationem propriæ speciei. Sed in angelis hoc non requiritur : quia habent in se operationem perfectam, ad quam sequitur perfecta jucunditas. Est tamen in angelis quædam societas.

Sent. II, dist. II, q. 1.

Advertendum est autem, quod angeli conveniunt in genere, quia sunt in genere substantiæ. Et sumitur in eis ratio generis ab essentia, secundum quod ipsa est *quod est*, et per modum potentiæ se habens; differentia autem, prout actui appropinquat. In substantiis vero compositis, quum in eis sit potentia ex parte materiæ, genus sumitur a materia; differentia autem a forma.

ARTICULUS XX.

Quando primo factus sit angelus malus.

QUORUMDAM erat positio, angelos a Deo malos creatos. Sed hoc hæreticum est, et contra rationem. Ideo alii dixerunt, angelum in primo creationis suæ instanti factum malum : non a Deo, sed a propria voluntate. Sed positio ista falsa est : cujus rationem quidam assignant, eo quod duarum operationum se consequentium non potest esse idem terminus : et sic operatio angeli et creatio ejus, ad quam operatio ejus consequitur, non possunt habere idem instans in quo terminetur ejus creatio, et in quo primo sit malus, quod est terminus operationis. Sed ratio hæc non videtur cogens : quia quum operatio angeli non sit continua, sed instantanea, non differt ejus terminus a suo principio; et ideo sicut principium, sic et terminus ejus potest simul esse cum termino creationis. Nec oportet quod apprehensio præcedat actum voluntatis, nisi ordine naturæ, quia de eodem potest simul esse cognitio et voluntas. Nec oportet collationem præcedere de appetendo, quum angelus non sit inquisitivus aut collativus.

Ideo aliter dicendum, quod quum voluntas sequatur apprehensionem intellectus, voluntas æstimati boni quæ erronea est atque culpabilis, non potest in angelo immediate sequi primam apprehensionem intellectus : quia illa est necessario veri

Digitized by Google

boni, et non verisimilis vel apparentis boni. Nam secundum Augustinum in libro Contra academicos, nil potest judicari verisimiliter bonum, nisi bonum sit cognitum: et sic appetitus apparentis boni, consequitur considerationem verisimilis boni. Sed impossibile est intellectum creatum simul plura intelligere : et ideo angeli facti sunt boni, et erant aliquando boni, et sponte facti sunt mali.

Denique, assignabile est ultimum instans in quo angelus erat bonus, et primum in quo factus est malus. Nec tamen inter ea est tempus medium : quia in angelis non est tempus continuum, sed discretum ; et sunt illi diversa *nunc* immediata et proxima.

ARTICULUS XXI.

An angelus cognoscat res per suam essentiam.

DIONYSIUS quarto capitulo de Divinis nominibus ait : Angeli illuminantur per formas scibiles rerum et rationes. Et auctor libri Causarum : Intelligentia, inquit, est plena formis. Unde elucescit, quod non nisi per formas intelligibiles angeli res agnoscant, non per suam essentiam. Est quippe intellectus angelicus inter divinum et humanum medius. In Deo autem similitudo rerum est ipsa ejus essentia, quæ omnium efficiens et exemplaris causa est. In homine vero, aliud est ab intellectu species rei intellectæ, et est accepta a rebus. In angelo itaque, aliud quidem est species ab intellectu ; sed a rebus accepta non est. Nam sicut septimo capitulo de Divinis nominibus Dionysius ait, ex rebus divisibilibus non congregant angeli formas neque notitiam ; sed a Deo influxæ sunt eis species, quæ sunt perfectiones intellectus ipsorum : quod quomodo sit, Commentator undecimo Metaphysicæ docet. Dicit enim, quod secundum ordinem simplicitatis in substantiis separatis, est in eis ordo distantiæ speciei intelligibilis ab intellectu. Unde in his in quibus est plus de admixtione potentiæ, est major talis distantia. Nec potest intellectus in quo est potentia actui mixta, intelligere, nisi perficiatur a quodam extrinseco quod est purus actus. Ideo ait auctor libri Causarum, quod sicut in natura inferiori multiplicantur singularia, sic in intelligentiis species intelligibiles : quia utrobique causa multiplicationis est potentia.

Dicit autem Philosophus tertio de Anima, quod anima est species specierum : quia videlicet efficit species per abstractionem actu intelligibiles. Dionysius etiam quinto capitulo de Divinis nominibus dicit, quod nobiliora in entibus sunt inferiorum exemplaria : quia scilicet inferiora fiunt in umbra superiorum secundum exigentiam ordinis universi. Non tamen essentia intelligentiæ est perfectum exemplar inferiorum : quia non est causa neque exemplar totius quod est in re, scilicet materiæ et formæ, nisi per hoc quod potentia sua completur vel perficitur.

Porro, quum cognitio fiat per quamdam assimilationem, secundum Aristotelem, oportet ut semper species intelligibilis assimiletur intellecto. Hoc vero dupliciter accidit, utputa : quia unum est causa alterius, similitudinem suam ei imprimens ; et sic inter intellectum divinum et humanum ac res intellectas est similitudo : econtrario tamen, quia divinus intellectus imprimit rei formam per quam assimilatur, intellectus autem noster hanc recipit. Secundo contingit hoc, quia intellectus superior influit inferiori formas quibus assimiletur rebus.

ARTICULUS XXII.

Qualiter species superiorum angelorum dicantur speciebus inferiorum universaliores.

IN omnibus artibus et scientiis operativis ac speculativis, superior, quæ est alterius ordinativa, necessario considerat ra-

Digitized by Google

tiones universaliores, secundum quod principia sunt minima quantitate et maxima virtute, et quum sint simplicissima, ad plura se extendunt. Itaque, quum tam secundum philosophos quam theologos, intelligentia superior illuminet atque perficiat inferiorem in officiis suis et actibus, oportet universaliorem ei inesse scientiam. Unde undecimo Metaphysicæ dicit Commentator, quod secundum ordinem differentiæ inter intelligens et intellectum, est etiam ordo multitudinis intellectorum. Unde in intellectu superiori, qui plus habet de actu, est minor compositio intelligentis et intellecti; et per pauciores species intelligit plenius et clarius quam inferior per plures : ac si quis per rationem entis, omnia entia perfecte cognosceret. Et sic divinus intellectus una specie, quæ est sua essentia, universa intelligit.

Sent. II, dist. III, q 3. Dicit hic Thomas, quod triplex est universale, scilicet : in re, et post rem (quod scilicet per abstractionem accipitur), et ante rem, quod est prius re ipsa, sicut forma domus in mente artificis; et sic sunt formæ universales in mente angelica exemplares : non quod sint rerum operativæ, nisi forte quarumdam, non per modum creationis, sed motus; sed quia sunt operativis similes, sicut aliquis scientiam practicam speculative habet. Sunt tamen formæ superiorum universaliores tam secundum cognitionem quam operationem : De Cœlest. hier. c. IV, v. quia perfectius cognoscunt, et inferiores dirigunt; et hoc Dionysius ostendit.

ARTICULUS XXIII.

Quomodo angeli per formas intelligibiles quas habent, particularia intelligere possint.

EST autem quorumdam positio, quod angeli universales causas per species sibi connatas intelligunt, sed a rebus accipiunt unde singularia cognoscunt. Sed hoc stare non potest : quia sic necessario reciperent species rerum cum proprietatibus individuantibus ac materialibus, et ita indigerent organo corporali, sensu scilicet et imaginatione. — Ideo Avicenna et alii dixerunt, quod omnia singularia producuntur ex causis universalibus ordinatis in natura : quumque in angelo sint formæ ordinis causarum universi, per eas singularia intelligit. Hæc quoque positio, secundum fidem nostram non sufficit : quia in causis universalibus non cognoscitur res secundum proprietates individuales, scilicet hic et nunc, et hujusmodi. Nam et Avicenna dicit Deum non cognoscere particularia particulariter, scilicet hic nunc esse, et tunc non esse. — Propterea ad hanc positionem addiderunt quidam, quod angeli cognoscunt singularia per applicationem formarum communium ad hoc vel illud particulare. Sed nec hæc sufficit : quia vel applicatio est ad singulare in intellectu exsistens, et sic supponitur quod probandum est; vel ad singulare quod exstat in re ipsa. Sed quum cognitio fiat per assimilationem, in quantum intelligibile unitur intellectui, oporteret quod id quod est rei, reciperetur in intellectu : quod improbatum est. Vel ex eo quod ex tali applicatione aliquid ponitur circa rem ipsam : et sic non sciretur nisi id quod circa rem ponitur. Quum ergo angeli non sint causæ naturarum rerum omnium quas cognoscunt, nec per hunc modum cognoscerent eas.

Dicendum est itaque, quod eadem est ratio in Deo et angelis, cognoscendi universalia et singularia : hoc modo. Oportet namque in illa virtute quæ cognoscit singularia, esse similitudinem eorum etiam quoad conditiones individuales. In mente porro artificis necesse est esse formam operis secundum totum id quod ab artifice habet : ideo domificator per artem suam cognoscit formam domus quam inducit in materiam; non autem hanc domum vel illam, nisi per sensum : quoniam ipse materiam domus non causat. Sed Deus nedum formæ, sed et materiæ, quæ est individuationis principium, causa est.

Digitized by Google

Unde idea in mente divina, est similitudo quoad utrumque, scilicet formam atque materiam : et sic per eam habetur de rebus particularibus determinata cognitio. Formæ autem quæ sunt in mente angelica, similes sunt formis divinæ mentis, tanquam ab eis immediate exemplariterque deductæ : et sic sunt similitudines rerum etiam quoad materiales dispositiones individuantes, quia sunt similitudines entium prout a Deo deducta et facta sunt.

Si dixeris, Quum individua sint infinita, quomodo sciuntur ab angelo? Rursus, quum sint contingentia futura, non videntur posse nisi a Deo agnosci. — Respondendum ad primum, quod quo fuerit angelus altior, eo plura una specie unoque actu intelligit; et species illa efficitur propria huic vel illi per respectum ad hoc vel ad illud, sicut ideæ in mente divina. Ad secundum dicendum, quod angeli per species sibi connatas, cognoscunt causas habentes ordinem in natura, et quidquid in causis illis est determinate, vel simpliciter aut frequenter. Et quoniam futura contingentia non sunt determinata in causis illis, sed facta determinatione causarum, efficiuntur actualiter præsentia; ideo eorum, dum futura sunt, cognitionem non habent.

ARTICULUS XXIV.

Inquisitio an angeli plura simul actu intelligant.

AUGUSTINUS nos docet, quod Deus spiritualem creaturam moveat per tempus : quod aliud non est nisi per affectiones et conceptiones mutari; et sic non omnia simul intelligunt angeli.

Sciendum ergo, quod angeli et Sancti in patria cognoscunt res dupliciter, scilicet : in Verbo. Et sic secundum Augustinum, non sunt in eis cogitationes volubiles : quia sic omnia simul uno intuitu vident. Et hæc cognitio semper perseverat in eis, estque eorum felicitas. Secundo cognoscunt res per formas sibi connatas : et sic non intelligunt plura simul, nisi prout reducuntur ad unum : cujus rationem Algazel tradit. Nam oportet intellectum configurari actu per speciem quam intuetur, quam actu cognoscit, ut sic sit utriusque assimilatio. Sicut autem impossibile est corpus secundum eamdem partem diversimode figurari, sic nec intellectus potest simul diversis speciebus actualiter informari.

ARTICULUS XXV.

De hoc, si angeli in gratia creati non sunt, an tunc ante peccatum amabant Deum supra se et plus quam omnia.

DISTINGUUNT quidam dilectionem, ut sit una amicitiæ, cujus actus est amor rei habitæ; alia concupiscentiæ, et est appetitus rei non habitæ. Est ergo dilectio concupiscentiæ, dum quis desiderat aliquid concupiscendum quod est sibi bonum aliquo modo : et tali dilectione dicunt isti, angelum in statu naturalium Deum plus dilexisse quam se ipsum, quia hoc erat ei delectabilius. Porro, dilectio amicitiæ est, qua quis similitudinem ejus quod in se habet, in alio diligit, sicut unus virtuosus alium amat : et sic asserunt, quod angelus se plus diligebat, quia intensius volebat sibi suum bonum, scilicet creatum, quam Deo bonum increatum.

Sed positio ista non videtur idonea. Nam in dilectione amicitiæ, quamvis sint amanti annexæ delectatio atque utilitas, oculus tamen amantis ad has non respicit, sed ad bonum amatum : et ideo ipsum præponderat in corde amantis omnibus utilitatibus et delectationibus quæ consequentur ex amato. Sed nullum bonum erat in angelo, nisi ex ipso amato, scilicet Deo. Ergo illud plus quam se diligebat. Præterea, Deum super omnia esse amandum, est legis naturalis : ergo hoc in mente angeli clarius scriptum erat quam in mente ho-

Digitized by Google

minis : non ergo potuit sine peccato omitti. Amplius, angeli in statu innocentiæ vel amabant Deum ut utentes, vel ut fruentes. Si primum, hoc est perversum ; si secundum, habetur propositum : quia frui est alicui inhærere amore propter se ipsum. Hæc est ergo responsio Thomæ. — Verumtamen Bernardus testatur, quod natura est semper in se curva ; et Avicenna in sua Metaphysica, quod nulla actio creaturæ est pure liberalis, nisi solius Dei : quia omnem actionem creaturæ consequitur aliquod commodum ejus. Item, Deum plus quam se diligere, non videtur esse nisi actus caritatis gratia informatæ. Sed hæc et similia solvit Thomas, prout ipsi videtur.

Sent. II, dist. III, q. 4.

ARTICULUS XXVI.

Utrum angeli in principio suæ creationis erant beati ; et an miseriam suam præsciebant.

FELICITAS mentis creatæ duplex est : naturalis videlicet, et supernaturalis. Et utraque essentialiter in Dei contemplatione consistit. Sed supernaturalis, est facie ad faciem, et per speciem ac divinam essentiam menti unitam : et in hac angeli creati non erant, quoniam de ratione veræ beatitudinis, est confirmatio status, secundum Boetium. In naturali autem felicitate conditi sunt. Quæ tamen Deo et angelis atque hominibus difformiter convenit. Deus enim per propriam essentiam se videt ; angelus, per speciem acquisitam ; homo, per visibilem creaturam. Primæ harum visioni similis est visio qua oculus videt lucem in pupilla exsistentem, sine specie media ; secundæ, illa qua quis videt hominem per speciem ab ipso impressam. Tertiæ autem similatur visio qua quis videt aliquid per speciem ejus in speculo resultantem. Hæc proinde visio angeli naturalis, nec est per speciem neque per speculum in ænigmate, sed media : sicut de Adam in paradiso dicitur. Et de hac naturali beatitudine accipiendum est quod ait Augustinus, Angeli in beatitudine qua creati sunt perseverantes, non natura, sed gratia immutabiles facti sunt ; et quod ait, angelos in principio cognovisse res in Verbo, quia et Verbum cognoverunt per similitudinem ejus eis influxam.

De Consolat. l. I, metr. I.

Denique certum est, quod lapsum suum non præsciverunt : quia sic pœna præcessisset culpam, et desperati ante peccatum fuissent. Verumtamen Bernardus fatetur, quod diabolus prævidit se habiturum principatum super malos, et ideo voluit locare in Aquilone solium suum. Sed dicendum, quod licet illud præviderit, non tamen prævidit media per quæ : sicut et Joseph præscivit se futurum dominum fratrum suorum, non tamen suam venditionem et incarcerationem ac alia. Sic diabolus nec certitudinali nec conjecturali notitia lapsum suum præscivit, sed solum posse se cadere : imo conjecturali certitudine præsumebat se non esse futurum miserum, quia ad beatitudinem se conditum scivit, et ad eam naturaliter inclinatum. Et per hoc auferebatur ab eo timor et dubitatio omnis. Unde non affligebatur ex incertitudine beatitudinis suæ, quum tamen secundum Gregorium, sit Sanctis magna causa doloris incertitudo suæ salutis. Nec decuit Deum eis, scilicet angelis, revelare futuram miseriam, ne pœna præcederet culpam, vel distinctio meritum. Sed et si eis revelasset, sive bonis sive malis, ipsi tamen non recepissent illud secundum certitudinem revelantis, sed secundum modum suum, scilicet ad cautelam sibi prædictum : quemadmodum Petrus verba Christi de sua negatione non accepit quasi certitudinaliter, sed tanquam ad comminationem sibi dicta.

Is. XIV, 13.

Gen. XXXVII, 5-9.

Matth. XXVI, 31-35.

ARTICULUS XXVII.

An angeli sint in gratia conditi.

QUEMADMODUM quidam theologorum putant omnia simul secundum species ab exordio distincta, non per prius aut posterius temporis, alii vero successionem ponunt dierum : sic quidam po-

Digitized by Google

nunt angelos creatos in gratia, et ii primæ opinioni concordant; alii autem ponunt eos in solis naturalibus factos, et ii secundæ positioni viciniores sunt. Verumtamen, quum principium creationis rerum ex sola Dei voluntate dependeat, certo sciri non potest quæ harum positionum verior sit. Sed quoniam illi quæ ponit angelos in gratia conditos, plures Sanctorum auctoritates consonare videntur, ideo ei sine alterius præjudicio consentiendum videtur. Augustinus quippe ait : Deus simul est condens naturam et largiens gratiam. *Osee* III, 1. Item Osee tertio dicit Glossa : Dæmones in magna pinguedine Spiritus Sancti creati sunt. Quod de gratia dictum videtur. Sunt tamen quædam auctoritates Augustini, quæ ad oppositum sonare videntur. Dicit enim, quod per cœlum quod primo factum dicitur, intelligitur informis spiritualis natura, sicut in se potest subsistere, non conversa ad Creatorem. Sed hoc de prioritate naturæ, non temporis, accipiendum est. Et diversæ sunt auctoritates ad utramque partem : quæ varie exponuntur a defendentibus opiniones suas.

ARTICULUS XXVIII.

Quomodo potuit peccatum esse in angelis.

QUUM secundum christianam fidem, constat angelos quosdam peccando malos factos, difficile tamen est videre per quem modum id contingere quivit. Dicit enim nono Metaphysicæ Aristoteles, quod in his qui semper sunt actu, non potest esse malum; et Avicenna, quod supra sphæram lunæ non est malum. — At vero, si intellectus angeli non errat, nec voluntas : quia bonum apprehensum, est voluntatis objectum. Sed intellectui angeli non potest aliquid apparere nisi quod est vere bonum : nam intellectus nunquam errat in his quorum proprie est intellectus, sicut in cognitione primorum principiorum. Et ideo dixit Aristoteles, quod intellectus semper est rectus, phantasia autem recta et non recta. Sed in angelis non est nisi intellectualis cognitio : non enim discurrunt. Ideoque ait Philosophus, quod omnis malus, est quodammodo errans.

Advertendum est ergo, quia ut septimo Ethicorum docet Aristoteles, duplex est operandorum cognitio, scilicet universalis et particularis : et quoniam operationes sunt circa singularia, ideo contingit eum qui in universali recte sentit, in particulari peccare. Insuper, contingit singularia dupliciter noscere, scilicet actu et habitu. Sic itaque contingit aliquem de singulis recte opinantem habitu, errare in actu, secundum quod in nobis habitus per passionem ligatur, ne recte consideret : in tantum ut etiamsi homo verbis quod certum est dicat, mente tamen non teneat. Et sic, secundum Philosophum sexto Ethicorum, delectatio corrumpit æstimationem prudentiæ. Sed quum in angelo non sint passiones, non potuit hoc modo esse error in eo ; sed in quantum considerando unum et illi nimis inhærendo, retrahitur a consideratione alterius : quia non omnia nec plura simul intelligit, nisi in Verbo. Contingit autem eligendum esse aliquid secundum unam considerationem, quod eligendum non est omnibus conditionibus concurrentibus consideratis : et sic fuit error electionis et peccatum in angelo.

Et per hoc solvitur ratio inducta : quoniam licet intellectus errare non valeat, ita ut judicet aliquid quod non est in re, quantum ad id quod de re percipit, tamen errare potest modo jam dicto. — Auctoritates vero adductæ, intelligendæ sunt de malo naturæ, quod in perpetuis non est, in quibus non est potentia ad non esse.

ARTICULUS XXIX.

De peccato angeli, quale erat, et quomodo Dei æqualitatem appetiit.

QUOD æqualitatem Dei desiderando angelus peccavit, Isaias testatur. Sed de modo hujus appetitus, est triplex opinio. *Is.* XIV, 12-14.

Digitized by Google

Quidam enim dicunt, quod simpliciter Deo æquari voluit, licet hoc impossibile esset: quia secundum Augustinum, cæca ambitio plus semper præsumit quam possit. Sed hoc stare non potest : quia licet aliquis possit plus appetere quam possit habere, non tamen potest plus velle quam æstimare : quia voluntas non excedit intellectum. Sed Deus omnem apprehensionem et æstimationem creaturæ excedit. Præterea, non est in angelis passio, ut sic ambitio honoris offuscare queat lumen mentis, ut in nobis. Et præterea, quia sic voluisset id ad cujus adeptionem sequeretur propriæ naturæ desitio. — Alii dicunt, quod petiit Dei æqualitatem non simpliciter nec directe, sed indirecte, ut scilicet nulli subesset. Sed quum totum creaturæ et angeli sit ut Deo subsit, a quo dependet in esse et permanentia, ideo hoc appetere non potuit.

Ideo dicunt alii, quod non appetiit Dei æqualitatem nisi secundum modum habendi, scilicet hoc modo. Nam in Deo est beatitudo a se ipso, et a qua omnis beatitudo creaturæ diffunditur. Itaque dæmon naturæ suæ excellentiam cernens, qua cunctis eminebat, voluit a se in inferiores beatitudinem ac bonitatem derivari; volebatque per naturalia sua ad beatitudinis perfectionem pertingere : et ideo dicitur, quod sine meritis voluit hoc quod cum meritis habuisset, si perstitisset. Nec tamen voluit Deo secundum modum habendi, simpliciter esse æqualis : quia nolebat ista habere vel primum esse, nisi a Deo et sub Deo, prout ipse operatur in omni natura, sine quo scivit se nec esse nec dominari nec quidpiam posse. Istis consonat verbum Augustini, de primo homine dicentis, quod non est credendum quod vir spirituali mente præditus, esse voluerit sicut Deus. Nihilo minus quidam dicunt, quod Adam plus scivit quam angelus malus, non secundum gradum naturæ, sed quando Dominus misit in eum soporem.

Ex his elucescit, quod peccatum diaboli erat superbia quæ est inordinatus honoris et excellentiæ appetitus. Et hæc est una acceptio superbiæ; et ita est unum de septem vitiis capitalibus. Secundo accipitur habitualiter, scilicet pro quadam inclinabilitate ad superbiendum : et hæc est ab inflexibilitate naturæ vel fomitis corruptione; sic quoque dicitur omnis mali initium. Tertio superbia dicitur prout aliquis se effert ultra limites præcipientis, mandato non parens : et sic non est speciale peccatum, sed generalis conditio omne peccatum ex parte aversionis concomitans. — Denique quod Bernardus asserit, quod in hoc peccatum angeli fuit, quia sine labore gloriam habere voluit, intelligendum est secundum præhabita : quia scilicet ex propria virtute eam habere volebat; non quod angeli Deo ministrando fatigentur, laborem aut tædium habeant.

Eccli. x, 15.

ARTICULUS XXX.

An angeli eguerint gratia in conversione sui ad Deum, et utrum beatitudinem suam meruerint.

DICUNT quidam duplicem esse necessariam gratiam ad conversionem mentis creatæ ad Deum, scilicet gratis datam et gratum facientem. Sed hæc positio nulla est, nisi bona vel dona naturæ, gratiam gratis datam appellet : siquidem ad faciendum id quod in nobis est, dona utique naturæ sufficiunt.

Dicendum est igitur, quod ad elicendum actum conversionis, liberum arbitrium sufficit, quod se per actum hunc ad gratiæ susceptionem disponit; sed efficacia conversionis ad meritum, dependet a gratia. Unde unus et idem est motus qui est dispositio ad gratiam, in quo scilicet gratia datur prout procedit a libero arbitrio, et qui gratia informatur atque meritorius est : sicut etiam in natura in eodem instanti quo completur dispositio ad formam, scilicet terminus alterationis, forma substantialis tribuitur.

Digitized by Google

Denique, si angeli in gratia conditi dicantur, palam quod in eis meritum præcesserat præmium. Si vero sine gratia facti sunt, sicut communior tenet opinio, et Sent. II, dist. III F. Magister in littera, sic est triplex opinio : dicentibus quibusdam, quod beatitudinem suam nullo modo meruerunt. Sed hoc non valet, quum beatitudo habeat rationem præmii, et etiam quum homo sine merito præmium adipisci non quiverit. Ideo aliqui dicunt, quod beatitudinem suam merentur per ministeria nobis post eorum confirmationem exhibita. Sed de præmio accidentali hoc dici potest; de præmio vere essentiali, non recte. Nam beatitudo habet rationem termini; meritum autem, rationem viæ. Et sic non est (ut videtur) conveniens, quod angelus in beatitudine exsistens, mereri dicatur, nisi illud accidentale gaudium quod de his habet qui per eum salvantur.

Respondendum est ergo, quod meritum in eis præcessit beatitudinem, non tempore, sed ordine naturæ : prout jam dictum est, eamdem conversionem fuisse præparatoriam ad gratiam prout ab arbitrio est, et meritoriam secundum quod gratia informatur.

ARTICULUS XXXI.

Utrum Lucifer fuerit summus angelorum, et quomodo ipse fuerit aliis causa peccandi.

QUÆSTIONEM hanc, an scilicet primus peccans, fuerit summus supernorum spirituum, Augustinus movet undecimo super Genesim, sed insolutam relinquit, quoniam de his quæ ad angelos pertinent, pauca asserendo voluit tradere. Postmodum vero Gregorius manifeste determinat, quod Lucifer erat excellentissimus angelorum. Cui consentit communis sententia, tum propter multas auctoritates, tum quia non videtur quod spiritus alii creaturæ subjectus, Creatoris æqualitatem optaverit. Damascenus tamen dicit, quod de infimo choro erat. — Quamvis autem de eo scriptum sit, Tu Cherub extentus et protegens; non tamen erat de ordine Cherubim. Sed dictus est Cherub, ad insinuandum qualitatem culpæ : quia enim per elationem peccavit, et scientia inflat, ideo dicitur Cherub. Nam Cherub scientiæ plenitudo vocatur. *Ezech.* XXVIII, 14. 1 *Cor.* VIII, 1.

Denique, multiplex opinio est de hoc, quomodo Lucifer aliis erat causa peccandi. Quidam nempe dixerunt, inter peccatum Luciferi et aliorum, solum fuisse ordinem secundum quantitatem culpæ, quia scilicet peccatum ejus gravius erat. — Sed quoniam dictis Sanctorum istud non consonat, ideo alii asseruerunt, quod peccatum Luciferi præcessit gravitate, causalitate et tempore. Sed non videtur quod tempore, quia quam cito angelus peccavit, cecidit : sed si lapsum ejus alii vidissent, secuti eum in peccato non fuissent.

Dicendum est ergo, quod præcessit gravitate et causalitate, sed non duratione. Dictum est enim, quod sicut primus angelus eminebat aliis in dignitate naturæ, sic voluit eis quodammodo causa esse consequendi ultimam perfectionem. Hic autem motus desiderii indivisibilis fuit : ideoque principium ejus non præcessit terminum ejus. Sic ergo motus alicujus causatus ab eo, qui incepit in termino ejus, simul erat cum eo secundum quod desideravit votum suum ad effectum perducere, illud aliis manifestando; simul quoque cum hoc erat aliorum visio ac perversus consensus. Et hujus simile est in omnibus operationibus instantaneis, quarum est una alterius causa, quod sunt simul tempore : sicut illuminatio aeris, visio coloris, atque discretio rei visæ. — Sic ergo inferiores angeli per superbiam peccaverunt, et tamen subesse superiori volebant (quod ille optabat). Unde aliquid appetebant sibi, in quo superbiebant : ut scilicet ipsimet secundum possibilitatem naturalium suorum, gloriam acquirerent, tamen sub Deo, et non sub superioribus angelis; et quod art. XXIX.

Digitized by Google

eam in inferiores transfunderent. Consenserunt etiam angelo primo in hoc, quod appetebant eum dictam dignitatem consequi. Et est simile de his qui pariformiter se habent ad aliquid conquirendum : unde omnes in unum conspirantes, unusquisque sibi et aliis aliquid desiderat. — Porro non est remotum, secundum Thomam, quin conversio unius boni angeli ad Deum, fuerit aliis occasio et exemplum conversionis ad Deum : quia scriptum est, *Apoc. xii, 7.* Michael et angeli ejus ; quemadmodum de *Ibid. 4.* dracone legitur, quod traxerit tertiam partem stellarum.

ARTICULUS XXXII.

De loco et ordine dæmonum.

DENIQUE, incorporeis substantiis locus debetur, non secundum ipsarum essentiam, sed quantum ad operationem : vel per modum congruentiæ, vel per modum necessitatis. Primo modo debetur angelis, tam secundum operationem naturæ quam gloriæ, cœlum empyreum : et ergo omnes in eo conditi sunt. Secundo modo debetur eis locus in his quæ operantur circa nos. Porro, operatio angeli secundum statum culpæ vel miseriæ, tripliciter potest attendi : vel quantum ad naturalem lucem, quæ in eis remansit, licet obtenebrata ; vel quantum ad culpæ tenebras ; vel quantum ad ordinationem divinæ sapientiæ, quæ ex eorum malitia bonum elicit, scilicet exercitium nostrum. Et secundum hæc tria competit eis aer, potissime quantum ad mediam regionem ipsius. Nam in quantum est diaphanus, competit naturali luci eorum ; quantum autem ad turbulentiam suam, competit eis ut pœna ; in quantum vero propinquus est nobis, competit propter exercitium nostrum. Sed infernus competit eis contra culpam, in quantum horridus et tenebrosus. Nostra quoque habitatio competit eis propter exercitium nostrum. Et illa loca tria hæc competunt cuilibet dæmoni secundum diversas sui conditiones.

Remansit autem in dæmonibus ordo, non ille qui est ad consequendam beatitudinem, sed potestatis. Hoc enim congruit eorum naturæ, quæ in eis integra remansit secundum species suas ; divinæ quoque sapientiæ : quoniam quæ a Deo *Rom. xiii, 1.* sunt, ordinata sunt ; et sic congruit ut potestas dæmonum ad exercitandum puniendumque homines, ordinata sit per gradus prælationis. Similiter ex nequitia dæmonum idem patet. Nam quia uni adversantur, inter se confœderantur : et sic dæmones ad nocendum hominibus concordant. Verumtamen opinandum non est, quod inter se unquam, quantum in eis est, concordiam habuerint, vel benevolentiam aliquam ad invicem habeant ; sed ad malum concordant. Prælatio quoque in eis non minuit pœnam, sed auget : quia po- *Sap. vi, 7.* tentes potenter tormenta patientur.

ARTICULUS XXXIII.

An dæmon ab homine victus, retrudatur in infernum.

QUAMVIS diabolum ab homine tentato superatum, omnes concedant aliquo modo cessare ; de modo tamen cessationis hujus, tres sunt opiniones. Quidam enim aiunt eum sic repelli, ut nec ipsum nec alium amplius tentet, nec de eodem peccato nec de alio : quia caritas omnia opera bona facit esse communia in Ecclesia, et sic ex triumpho unius, omnibus oritur commodum. Isti tamen intelligunt ad tempus determinatum : post quod iterum ad pugnam redit. Quidam vero dicunt, quod de alio peccato potest tentare, sed non de eodem, nec victorem, nec alium. Tertii autem dicunt, quod ex quo dæmonem quis vicit de aliquo vitio, non potest de eodem vitio ab eo tentari, sed de aliis ; ceteros vero et de eodem et de alio tentare potest. Et hæc positio rationem habet magis manifestam. Ille enim dicitur dæmonem

Digitized by Google

perfecte vincere, in quo omnes passiones vincuntur quæ ad illud peccatum inclinant unde dæmon tentabat illum, ut habitus virtutis oppositæ perfecte adipiscatur. Unde tunc diabolus videns virtutem et stabilitatem ejus in bono, non amplius præsumit eum de eodem tentare. Quæ tamen harum opinionum verior sit, incertum est : quia nec ratione nec auctoritate multum probari valet.

ARTICULUS XXXIV.

Utrum angeli boni possint peccare.

PRÆTEREA agnoscendum, quod sicut Deus per propriam naturam habet quod peccare non possit, quia non est in eo potentialitas aliqua, quæ utique est origo peccati et omnis defectus ; sic angelus impeccabilitatem, non a natura, sed per gratiam confirmationis sortitur, quia per eam tota sua potentia completur in actu : sicut et materia corporum cœlestium per formam quam habet, completa est ; et in intellectualibus, facta resolutione conclusionis utriusque partis ad primum principium naturaliter cognitum, tunc ratio necessario assentit uni cum impossibilitate alterius. Porro lumen gratiæ vel gloriæ ita se habet ad mentem sicut forma vel actus in naturalibus ; et finis ultimus ita se habet ad voluntatem sicut primum principium in speculativis, secundum Philosophum sexto et septimo Ethicorum. Quum ergo per lumen gloriæ Beati ultimo fini, scilicet Deo, perfecte conjungantur per plenam fruitionem, ejus bonitate toti affecti ; ideo averti non valent.

Nec hoc libertati repugnat, quia libertas est eorum quæ sub electione cadunt, quæ videlicet sunt media ad ultimum finem : et ideo in electione error contingit in his in quibus de ultimo fine non est semper æstimatio recta ; sed non in Beatis, qui vident Deum per speciem. Verumtamen, ea quorum neutrum a fine deordinat, indifferenter angeli possunt : et sic salvatur in eis rationalis potestas. Denique, ut Anselmus testatur, posse peccare, nec libertas est nec pars libertatis : quia et Deus, qui liberrimus est, peccare non potest. — Laudabilitas quoque non est præcipue a potestate peccandi, sed a voluntate bono adhærente : alias virtuosus per habitum, esset minus laudabilis in actu suo, quam carens virtute et bonum operans. Sed potestas peccandi est quasi signum laudabilitatis respectu laudantium, ostendens opus non esse coactum.

ARTICULUS XXXV.

De obstinatione dæmonum, et de eorum naturali cognitione.

CAUSAM insuper obstinationis diaboli, diversimode tradunt diversi. Quidam enim dicunt, quia liberum arbitrium ejus medium est inter divinum, quod nunquam mutatur, et humanum, quod ante electionem et post eam mutabile manet : ideo post primam electionem exstat immutabile. Sed hæc causa (ut Thomæ videtur) supponit id cujus causa quæritur, scilicet immobilitatem angeli post electionem. Nec secundum eam posset dari ratio confirmationis et obstinationis animarum post mortem. — Alii dicunt, quia angelus propter indivisibilitatem et simplicitatem suæ naturæ, ad quodcumque se vertit, se totum convertit : et ideo postea non mutatur. Sed hæc ratio insufficiens videtur : quia secundum virtutem suam, quæ se ad multa extendit, divisibilis est. Unde non oportet ut operatio ejus procedat ab eo secundum totam suam virtutem. — Alii dicunt, quod quia angelus per se ipsum cecidit, non autem homo, ideo reparabilis non est sicut homo. Sed non videtur istud sufficere : quum per se vel per alium cadere, sint circumstantiæ peccati quæ in infinitum aggravare non possunt ; et iterum, quoniam si Deus hominem non reparasset, non tamen obstinatus fuisset. — Alii dicunt, quia angelus pec-

Sent. II, dist. VII, q. I.

Digitized by Google

cavit contra deiformem intellectum; homo autem contra rationem, quæ est intellectus obumbratus. Sed istud in infinitum aggravare non posset.

Dicendum est ergo, quod peccatum contingit dupliciter. Uno modo, ex passione mentem offuscante : et taliter peccans, passione cessante pœnitet. Secundo modo, ex malitia seu electione pravi finis, sicut habens habitum luxuriæ constituit sibi finem in delectatione venerea : et ita peccans, non pœnitet, secundum Philosophum, quia finis in operabilibus se habet sicut principium in speculativis. Nullus itaque pœnitere potest, nisi passione cessante, vel habitu malo remoto. Habitum vero removeri non est possibile nisi in statu viæ, non autem in termino. Et ergo quum mors sit homini terminus viæ, angelo vero sua electio; ideo nec anima post mortem, nec dæmon post electionem pœnitere potest. Sed datur homini longior via, quia magis distabat a fine. Et ideo Damascenus dicit : Quod est homini mors, hoc est angelo lapsus. — Dicit tamen Dionysius quarto capitulo de Divinis nominibus, quod dæmones appetunt bonum (scilicet esse, vivere), naturali videlicet appetitu. Sed appetitus hic semper depravatur in eis, quia volunt cum tali deformitate peccati esse et vivere. Unde sic naturaliter in dæmonibus synderesis manet, quæ et naturaliter malo remurmurat. Sed voluntas prava ei semper repugnat. Nam secundum Dionysium quarto capitulo de Divinis nominibus, dæmones claudunt virtutes suas inspectivas a consideratione boni et veri. — Dicit etiam Thomas, quod accidentalis dæmonum pœna crescit, non essentialis, quia in termino sunt.

Præterea, quum peccatum non tollat naturam, ideo naturalia manent in dæmonibus, scilicet acumen scientiæ, sicut Dionysius quarto dicit capitulo de Divinis nominibus. Sed cognitio eorum de rebus duplex est, scilicet : naturalis. Et hæc est vel per causas determinatas ad naturales effectus : et talia cognoscunt per subtilitatem naturæ, prout in eis sunt species ordinis universi; vel per signa ex quibus ut sæpius contingit effectus : et talia cognoscunt per experientiam temporum. Porro alia sunt quæ per causas naturales vel signa sciri non possunt : et talia non nisi per revelationem spirituum supernorum agnoscunt. — Licet autem dæmon a rebus cognitionem non recipiat, tamen acuitur ejus scientia longitudine temporum. Nam per speciem innatam, cognoscit rem et quæ in ea sunt; sed antequam causa contingens ad effectum determinetur, non est in ea effectus ejus, unde nec in ea cognoscitur : qui tamen, cognita causa, cognoscitur, quando jam ad effectum determinata est. — Quod autem quarto capitulo de Divinis nominibus Dionysius ait, quod malum dæmonis est furor irrationalis, amens concupiscentia, et phantasia proterva, metaphorice dictum est : quia corporales passiones proprie in eis non sunt. Sed quum omnis animæ defectus qui in nobis accidit, sit vel a phantasia quantum ad intellectum, vel ex passionibus concupiscibilis et irascibilis quantum ad affectum : ideo voluntas diaboli inordinate aliquid detestans vel appetens, dicitur concupiscentia et furor; et intellectus ejus inordinatus, dicitur phantasia. Et quia inordinatio ista intellectus, est ex prava voluntate, ideo dicitur phantasia proterva : quia protervus est qui pertinaciter veritatem impugnat. Irrationalitas autem et amentia furoris et concupiscentiæ, important obliquitatem voluntatis a recto judicio intellectus vel rationis; et ignorantiam electionis, non speculationis : secundum quem modum omnis malus est ignorans.

ARTICULUS XXXVI.

De divinatione quæ per dæmones fit.

DE præscientia vero futurorum, sciendum quod quædam futura in causis suis sic determinata sunt, ut ex eis necessario fiant : ut ea quæ circa motum cœli

Digitized by Google

contingunt. Et talia per species concreatas præagnoscit dæmon multo melius quam astrologus, etiam certitudinaliter : quia omnis effectus in causa sua cognosci potest prout determinatur in ea. Alia autem sunt futura quæ sic in causis suis determinantur, ut ex eis frequentius fiant, tamen in minori parte deficere possint ex parte agentis aut recipientis ; et de his non certitudinalis sed conjecturalis præcognitio potest haberi : et in hac quoque sunt dæmones subtilissimi. Alia vero quæ non habent causas determinatas sed ad utrumlibet contingentes, a solo Deo et cui ipse revelare voluerit, præsciuntur : et ideo qui talia futura prænuntiare assumunt, ab usurpatione divini actus appellantur divini.

Denique, ea quæ dæmones vel angeli hominibus revelant, revelant per applicationem luminis sui ad phantasmata, non se objiciendo animæ, sicut per speculum ea quæ in speculo sunt videntur : quia anima in hac vita non cognoscit nisi per conversionem ad phantasmata, ut Thomæ apparet ; nec etiam tales species, quum sint universaliores, proportionatæ essent animæ. Sed dupliciter potest angelus, bonus vel malus, sine creatione novæ speciei, aliquid intimare : vel per illustrationem prædictam, vel etiam novas species in imaginatione formando secundum aliquam transmutationem corporalem.

Porro de divinatione quæ fit in somniis, sciendum quod reducuntur divinationes tales in aliqua signa vel causas naturales. Hoc autem contingit dupliciter. Uno modo, in his quorum causa est in somniante ; et hoc dupliciter : quia vel somnium est causa eventus futuri, sicut dum quis aliquid facit propter id quod somniavit ; vel est signum futuri cujus causa est in ipso, ut dum quis somniat se dulcia comedere, significatur quod phlegma dulce dominetur in eo : unde medicus de sanitate vel morbo aliquid præcognoscit. Si vero neutro modo se habeat, tunc est solum per accidens. Alio modo, in his quæ causam habent extra somniantem : et in talibus eventus futuri frequenter se habet ad somnium per accidens ; quandoque tamen est somnium signum futuri : et hoc dupliciter. Uno modo, ex parte illa quæ cognitionem a corpore accepit, in quam cœlestis corporis virtus imprimitur. Ex motibus enim cœlestium corporum relinquuntur quædam impressiones et motus, quæ sunt signa motuum cœlestium, in inferioribus ; et prout isti motus veniunt ad imaginationem, figurantur ibi imagines illorum effectuum ad quos disponunt motus cœlestes, secundum similitudinem magis aut minus expressam, prout virtus imprimens est fortior, et recipiens magis disposita, atque ab aliis occupationibus magis quieta : et ideo in nocte, præsertim circa digestionem completam, talia magis sentiuntur. Sic quoque animalia quædam, futura aliqua noscunt et nuntiant, prout ad vitam eorum eis necessarium est : quemadmodum pisces motibus suis tempestatem futuram insinuant. Secundo modo, prout anima a Deo vel angelis per influentiam luminis cognitionem accipit : cui tanto vehementius copulatur, quanto ab exterioribus cessat. Et igitur in somno nocturno revelationes amplius fiunt, in illis potissime qui sensualitati dominantur. Nam quo eorum imaginatio intellectui magis obedit, eo expressiores similitudines capit. Unde et virtutes morales, maxime autem castitas, secundum Averroem septimo Physicorum, ad hoc maxime juvant. Propterea Aristoteles in libro de Somno et vigilia dicit, quod divinationes quæ in somniis fiunt, non omnino negandæ sunt. — Sciendum etiam, quod imaginatio hominis, propter multiplices motus rationis, inquietior est imaginatione animalium.

ARTICULUS XXXVII.

De miraculis quæ per dæmones fiunt.

AGNOSCENDUM, quod dæmon nullam virtutem naturalem, nec substantialem nec accidentalem, inducere potest in

Digitized by Google

materiam, nisi adminiculo naturalis agentis : quemadmodum artifex non per se, sed per ignem, cibum calefacit. Potest itaque dæmon per applicationem naturalium agentium et passivorum, effectus aliquos præter consuetum cursum producere, propter multiplicationem ac vehementiam activitatis rerum congregatarum, habilitatemque passivorum. Ideoque ea quæ in potestate naturæ non sunt, facere nequit, ut suscitare mortuum, nisi in præstigio solum : quæ tamen diu durare non possunt. Unde patet eorum error qui dæmones deos putabant, et per modum creationis operari ; et ipsius quoque Avicennæ, qui posuit quod ex sola conceptione substantiæ separatæ, fiat aliquis effectus in inferioribus præter ordinem naturæ : et sic reducit miracula ad eas præcipue.

Sciendum autem, quod tempore Antichristi, fient vera miracula (quæ tamen in potestate naturæ aliquo modo sunt) permissione divina ; sed dicuntur mendacia, quia ad fallendum fient. — Dicit autem B. Petrus in Itinerario Clementis, quod divina miracula sunt de rebus utilibus, sicut sanare infirmum ; sed diabolica, de rebus nocivis et vanis, ut volare in aere et membra stupida reddere. Denique, mali in signis quæ faciunt, inhonestis deliramentis utuntur, ut quod se cultris incidunt ; sed boni divinum nomen pie et reverenter invocant : unde manifeste discerni possunt. — Dæmones quoque impressioni corporum cœlestium non subduntur ; sed quod sub certa constellatione advocati adsunt, faciunt, quoniam constellationem illam ad effectum suum utilem sciunt, et etiam ut homines fallant. Non ergo invocationibus et factis maleficis compelluntur, nisi in quantum per illa cum eis fœdus initur.

Præterea, quum ea quæ naturæ facultatem excedunt, a Deo solo quærenda sunt, ideo qui in talibus dæmonum utuntur auxilio graviter peccant : sicut in vaticinio de futuris. Ideo, quod Sancti leguntur aliqua per dæmones fecisse, non egerunt pacto, sed virtute divina : quemadmodum et Potestates cœlestes habent dæmones coercere. Et sic Paulus tradidit illum Corinthium Satanæ in interitum carnis. *I Cor.* v, 5.

ARTICULUS XXXVIII.

An angeli sint incorporei, et quomodo corpus assumant.

QUUM dicat Dionysius quarto capitulo de Divinis nominibus, quod angeli sicut incorporales ita et immateriales intelliguntur, constat angelos non esse corporeos. Et si haberent corpora naturaliter unita, quum ipsi sint nobilissimæ formæ, illa essent digniora corpore humano, et per consequens essent corpora cœlestia : quo dato, rediret error philosophorum qui ponebant angelos esse formas orbium, et secundum eos multiplicari.

Itaque, errore quoque eorum relicto qui dicunt angelos nec esse corporeos nec unquam corpus assumere vere, sed in præstigio solum aut secundum visionem imaginativam, quum hoc nec dictis Sanctorum nec Scripturæ concordet ; dicendum, quod angeli corpora assumant. Nam quum natura spiritualis corporali superior sit, dominatur ei, et illa obedit. Non autem obedit quantum ad primam inchoationem vel susceptionem formarum, quia illa est a Deo dumtaxat, eductio vero formarum fit per naturale agens ; sed obedit ei quoad motum localem, per quem non ponitur aliqua forma in re mota. Quando itaque virtus spiritualis separata movet aliquod corpus, dicitur ei uniri ut motor. Sed dum insuper substantia spiritualis hoc corpus format, ut appareant in eo aliquæ proprietates visibiles invisibilibus ejus proprietatibus congruentes ; tunc dicitur illud assumere : ut quum apparet in figura leonis vel hominis. Et talis assumptio est propter eos quibus apparet. Et est angelus in qualibet parte talis corporis, quia comparatur ad ipsum sicut unus locus divisi-

Digitized by Google

bilis. Et est idem judicium de angelo bono et malo, quia uterque spiritus est.

ARTICULUS XXXIX.

De qualitate et materia corporis assumpti ab angelo; et utrum in eo comedere, sentire, videre, loqui et generare possit.

De Cœlest. hier. c. XV. QUEMADMODUM Dionysius ait, introductio hominum ad cognitionem substantiæ spiritualis, finis est visibilium formarum omnium in corporibus ab angelis assumptis; et ideo oportet ut proprietates illæ quæ in tali apparitione apparent, sint tantum secundum similitudinem, ut non intelligatur illis subesse aliqua res nisi angelus : ut quasi corpus ejus esse videatur; et proprietates corporis, quasi proprietates angeli. Corpus igitur tale non habet veritatem naturæ quæ ostenditur, sed similitudinem tantum : alioqui non duceret in cognitionem angeli, sed illius cujus veram naturam habet.

Proinde corpus tale assumptum, secundum materiam aerium est, quia aer est maxime transmutabilis et in omnem figuram vertibilis. Sed ut corpus aerium figuram angelo competentem recipiat, oportet ut aer inspissetur, et ad terræ proprietatem accedat, servata aeris veritate : et hoc angeli facere possunt per motum localem, aerem colligendo, et etiam per * elementis semina in aere * respersa. Quod autem corpus tale aerium sit, patet, quia nec gladio scindi potest nec confodi : quod quidam interdum tentaverunt. — Denique, in corporibus istis apparere solet proprietas hominis, et etiam ignis, præcipue quoad splendorem, quia secundum Dionysium quintodecimo Cœlestis hierarchiæ, inter omnia corpora, ignis potissime repræsentat spiritualis proprietates substantiæ.

Porro, quum corporibus istis angeli non vitam sed motum influant, ideo operationes quæ sequuntur corpus secundum quod vivum, angelis in corporibus istis convenire non valent; sed illæ quæ sequuntur corpus ut mobile : ut impellere, movere, dividere. Ideoque non vere comedunt : quia comedere significat, non tantum divisionem cibi et trajectionem ejus in os, sed etiam quod actus iste sit a virtute potente cibum digerere et in nutrimentum convertere : quod spiritui non competit. Unde Christus post resurrectionem vere comedit, licet cibum non convertit in se. Sed angeli quos Abraham suscepit hospitio, non vere comederunt. Nec est inconveniens dicere, quod Abraham primo nescierit eos esse angelos, sed postea. Si vere ante scivit, præbuit eis cibum ratione alicujus mysterii. — At vero, quum videre, sit actus corporis vivi, nullo modo angeli vident per corpora assumpta, nec sunt ibi organa sensitiva nisi secundum similitudinem. Sed et locutio secundum completam suam rationem, angelis in corporibus istis non convenit, quum non habeant vera organa corporea et imaginationem; sed est in eis aliqua similitudo locutionis, in quantum intelligunt, intellectumque exprimunt quibusdam sonis, qui non sunt proprie voces, sed vocum similitudines. Locutio namque proprie est ex percussione aeris determinatis organis. — Moventur autem angeli per accidens in corporibus assumptis : quia definitive in loco sunt. Deus vero nullo modo movetur, quia ubique est : sicut nec anima movetur per accidens motu manus, sed totius corporis; quemadmodum etiam, secundum philosophos, motor orbis, quia conjungitur orbi secundum se totum, non movetur per accidens : quia orbis secundum se totum non variat locum.

Luc. XXIV, 43; *Act.* I, 4; X, 41. *Gen.* XVIII, 1 et seq.

Insuper, id quod in Genesi legitur, Videntes filii Dei filias hominum quod essent pulchræ, etc., Josephus exponit de dæmonibus incubis : et sic angeli aliquo modo generare possent. Sed hoc alii negant, et dicunt, quod Scriptura per filios Dei intelligat filios Seth, qui boni erant; per filias hominum, filias Cham. Verumtamen, quoniam multi oppositum dicunt,

Ibid. VI, 2.

Digitized by Google

et quod a multis dicitur, non potest omnino esse falsum, secundum Philosophum septimo Physicorum; ideo dici potest, quod per actum eorum completur generatio, in quantum semen humanum collectum apponere possunt ad determinatam materiam in loco convenienti, sicut aliarum rerum semina congregant ad certos
art. XXXVII. effectus, juxta præhabita : sic tamen, ut attribuatur eis id dumtaxat quod est motus localis, non generatio ipsa, cujus principium non est virtus dæmonis nec corporis ejus, sed ejus cujus semen adducit; ideo et genitus non est filius dæmonis. Et quoniam dæmones scire possunt dispositionem seminis ex parte ejus unde decisum est, mulierem quoque proportionatam atque constellationem juvantem et
Gen. VI, 4. optimam; ideo ex eis dicerentur nasci homines spectabiles sive gigantes. Sed et dæmon qui uni est succubus, est alteri incubus, secundum quosdam.

ARTICULUS XL.

Qualiter dæmones intra corpora hominum esse possint; et de præstigiis quibus sensus humanos decipiunt.

art. XXXVIII, XXXIX. UT jam crebrius prætactum est, angeli boni et mali virtutem habent transmutandi corpora inferiora, etiam humana : ideoque impressiones habent in potentias organicas; in intellectum vero indirecte, in quantum objectum ejus est corporale phantasma; sed in voluntatem nequaquam, quia ipsa ab intellectu objectum suum recipit secundum quod intellectus apprehendit aliquid in ratione boni. Et quia ubi operantur ibi sunt, ideo corporibus nostris illabuntur. Sciendum autem, quod esse intra aliud, est esse infra terminos ejus. Corpus autem habet terminos quantitatis, et infra istos dicitur esse dæmon. Habet quoque terminos suæ essentiæ, et infra istos non est. In substantiam autem spiritualem (quum non habeat nisi terminos essentiæ) nil intrat nisi Deus creator, qui intrinsece operatur in ea, dans ei esse atque conservans. Porro, quamvis anima sit in qualibet parte corporis, in quo etiam dæmon est; non tamen sunt duo spiritus creati in eodem loco, quia anima est in corpore sicut forma in materia, non sicut in loco : unde non est ejusdem rationis operatio ejus et dæmonis in corpore; et ob id sine confusione operum, in eadem corporis parte esse possunt.

De præstigiis autem sciendum, quod formæ quæ videntur in eis, sunt solum in sensu. Et hoc dæmonis operatione dupliciter accidere potest. Uno modo, ut ex thesauro imaginationis species ad sensus deriventur : et sic uniuntur organis, ac si res esset præsens, sicut etiam in somno fit. Alio modo, ex immutatione organi, per quam cito judicium fallitur : quemadmodum habenti gustum corruptum, omnia apparent amara. Hoc autem facere dæmones possunt virtute quarumdam naturalium rerum, sicut ad vaporationem cujusdam fumi, trabes domus moveri videntur. Unde et dæmones dicuntur incentores malorum, quia faciunt fervere sanguinem, et sic ad concupiscendum disponitur anima. — Boni vero angeli directe agunt in intellectum, illuminando eum, secundum Augustinum, miris quibusdam modis. Sed in voluntatem, quæ semper est domina sui actus, imprimere, solius Dei est.

ARTICULUS XLI.

Utrum Deus aliquando in corporalibus figuris apparuerit.

SICUT in libro de Trinitate Augustinus testatur, apparitiones illæ quibus Deus hominibus apparuisse legitur, angelorum ministerio sunt factæ : quia secundum Dionysium, divinæ revelationes non veniunt ad nos nisi per hierarchiam angelicam. Unde in talibus apparitionibus corporalibus, corpus ab angelo est formatum, assumptum et motum. Sed quando
De Cœlest. hier. c. IV.

Digitized by Google

angelus intendit hominem instruere de se ipso, exprimendo in corpore proprietates et similitudines sibi convenientes; tunc dicitur angelus apparere. Dum autem vult de Deo vel angelo superiori docere, format corpus secundum exigentiam convenientem illi de quo vult informare; et tunc dicitur Deus vel superior angelus apparere (unde constat, quod angelus per linguam asinæ Balaam loquebatur). Et istud dicit Gregorius Exodi tertio in Glossa, ostendens cur angelus Moysi loquens, quandoque Dominus, quandoque angelus dicitur. Et sic erat Deus in illis creaturis, sicut signatum in signo.

Num. XXII, 28 et seq.

ARTICULUS XLII.

De definitione hierarchiæ, et actionibus hierarchicis.

PORRO tertio Cœlestis hierarchiæ capitulo, definiens hierarchiam Dionysius : Hierarchia, inquit, est divinus ordo et scientia et actio, deiforme quantum possibile est similans, et ad inditas ei divinitus illuminationes proportionaliter in Dei similitudinem conscendens. Pro cujus intellectu, sciendum quod hierarchia dicitur quasi sacer principatus. In omni autem principatu requiritur gradus potestatis, et finis in quem tendat gubernatio principis : sicut in regimine sæculi finis est ut populus pacifice disponatur. Sic ergo in sacro principatu finis, est Deo, ut fas est, assimilari. Hic vero finis non nisi per ordinatam operationem adipisci potest : ad quam requiritur ordinata potestas et scientia dirigens. Ideo in definitione hierarchiæ ponitur ordo, id est gradus potestatis, et scientia sicut dirigens, et actio sicut ad finem ducens, et Dei similitudo sicut finis intentus. Ponitur autem in ea primo, Deiforme quantum possibile est similans, secundum quod angeli assimilantur Deo in receptione divini luminis; postea quoque, Et ad inditas, etc., in quantum assimilantur Deo transfundendo lumen suum in inferiores.

Sed sciendum, quod Dionysius non intendit definire hierarchiam, sed essentialia ejus principia tangere. Posset autem sic ordinari definitio : Hierarchia est divinus ordo secundum scientiam et actionem, etc. Definit quoque Dionysius hierarchiam, dicens : Hierarchia est ad Deum, quantum possibile est, unitas et similitudo. Et hæc est formalis, quia datur per causam finalem; sed prima jam posita, completa.

De Cœlest. hier. c. VII; *de Eccl. hier.* c. II.

Denique, ordo dupliciter sumitur : vel prout nominat unum gradum tantum, et sic est pars hierarchiæ. Sicque definitur a Magistro : Ordo angelorum, est multitudo cœlestium spirituum qui inter se in aliquo munere gratiæ similantur. Sic quippe qui unius gradus sunt, ejusdem ordinis perhibentur. Alio modo nominat ordo relationem inter diversos gradus exsistentem, ut dicatur ordo ipsa ordinatio : sic enim sumitur quasi abstracte, et ponitur in definitione hierarchiæ.

Sent. II, *dist.* IX B.

Insuper agnoscendum, quod vitam naturæ, gratiæ et gloriæ, Deus immediate influit in omnem mentem creatam. Nec in his attenditur hierarchiæ prælatio, ideoque in definitione hierarchiæ, non ponitur natura, gratia vel gloria; sed quoad exsecutionem officiorum divinorum, est in ipsis prælatio, et igitur ponitur in ea scientia quasi dirigens.

Errant præterea, qui in divinis personis, scilicet in supersancta Trinitate, hierarchiam ponunt; quum non sit ibi gradus aut principatus unius super alteram, nec Pater purgat, illuminat aut perficit Filium aut Spiritum Sanctum : quæ tamen secundum Dionysium sunt de ratione hierarchiæ.

De Cœlest. hier. c. III.

Sunt autem tres actiones hierarchicæ, scilicet : purgare, illuminare et perficere. Quum enim hierarchia perficiatur in scientia, sicut definitio continet, ob id actio hierarchica in scientiæ transfusione consistit. Unde septimo Cœlestis hierarchiæ capitulo Dionysius ait, quod purgatio, illuminatio et perfectio, est divinæ scientiæ

Digitized by Google

actio. Ad scientiam autem tria concurrunt, scilicet : expulsio contrarii, scilicet ignorantiæ, infusio luminis, et ipsa substantia cognitionis. Itaque quoad primum, est purgatio; quoad secundum, illuminatio; quoad tertium, perfectio. Purgatio autem ista, non est a culpa, neque ab immunditia, sed a dissimilitudine minoratione-que luminis, secundum Dionysium tertio Cœlestis hierarchiæ capitulo.

De illuminatione autem angelorum, quidam dixerunt quod inferiores non vident Deum per essentiam, sed prout a superioribus illustrantur : quocontra scriptum *Matth.* xviii, 10. est, Angeli eorum semper vident faciem Patris. Alii dixerunt omnes angelos in omnibus a Deo immediate illuminari, negantes totum processum Dionysii : qui tamen auctoritatibus Scripturæ roboratus est, ac philosophorum doctrinæ concordat. Mediam ergo viam tenendo dicendum est, quod omnes vident Deum immediate : et hæc est fruitio et beatitudo eorum; et quoad hanc, unus non illuminat alium. Sed non oportet ut qui causam cognoscit, omnia sciat quæ in potestate causæ continentur, nisi causam illam perfecte comprehendat : et ideo superior angelus, qui Deum clarius videt, de divinis mysteriis atque effectibus inferiorem illustrat et docet. Illuminatio quoque hæc, non est per creationem novi luminis, sed per immediatam applicationem et irradiationem mentis ad mentem. Unde non est ibi imaginandum medium deferens neque situalis distantia, sed sola spiritualis conversio : quia secundum Augustinum, quod est in corporalibus situs, hoc in spiritualibus ordo est.

Porro actiones istæ hierarchicæ quandoque secundum rem conjunguntur : et ideo non nisi secundum rationem differunt. Omnis namque perficiens, in eo quod perficit, illuminat et purgat, et omnis illuminans purgat; sed non convertitur, ut præcipue patet in hierarchia humana, secundum Dionysium : quia non quamlibet purgationem, sed perfectam dumtaxat sequitur illuminatio; et similiter de illuminatione respectu perfectionis.

De Eccl. hier. c. v.

ARTICULUS XLIII.

De divisione angelicæ hierarchiæ in tres hierarchias et novem ordines.

TRIPLEX autem invenitur angelorum distinctio : una, hierarchiarum ab invicem; secunda, ordinum ejusdem hierarchiæ; tertia, angelorum unius ordinis. Et quælibet illarum sumitur secundum diversam dispositionem seu proportionem ad receptionem divini luminis. Nam hierarchiarum diversitas est secundum modum recipiendi divinas illuminationes; ordinum autem, secundum diversos actus ad quos divinum lumen perficit secundum perfectionem majorem et minorem; diversitas vero personarum unius ordinis est secundum diversam virtutem exsequendi actus efficaciter. Nam ecclesiastica hierarchia distinguitur a cœlesti, quia recipit lumen divinum sub velamine sensibilium formarum in sacramentis ac Scripturæ metaphoris; sed angelica recipit illud pure et simpliciter. Et licet hic modus sit omnibus in ecclesiastica hierarchia communis, tamen eorum sunt diversi actus, secundum quos diversi sunt ordines : quia alius est actus sacerdotum, alius diaconorum. Et in eodem ordine sunt alii aliis magis idonei. Conformiter, licet in prædicto modo recipiendi lumen divinum, omnes angeli conveniant; alii tamen aliis recipiunt universaliori altiorique modo. Hoc autem non nisi tripliciter variatur : quia aut recipiunt illuminationem in ipso fulgore divinæ lucis; et sic est prima hierarchia, quæ cognoscit divinos effectus in ipsa prima universali causa : et ideo circa Deum esse dicuntur, et nomen sortiuntur ab actu qui est immediate circa Deum. Aut cognoscunt res in universalibus rerum rationibus : et sic est hierarchia secunda, quæ illuminatur a pri-

Digitized by Google

ma. Et nomina ordinum hujus hierarchiæ non significant actum circa Deum, sed potestatem illimitatam operandi in res in quibus Deo ministrant. Aut cognoscunt res in propriis rationibus : et hic est modus infimæ hierarchiæ, cujus formæ sunt magis particulares et nobis proportionatæ. Unde et ordines ejus denominantur ab actibus determinatis circa unum hominem aut unam provinciam.

Simile hujus est in terrenis principibus. Nam quidam ministrorum operantur immediate circa personam regis : ut consiliarii et assessores. Et hoc convenit primæ hierarchiæ. Quidam autem habent officia ad regimen regni in communi, non limitatum huic aut illi provinciæ : ut domini regalis curiæ, principes militiæ, et judices curiæ. Et his similes sunt ordines secundæ hierarchiæ. Quidam vero deputantur certæ parti regni : ut ballivi, etc. Et hoc convenit infimæ hierarchiæ. Et sic patet hierarchiarum distinctio.

Denique, primæ hierarchiæ ordinum numerus accipitur seeundum tres actus fruitionis. Quorum unus est comprehendere vel tenere, quo perficitur memoria : et secundum hoc accipitur ordo Thronorum, qui sunt sedes Dei. Alius est videre : et inde dicuntur Cherubim. Tertius, diligere : et hinc accipitur ordo Seraphim. Quia vero in caritate est consummata unio, ideo Seraphim est primus ordo. Secundus est Cherubim, propter unitatem assimilationis, in qua completur scientia. Et quoniam in susceptione importatur unio solum secundum contactum, ideo Throni sunt tertius ordo. — Secundæ quoque hierarchiæ distinctio illa accipitur. Nam regnum communitatis est secundum quod bonum commune pacifice et ordinate dispensatur. Hic vero pacis ordo per tria completur : uno scilicet sententiante quid unicuique debeatur ; et hoc est Potestatum : unde dicuntur aerias arcere potestates, sicut potestas sæcularis suspendit latronem propter pacem civitatis. Sententia autem debet esse efficax et recta. Ut autem sit efficax, eget adjuvante cui nihil sit difficile exsequi. Et ad hoc est ordo Virtutum, qui attingit ultimum in operandis difficilibus ad divina ministeria pertinentibus : hinc ejus est miracula facere. Ad hoc quoque quod sit recta, indiget dirigente aliquo et imperante : quod ad Dominationes pertinet. Ideo hic ordo est primus. Secundus est ordo Virtutum, a quibus Potestates efficaciam habent. — Ordinum demum infimæ hierarchiæ sic accipitur numerus. Nam eorum potestas vel determinatur ad unam provinciam, et sic sunt Principatus ; vel ad unum hominem : et hoc est vel de his quæ pertinent ad unam personam tantum, et sic sunt Angeli ; vel quæ pertinent ad bonum commune, quod tamen per actum singularis personæ completur, et illi sunt Archangeli.

Dicit Thomas, et bene, quod positio Dionysii ponentis Virtutes in secunda hierarchia, est rationabilior positione Gregorii : quia Dionysius distinguit secundam hierarchiam a tertia secundum universale et particulare. Et Gregorius (ut Thomas dicit) intendit magis ordines numerare quam disponere. — Præterea, in nostra hierarchia distinguuntur tres ordines, secundum tres actus hierarchicos : quia ministrorum, secundum Dionysium, est purgare, sacerdotum purgare et illuminare, episcopi autem perficere. Sed quum infimus angelus sit superior omni viatore, ideo omnia ista potest.

Sent. II, dist. IX, q. I.

De Eccl. hier. c. V.

ARTICULUS XLIV.

De nominibus angelorum.

AD hoc quod nomen rem proprie nominet, requiritur ut res per nomen significata, habeatur perfecte secundum actum completum, et ut sit ultima ejus perfectio. Unde nec sensus, nec intellectus, sed ratio proprium est nomen humanæ perfectionis. Ideo licet omnes cœlestes

Digitized by Google

spiritus angeli dici possint, quia angelorum perfectio in eis eminenter continetur; quia tamen non est eis ultimata perfectio, ideo ultimo ordini hoc nomen proprium est. Denique, omnes dicuntur Virtutes, prout virtus est vigor sequens naturam, qui in illis fortis est; sic autem non dicitur, quando est nomen speciale ordinis. Sed et Seraphim et Cherubim atque Throni, non dicuntur simpliciter ab actibus fruitionis, sed ab actuum excellentia. Seraphim etiam dicuntur, non quod habitum caritatis influant, quia hoc solius Dei est; sed quia de iis quæ caritatem augent, illuminant. Dicit Dionysius, quod semper inferior angelus est manifestativus superioris : et sic omnes angeli, id est manifestantes, dicuntur.

De Cœlest. hier. c. x.

Dicit autem Thomas, quod unusquisque angelorum ordo ex illo nomen et rationem accipit, quod est ultimum virtutis suæ ad capiendum cognitionem rerum in visione divinæ essentiæ.

Item, nomina hæc, Seraphin, Cherubin, dum terminantur in *n*, sunt neutri generis et pluralis numeri, et ponuntur pro toto collegio unius ordinis; terminantia vero in *m*, sunt masculini generis, pluralis numeri, et ponuntur pro pluribus personis unius ordinis. Seraph aut Cherub, sunt masculini generis, singularis numeri, et significant unam ordinis illius personam.

ARTICULUS XLV.

An angeli unius ordinis sint æquales; et de connexione hierarchiarum.

art. XXII, XLIII. JUXTA præinducta, secundum diversitatem naturalium sunt etiam in gratuitis angeli diversimode perfecti : secundum quæ gratuita, ordinum pensatur

art. XIX. distinctio. Quumque secundum præhabita, non sint plures angeli in una specie, ideo in tota hierarchia cœlesti non est accipere duos angelos in una specie. Quod igitur

De Cœlest. hier. c. VIII, IX. Dionysius vocat angelos unius hierarchiæ æquipotentes, non simpliciter, sed secundum quid accipi par est, prout videlicet conveniunt in modo suscipiendi divinas illuminationes illi hierarchiæ competente. Sic quoque angeli unius ordinis sunt æquipotentes, non simpliciter, sed secundum convenientiam in actu sui ordinis. Non enim quælibet distinctio graduum facit diversos ordines, sed quæ est secundum actus diversos.

Præterea, sicut decimo Cœlestis hierarchiæ capitulo Dionysius docet, angelicarum hierarchiarum ordines sibi invicem connexi sunt, et etiam nostræ hierarchiæ, instar partium universi. Species quippe rerum connexæ sunt, in quantum una juvat aliam ad consecutionem sui finis, imo et ultimi finis, secundum suam possibilitatem. Sic est et angelicarum hierarchiarum connexio secundum relationem ad unum finem ultimum, quia cujuslibet hierarchiæ finis est unitas et similitudo ad Deum. Est rursus in eis connexio secundum tria quæ sunt de essentia hierarchiæ, videlicet ordinem, scientiam et actionem. Secundum ordinem quidem : nam sicut hierarchia angelica inter Deum et nostram media est, sic inter tres angelicas hierarchias est una media; et in qualibet sunt primi, medii ac ultimi ordines. In quolibet etiam ordine sunt primi, medii, ultimi. Denique, irradiatio lucis divinæ procedit a primo angelorum usque ad ultimum, secundum singulorum capacitatem : et sic est ibi connexio scientiæ. Est etiam connexio actionis : quia superiores et primi habent actionem hierarchicam in medios, et medii in ultimos. Propter quod ultimus ordo superioris hierarchiæ convenit cum primo ordine hierarchiæ sequentis. Et ob hanc connexionem summus ordo nostræ hierarchiæ, in tantum convenit cum ultimo ordine hierarchiæ cœlestis, ut sacerdos dicatur angelus Domini exercituum, apud Malachiam. Divina enim sapientia semper conjungit fines primorum principiis secundorum, secundum Dionysium septimo Cœlestis hierarchiæ capitulo.

Malach. II, 7.

Digitized by Google

ARTICULUS XLVI.

Utrum distinctio ordinum sit a natura, et an homines ad ordines angelorum assumantur.

AGNOSCENDUM, quod quum ipsæ naturæ angelorum specifice distinctæ sint, est eis naturaliter quidam ordo. Sed quum gratia informet perficiatque naturam, ideo formaliter et completive est distinctio ordinum secundum infusionem gratiæ. Unde secundum naturalia eorum, erat in eis amor atque cognitio in majori B et minori plenitudine.

Porro Eustratius, quidam commentator Græcus, episcopus, super sextum Ethicorum Aristotelis asserit, quod nullus sperare debeat tantum profectum ut ad æqualitatem angelorum pertingat : et sic ex hominibus fieret decimus ordo. Sed positio ista falsa est, præsertim quum virgo Maria omnibus ordinibus angelorum prælata sit. Et dictis Sanctorum concor-
Matth. dat. Dicit enim Dominus, quod erunt sic-
xxii, 30. ut angeli Dei. Et Dionysius dicit primo C capitulo de Divinis nominibus, quod homines angelorum gloriam sortientur. — Ideo alii dicunt, quod solum virgines assumentur. Sed quum multi non virgines, ut Petrus et Magdalena, sint pluribus virginibus perfectiores, ideo hoc stare non potest. — Unde alii dixerunt, quod soli perfecti ad ordines angelorum transferentur. Sed hoc est contra Gregorium. Et etiam, quum ex hominibus et angelis sit futura una Ecclesia ac una hierarchia, non est probabile quod numerus ordinum, D in quibus semper est Trinitatis quædam expressio, sit augendus in cœlis. — Melius ergo dicitur, quod omnes electi secundum qualitatem meritorum sint assumendi ad ordines angelorum.

ARTICULUS XLVII.

Quod nec omnes adsistunt, nec omnes ministrant.

ADSISTERE autem præsidenti, proprie illi dicuntur qui circa eum sunt. A Quum ergo, secundum Dionysium, primæ hierarchiæ proprium sit circa Deum et quasi in vestibulis Divinitatis esse, ei soli convenit adsistere : quoniam ipsa immediate a Deo divinas illuminationes participat in ipsa simplicitate divini luminis, propter claritatem suæ intellectualitatis. Nempe quo intellectus aliquis altior est, eo in ipso universali principio plura distincte cognoscit : et ideo in angelis secundum descensum eorum a Deo, est proportionaliter divisio et multiplicatio divinæ lucis, secundum uniuscujusque capacitatem. De Cœlest. hier. c. VII; de Divin. nom. c. V.

Amplius autem, nec omnes ministrant, ita ut ad exterius ministerium mittantur, sicut Dionysius tradit. Et hujus ratio ex tribus potest assumi. Primo, ex ordine divinæ sapientiæ, quæ omnia ordinate disponit sic, ut a superioribus ad infima per media illuminationes perveniant. Secundo, ex parte illuminationum. Nam intellectuale lumen superiorum angelorum, quum sit simplicissimum et universalissimum, non est proportionatum nostro intellectui, qui infimus est, nisi prius determinetur in inferioribus angelis : sicut etiam intellectus obtusus subtilissimarum veritatum capax non est. Tertio, ex parte actionis. Quum enim actiones sint circa singularia, oportet quod procedant a formis maxime contractis et particularizatis. Tales vero non sunt formæ angelorum primorum, sed inferiorum. Et ideo philosophi posuerunt cujuslibet orbis duos motores, scilicet animam ejus et intelligentiam : ut scilicet universales formæ intelligentiarum determinarentur per motores conjunctos ad inferiorum capacitatem. Unde etiam Avicenna angelos inferiores dicit animas orbium; superiores vero vocat intelligentias. Hæc itaque positio aliis rationabilior est : tum quia Dionysius eam tenet, qui Pauli discipulus erat, et ejus visiones perhibetur scripsisse, et sicut tertiodecimo Cœlestis hierarchiæ capitulo innuit, hæc positio tempore primitivæ Ecclesiæ vulgata erat; tum quia De Cœlest. hier. c. VI, VII.

Digitized by Google

dictis philosophorum magis consonat. — Hanc tamen quæstionem Gregorius movet, sed insolutam relinquit.

Si autem quis dicat : Quomodo ergo
Is. VI, 6. Isaias dicit, Volavit ad me unus de Se-
Hebr. I, 14. raphim ; et Apostolus vocat omnes administratorios spiritus? Respondendum, quod dictum illud Prophetæ Dionysius tertiodecimo Cœlestis hierarchiæ capitulo dupliciter solvit. Primo, ut angelus ille æquivoce Seraphim dictus sit, quia videlicet per ignem purgare venerat. Secundo, ut intelligatur vere fuisse de ordine Seraphim : non tamen ille angelus qui visionem immediate revelavit erat de superiori ordine, sed is a quo ille missus erat. Virtus enim hierarchica a Deo per superiores angelos in inferiores descendit. Angelus autem visionem illam formans, reduxit Prophetam in cognitionem
Is. VI. 1. non solum sui, sed Dei (unde ostendit Dominum super solium sedentem), et etiam
Ibid. 2. ipsorum Seraphim : quia ostendit Seraphim circa thronum stantia, et virtutem purgativam ab eis per angelos inferiores ad nos descendere. Et sic ille angelus in vir-
Ibid. 6, 7. tute Seraphim purgavit Prophetam, ideoque nomen ejus sortitur : sicut etiam sacerdos in virtute episcopi aliquem absolvit. — Ad verbum Apostoli dicendum, quod omnes angeli administratorii sunt spiritus, quia inferiores virtute superiorum ministerium exsequuntur. Vel dici potest, quod Apostolus intendit probare præeminentiam novæ legis ad veterem, propter eminentiam Christi, a quo lex nova data est, ultra angelos, per quorum
Act. VII, 53. ministerium vetus lex dabatur. Et sic loquitur solum de angelis ultimæ hierarchiæ, per quos lex illa disposita est.

Denique secundum Dionysium, omnes cœlestes spiritus angeli dicuntur : non quod exterius aliquid annuntient, sed quia inferior semper est in eis manifestativus et quasi nuntiativus sui superioris.

Dicunt autem quidam, quod licet inferiorum sit mitti, tamen quandoque ali- A qua orta causa præter communem dispensationem, etiam superiores mittuntur. Sed hoc non videtur valere, quia ad omnia maxima nuntianda et exsequenda, inferiores sufficiunt. Et præterea, licet hujusmodi fiant præter communem cursum naturæ, non tamen præter ordinem gratiæ, secundum quem ordinum est attendenda distinctio : et ideo cum Dionysio dicendum, quod superiores angeli nunquam ministerium habent immediate circa nos.

B

ARTICULUS XLVIII.

Qui ordines ministrent, et utrum per ministerium exterius a contemplatione retardentur.

QUORUMDAM, sicut Magister narrat, po- Sent. II, dist. x F.
sitio est, angelos primæ hierarchiæ nunquam mitti, sed angelos ultimæ hierarchiæ mitti ad nos, angelos quoque secundæ hierarchiæ mitti ad angelos tertiæ hierarchiæ. Sed hoc ultimum non valet : C quia missio angeli ad angelum, non nisi per illuminationem unius ab alio intelligi potest. Sed sicut media hierarchia illuminat ultimam, sic prima mediam. Rursus, positio ista dictis Sanctorum non consonat, qui adscribunt Virtutibus et Potestatibus ministerium in exsecutione exteriori, scilicet miracula facere, dæmonesque arcere. Constat ergo, quod quinque ordines mittuntur exterius, scilicet, tres tertiæ hierarchiæ, et duo ultimi mediæ hierarchiæ. Dominationibus autem non D convenit ministrare vel mitti, quum ministratio sit contra rationem dominii ; sed earum est imperare atque dirigere inferiores in omnibus divinis ministeriis. Ideoque pertinent ad dispositionem ministrantium : quemadmodum in artificibus architectus ad artifices pertinet, quum tamen ipse solum regulas artis adspiciat, aliisque tradat, non autem materiam per se moveat. Et secundum hanc positionem, verum est verbum Gregorii, qui posuit plures mitti quam adsistere.

Digitized by Google

Denique, omnis operatio angelorum, vel est essentialis beatitudini, vel diriguntur in ea per suam beatitudinem : et ideo contemplatio eorum habet se ad ministeria sicut regulans ea. Unde sicut artifex simul considerat rationem artis et exercet opus, sic angeli simul contemplantur Deum et ministrant, nec retardantur aliquo modo ratione officii.

ARTICULUS XLIX.

De custodia angelorum.

De Consolat. lib. IV, pros. 6. SICUT ait Boetius, Deus universalem providentiam quam in se ipso de omnibus habet, per causas secundas ordinate exsequitur. Quum ergo inter Deum et nos angeli medii sint, ideo ipsi divinæ providentiæ subserviunt circa homines, juvando instruendoque eos, et impedimenta tollendo. Congruit quippe angelis ut eis hæc dignitas communicetur : nam et Deum in hoc quodammodo imitantur, reducendo homines ad summam beatitudinem. Congruit etiam istud divinæ sapientiæ, quæ per superiora disponit subjecta. Homini quoque congruit, quia statum nostrum propter suam imperfectionem comparat Apostolus pueritiæ : et sic instar parvulorum egemus angelo custode.

1 *Cor.* III, 1 ; XIV, 20 ; *Ephes.* IV, 14.

Illi ergo angeli dicuntur custodes hominum, qui ipsos immediate illuminant, et habent actus circa humana officia limitatos, et procurant ea quæ ad ipsos specialiter pertinent. Per primum horum trium, excluduntur angeli adsistentes ; per secundum, angeli mediæ hierarchiæ, quorum potestas non est ad homines determinata ; per tertium, excluduntur Principatus, qui provinciis præsunt, et Archangeli, qui ea procurant quæ ad multitudinem pertinent. Unde constat, quod ad infimum ordinem custodia spectet. — Verumtamen, ut Dionysius ait, angeli inferiores participant virtutem superiorum : sicut inferior angelus, secundum eum, purgavit Isaiam igne, virtute Seraphim. Similiter angeli custodes virtute Potestatum dæmones coercere possunt, atque miracula facere vigore Virtutum, et alia quæ superiorum ordinum sunt, circa determinatas personas sibi commissas. — Denique, homo in potestate constitutus, de his quæ ad ipsius personam pertinent, illuminatur ab Angelo ; sed de his quæ ad regimen multitudinis attinent, a superiori : quia officia quæ ad regni multitudinem pertinent, per Principatus et Archangelos diriguntur.

De Cœlest. hier. c. XIII.

Hæc vero custodia in omnibus viatoribus est ab infusione animæ rationalis usque ad terminum vitæ præsentis. Unde Adam in paradiso angelum habuit : quia peccare potuit, et etiam quia doceri potuit per illuminationem ab ipso. Similiter, sanctificati in utero, et confirmati in bono, angelum habent : quia proficere possunt, et profectus ipsorum impediri posset. Pueri quoque in utero, et ante tempus discretionis, angelum habent : quia multipliciter posset eis nocere diabolus. Sed et Antichristus angelum habebit, nec frustra : quia a multis malis retrahet eum. Hunc enim effectum, scilicet ab aliquibus malis retrahere, consequitur angelus in peccatore quantumcumque obstinato. At vero Christus angelum non habuit custodem, quia verus comprehensor erat. Et quod angelus legitur eum confortasse, non erat aliquid ei imprimendo, sed fortitudini ejus congratulando : sicut tribulatus aliquis naturaliter gaudet de amici præsentia. Quod autem dicit eum Dionysius paternis dispositionibus per angelos subditum, indirecte intelligendum est, in quantum scilicet matrem ejus et Joseph angeli instruebant de his quæ circa puerum erant agenda.

Luc. XXII, 43.

De Cœlest. hier. c. IV.

Matth. I, 20 ; II, 13, 19.

Sciendum autem, quod nunquam angelus ex toto relinquit hominem, sicut nec Deus : licet localiter ab eo recedat, effectus tamen ejus et sollicitudo manent cum homine. Sicut autem Deus permittit quandoque in tribulationes, imo et in peccata corruere, sic et angelus justo Dei

Digitized by Google

judicio facit; sed non relinquit ex toto, licet præscitum agnosceret.

Præterea, quum sint angeli in perfecta beatitudine et divinæ voluntati penitus conformati, non tristantur de perditione hominum : nam licet illa fiat præter voluntatem eorum, non tamen contra eam. Imo in peccatis et damnatione iniquorum, lætantur de justa permissione et punitione.

ARTICULUS L.

Utrum angeli in Dei cognitione proficiant; et de profectu eorum per mutuam illuminationem et collocutionem.

Sent. II, dist. XI D et s.

QUEMADMODUM Magister narrat, de profectu angelorum in cognitione Dei est duplex opinio. Una enim ponit, quod angelus non est in ultima perfectione, neque perfecte in termino, nisi in die judicii. Et hi ponunt in angelis præmium præcedere meritum, et quod in Dei cognitione merendo proficiant. Et Magister hanc approbat. Alia asserit, quod angeli in confirmatione plenam mox felicitatem sortiti sint, nec modo proficiant in Dei visione, sed solum quoad præmium accidentale. Et hæc rationabilior est : quia quod est hominibus mors, est angelis confirmatio vel lapsus, secundum Damascenum. Unde, sicut homini post mortem statim redditur totum essentiale præmium, nisi purgabile aliquid habeat; sic et angelo post confirmationem.

Verumtamen, in cognitione divinorum effectuum, per illustrationem superiorum inferiores proficiunt. Nam quum divina essentia sit omnium universalissima causa, ille solum in ea omnes effectus ejus cognoscit, qui eam perfecte et secundum totam suam virtutem comprehendit. Et per hoc probat Algazel Deum res cognoscere, quia propriam essentiam perfecte agnoscit. Nulli autem angelorum hoc convenit. Unde superior angelus, quia eam clarius videt, plura in ea cognoscit, et de his inferiorem illuminat. Ideo in fine Hierarchiæ ecclesiasticæ Dionysius ait, quod multæ rationes sacramentorum supernas essentias latent. Unde secundum eum, inferiores purgantur a superioribus a nescientia. Quosdam tamen effectus, omnes in Deo immediate vident. cap. VI.

Amplius autem, est et in angelis locutio : quæ ab illuminatione primo differt, quia illuminatio est de his quæ superior cognoscit in lumine Dei, non autem inferior nisi per superiorem; locutio vero est de motibus liberi arbitrii, quos in se mutuo non vident. Secundo differunt quoad modum : quia illuminatio est per confortationem luminis intellectus inferioris a superiori. Locutio autem sine tali confortatione perficitur per hoc quod unus alteri aliquid cognoscendum proponit : sicut in historialibus narrationibus apparet, in quibus aliquid de novo aliquis cognoscit sine clarificatione sui intellectus.

At vero, in homine aliquid est quod de alio alius naturaliter cognoscere potest, quæ videlicet exterioribus sensibus subjacent; aliquid vero quod cognoscere nequit alius, ut interiores conceptus. Species quoque, prout manent in ipsa conceptione mentali, habent rationem intelligibilis tantum; prout vero ordinantur ut manifestandæ alteri, habent rationem verbi interioris; secundum autem quod exterioribus signis adaptantur ut manifestentur, si sunt signa ad visum, dicuntur nutus; si ad auditum, dicuntur locutio. Similiter, angelus unus in alio conceptiones libero arbitrio subjacentes, intueri non valet. Quando igitur speciem conceptam ordinat ut alteri manifestandam, dicitur verbum cordis. Dum autem coordinat eam alicui eorum quæ unus in alio naturaliter videre potest, illud naturaliter cognitum, fit signum interioris conceptus expressivum : et talis expressio est intellectualis locutio; virtus autem exprimendi dicitur lingua angelorum.

In hac insuper locutione non requiritur distantia vel medium deferens, sed suffi-

Digitized by Google

cit ordo intentionis unius ad alium; et quam cito angelus unus ordinat intentionem suam ut alteri manifestandam, efficitur locutio de pertinentibus ad illum, et cognoscit eam : semper enim actualiter cognoscunt omnia quæ ad ipsos pertinent.

Inferior autem angelus superiori loqui potest, sed illuminare non valet, sicut ex dictis patet.

ARTICULUS LI.

An angeli per homines Incarnationis mysterium didicerint; et de pugna angelorum, ac cessatione ordinum.

DE incarnatione Christi dicit Hieronymus, quod angeli eam antequam fieret, non sciebant : et quoad hoc contradicit ei Augustinus, asserens eos a sæculis eam præscivisse, seu a principio mundi. Dicit quoque Hieronymus, quod ab hominibus eam didicerint : cui contradicit Dionysius quarto capitulo Cœlestis hierarchiæ, ubi ait, angelos de mysterio humanitatis Verbi primo edoctos, et per eos devenisse cognitionem ejus ad homines. Nam et propheticæ revelationes, angelorum ministerio factæ creduntur. Et hæc positio simpliciter vera est. Hieronymus tamen salvari posset, si intelligatur locutus de mysterio Incarnationis, non quoad substantiam facti, sed quoad certas circumstantias, ut quod tali hora, et sub illo præside, etc.; et hoc postea cognoverunt prædicantibus Apostolis, non per illuminationem Apostolorum, sed per modum expletionis rerum : quemadmodum futura contingentia cognoscunt quando actu complentur, per hoc quod eorum causæ ad effectus determinantur, ut in eis cognosci possint. Nihilo minus quædam (ut quæ libero subduntur imperio) potest angelus ab homine per locutionem cognoscere : quia superiori inferior loqui potest, quem non illuminat.

Porro quod Danieli loquens angelus di- *Dan.* x, 13. cit, Princeps Persarum restitit mihi diebus viginti et uno, Hieronymus de angelo malo exponit : quia secundum eum, inter bonos angelos nulla pugna aut resistentia est. Sed in hoc dubitatio minor non est. Si enim angelus qui angelo cum Daniele loquenti restitit malus erat, tam diu resistere non potuisset, nisi justam causam habuisset : quam si utique habuisset, multo diutius ei resistere potuisset. Unde cum Gregorio dicendum, quod uterque angelus bonus erat. Quum enim judicia Dei sint *Ps.* xxxv, abyssus multa, ideo nesciunt angeli quid 7. singulis gentibus juste debeatur, nisi Deus eis revelet. Possunt igitur angeli, unusquisque pro populo sibi commisso, diversa merita adducere, de quibus exspectant divinam sententiam. Unde diversorum meritorum ad Deum relatio, angelorum sanctorum pugna vocatur; nulla tamen inter eos discordia est, quoniam hoc omnes concorditer volunt quod Deum velle percipiunt. Dicit enim nono Ethicorum Aristoteles, quod opinionum diversitas non repugnat amicitiæ aut concordiæ, sed discors voluntas.

Insuper sciendum, quod ordines angelorum cessabunt quidem post diem judicii quoad exterius ministerium; non autem quoad gradum naturæ, gratiæ et gloriæ, vel quoad essentialia ordinum, quæ consistunt in perceptione divinæ lucis, et diffusione illius in inferiores. Et hæc in eis perseverabunt, scilicet : purgatio, illuminatio, perfectio; non tamen ad novorum cognitionem, sed quoad agnitorum et illuminationis continuationem : sicut etiam sol semper illuminabit aerem. — Quod autem actiones hierarchicæ ordinentur ad reducendum homines viatores in Deum, accidit ipsis ordinibus. Unde, cessante statu viæ, non oportet quod cesset distinctio ordinum.

ARTICULUS LII.

Utrum omnia sint simul facta.

HORUM præterea quæ fidei sunt, quædam sunt in quibus diversimode opinari non licet, ut est rerum ex tempore

Digitized by Google

creatio. Alia vero sunt in quibus opinari licet, sic tamen ut a fide non fiat recessus : sicut de modo et ordine creationis. Sic igitur sancti Doctores in talibus sæpe diversa senserunt, atque Scripturam diversimode exposuerunt.

Augustinus igitur ait, a principio quædam secundum proprias formas fuisse distincta in sua natura, ut elementa, cœlestia corpora, atque spirituales substantias; alia autem, in rationibus seminalibus tantum, ut animantia, plantas et homines : quæ postmodum in naturis propriis producta sunt, illo opere quo Deus naturam conditam administrat post senarium dierum illorum. Unde Joannis quinto scriJoann. v, 17. ptum est : Pater meus usque modo operatur, et ego operor. Attamen in distinctione rerum, secundum Augustinum, attendendus est non ordo temporis, sed naturæ; sicut sonus naturaliter prior est cantu : et sic quæ naturaliter sunt priora, prius esse creata Scriptura commemorat, sicut terram ante animalia, aquam ante pisces. Alii vero dicunt omnia simul facta secundum materiam, non secundum formam. Aiunt enim ordinem dierum in productione mundi esse servatum, et per dierum intervalla omnia distincta testantur. Et hæc positio litteræ amplius consonat. Prima autem rationabilior est, et Scripturam magis ab infidelium irrisione defendit : quod Augustinus super Genesim summe observandum edocuit.

ARTICULUS LIII.

Quomodo secundum Augustinum possit salvari dierum distinctio.

SECUNDUM Augustini autem expositionem, sex illi dies sunt unus dies, sex rerum distinctionibus, secundum quas numeratur, simul præsentatus : sicut etiam unum est Verbum, scilicet Filius Dei, quo facta sunt omnia, licet sæpe dicatur, Dixit Deus. Quum enim natura angelica intellectualis sit, et lux quædam; ideo illustratio ejus dies vocatur. Ipsa autem in principio rerum cognitionem accepit, et sic lux intelligentiæ ejus rebus quodammodo præsentabatur, in quantum cognoscebantur in ea; unde rerum cognitio dies dicitur. Secundum diversa quoque genera cognitorum et ordinem distinguuntur et ordinantur dies : ut in prima die intelligatur formatio spiritualis creaturæ per conversionem ad Verbum; in secunda die formatio corporalis creaturæ quoad superiorem partem, scilicet firmamentum; in tertia vero secundum partem inferiorem, aquæ videlicet, terræ et aeris; in quarta superior pars ornatur; in quinta inferior pars, quantum ad aquam et aerem; in sexta quoad terram. Quum autem sit Deus lux pura, ejus cognitio omnino splendida est et meridiana; sed omnis creatura, quia ex nihilo prodiit, ideo tenebris potentialitatis imperfectionisque miscetur : unde et cognitio ejus aliqualiter tenebrosa est. Creatura denique ab angelica mente dupliciter potest agnosci : vel in Verbo, prout exit ab arte divina; et hæc matutina cognitio dicitur. Cognoscitur etiam ut in propria natura subsistens; et dicitur vespertina cognitio, quia res omnis secundum se tenebrosa est, et ad occasum pergens, nisi a Verbo Dei portetur. Et sic attenditur circulatio quædam inter mane et vespere, prout angelus in propria se natura cognoscens, eamdem sui cognitionem retulit ad Verbum sicut ad finem, in quo sequentis operis cognitionem sumpsit tanquam in principio : et sic hujusmodi mane est finis diei præcedentis, atque principium sequentis. — Hæc autem expositio subtilis est, et congrua, si tamen in angelis lux et dies proprie dicantur : quod Augustinus vult.

At vero, sicut Augustinus distinguit sex dies secundum præsentationem spiritualis lucis sex rerum generibus factam; sic possumus eosdem dies distinguere ac ordinare secundum præsentationem lucis corporalis sex rerum generibus, et hoc sine distinctione temporis, utputa secun-

Digitized by Google

dum ordinem et distinctionem eorum in quæ lumen diffunditur secundum uniuscujusque capacitatem, dierum numerum accipiendo.

Sic ergo primorum dierum distinctio sumitur ex parte lucis, cujus dies effectus est : non autem ex parte temporis, quia non erat illi successio, secundum Augustinum. Partes autem diei secundum lucem spiritualem, non sumuntur secundum diversa cognita, sed juxta diversum modum cognitionis ejusdem rei. Et sicut dies non sunt successivi, quia angelus in Verbo omnia simul cognoscit; sic nec partes diei successivæ sunt, quia videt creaturas in Verbo et in propria natura simul. — Habent quoque res esse triplex, scilicet in Verbo, in mente angelica, et in se ipsis. Sed cognitio hujus duplicis esse, scilicet in se et in angelo, est vespertina, quia angelus non est lux pura : ideoque nec meridiana cognitio competit ei ; unde nec meridies in opere creationis nominatur. — Porro, secundum Augustinum, prima dies non habet mane, quoniam spiritualis substantia quæ in ea est formata, non habet matutinam sui ipsius cognitionem, sed vespertinam : quia cognitio ejus sequitur esse ipsius in propria natura naturaliter. Nec ultima dies, secundum eum, habet vespere, sed ad quietem Dei pertinet, quæ nullo fine clauditur : et ideo in ea vespere non nominatur. Nec de nocte fit mentio, quia angelus non sistit in speculatione creaturæ, sed ad Creatoris laudem eam refert.

ARTICULUS LIV.

De informi rerum primordiali materia, et de quatuor coæquævis.

MATERIA insuper dupliciter prima dicitur, scilicet natura vel tempore. Prima est in quo stat ultimata resolutio rei corporeæ : et sic est absque omni forma, et non intelligitur nisi per analogiam ad formam, secundum Philosophum primo de Auditu physico. Et quia sic est pura potentia, non potest esse sine forma. Nec de hac sic sumpta materia dicunt alii Sancti, quod fuerit primo informis, postque formata, secundum ordinem temporis. Sed materiam quam primo creatam asserunt, aliquam habuisse formam volunt, sed nondum fuisse ornatam. Unde relictis modernorum erroribus, si quis salvare velit positionem dicentium successionem fuisse in operibus sex dierum, videtur dicendum, quod prima materia fuit creata sub pluribus formis substantialibus, et quod omnes formæ substantiales essentialium partium mundi, in principio conditæ sunt, nam et Scriptura in principio cœlum, terram et aquam commemorat. *Gen. 1, 1. 2.* Verumtamen, quoniam qualitates activæ et passivæ nondum erant elementis secundum complementum collatæ, ideo primo confusa fuisse, postmodum distincta scribuntur. Prima ergo materia quæ duratione formationem præcessit, erat una, non unitate essentiæ, sed informitatis.

Sunt præterea quatuor coæquæva, scilicet cœlum, angelus, materia, tempus. Cujus numeri ratio est. Nam in creatione mundi instituta est tota natura rerum quantum ad esse informe. Ideo quæ non possunt reduci ad unum informe principium quod est materia, faciunt numerum in creatione rerum : et hæc coæquæva dicuntur. Substantia autem corporalis, et spiritualis, non sunt reducibiles ad unam primam informem materiam. Alia etiam est materia cœli, saltem empyrei, et inferiorum. Tempus quoque non convenit cum substantia, nec in materia ex qua, sicut nec alia accidentia, quia non est unum pars alterius ; sed neque in materia in qua, quia tempus est solum in primo motu, et per illum mensurat alios motus, nec est realiter idem cum alio accidente : ideoque est unum quatuor coævorum. — Si autem dicantur non esse omnia simul facta, tunc firmamentum seu primum mobile, secundo die factum est, et tempus cum eo. Nec de tali tempore, dicta intelli-

Digitized by Google

genda sunt, sed ut quidam aiunt, de tempore pro ævo accepto; vel ut tempus large dicatur, pro mensura cujusdam successionis esse post non esse.

Proinde, in productione informis materiæ, quæ nomine terræ signatur, non est scriptum, Dixit Deus, etc., quia Verbum Dei proprie habet rationem causæ exemplaris, cujus est distinguere et ornare.

Gen. 1, 1.

ARTICULUS LV.

De opere distinctionis; et an lux in spiritualibus proprie esse dicatur.

SIC quoque natura rerum in sex diebus instituta est, ut ex ea producerentur alia per mutuam actionem et passionem. Ideo dari oportuit rebus virtutes activas et passivas, quas Augustinus vocat rationes seminales. Harum vero virtutum aliquæ motivæ sunt ad determinatas species, ut virtus quæ est in semine equi : et harum collatio pertinet ad ornatum. Aliæ autem movent ad omnem speciem, ut calidum, frigidum : et hæ datæ sunt in distinctione rerum. Hæc autem distinctio non nisi tripliciter variatur, secundum tria in quibus est virtus activa vel passiva. Est enim quoddam alterans tantum, scilicet cœlum; aliud alterans alteratum, scilicet elementa media; terra vero, minimum habet de virtute activa. Primo ergo distingui oportuit primum ab ultimo : et hoc per lucis productionem factum est, quæ est maxime in cœlo, et in terra minime, respectu aliorum. Deinde secundo die facta est superioris a medio distinctio, quando videlicet, facto firmamento, divisæ sunt aquæ superiores ab inferioribus. Postremo, die tertio distinctum est medium ab infimo, quando congregatis aquis in locum unum, apparuit arida. Cœlum autem empyreum, mox factum, omnino completum est et distinctum. Nec fit de eo mentio, quia non habet influentiam super inferiora.

Porro videtur esse inter Sanctos diversitas, an lux verius dicatur in spiritualibus quam in sensibilibus. Dionysius enim, et post eum Ambrosius, aiunt quod lux dicitur de spiritualibus transumptive et metaphorice. Dicit enim Dionysius quarto de Divinis nominibus capitulo, quod Deus dicitur lux, quoniam in radio solis maxime apparet ejus similitudo propter causalitatem; sed Augustinus oppositum sentit. Primum tamen verius apparet. Nam quum lux sit forma et qualitas sensibilis, non potest in spiritualibus esse nisi per proprietatem. Lucis enim proprietas est manifestare quod de se tenebrosum est : et hoc Deo et spiritualibus magis convenit quam rei materiali; et quoad hoc, Augustinus verum asseruit. Unde Deus dicitur lux vera quantum ad id a quo sumitur similitudo, et non quoad naturam lucis : sicut etiam dicitur vitis vera. Magis tamen proprie dicitur lux quam vitis, propter proprietatem lucis.

Joann. 1, 9.

Ibid. xv, 1.

ARTICULUS LVI.

De productione lucis; et quomodo dicatur Pater omnia per Filium facere.

PORRO, sicut calor est qualitas activa ignis, sic lux est qualitas activa corporis cœlestis. Sicut etiam calor habet actionem quamdam naturalem et communem in quantum est calor, aliam vero specialem secundum quod in diversis diversimode determinatur, ut in homine convertit cibum in carnem; sic lumen duplicem virtutem et actionem habet : unam communem, et sic pertinet ad opus distinctionis; aliam determinatam, sicut alius est effectus radii Jovis, alius Saturni : et hoc modo pertinet ad ornatum. Unde quarto capitulo de Divinis nominibus Dionysius ait, quod lumen solare est illud lumen quod Moyses in tribus primis diebus nostri temporis narrat, quamvis tunc informe esset, quoniam determinatio virtutis nondum adfuit.

Denique, secundum Augustinum, opus

Digitized by Google

distinctionis cum opere creationis simul incepit. Alii dicunt, prius tempore et ante omnem diem præcessisse creationem (quod utique litteræ amplius consonat), et postea post intervallum, lucem esse formatam; et tunc dies primus incepit. Non tamen Deus incepit opus suum a tenebris, nisi tenebræ dicantur imperfectio corporalis naturæ : quia decuit entia ab imperfectione ad perfectionem adduci.

Est autem positio Damasceni, quod lux illa causavit diem per radiorum emissionem, noctem vero, per eorumdem subtractionem, sine motu circulari, quum firmamentum secunda die factum scribatur. Et patet exemplum, sicut legitur in Exodo, quod lux erat Israeli, Ægyptiis tenebræ; item in passione Domini. Sed hæc positio insufficiens videtur. Nam subtractio illa radiorum non nisi miraculosa fuisset. In institutione autem rerum, non quæritur quid Deus possit, sed quid rerum naturis conveniat, secundum Augustinum. Rursus, sicut Dionysius ait in epistola ad Polycarpum, eclipsis in passione Christi erat per interpositionem lunæ, non per subtractionem illam. — Unde alii dicunt, lucem illam circulari motu diem noctemque causasse. Nec inconveniens est, si dicantur tunc orbes secundum substantiam suam fuisse, licet postea virtutes eis collatæ sint in operibus distinctionis atque ornatus. Si autem non erant secundum suam figuram, tamen lux illa, quum esset corpus de natura cœlesti, naturaliter erat circulariter mobile.

Exod. x, 22, 23. *Matth.* xxvii, 45.

Epist. vii.

Præterea, ipsa substantia solis a creationis principio in sua substantiali forma facta est. Unde per lucem hanc intelligendum est corpus solare. Sed dicitur postea sol ex illa luce factus die quarta, propter additionem novæ virtutis, sicut ex non sciente fit sciens. Unde lux illa non erat veraciter nubes, nec de natura inferiorum, sed secundum similitudinem : quia videlicet sicut nubes recipit lumen solis deficienter, sic ante quartam diem nondum erat consummatum lumen solis.

Agnoscendum est autem, quod aliquis dicitur operari per alium dupliciter. Uno modo, sicut per virtutem illius : quemadmodum ballivus agit per regem. Secundo modo, sicut per operantem : sic rex agit per ballivum. Quum enim operatio sit medium inter agentem et operatum, causalitas quam denotat præpositio *per*, referri potest ad operationem prout ab operante egreditur : et sic dicitur operari per alium, qui est ei causa ut agat, dans ipsi virtutem agendi. Vel potest referri ad operationem prout terminatur ad rem operatam : et sic agit per alium, qui ordinat eum ad operatum ut causam. Unde designatur auctoritas in operante respectu illius per quem agit, in quo est causalitas respectu operati. Hoc vero dupliciter accidit. Primo, dum illud per quod est aliquis operans hoc modo, agit per virtutem aliam a virtute agentis quod ipsum agit, quam tamen ab ipso recepit : et tale est instrumentum agentis. Nec sic agit Pater per Filium, sicut hæretici dixerunt. Secundo, dum eadem virtute operatur uterque, quam tamen unus ab alio habet, sed in utroque plena est : et ita agit Pater per Filium, quia una indivisibili virtute agit uterque.

ARTICULUS LVII.

Quomodo dicantur esse aquæ super cœlos; et utrum firmamentum sit de natura elementorum.

NIL autem sacræ Scripturæ derogatur si diversimode exponatur, dum firmiter tenetur quod nil falsi contineatur in ea. Ambrosius ergo in libro de Spiritu Sancto dicit, per aquas quæ super cœlos sunt, Spiritum Sanctum intelligi. Sed hoc ad anagogicam expositionem pertinet, non litteralem. Ideo alii asserunt, virtute divina super cœlos esse aquas ejusdem naturæ cum aqua elementari. Sed hoc Augustinus improbat, quia in opere sex dierum quibus natura instituta est, non quæritur quid Deus possit, sed quid rerum natura patiatur. Melius ergo dicendum, quod aquæ

Digitized by Google

quæ super cœlos sunt, sunt de natura quintæ essentiæ. Et dicuntur aquæ, propter proprietatem et similitudinem cum aqua elementari, quia sunt diaphanæ omnino : sicut etiam cœlum empyreum dicitur igneum propter similitudinem, quia est penitus lucidum. Cœlum autem sidereum, est partim diaphanum, et partim lucidum. Hæ igitur aquæ sunt nona sphæra, quæ dicitur cœlum crystallinum seu aqueum, ad quam reducunt astrologi motum cœli stellati ab occidente in orientem; ponunt etiam decimam sphæram, ad quam reducunt motum firmamenti diurnum.

Speculandum præterea, quod omnes philosophi ante Aristotelem dixerunt cœlum de natura esse elementorum. Aristoteles vero primus invenit cœlum esse nec grave, nec leve, nec calidum, etc. Et propter vim rationum ejus, posteriores philosophi consenserunt ei. Conformiter quoque theologi diversificati sunt in his quæ ad fidem non pertinent, diversimode opinantes, secundum quod variis philosophorum doctrinis erant imbuti. Augustinus itaque, Basilius, aliique Sanctorum, in his quæ fidei non sunt, Platonem sequentes, asserunt cœlum esse de natura quatuor elementorum; et secundum Augustinum et Basilium, est de natura ignis. Dionysius vero pene semper Aristotelem sequitur : quemadmodum innotescit libros ejus diligenter inspicienti. Unde naturam cœlorum ab inferioribus separat, dicens quarto capitulo de Divinis nominibus, quod cœlum et stellæ ingenerabilem invariabilemque substantiam sortita sunt. Unde et ei consentire par est. Nam et motus circularis, qui cœlo utique naturalis est, quum sit primus motuum, ostendit cœlum non esse grave aut leve, nec elementum neque elementatum, sed a contrariis separatum.

ARTICULUS LVIII.

De motoribus cœlorum, et numero eorumdem.

DICUNT insuper quidam, motum cœlorum sic esse a natura et naturalem, quemadmodum motus levium et gravium. Sed illud non valet, quia motus gravium et levium est effective a generante, et per accidens a removente prohibens, sicut octavo Physicorum ostendit Philosophus : hoc autem cœlo convenire non potest, quod ingenerabile est. Motus quoque naturalis est ad unam partem tantum, et terminatur ad naturalem quietem, et est corporis extra suum naturale *ubi* exsistentis. — Ideo alii dicunt, cœlum a Deo immediate moveri. Sed hoc ordini divinæ sapientiæ non utique convenire videtur, quæ secundum Dionysium, inferiora per superiora disponit. Hinc igitur quarto Dialogorum Gregorius ait, corporalem creaturam per spiritualem administrari : et sic videtur motus cœlorum esse ab angelis. — Philosophi vero cuilibet orbi duos adscripserunt motores, intelligentiam et animam : eo quod formæ intelligentiarum, propter suam universalitatem, non sint proportionatæ revolutionibus et effectibus orbium. Unde Avicenna dicit, quod intelligentiæ apud philosophos sunt, qui in lege dicuntur superiores angeli; et animæ cœlorum, qui in lege angeli ministerii dicti sunt. Sed quod dicunt de animabus cœlorum, non videtur fidei consonum. Verumtamen etiam secundum Averroem in de Substantia orbis, quum corpus cœleste sit perpetuum, simplex ac ingenerabile, anima ejus non est nisi intellectiva : et sic non esset univoce anima, quia solum uniretur ut motor.

De Eccl. hier. c. v.

Assignat præterea Rabanus septem cœlos : empyreum, crystallinum, sidereum, igneum, olympium, æthereum et aerium. Advertendum igitur, quod cœlum dici potest, vel propter proprietatem cœlestem tantum, vel propter naturam et proprietatem. Proprietates denique cœli potissime sunt altitudo situs, et claritas. Si ergo dicatur cœlum a natura cœlesti, sic est triplex cœlum, scilicet : empyreum; crystallinum, quod est mobile et uniforme; et sidereum, quod est mobile et difforme. Si autem dicatur cœlum propter parti-

Digitized by Google

cipationem proprietatis cœlestis, sic est quadruplex cœlum. Ignis enim et aer, altitudinem situs et claritatem participant; et utrumque distinguitur in duas partes. Unde pars superior ignis, scilicet quoad convexum, dicitur cœlum igneum, quia ignis ibi purissimus est; inferior autem, cœlum olympium, a monte Olympo in Macedonia, qui ultra nubes porrigi dicitur. Superior quoque pars aeris dicitur cœlum æthereum, propter inflammationem ab igne. Inferior dicitur cœlum aerium, in qua est aer nobis connaturalis. Sub cœlo autem sidereo, cœli septem planetarum comprehenduntur. Sed et cœlum superbenedictæ Trinitatis, non nisi metaphorice dicitur ipsa divinæ majestatis sublimitas, ad cujus assimilationem Lucifer inique suspiravit.

Is. XIV, 14.

ARTICULUS LIX.

De opere tertiæ diei.

Gen. I, 9-13. IN tertia autem die facta est distinctio medii elementi ab ultimo, congregatis aquis in unum locum. Plantæ quoque in ea productæ sunt. Tertia nempe die datæ sunt inferioribus elementis qualitates activæ et passivæ, consequentes naturam eorum, quibus ab invicem separantur proprietate et situ. Inter qualitates autem elementares, sunt gravitas et levitas, quæ sunt principia motuum : et ideo per illarum collationem, collectæ sunt aquæ in unum, licet formæ substantiales elementorum a prima die factæ fuerint, secundum præhabita. — De igne et aere nihil expressit Moyses, quoniam rudem populum instruens, ea subticuit quæ non faciliter patent.

art. LIV.

Sciendum vero, quod elementa subtiliora, sunt aliis majora in quantitate : et ideo aer ambit aquam et terram. Aqua autem non ambit terram totam, sed per circuitum cingit eam, circulum quidem complens, non tamen sphæram perficiens. Et hoc quoque ex necessitate finis contigit, ut scilicet animalia in ea manere valerent.

Insuper, licet aqua maris in superficiali sua parte et circa littus salsa sit propter contactum elementorum se invicem alterantium, atque ex admixtione vaporis terrestris simul cum adustione radii solaris; in profundo tamen pelagi est aqua dulcis.

Convenienter etiam plantarum productio ad opus distinctionis pertinere scribitur, quia ad earum productionem non requiritur specialis virtus, sicut est in semine animalium; sed sufficit communis virtus, videlicet cœli, loco patris, et terræ, loco matris, secundum Philosophum. Verumtamen de productione plantarum, Augustinus ab aliis Sanctis dissentit : quia secundum eum, non sunt plantæ productæ tertia die in sua natura; sed tunc data est terræ virtus ad propagationem plantarum. Alii vero adstruunt tertia die plantas esse productas. — Plantæ etiam hominibus nocivæ cum aliis factæ sunt; sed si non peccassent, nulli nocivæ fuissent.

ARTICULUS LX.

De ornatu superiorum corporum, et de causalitate quam habent corpora superiora in hunc mundum.

PRÆTEREA, quarta die opus ornatus inchoatum est. Sunt enim tunc facta duo luminaria magna et stellæ. Siquidem præter virtutes communes, activas et passivas, in entibus requiruntur speciales virtutes ad determinatos effectus : et hæ virtutes datæ sunt superioribus tertia die. Et hæ maxime consistunt in stellis, quæ secundum diversos adspectus et conjunctiones, imprimunt ad determinatas species, secundum Averroem; et in eas reducitur omnis specialis virtus et actio inferiorum naturarum : sicut etiam communis virtus inferiorum reducitur ad virtutem superiorum universalem. Corre-

Gen. I, 14-19.

Digitized by Google

spondet quoque ornatus distinctioni. Primo enim ornantur superiora, deinde elementa media, scilicet aqua et aer piscibus et avibus; tertio, terra productione animalium. Hoc namque ordine, sicut jam
art. LV. patuit, etiam distinctio est facta. — Dicuntur autem stellæ et luminaria tertio die facta, non secundum substantiam, quam a primo die habuerunt, sed propter receptionem propriarum et ultimatarum suarum virtutum, ex quibus finale suum complementum sortita sunt. — Dicuntur
Gen. I, 16. autem sol et luna luminaria magna : sol, propter suam quantitatem atque virtutem; luna vero, quoad nos, secundum apparentiam, et propter eminentem causalitatem in rebus humidis. — Possunt autem et aliæ stellæ luminaria, id est vasa luminis, appellari, quia lumen a se diffundunt, licet secundum Dionysium, illud a sole recipiant. Nam ut quarto capitulo de Divinis nominibus ait, sol est principium et fons inferiora ac superiora il-
Sent. II, dist. XIV G. lustrans. — Dicuntur denique a Magistro facta sidera et luna ut in nocte lucerent animalibus quibusdam nocturnis : quod de fine principali accipiendum non est, sed propter concomitantem utilitatem.

Circa causalitatem porro superiorum corporum in hunc mundum, quidam erraverunt. Antiqui enim ante Aristotelem, nobilissima in corporibus, putabant esse dignissima in entibus. Unde cœlos deos credebant, et eos esse animatos; atque eorum animas esse quædam corpora putabant, quoniam spiritualem esse naturam ignorabant. Ideo dicebant corpora cœlestia esse prima influentia : et hinc idololatria fluxit. Avicenna quoque et quidam philosophi posuerunt elementorum materiam a substantia cœli causari. Alii vero dicunt nullum superiora corpora habere effectum in hæc inferiora : quod tamen sensui contrariatur et dictis Sanctorum.

Advertendum est itaque, quod duplex est agens, scilicet : divinum, quod influit esse; et naturale, quod transmutat materiam. Et hoc secundo modo est cœlum causa generationis et corruptionis inferiorum, in quantum motus ejus est causa omnium mutationum. Quoniam quidem autem motus est actus moventis et mobilis, oportet utriusque virtutem relinqui in motu. Motus igitur cœli et superiorum, ex parte mobilium in corpora inferiora agunt. Sed ex virtute motoris, qui est intellectus aliquis, etiam est cœlum per motum suum, naturalium causa formarum. Nam et Boetius et Averroes formas quæ in materia sunt, a formis immaterialibus descendere adstruunt.

Licet autem sidera et luminaria in signa facta scribantur, non tamen per hoc causalitas eis aufertur; sed ideo legislator eorum causalitatem subticuit, ut ab idololatria, ad quam homines erant tunc proni, retraheret. Et ideo etiam Damascenus ait, Nos autem dicimus, quod neque generationis neque corruptionis causa sunt : illo scilicet modo sicut quidam putabant, vel principalis et prima. Nihilo minus Dionysius ait quarto capitulo de Divinis nominibus, quod radius solis ad generationem visibilium et ad vitam movet, auget, nutrit ac perficit. *Gen.* I, 14.

Denique, per lumen superiora in inferioribus calorem causant. Nam lux, quantum de se est, caloris inductiva est. Propterea, secundum Aristotelem, noctes plenilunii calidiores sunt. Tamen propter specialem virtutem et causam luminis stellarum ac luminarium, quædam lumina superiorum infrigidant et humectant : sicut et habent motum proprium, præter communem seu diurnum.

ARTICULUS LXI.

Qualiter corpora cœlestia in motus liberi arbitrii imprimere possint.

QUUM operatio rei sequatur naturam ejus, id solum proprie potest esse causa motuum liberi arbitrii quod est causa animæ. Porro, aliqui antiqui natu-

Digitized by Google

rales, inter sensum et intellectum non discernentes, dixerunt sensum et intellectum ex transmutatione corporis æqualiter transmutari, ut Democritus dixit. Et quoniam omnis virtus corporea inferior reducitur ad virtutem cœlorum, ideo secundum eos, corpora cœlestia directe haberent causalitatem super rationalem animam. Unde et unumquemque impressioni cœlorum necessario subdi putabant. Sed hæc positio a philosophis quoque destructa est. — Alii igitur, ut Avicenna, ponentes animas nostras ab ultima intelligentia esse creatas, asserebant electiones humanas influxioni motus cœlestis non subdi nisi per accidens, secundum quod anima diversimode inclinatur secundum dispositionem corporis, quod motui cœlesti subjectum est. Sed aiunt, quod motores orbium causant actus voluntatis præter orbium motus. Dicit enim Avicenna, quod varietas operum voluntatis reducitur in uniformes conceptiones cœlestium motorum. Sed hæc positio fidei contrariatur, et ex falso fundamento procedit, scilicet quod anima rationalis non est immediate a Deo. Unde, sicut solus Deus est causa substantiæ animarum rationalium, sic est et causa electionum ac motuum earum quoad supremam suam partem.

Dicit autem Dionysius quarto capitulo de Divinis nominibus, quod ea quæ in tempore sunt, corpora cœlestia ordinant, determinant, numerant et continent. Sed actus liberi, non sunt temporales nisi per accidens, in quantum ratio a sensibilibus cognitionem accipit, et voluntas corporalibus passionibus inclinatur. Unde et astrologi et medici aliqua futura de homine dicunt; nec tamen semper, sed frequenter, veritatem habet quod conjiciunt: nam pauci passionibus dominantur, et ideo secundum dispositionem corporis et influxum cœlestem, voluntas ubertim movetur et agit. Verumtamen, sicut secundo super Genesim Augustinus docet, non est securum astrologis multum credere : quoniam talis futurorum annuntiatio quandoque non ex signis cœlestibus, sed ex occulto dæmonum instinctu procedit, quem humanæ mentes vicissim patiuntur, quamvis ignorent.

ARTICULUS LXII.

De materia animalium, et ornatu trium elementorum secundum tria genera animalium.

ID denique dicitur materia animalium quod in mixtione prædominatur. Omne enim mixtum ex quatuor elementis constat; sed unum excedit aliud. Prædominari autem elementum aliquod in animali, potest intelligi, vel secundum genus suum, vel secundum id quod est proprium animali in genere suo. Complexio namque quæ alicui secundum genus deputatur, certos terminos habet et gradus : sicut in hominibus sunt quidam cholerici, etc. Loquendo igitur de prædominio secundum genus, sic in mixto elementa grossiora prædominantur secundum quantitatem; sed superiora excedunt secundum virtutem, scilicet secundum calidum et humidum, in quo vita consistit. Nam quum corpora animalium oporteat esse maxime temperata, oportet quod inferiora elementa in eis secundum quantitatem excedant : quia quo grossiora sunt, eo sunt minus activa; et ideo ut temperamentum fiat, elementa magis activa sunt secundum minorem quantitatem in illis, ne virtus eorum, aliorum elementorum virtutem consumat. Sed quia complexio animalis habet multos gradus, ideo in quibusdam animantibus prædominari dicitur hoc vel illud elementum, videlicet secundum id quod est proprium ipsi.

Dicendum igitur, quod in omnibus animalibus terra simpliciter prædominatur secundum quantitatem, et aqua est quasi continuans partes ejus. Sed illa animalia quæ præ ceteris animalibus plus habent de aqua, dicuntur ex aqua constare, com-

Digitized by Google

plexione eorum pensata secundum complexionem communi generi debitam. Pisces itaque dicuntur ex aqua, secundum id quod in aqua grossius est : et ideo manent in ea. Aves vero ex aqua sunt, secundum id quod in ea subtilius est, quod in vaporem conversum est, inter aquam et aerem quasi medium : unde et in aere levantur. Aer tamen non est naturalis locus avium, prout locus dicitur ad quem est terminus naturalis motus, et in quo corpus naturaliter quiescit : non enim in aere, sed in terra naturaliter quiescunt. Sed est aer locus avium secundum motum animalem, qui non est ratione gravitatis vel levitatis. — Porro secundum virtutem dominatur ignis in animalibus. Calor namque est animæ instrumentum. Et sicut secundo de Anima Philosophus ait, sine calore nihil est sensitivum.

Advertendum est insuper, quod animalia dicuntur elementorum ornamenta, prout comparantur ad ea sicut locatum ad locum. Hæc autem comparatio secundum motum naturalem et quietem attenditur. Motus vero animalis est vel secundum elementum prædominans, vel est consequens apprehensionem et appetitum ipsius. Et quia talis motus secundum apprehensionem est proprius animali secundum quod animal, ideo animal quodlibet ad illius elementi ornamentum pertinet in quo talem motum naturaliter habet : et sic animalia gressibilia ad ornatum terræ, natantia ad aquam, volatilia ad aerem pertinent. — Sciendum præterea, quia secundum Galenum, nulla res mixta igni diu sine læsione in eo durare potest, imo tandem consumitur, licet quædam, scilicet salamandra, ad modicum tempus in eo durare possit : et ob id de ornatu ignis nihil scriptum est. — Denique, motus volatilium in aere est ab anima contra naturam corporis : ideo est laboriosus, secundum Philosophum secundo Cœli. Unde et terra est locus quietis eorum naturalis. — Reptilium quoque quædam sunt terrestria, quædam aquatica : et ideo reptile cum utroque nominatur. Reptile enim dicitur quod se rapit. Hoc autem accidit quadrupliciter. Quædam namque rapiunt se virtute costarum, ut serpentes ; quædam vi quorumdam annulorum, sicut animalia annulosa ; quædam vi oris, ut vermes quidam ore terræ affixo corpus post se trahunt ; quædam vi pennularum, ut pisces : et universaliter omne animal reptile dicitur, cujus corpus per motum non longe a terra elevatur.

ARTICULUS LXIII.

De consummatione operum Dei, et quiete ipsius.

SICUT ait Magister, translatio quam Augustinus exponit, consummationem operum Dei sexto diei adscribit ; nostra vero septimo. Sed utraque vera est, sive dicatur dies septimus sex dies præcedentes sequi successione temporis, secundum Sanctos ; sive intelligantur septem dies, unus dies septempliciter rebus præsentatus, scilicet cognitio angelica, secundum Augustinum. Nam secundum eum, est duplex rerum perfectio. Una totalis, quam habent ex omnibus suis essentialibus partibus : et hæc ad sextum diem pertinet, quoniam post dies primos sex nulla species condita est, quæ non aliquo modo in sex diebus præcesserit. Alia est rerum perfectio ex parte finis, quæ est ultimata perfectio : et hæc septimo est diei, in quo Deus ab omni opere quievit in se sicut in fine. Secundum alios autem doctores, duplex est perfectio : scilicet prima, quæ est per esse ; et secunda, quæ est per operationem. Prima igitur, est diei sexto ; secunda, septimo. Tunc enim res cœperunt sibi simile propagare, quemadmodum et nunc usque agunt. Et secundum hoc, consummatio operum Dei est secundum aliquid perfectionis rebus collatum, quod est ipsa rei operatio. Non tamen aliquid novum ab extra in entibus fit, sed ipsa virtus quam Deus entibus contulit, tunc operari

Sent. II, dist. XV C.

Gen. II, 2.

Digitized by Google

incipit. Nec dicitur Deus ab operatione cessare, nisi ratione effectus sequentis, quia Dei operatio est ejus voluntas : quæ quia omnia determinat, ratione termini sui operis incipere et cessare dicitur. Nihilo minus semper conservat cuncta in esse; sed hoc non est novum esse influendo. Omnia itaque in opere sex dierum aliquo modo præcesserunt, vel secundum similitudinem speciei, quemadmodum anima rationalis; vel in principiis suis activis et materialibus, ut quæ ex putrefactione generari indesinenter videntur.

Præterea dicitur Deus septimo die quievisse, non utique a labore vel motu proprie dicto (Deus enim sine labore operatur, qui secundum Philosophum, accidit in opere nostro ratione motus; Deus autem est agens sine medio motu); sed quievit, prout cessatio ab operatione, quies vocatur. Dicitur etiam res in illo quiescere, in quo sufficientiam habet : et sic quiescit voluntas in ultimo fine. Sic quoque quiescit Deus in se a rebus creatis. — Operatio denique Dei, quum sit ipsemet Deus agens, non dicitur nova vel cessans, nisi per relationem ad effectum. Dicit tamen Dionysius, quod Deus est semper causans res. Nam et Avicenna testatur, quod agens absque motu, est actionem habens non solum dum res fit, sed quamdiu subsistit : sicut etiam sol est sua irradiatione causa luminis, quamdiu illud in aere perdurat. Sed hoc non est aliud et aliud esse influendo, sed unum esse continuando.

ARTICULUS LXIV.

De sanctificatione septimi diei.

DUO præterea attribuuntur septimo diei, consummatio operum, et quies opificis. Et quoad primum, debetur ei benedictio : quæ secundum Gregorium, est munerum Dei collatio et eorumdem multiplicatio. Hæc autem multiplicatio est per propagationem similis a suo simili, et præsupponit in rebus duplicem perfectionem : unam, quæ consistit in integritate essentialium partium; aliam, quæ est in ordine ad finem. Nam generatio est ut divinum esse participetur a rebus. Et ergo post primam perfectionem, quæ sexto die completa est, data est septimo die propagatio ipsa, quæ et benedictio dicitur.

Quantum vero ad quietem opificis, debetur septimo diei sanctificatio. Sanctum namque dicitur aliquid, vel quia veram sanctitatem participat, vel quia deputatur ad sacra, quemadmodum templum et vasa sacra dicuntur. Sic septimus dies dedicatus est Deo, ut in eo homines Deo vacent; et sicut Rabbi Moyses ait, ut memoria æternitatis Dei et novitatis mundi, in memoria hominum perseveret; et ut sicut Deus creator non in rebus conditis, sed in se ipso ab eis quievit, sic nos non in operibus ejus vel nostris quiescamus, sed in ipso qui omnium finis est. *Apoc.* 1, 8.

At vero benedictio et sanctificatio bonitati debentur. Bonum vero ratione finis dicitur : ideo septimo diei, in quo rerum consummatio erat, recte sanctificatio et benedictio adscribuntur. — Item, per sex dies quibus operatus est Deus, significatur vita activa; per septimum autem contemplativa, quæ dignior est : ideoque ei benedictio et sanctificatio deputantur.

ARTICULUS LXV.

Quomodo possit creatura ad Dei imaginem dici facta; et cur in solis rationalibus creaturis Dei imago reluceat.

DENIQUE de ratione imaginis est imitatio unius ad alterum; sed hæc imitatio non complet rationem imaginis, nisi unum imitetur aliud a quo procedit in aliquo quod ad speciem et ad essentiam pertinet. Unde Hilarius ait quod imago est species indifferens rei ad rem coæ-

Digitized by Google

quandum. Ideoque in corporalibus, secundum imitationem figuræ præsertim imago attenditur, quia figura differentiam et conformitatem speciei ostendit præcipue. Hæc autem imitatio est, vel secundum speciem et signum speciei, et sic filius est imago patris in specie humana, in natura et figura imitans ipsum : et hæc est perfecta imaginis ratio ; vel est secundum signum tantum, quemadmodum imago regis resultat in statua. Itaque primo modo est Filius Dei imago æterni Patris ; sed secundo modo creatura dici potest imago Dei, scilicet imperfecte. Unde sicut a Patre est omnis paternitas, sic a Filio omne nomen imaginis. Est igitur creatura Creatoris imago, quia id quod primo et per se in illo est, ipsa secundario imitative participat : non univoce, sed secundum analogiam. Non itaque ad rationem imaginis exigitur æqualitas æquiparantiæ, sed proportionis : et ita infinite distantium, scilicet Dei et creaturæ, exstat imago.

Ephes. III, 15. *Coloss.* I, 15 ; II *Cor.* III, 18.

Quum itaque imago consistat in illo quod est finale et determinatum, scilicet ad speciem pertinens (ab eo nempe quod commune est, non sumitur species, sed a propria ac ultimata perfectione) ; ideo in sola rationali creatura resplendet Dei imago, quia in ea est participatio divinæ intellectualitatis, quæ est omnium divinarum participationum finalis et summa. Propterea asserit Augustinus, quod eo ipso anima rationalis est Dei imago, quia ejus capax est. Intellectus quippe Deo inter omnia similior est : ideoque felicitas omnis rationalis animi est in eo in quo est divina felicitas, utputa in visione veritatis æternæ, atque perfecta fruitione bonitatis divinæ.

Sciendum autem, quod opus imitatur opificem, vel secundum quod ad naturam ejus pertinet, vel secundum quod in intellectu habet. Primo modo imitatur patrem filius, secundo modo artificiatum artificem. Utroque autem modo imitatur creatura Deum : quia ab ente sunt entia, a vivo viventia ; et etiam a propriis ideis singula fluunt : et ideo hoc secundo modo dicitur omnis creatura imago suæ ideæ. Unde dicit Boetius :

Mundum mente gerens, similique imagine [formans.

Sic quoque formæ quæ sunt in materia, sunt imagines formarum separatarum. — Dicit autem Dionysius, quod in radio solari Dei similitudo maxime splendet. Sed hoc quoad causalitatem intelligendum est. — Sciendum est autem, quod divinæ proprietates dupliciter relucent in entibus. Primo, secundum similitudinem analogiæ : et sic in rationali creatura præcipue ostenduntur divinæ proprietates, sicut vita, sapientia, quæ analogice Deo et creatis conveniunt. Secundo, secundum similitudinem proportionis, prout spiritualia corporalibus metaphorice designantur : et ita secundum Dionysium ultimo Cœlestis hierarchiæ capitulo, in igne præsertim ostenduntur divinæ proprietates.

De Divin. nom. c. IV.

ARTICULUS LXVI.

An magis in angelo quam in anima sit Dei imago ; et de differentia imaginis et similitudinis.

DE ratione proinde imaginis loqui quis potest dupliciter. Primo, quantum ad id quod proprie est de ratione imaginis, quod videlicet intellectualem naturam directe consequitur : et sic quo in aliquo est intellectualis natura sublimior, eo est in illo imago Dei expressior et perfectior. Unde in angelis est plenius quam in homine, et in superioribus angelis magis quam in inferioribus, in viro quoque magis quam in femina ; sed ista est minor diversitas quam prima, quia non est in diversis speciebus. Secundo, quantum ad id in quo secundario consistit quædam imaginis ratio. Et hoc modo potest in homine esse magis Dei imago quam in angelo, propter quasdam proprietates quibus cum Deo communicare videtur : sicut quod homo dominatur omni creaturæ inferiori et est

Digitized by Google

finis earum, sicut Deus est omnium finis et Dominus; et quod anima est in qualibet parte corporis tota, quemadmodum et Deus in omni parte universi totus. — Attendenda est autem imago in homine et angelo secundum naturalia dona, non secundum habitum gratiæ vel gloriæ. — Denique dicit Augustinus, quod inter Deum et mentem nostram nihil est medium. Sed hoc intelligendum est ideo dictum, quia nihil mediat inter ea, quasi felicitatis objectum beatificans mentem; nihilo minus multa mediant secundum gradum et dignitatem naturæ.

Præterea agnoscendum, quod distinguitur similitudo ab imagine, sicut magis commune a minus communi; et tamen de ratione ejus est. Quum enim imago dicat imitationem in his quæ ad speciem pertinent demonstrandam, oportet ut ratio similitudinis sumatur ab eo quod a demonstratione deficit specialis naturæ. Hoc autem contingit dupliciter. Vel quia est prius et communius natura specifica : et sic est ultima differentia quam assignat Magister, ut scilicet ad similitudinem pertineant indivisibile, incorruptibile. Hæc quippe consequuntur intellectualem essentiam, non in quantum intellectualem, sed ratione generis. Imago vero in his quæ ad speciem pertinent consistit. Vel id in quo est talis defectus, est posterius his quæ ad speciem pertinent, quemadmodum accidentia principia individui consequentia. Hoc autem dupliciter accidit : aut secundum ordinem naturalis potentiæ ad potentiam, et sic quia intellectus est prima potentia intellectualis substantiæ, voluntas vero secunda, imago attendetur in cognitione veritatis, quæ primo intellectualem naturam demonstrat, similitudo autem in amore virtutis (et hæc est secunda differentia Magistri); aut secundum ordinem potentiæ ad habitum, et ita imago consistit in intellectu, memoria et voluntate, similitudo autem in habitibus potentiarum istarum (et hæc est prima distinctio quam in littera tradit Magister). Non est autem inconveniens ut secundum unam distinctionem pertineat aliquid ad imaginem, et secundum aliam ad similitudinem, secundum diversam videlicet comparationem. Nam potentiæ comparari possunt ad habitus, quibus utique priores sunt, et sic in eis pensatur imago; aut certe comparatur una ad aliam : et quoniam una est alia prior, in una consistit imago, in alia similitudo.

Sent. II, dist. XVI D.

Ibidem.

Ibidem.

ARTICULUS LXVII.

Quod anima nec est de essentia Dei, neque ex materia constans, sed simplex atque immaterialis forma.

ANTIQUORUM insuper ruditatem, Deum esse de essentia omnium rerum, animam quoque simpliciter fore unam dicentium, moderni quidam secuti sunt : sicut David de Dinando, dividens res in tres partes, in corpora, animas et substantias separatas æternas; et primum indivisibile ex quo constituuntur corpora, dixit ὕλην, id est materiam; id autem indivisibile ex quo constituuntur animæ, dixit νοῦν, id est mentem; primum quoque indivisibile in substantiis æternis, Deum; et hæc tria unum esse. Ex quo sequitur, omnia unum esse. Sed positio ista rudissima est. Deus enim benedictus et supergloriosus, est purus actus : a cujus perfectione omne aliud infinite occumbit. Nec etiam adjuvat errorem hunc pessimum quod in Genesi legitur, Inspiravit Deus in faciem ejus spiraculum vitæ. Inspirare enim transumptive de eo dicitur : sicut in Isaia scriptum est, Omnem flatum ego feci. Denique, quod homo flando emittit, non est de substantia ejus; et si esset de substantia corporis aliquo modo, tamen de substantia animæ nullatenus esset. Unde non sequitur aliquo modo quod Deus animam inspirando de sua natura producat, sed eam immensitate suæ potentiæ creat.

Gen. II, 7.

Is. LVII, 16.

At vero, quod non sit anima ex materia et forma composita, sic probatur. Aut

Digitized by Google

enim est forma corporis secundum totam suam essentiam, aut secundum essentiæ suæ partem. Si primum, nequaquam potest esse composita ex materia et forma : quia quum omnis materia sit de se pura potentia, non est actus et forma alicujus materiæ. Si secundum dicatur, duplex inconveniens sequitur : primum, quod unus actus sit diversarum forma materiarum, scilicet materiæ corporalis et spiritualis ; secundum, quod potentiarum quæ unius rationis non sunt, est unus actus perficiens. Corporalis namque et spiritualis materia unius generis non sunt. Est tamen
art. XVI. secundum præinducta, in anima compositio quædam, utputa ex *esse* et *quod est* : quæ compositio in aliis naturalibus formis inveniri non valet, quia in suo esse subsistere nequeunt, sed totum esse earum est esse totius compositi. — De immaterialitate autem et simplicitate animæ et
ibidem. angeli superius rationes aliæ factæ sunt.

ARTICULUS LXVIII.

De unitate intellectus in omnibus hominibus ; et utrum animæ ante corpora conditæ sint.

SECUNDUM philosophos, triplex distinguitur intellectus, scilicet : possibilis, qui omnia potest recipere ; agens, qui lumine suo facit intelligibilia in potentia actu intelligibilia ; et formalis seu in habitu, et est intellectus specie actualiter informatus ut operari possit. Omnes itaque philosophi post Aristotelem in hoc quasi concordant, quod intellectus agens et possibilis secundum substantiam differant, et quod intellectus agens sit quædam substantia separata, scilicet ultima, sic se habens ad intellectum possibilem, quo intelligimus, sicut superiores intelligentiæ ad animas orbium. Hoc autem secundum fidem rectam sustineri non potest. Ut enim Anselmus probat, ideo Deus reparationem humani generis per angelum fieri noluit, ne tolleretur a nobis spes paritatis cum angelis in gloria, dum angelus fieret homini causa salutis. Pariformiter, si dicamus animam rationalem secundum naturalem suam operationem ab aliquo intellectu creato superiori dependere, non jam maneret spes perveniendi ad æqualem gloriam cum angelico intellectu, quia ultima rei perfectio est in complemento operationis suæ : ideoque secundum philosophos istos, felicitas animæ consistit in unione ad hujuscemodi intellectum. Igitur catholici quidam hanc positionem partim corrigentes et partim tenentes, dixerunt intellectum agentem esse Deum : per cujus applicationem fit anima actu intelligens. Unde de Deo scriptum est : Erat lux *Joann. I, 9.* vera.

Præterea, de intellectu possibili magna fuit Peripateticorum diversitas. Alexander enim dixit eum esse solam præparationem corporis ad intelligibilium susceptionem formarum ; et sic intellectus esset virtus corporea, vel virtus in corpore : cujus oppositum probat Philosophus. Rursus, nulla virtus ex commixtione elementorum resultans, potest esse cognoscitiva : aliter elementa agerent ultra speciem suam. Ideo alii dixerunt, ut Avempote et sui, quod intellectus possibilis est ipsa vis imaginativa, in quantum nata est ut sint in ea formæ quæ fiunt actualiter intellectæ ; et sic intellectus esset virtus utens organo : quod omnino contra Aristotelem est. Et secundum has opiniones, esset anima rationalis mortalis, et post omnium hominum corruptionem remaneret dumtaxat unum, videlicet intellectus agens separatus : quod fidei et rationi discordat. — Tertia est ergo positio Avicennæ, quæ fidei consonat, quod intellectus possibilis est intrinseca potentia animæ inorganica, cum corpore incipiens, sed post illud immortalis perseverans. Tamen de intellectu agente errat cum aliis.

Porro eorum qui ponunt intellectum possibilem unum in omnibus, est duplex opinio. Prima est Themistii et Theophra-

Digitized by Google

sti, sicut Commentator tertio de Anima recitat. Dicunt enim, etiam intellectum in habitu, in omnibus esse unum et æternum, et quod est compositus ex intellectu agente et possibili, sic ut agens sit forma intellectus possibilis, et per continuationem intellectus possibilis continuetur nobis intellectus agens : sic quod intellectus agens est de substantia intellectus speculativi, qui etiam dicitur intellectus in habitu, per quem intelligimus. Et secundum istos, species intelligibiles sunt æternæ; et intellectus hic non est quandoque intelligens et quandoque non intelligens, nisi secundum quod continuatur nobis per impressionem suam. — Hanc vero positionem Averroes reprobat : et ideo ipse ponit quod intellectus possibilis et agens sint æterni, et unus intellectus in omnibus; sed species intelligibiles non sunt æternæ, neque intellectus agens est forma intellectus possibilis, sed habet se ad eum sicut artifex ad materiam; species autem a phantasmatibus abstractæ, sunt forma intellectus possibilis.

Sed utraque opinio falsissima est, et nulla ratione comprehendi potest; et secundum eas, homo non esset vere rationalis, nec vere intelligeret, sed intellectus separatus. Est igitur intellectus tam agens quam possibilis in singulis hominibus alius atque diversus, et sunt duæ potentiæ animæ. Natura enim dedit omnibus rebus ea quæ ipsis necessaria sunt ad propriæ ac connaturalis operationis exsecutionem. Ideo utique et homini a Creatore sunt datæ potentiæ quibus rationalis discursus est indigens : et harum una est intellectus agens, speciem a phantasmate abstrahens; alia possibilis, eamdem recipiens. Non est tamen idem simul respectu ejusdem in actu et potentia. Nam per intellectum agentem est anima in actu quodam indeterminato et confuso : et quoad hoc, est res materialis in potentia quoad eum, quia solum est potentia intelligibilis. Sed in quantum res talis est certam naturam habens, sic habet se ad intellectum agentem sicut actus : quia determinat confusam ejus actualitatem seu intellectuale lumen.

Amplius autem advertendum, quod animæ non sunt ante corpora conditæ, neque a principio factæ : quia in eodem actus non præcedit potentiam tempore, sed natura, secundum Philosophum. Augustinus tamen videtur dicere, quod anima primi hominis fuerit ante corporis formationem creata. Sed hoc asserendo non dixit, sed inquirendo, quemadmodum et alia multa dicit super Genesim. Illi vero qui animas ante corpora factas ponebant, sicut Platonici, non ponebant eas uniri corporibus sicut actus intrinsecos et formas substantiales, sed potius sicut unitur nauta navi, motor mobili, et vestitus indumento. Unde Plato (sicut de eo narrat Gregorius Nyssenus) dixit hominem esse animam corpore indutam.

Verumtamen anima præcessit in opere sex dierum aliquo modo : vel secundum simile in specie, quia et homo in uno sex dierum factus est; vel secundum similitudinem naturæ communis præcessit in opere creationis (de quo scriptum est : Qui vivit in æternum, creavit omnia simul), in quantum anima communicat in natura intellectuali cum angelis. Secundum Augustinum tamen, factus est homo in opere sex dierum (qui secundum eum, sunt unus dies, sicut ante ostensum est), quantum ad materiam et rationem seminalem ratione corporis; ratione autem animæ, ipsa primi hominis anima in se ipsa facta fuit.

Eccli. XVIII, 1.

art. LIII.

ARTICULUS LXIX.

De paradiso, an sit corporalis locus an spiritualis.

ORIGENES præterea dixit paradisum non esse corporalem locum, sed omnia quæ de paradiso scribuntur, allegorice de paradiso spirituali fore interpretanda.

Digitized by Google

Epiphanius autem episcopus Cyprius, in epistola quadam quam Hieronymus transtulit, hoc pro errore reprobat. Ideo simpliciter concedendum est, quod paradisus sit locus corporeus, temperatissimus et amœnus, ubi locatus erat homo, ut nullis molestiis impeditus, spiritualibus cum quiete vacaret. Æstimatur quoque locus iste sub æquinoctiali versus orientem situs, quoniam et philosophi quidam hunc locum temperatissimum asserunt; et ex eodem loco Nilus, unum ex quatuor paradisi fluminibus, emanare videtur. Ignotus est autem naturali inquisitioni, quia adiri non valet; per revelationem vero innotuit.

Denique, quod paradisus usque ad lunam se porrigere dicitur, secundum situm non debet intelligi, quum ignis sit ibi maxime activus et extranei corporis consumptivus, sed secundum similitudinem, propter temperantiam et incorruptionem ipsius, quia et a luna et supra, neque corruptio est nec contrarietas. — Dicit autem Damascenus, quod Oceanus, qui videlicet omnem terram circuit, est fons fluminum quæ de fonte paradisi fluere dicuntur. Sed hoc accipiendum est de primo principio fluminum; proximum tamen principium eorum est fons paradisi. Verumtamen, flumina illa videntur ex diversis vicissim fontibus scaturire : et hoc (ut Augustinus testatur) contingit, quia aquæ quæ ex fonte paradisi procedunt, in locis nobis ignotis terram subintrant, et alibi rursus erumpunt, et ibi tunc videtur esse fons fluminis. — Porro, positus est homo in paradiso ut operaretur illum, non utique laboriosa, sed delectabili agricultura; et custodiret eum, non contra invasorem violentum, sed sibi ipsi, ne per peccatum perderet ipsum. Vel sic potest intelligi : Positus est homo in paradiso, ut operaretur, Deus scilicet ibi hominem, faciendo eum justum atque fecundum; et custodiret eum, sine cujus custodia nusquam tutus est. — Et quoniam hunc locum homo propter intellectualem quietem suscepit, non videtur probabile, animalia irrationalia illuc pervenire potuisse, nisi virtute divina ad tempus, sicut quando adducta sunt ad Adam, ut videret quid vocaret ea : nisi forte quis exponat adductionem illam non nisi per interiorem revelationem factam; sed et per dæmonem adduci poterant, ut de serpente patet.

Gen. II, 15.

Gen. II, 19.

ARTICULUS LXX.

De formatione Evæ ex costa viri, et de rationibus seminalibus.

MULIEREM de costa viri factam, dubitare non licet. De modo tamen hujus diversa invenitur positio. Magister enim et Hugo de S. Victore ponunt de costa Adæ formatum corpus Evæ per solam multiplicationem, sine additione alicujus exterioris, aut novæ creatione materiæ. Hoc autem impossibile videtur. Hæc namque multiplicatio est vel secundum quantitatem dumtaxat, aut secundum essentiam materiæ. Si primo modo, sic oportet ut materia quæ prius erat sub dimensionibus parvis, postea sit sub majoribus dimensionibus. Hoc vero est rarefieri, secundum Philosophum quarto Physicorum : et ita corpus mulieris fuisset valde subtile, imo subtilius aere. Si autem multiplicatio essentiam attingit materiæ, tunc aliquid materiæ erit sub forma corporis mulieris quod ante non erat. Hoc autem aliter esse non potest nisi vel per conversionem alterius in ipsum corpus mulieris, cujus materia in ea remaneat, vel per creationem novæ materiæ, vel per additionem materiæ sub alia forma præexsistentis ad corpus Evæ. Et hoc ultimum verius videtur, quia omnia, saltem secundum materiam, simul creata a Sanctis traduntur. Dicitur tamen corpus Evæ ex costa factum, quia costa primo et principalius ad corporis constitutionem concurrebat. Hæc vero costa erat in Adam, non sicut in individuo, sed sicut in principio totius speciei, nec erat de integritate ejus : ideoque in Eva resurget, et non in Adam.

Sent. II, dist. XVIII E.

Digitized by Google

Enimvero, quemadmodum ab arte artificis fluunt formæ artificiales, sic ab ideis mentis divinæ formæ manant naturales. Sed quia quæ in causatis sunt, in causis sublimius sunt, secundum Dionysium secundo capitulo de Divinis nominibus; ideo in divina virtute est rebus aliquid addere, abstrahere, minuere atque mutare. In duobus autem differt operatio Dei ab actu artificis. Primo, nam quum Deus sit causa substantiæ ipsius materiæ, ipse dat materiæ potentiam quæ recipere queat quidquid esse ipse voluerit. Artifex autem, quia præsupponit materiam, non præstat ei receptivam potentiam. Secundo, nam formæ naturales producunt sibi similes : unde et proprietatem seminis habent. Res vero artificiales non producunt sibi simile : non enim lectus putrescens pullulat in lectum, sed in plantam. Itaque formæ rerum in mente divina, primordiales dicuntur. Potentia autem materiæ indita, qua receptiva est ejus quod Deus disponit, vocatur obedientialis ; virtutes autem in materia positæ per quas naturales sequuntur effectus, rationes seminales dicuntur.

Verumtamen quid realiter sint rationes istæ, a multis diversimode traditur. Quidam namque asserunt, in eodem esse præter formam specificam, esse formam communem, quam dicunt rationem seminalem, quia per eam materia disponitur ad ultimatam ac propriam formam. Sed positio hæc falsa est, quum non sint in eodem plures formæ speciales *. — Alii igitur ponunt in materia præesse formas secundum esse incompletum, non plene activum : quod inchoationem formarum appellant. Nam, ut videtur, nisi esset in materia principium activum intrinsecum, non naturalis sed violenta esset generatio. Hi itaque dicunt, in materia esse formarum seminales virtutes, materiæ concreatas, quemadmodum et in semine est virtus formativa secundum esse incompletum. Hoc autem non videtur verum, quia licet educantur de potentia materiæ, illa tamen potentia non est activa, sed passiva tantum. Unde sicut in corporibus simplicibus non est (sicut Averroes ait) dividere ipsum corpus in partem moventem et motam, sic nec in alteratione alterabilium. Unde non potest eodem modo accipi virtus seminalis in rebus viventibus et in rebus inanimatis. Res enim vivæ ratione animæ, a se ipsis motum alterationemque habent. Licet autem in materia sit tantum potentia passiva, tamen generatio naturalis est : quia passivum principium saltem ab intra est.

Concedendum est igitur, quia nulla est potentia activa in materia ad formam ; seminales quoque rationes dicuntur virtutes activæ et in natura completæ cum propriis passivis, ut calor, ignis, frigus, formativa virtus solis : quæ ideo seminales dicuntur, quia rebus collatæ sunt per opera sex dierum, ut ex eis tanquam ex seminibus producerentur et alia. Sub rationibus autem seminalibus activæ atque passivæ continentur virtutes, quæ per naturale agens perfici possunt. Denique, virtutes istæ rationes dicuntur, non quod intentionaliter insint materiæ, sed quia a divina arte procedunt. Dicuntur et semina, quia ex eis alia naturaliter producuntur. Materia igitur ad generationem coadjuvat, non agendo, sed in quantum habilis est ad formæ receptionem. Hæc vero habilitas, appetitus materiæ dicitur et inchoatio formæ.

* substantiales

ARTICULUS LXXI.

Cur aliquid miraculosum dicatur.

SICUT primo Metaphysicæ ait Philosophus, admiratio ex duobus causatur : primo, quia causa effectus nescitur ; secundo, quia in re aliquid est ex quo videtur quod aliter esse deberet : ut est diametrum quadrati non posse commensurari lateri. Est itaque aliquid mirabile huic, id videlicet cujus causa sibi ignota est. Aliud autem est mirabile sim-

Digitized by Google

pliciter, cujus scilicet causa simpliciter occulta est : sic quod in re aliquid vere est propter quod aliter naturaliter fieri deberet. Et talia a Deo immediate fiunt ; et simpliciter miracula sunt dicenda, quia extra naturalium ordinem causarum fiunt, ut suscitatio mortui.

Hæc autem quandoque sunt supra naturam, dum videlicet natura in substantiam facti non potest, sicut est divisio maris Rubri. — Quandoque vero sunt præter naturam, quum scilicet natura potest in substantiam facti, sed modus supra cursum naturæ est, ut conversio aquæ in vinum. Quod autem talia dicantur miracula, contingit ex triplici causa. Primo modo, propter excessum : sicut in Ægypto ranæ productæ sunt in inconsueta multitudine. Secundo, propter circumstantiam temporis : sicut quod manus Jeroboam tunc protinus aruit, dum Propheta nomen Dei invocavit. Tertio, quia aliquid universaliter fit : sicut in veteri Testamento post potum aquæ zelotypiæ, venter adulteræ intumescebat. — Tertio sunt contra naturam, dum scilicet in re est naturalis causa ad oppositum : velut si leve descendat, et virgo gignat. Unde creatio non est proprie miraculum. Non est enim in re ut aliter fiat : imo prima rerum productio naturali a Deo ordine fuit. Præterea, animarum rationalium creatio et justificatio impii, non sunt proprie miraculosæ. Licet enim sint præter rationes seminales, est tamen in re aliqua naturalis dispositio, utputa præparatio corporis et voluntatis habilitatio. Quod si sine iis præparamentis a Deo contingerent, miracula essent : sicut in formatione Adæ, conversioneque Pauli. Verumtamen insolitum quod in definitione miraculi ponitur, non designat raritatem facti, sed excludit solitum naturæ cursum. Nam et si quotidie cæci visum reciperent, nihilo minus miraculum foret illuminatio cæci. Porro, resurrectio mortuorum miraculosa erit. Fiet namque contra spem naturæ, licet non sit contra spem gratiæ.

III *Reg.* XIII, 4.

Num. V, 27.

ARTICULUS LXXII.

Quod anima rationalis non est ex traduce, neque ab angelis creata.

TRADUCTIO denique duo importat : divisionem et originem unius ab alio ; unde proprie locum habet in generatione viventium. Dividitur autem aliquid dupliciter : vel per se, sicut corpus ; vel per accidens, ut forma corporalis immersa materiæ. Anima autem est immaterialis : et ideo secundum Philosophum sexto* de Animalibus, traduci non valet per semen. Vult enim, quod quorum operationes sunt sine corpore, illa non traducantur per semen. Similiter anima filii ex anima patris originem habere non potest : quia vel intellectus filii esset ex intellectu patris mediante virtute generativa et formativa ; et sic effectus esset immaterialior et dignior sua causa, et actio virtutis corporalis ad immaterialem formam terminaretur. Vel esset ex eo immediate. Hoc vero impossibile est. Est enim (sicut Avicenna fatetur) quoddam agens, habens causalitatem supra totam speciem rei, sicut sol est causa leonis ; et tale agens oportet differre specie a suo effectu. Quum ergo omnes rationales animæ sint ejusdem rationis et ordinis, non potest hoc modo una originari ab alia. Aliud autem est agens respectu unius individui : sicut hic ignis est ab hoc igne. Et nec sic potest anima una esse ab alia. Agens enim non producit effectum sibi secundum speciem similem, nisi movendo materiam ad talem formam. Anima autem rationalis, non est sicut ceteræ formæ naturales de potentia materiæ educibilis, nec est composita, et ideo necessario est ab extra : quod etiam philosophi concesserunt. — Advertendum est autem, quod fornicatio in quantum consideratur secundum esse morale, mala est, nec cooperatur ei Deus ; sed secundum quod est in specie naturali, sic est quoddam bonum, sic quoque Deus complet actum adulteri, animam creans et in-

* sexto-decimo

Digitized by Google

fundens. — At vero in libro de Proprietatibus elementorum ait Philosophus, quod in nato est spiritus vitæ jussu Dei.

Præterea, quemadmodum vicissim præ- art. III, IV, LXI. tactum est, quidam philosophorum opinati sunt a Deo non nisi primam intelligentiam immediate creatam : nam idem manens idem, natum est facere idem. Et quia intelligentia prima creata est, distat a Deo, et est in ea quædam pluralitas actus atque potentiæ. Dum igitur intelligit primum principium, fluit ab ea intelligentia secunda, quæ est minoris actualitatis quam prima, quum sit a prima creata; dum vero intelligit se secundum quod in actu est, producit animam primi orbis; dum autem considerat se ut in potentia est, causat substantiam primi orbis : et ita usque ad ultimam intelligentiam, quam vocant agentem, a qua dicit Avicenna effluere animas rationales et omnes formas substantiales. Materiam vero omnium inferiorum reducunt in substantiam orbis sicut in causam. Et ad hujus positionis confirmationem multa possunt adduci ex libro Causarum : cujus tamen libri auctoritatibus non est in præsenti materia consentiendum. Nam auctor libri illius, hujus erroris initiator invenitur fuisse : nisi forte quis extorte eum exponat.

Hæc porro positio (sicut undecimo Primæ philosophiæ Commentator ostendit) debile fundamentum habet : quia secundum hanc positionem, istæ primæ rerum causæ, essentiales causæ sunt, et naturaliter agunt quidquid producunt. Sed hoc falsum est. Est namque agens naturale; et hoc agit ex necessitate formæ, sicut sol lucet. Est quoque agens intellectuale et divinum; et quemadmodum illud multa simul intelligit, sic ab eo plura procedere queunt. Ideoque Deus benedictus, secundum ordinem sapientiæ suæ, qua actu infinita simul intelligit, plura simul efficere potest, et producit se ipso quidquid ei placuerit. Hæc autem positio fidei contraria est, et idololatriæ maximam occasionem præbet. Omnium ergo quæ sine motu inceperunt, est Deus proxima causa : ut sunt angeli, animæ, substantiæ orbium, materia elementorum, et primæ hypostases omnium specierum. Insuper positio ista aufert honorem animarum sanctarum : quia secundum eam, non posset homo coæquari angelis in gloria; imo felicitas animæ esset in unione intelligentiæ : quia perfectio cujuslibet rei consistit in copulatione sui ad suum principium.

At vero, licet Deus infinitus sit, creata tamen finita sunt : quia Deus gloriosus est ratio et exemplar atque similitudo omnium rerum, et ipse in numero, pondere et mensura omnia fecit. *Sap.* XI, 21.

ARTICULUS LXXIII.

An anima sensibilis et vegetabilis sint ex traduce.

PLATO proinde, Avicenna et Themistius, omnes formas et animas a principio separato dicebant : Plato ab ideis, Avicenna vero ab intelligentia. Quos sequentes quidem theologi, omnes animas a Deo creatas affirmant. Quorum philosophorum motivum erat propter animalia ex putrefactione generata; et etiam quia solæ qualitates activæ, scilicet calor, humiditas, etc., inveniuntur agere in natura : quæ non possunt substantialem formam producere, quum nihil agat ultra propriam speciem. Et isti attendunt formas rerum, ac si eis per se deberetur esse et fieri.

Aristoteles autem et Averroes dicunt esse rerum naturalium, esse ipsorum compositorum et non formarum, et quod composito competat esse, fieri et generari. Generatum enim fit a suo simili, scilicet generante; et utrumque est hoc aliquid et totum compositum. Propterea aiunt animam sensibilem et vegetabilem, esse ex traduce, hoc modo. Agens namque univocum, dat patienti similitudinem sui secundum speciem. Cibus quoque, in quantum est patiens et alteratum, recipit

Digitized by Google

formam nutriti, et convertitur in ipsum. A Itaque ante ultimam assimilationem non est in eo virtus speciei determinatæ ad hoc vel illud. Nam determinatio hæc, est propter propriam determinatæ partis virtutem. Quum autem semen sit residuum ultimi cibi propinquissimi ad ultimam conversionem, in eo est potentia totum, et non actu aliqua pars. Unde ante resolutionem et decisionem ejus, est in ipso potentia illa indistincta. Dum autem separatur, efficitur actu habens talem potentiam vel talem formam : sicut in ani- B malibus annulosis patet, in quibus ante divisionem, secundum Philosophum, est una forma in actu, plures in potentia. Unde in secundo de Anima dicitur, quod semen non actu sed potentia vivit. Hæc vero potentia in semine patris est activa, in menstruo autem matris passiva ; et in quantum activa est, comparat eam Philosophus (septimodecimo de Animalibus) arti. Unde Avicenna et Commentator appellant eam virtutem formativam. Cujus subjectum et organum nondum determi- C natum est, scilicet spiritus vitalis inclusus in semine ; et ad continendum hunc spiritum est semen spumosum, et hæc est causa albedinis ejus. Huic porro spiritui unitur virtus formativa per modum motoris magis quam ut forma, licet ejus forma aliquo modo sit. Ideo septimo Metaphysicæ dicit Averroes, quod conjungitur spiritui virtus illa sicut motores orbibus. Corporali vero huic conjungitur triplex calor, scilicet : elementaris, qui est velut instrumentum resolvens atque D consumens ; calor animæ, qui est vivificans ; et calor cœlestis, cujus virtute movet ad speciem determinatam. Et hujus triplicis virtute caloris, virtus formativa convertit menstruum in substantiam membrorum, quemadmodum fit in augmento, secundum Philosophum sextodecimo de Animalibus. Secundum perfectionem quoque membrorum, incipit anima magis ac magis esse actu in semine, quæ prius erat ibi in potentia.

Advertendum autem, quod licet secundum fidem nostram, cœlum non sit animatum, tamen motus ejus potest esse causa formarum vitalium, secundum quod in eo manet virtus motoris, qui est substantia separata. — Denique in generatione animalium ex putrefactione, virtus cœlestis sufficit et supplet locum virtutis formativæ, propter imperfectionem animalium horum. Est enim virtus cœlestis in omnibus inferioribus sicut virtus moventis in moto, ut inducat unumquodque in propriam speciem secundum materiæ dispositionem. Hæ insuper virtutes cœlestes in elementis retentæ, dicuntur a Philosopho sextodecimo de Animalibus virtutes animæ, quia usque ad animationem materiæ pertingunt, si ipsa aliquam complexionis æqualitatem sortiatur ; et eis dicit elementa esse plena.

ARTICULUS LXXIV.

De immortalitate rationalis animæ.

ANTIQUISSIMI autem philosophorum, non discernentes inter intellectum et sensum, neque ad incorporearum naturarum cognitionem pertingentes, animam humanam asserebant mortalem : quod Aristoteles satis improbavit. Intellectus quippe sui ipsius cognoscitivus est ; et hoc nulli virtuti organicæ convenire potest. Cujus rationem assignat Avicenna. Semper namque inter virtutem corporalem cognoscitivam et objectum, est organum medium : sicut nihil videt virtus visiva, nisi cujus species est in pupilla. Sed inter virtutem et ipsam virtutis essentiam, impossibile est organum medium esse. Et hæc ratio in libro de Causis tangitur. At vero, quum intellectus sit omnium formarum corporalium cognitivus, oportet eum ab omnibus eis esse absolutum atque nudatum. Rursus, quum intellectus sit directe universalium, oportet formas intelligibiles immaterialiter in ipso esse et recipi. — Alia erat positio,

Digitized by Google

quod omnibus animabus destructis, remanet solum quoddam commune lumen. Et hoc dixerunt qui intellectum esse unum in omnibus mentiti sunt, sicut infelix Averroes cum suis. — Tertia fuit positio Platonis et Pythagoræ, qui animam immortalem concedentes, dicebant eam transire de uno corpore in aliud. Quod Philosophus primo de Anima destruit : quoniam anima, quum sit forma et motor corporis, requirit proportionatam materiam determinatumque mobile. Unde hæc anima non nisi hujus corporis potest esse forma ac motor.

Ideoque quarta est beatissimæ nostræ fidei vera sententia, quod anima cum corpore incipit, et post illud remanet, et idem numero corpus quod modo relinquit, denuo resumet, non amplius illud relictura. Immortalitas nempe rationalis animæ pulchre ostenditur. Ad providentiam enim Dei pertinet, omnium rerum, præsertimque intellectualium, ordinationem habere et curam. Sed injustus est provisor et rector, nisi boni præmientur, et mali puniantur. Quum ergo in hac vita frequenter justis usque ad mortem mala proveniant, et impiis prospera, oportet ut post vitam hanc retributio fiat. Propterea decimo Ethicorum ait Philosophus, quod homo sapiens, est Deo simillimus et amantissimus ei. Denique, sicut tertio de Anima Aristoteles ait, anima est locus specierum : ideo necesse est ut species ipsa conservet, et sine corporis communione intelligere queat. Et utique immortalitatem intellectus omnes subtiles philosophi concesserunt, licet quidam illum putaverint esse unum in omnibus, et quamdam separatam substantiam.

ARTICULUS LXXV.

De immortalitate et impassibilitate Adæ ante mortem.

UNUMQUODQUE autem secundum exigentiam finis instituendum est. Quumque finis propter quem Deus hominem fecit, sit supernaturalis felicitas, ideo homini in exordio sui aliquid datum est supra naturalem facultatem. Et quoniam corpus humanum ex contrariis constat, non potuit homo ex principiis naturæ immortale esse habere : quia forma influit esse materiæ secundum capacitatem materiæ. Est itaque supernaturaliter primo homini datum, ut rationalis anima, quum sit ipsa immortalis, communicaret esse corpori secundum propriam virtutem, trahens corpus omnino ad suum dominium. Hæc autem potestas animæ supra corpus, consequebatur et dependebat a subjectione ipsius animæ sub Deo. Ideo, quia Adam peccare potuit, utputa libero arbitrio nondum in justitia confirmato, etiam dominium animæ supra corpus deficere potuit : et sic erat quodammodo mortalis, quia peccare potuit. Sed simpliciter loquendo, immortalis erat secundum statum illum : quia ad id dicitur aliquid simpliciter esse in potentia, ad quod uno actu reduci potest, secundum Philosophum nono Primæ philosophiæ. Sicut non dicimus quod ex terra fieri possit statua, sed ex cupro, quum tamen ex terra cuprum fiat ; sic Adæ non poterat accidere corruptio, nisi prius facta mutatione animæ secundum actum peccati. — Verumtamen fuisset in corpore Adæ aliqua particularis deperditio, ad cujus restaurationem indiguit cibo : quo etiam eguit propter multiplicationem speciei per viam seminalem. Non tamen potuisset fieri dissolutio in toto propter virtutem vegetativam, quæ operabatur secundum potestatem animæ : quemadmodum etiam elementa secundum partem corrumpuntur, sed secundum totum incorruptibilia sunt, eo quod inferiorum corporum ordo virtute superiorum servatur.

Denique, passio uno modo communiter dicitur omnis receptio alicujus in se : et sic omne quod est in potentia, dicitur pati dum in actum reducitur. Sic quoque perfectiva mutatio, passio est : et hoc modo corpus Adæ, imo omne creatum, passibile

Digitized by Google

erat et est. Secundo proprie dicitur passio, secundum quod sequitur alterationem, per quam transmutatur res ab eo quod est sibi naturale atque conveniens in oppositum, sicut dum aqua calefit : et taliter dicta passio non conveniebat Adæ, nisi sicut mors, in quantum scilicet peccare potuit; sed simpliciter loquendo, corpus ejus impassibile fuit. Omnis enim passio, secundum Philosophum, magis facta abjicit a substantia. — At vero, quum Adam ante peccatum animalem vitam habuerit, rationabilius videtur quod obdormivisset; et somnus in eo fuisset, non ex innaturali molestia, ut sunt ægritudo et labor, sed ex naturali causa, videlicet ex vaporatione alimenti ac humiditate cerebri. Somnus namque, secundum se, est animalis quædam perfectio, quoniam in ipso vigorantur virtutes naturales, et animales quiescunt ut postea efficacius agant. — Intuendum est et hoc, quod corpus Adæ molle et divisibile erat, tamen impassibile fertur : quia per providentiam qua ipse sibi providere tenebatur, securum erat ab omni nocumento, quod in ipsum naturaliter agere valuit; per providentiam vero divinam conservabatur ab omni violentia.

ARTICULUS LXXVI.

Quod non erat homo in primo statu immortalis et impassibilis per naturam; et quomodo immortalitas Adæ differat ab immortalitate resurgentium.

QUEMADMODUM quarto capitulo de Divinis nominibus Dionysius ait, peccatum non tollit naturam : ideo in angelis atque hominibus, post peccatum naturalia integra permanserunt; et ideo non naturæ sed gratiæ donum erat, quod ante peccatum homo immortalis et impassibilis erat.

Denique, contra varios corruptionis modos et causas, multis conservabatur remediis. Quadruplici autem ex causa corpora animalium corrumpuntur. Primo, quia virtutem finitam essendi habent : et hoc omni enti corruptibili commune est. Unde et secundum Philosophum secundo de Generatione, omnia generabilia et corruptibilia, certa terminantur periodo. Secundo, propter excessum alicujus contrariorum : et hæc causa non nisi in mixtis locum habet. Et contra has duas corruptionis causas salvabatur homo propter virtutem animæ, quæ secundum suam potestatem, et non secundum materiæ capacitatem, corpus informabat. Tertia causa corruptionis, animatis propria est, scilicet inordinatus calor, qui est instrumentum animæ, humidumque radicale consumit : et contra hanc causam subveniebatur ei duplici beneficio. Nam esu aliorum paradisi lignorum, reparabatur continua deperditio in corpore facta, sicut in nobis per cibum. Verumtamen, quoniam virtus convertens cibum continuo debilitatur, nec id quod postea in viventis naturam convertitur, tam perfecte et efficaciter substat formæ viventis sicut id quod primo substabat; ideo in nobis fit tandem corruptio, dum non potest esse tanta restauratio quanta contingit diminutio : cujus exemplum ponit Philosophus primo de Generatione, de vino, quod per aquæ appositionem, tandem amittit formam vini. Sed contra hoc valebat homini usus ligni vitæ, quod divina sibi data virtute, alimentum in perfectam assimilationem nutriti perduxit : et igitur quidam dicunt, quod lignum vitæ ad restaurationem humidi radicalis deperditi valuit. Quarto contingit corruptio propter violentiam ab extrinseco, sicut ab igne : et contra hoc protexit hominem divina providentia.

Advertendum autem, quod nullum mixtum potest ad tantam æqualitatem pertingere, quin oporteat in ipso unum elementorum prædominari : et in animalibus calor dominatur, quum sit instrumentum animæ. Et unicuique mixto debetur locus secundum elementum prædominans. — Lignum autem vitæ erat cooperans ad

Digitized by Google

immortalitatem Adæ; sed principalis causa erat anima, virtute sibi divina super naturam concessa.

Præterea, immortalitas dicit potentiam ad semper vivendum et non moriendum. Hæc autem potentia, in natura hominis secundum naturalia ejus, non nisi imperfecte et per modum virtutis obedientialis exstitit; complementum vero ipsius est ex dono gratiæ divinitus impertito. Elucescit ergo, quod immortalitas Adæ cum immortalitate resurgentium eadem fuit, secundum incompletam naturalem potentiam; sed secundum completivam atque formalem immortalitatis ac impassibilitatis rationem, alia erat : quia prima erat per donum innocentiæ, secunda erit per donum gloriæ. In primo quippe statu talis erat victoria animæ super corpus, ut nihil in corpore fieri posset quod animæ adversaretur. In statu autem novissimo gloria animæ redundabit in corpus : nam agile, lucidum ac spirituale erit corpus, propter convenientes animæ qualitates in ipsum redundantes.

ARTICULUS LXXVII.

Quod in statu innocentiæ fuisset generatio per coitum.

PRÆCEPTUM insuper alicui datum non est, nisi de his quæ in potestate ejus sunt, et quorum ipse causa esse potest. Quum igitur Geneseos primo præceperit
Gen. I, 28. Deus homini, Crescite et multiplicamini, et replete terram; oportet concedere, quod homo etiam si non peccasset, humanæ propaginis causa fuisset. At vero, quum peccatum non auferat naturalia, secundum
De Divin. nom. c. IV. Dionysium, et generativa virtus sit de perfectione rei, constat quod ante peccatum generatio fuisset. Dicit enim Aristoteles quarto Meteororum, unumquodque tunc esse perfectum, quum facere valet aliud quale ipsum est. Amplius, hoc ordini divinæ sapientiæ competit ut entibus naturales operationes non auferat. — Scien-

A dum autem, quod licet in generabilibus quorum individua secundum se tota corruptibilia sunt, generatio sit propter perpetuitatem speciei, et non sit generatio individui per se intenta in natura, sed per accidens, in quantum in eis species perseverat; tamen in hominibus aliter est, quum sint secundum animam immortales : ideoque in humana specie individui generatio per se intenta est.

Denique ad generationem perfectorum animalium duo oportet concurrere, scili-
B cet : formam inducens, quod est mas, qui se habet ut agens; et materiam præbens, quod est femina, materiam videlicet ministrans. Quum ergo sit in hominibus sexus distinctio et perfecta ratio vivi, non potuisset compleri generatio, nisi per maris et feminæ copulam : ideoque mulier in adjutorium viri facta legitur. *Gen.* II, 18.

Si autem dixeris, Secundum hoc fuisset in statu innocentiæ virginitatis corruptio, et carnalis delectatio, quæ (ut videtur) rationem absorbuisset : quod non videtur
C congruere, quia tunc natura tota integra et pura fuisset, nulla dignitate privata. Respondendum, quod virginitas consistit principaliter in integritate mentis, et secundario in integritate carnis : et huic ultimæ integritati præponderasset fecunditas prolis. Integritas vero mentis nullo modo corrupta fuisset, quia copula carnalis rationem non impedivisset. Ratio namque fortiter in suo actu persistens, sensualitati penitus dominatur. Nihilo minus delectatio copulæ carnalis major fuis-
D set quam modo est, absolute loquendo : quia natura erat purior et sensus vivacior. Tamen secundum proportionem minor fuisset quam modo : quoniam fervens non fuisset, sed nec superabundans, sed rationi subjecta. In omni ergo concubitu solvitur integritas carnis. Post peccatum vero Adæ, in illicito concubitu solvitur integritas mentis secundum actum et habitum. Nam propter delectationem vehementem, actus rationis absorbetur; et propter culpam, habitus castitatis aufertur. In ma-

Digitized by Google

trimoniali autem concubitu (quum sit licitus) habitus non aufertur, sed actus rationis suspenditur. — Præterea, superfluitates quæ ad defectum naturæ pertinent, ut sudores, putredines, ante peccatum non fuissent. Reliquæ autem superfluitates, virtutis expulsivæ, fuissent, absque omni utique fœditate.

ARTICULUS LXXVIII.

Quales fuissent pueri in statu innocentiæ nati secundum perfectionem corporis.

QUUM vita humana a defectu incipiat, et ad perfectum deveniens, denuo ad defectum tendat, non immerito circulatio quædam vocatur. Denique tam initium vitæ quam terminum ejus, quidam consequuntur defectus. Licet autem homo in statu innocentiæ termino vitæ caruisset, non tamen initio vitæ : propterea rationabile videtur, quod illi defectus qui consequuntur principium nativitatis, etiam fuisSent. II, dist. XX F. sent in infantibus, sicut Magister dicit; non tamen secundum quod pœnales sunt, quia nullum incommodum Deo gubernante inde sensissent, sed in quantum naturales exsistunt. Defectus autem qui ad interitum ordinantur, non fuissent. Aliqui tamen, verba Augustini sequentes, aliter dicunt; quamvis Augustinus asserendo nil dicat. Ideoque id probabilius dicitur, quod naturalis cursus ostendit. Præterea, pueri parvi nati fuissent propter materni angustias uteri. Quum ergo in majori corpore sit major virtus, secundum incrementum augmenti in corpore crevisset et robur corporis. Fuissent autem quædam feminæ natæ, et quidam masculi : quia etsi femina sit vir occasionatus et præter intentionem naturæ particularis, non tamen est præter intentionem universalis naturæ. Et fuissent mulieres et viri in æquali numero geniti, quatenus una esset unius.

Sciendum est autem, quod (secundum Philosophum octavodecimo de Animalibus) generatio feminæ evenit, quia seminis virilis virtus non potest perfecte vincere menstruum mulieris, ut scilicet digerat ipsum ultima digestione. Cujus impotentiæ triplex est causa. Primum, propter defectum naturalis principii, videlicet caloris, qui adhuc diminutus est. Unde, secundum Philosophum, viri ante tertium septennium frequenter feminas gignunt. Et quoniam in primo statu tempus generationis non anticiparetur, ideo hæc causa parum tunc locum habuisset. Secunda causa est ex virtute imaginativa : quia tales fetus parentes frequenter generant, quales tempore coitus imaginantur filios : quemadmodum de quadam muliere refert Hieronymus, quæ filium nigrum genuit, quia talem in coitu in imaginatione habebat, nigram videns imaginem. Hæc autem causa in primo statu locum habere potuisset, præsertim propter magnam obedientiam carnis sub anima. Nam virtutes corporales sequuntur virtutem imaginativam et apprehensivam, sicut corpus propter solam imaginationem tremit atque concutitur. Tertia causa est ex principio extrinseco : quoniam secundum Philosophum octavodecimo de Animalibus, parva immutatio venti et pluviæ seu temporis, diversitatem sexus inducit in fetu : sicut et apud pastores, secundum eum, expertum est quod tempore venti septentrionalis concipiuntur mares, feminæ autem meridionali vento afflante, propter abundantiam humiditatis; imo si tempore coitus adspiciant ad has plagas, concomitatur dicta diversitas, ut frequenter. Et hæc quoque causa in primo statu esse valebat.

Infirmitas insuper carnis infantis complectitur et defectum usus membrorum, et quamdam pœnam in esurie et fletu, atque similibus. Primum itaque fuisset in pueris illis, quia hoc correspondet naturali infirmitati mentis, utputa defectui virtutum et scientiæ. Secundum vero non fuisset in eis, quia sine culpa fuissent.

Digitized by Google

ARTICULUS LXXIX.

Utrum pueri in statu innocentiæ geniti, in scientia et gratia nati fuissent.

Sent. II, dist. XX H. SICUT Magister in littera asserit, positio de perfectione intellectus in pueris illis consonare debet positioni de perfectione corporis. Unde qui dicunt in eis debuisse fuisse perfectum usum membrorum mox ut nati essent, etiam concedunt quod in perfecta cognitione nascerentur. Quia autem jam dictum est, rationabilius esse quod mox nati non habuissent perfectum usum membrorum propter humiditatem teneritudinemque naturæ, consequens est id quoque concedere, quod nec in cognitione nascerentur perfecta nec in scientia. Cerebrum enim humidissimum est in infantibus. Quum igitur ipsum sit organum virtutis imaginativæ, in qua locantur phantasmata in anteriori parte cerebri, propter excedentem humiditatem, confusionem causasset phantasmatum. Phantasmata autem se habent ad intellectum sicut color ad visum. Unde eis perturbatis atque confusis, impediretur intellectus sicut et modo : quemadmodum in ebriis et phreneticis claret. Indiget autem intellectus phantasmatibus, nedum ad acquirendum cognitionem, sed etiam ut habitum cognitionis quam habet circa species phantasmatum, ponat secundum motum ab anima ad sensus : quatenus sic actu inspiciat quod in mente tenet. Propterea in epistola ad Titum Dionysius ait, quod divinas revelationes suscipientes, quibusdam eas circumponunt figuris.

Epist. IX.

Considerandum est denique, quod primo homini duplex justitia potuit convenire. Una originalis, consistens in subjectione carnis sub spiritu, et animæ sub Deo. Et hanc primi parentes in posteros transfudissent quoad dispositionem ex parte corporis, sed ipsum habitum Deus simul cum anima infudisset. Est et alia justitia gratuita, actus meritorios eliciens. Et de hac est duplex opinio. Qui enim dicunt hominem tantum in naturalibus condi- A tum, asserunt istam gratuitam justitiam non transfundendam fuisse, nisi secundum aptitudinem solum. Secundum eos namque, hæc justitia est quædam personalis gratia sive proprietas : et sic requirebat præparationem per actum personæ. Alii vero dicunt hominem in gratia conditum. Et secundum hoc videtur gratuita justitia esse donum naturæ collatum : propter quod transfundi debebat. Et secundum hoc faciliter solvi possunt diversæ auctoritates. — Sciendum tamen, quod peccatum B non descendit a Protoplasto per modum demeriti, quasi mortem omnibus ipse meruerit et infectionem peccati, sed per modum traductionis, naturæ traductionem consequentis. Nam unius personæ actus toti naturæ mereri vel demereri non potest, nisi omnino limites naturæ transcendat : quemadmodum Christus, Deus et homo exsistens, a quo nascimur filii gratiæ, non per modum traductionis, sed per meritum actionis.

Præterea videtur probabile, quod licet C Adam in prima operatione perstitisset nec tentationi succubuisset, non tamen in justitia confirmatus fuisset, nisi quando in spiritualem vitam translatus esset. Quidam tamen concedunt, quod post tentationis victoriam statim confirmatus fuisset; nec tamen necessario filios confirmatos genuisset : quia confirmatio actum personalem consequitur.

Porro, carentia visionis divinæ intelligitur vel negative, et sic est naturalis defectus, non pœna. Nam omni creaturæ id D competit ut ex se non habeat unde in Dei visionem assurgat. Secundo dicitur privative, et tunc est pœna, obnoxietatem quamdam concomitans ad non videndum Deum, sicut est originalis culpa.

Ex iis constat quomodo intelligi possit quod ait Anselmus, Oportebat ut qualis erat Adam, tales et gigneret; et quod Hugo de S. Victore dicit, Si homo in bono mansisset, filios sine peccato genuisset, non tamen necessario paternæ heredes justitiæ.

Digitized by Google

ARTICULUS LXXX.

Quemadmodum Deus tentare dicatur, etc.

AD perfectam autem rationem tentationis tria concurrunt : primo, ut per tentationem dubium aliquid cognoscatur; secundo, ut tentans id intendat; tertio, ut ipsemet tentator cognitionem illius rei velit accipere. Itaque, secundum quod hæc tria vel aliqua eorum alicui magis conveniunt, sic magis vel minus tentare dicitur. Deus ergo tentare dicitur, quia duo prima ei conveniunt, sicut in tentatione Abrahæ patet. Per illam enim aliquid dubium cognoscebatur, videlicet qualis Abraham esset; et id voluit Deus nobis patere. Tertium autem istorum Deo non competit, quum ipse universa præsciat. Caro quoque et mundus tentare dicuntur propter primum trium, scilicet ut virtus vel infirmitas innotescant, quæ ex impugnatione carnis et mundi cito patescunt. Hæc autem impugnatio, vel est a principio intrinseco, et sic est caro et concupiscentia ejus; vel a principio extrinseco, et hoc dupliciter : vel sicut ab objecto, et sic est mundus et desiderabilia ejus; vel sicut ab agente, et sic est diabolus et membra ejus. Vicissim quoque dicitur solus diabolus esse tentator : tum quia ipse primo tentavit, tum quia solus animam quærit occidere. Primus autem finis ejus est experiri ad quod malum homo proclivior sit; secundus est inducere ad peccatum.

Gen. XXII, 1 et seq.

Denique, quum peccatum consistat in proprio actu, ideo tentatio quam dæmon immittit vel mundus, non est hominis peccatum secundum se; sed tunc incipit esse peccatum, quum ei cooperatur per delectationem et consensum : et ideo in tali tentatione habet se homo solum ut patiens, si resistat. Tentatio vero quæ est a carne, peccatum est : quia illicitus appetitus, secundum quem tentari dicitur homo, est ipsius conjuncti, videlicet totius hominis. Verumtamen, si motus concupiscibilis insurgat sine prævia alicujus delectabilis apprehensione, ex sola naturali causa, utputa calefacto corpore insurgat motus libidinis, sic non est peccatum : quia nullum pure naturale est culpabile. Hoc quoque modo potest diabolus in homine causare motum libidinis, quum corpus et organa immutare queat; consensum tamen extorquere non valet.

Quomodo denique sit tentatio appetenda, sciendum quod quum bonum sit appetitus objectum, sicut tentatio habet rationem boni, sic et rationem desiderabilis habet. Quum ergo tentatio sit per se ordinata et tendens in perditionem tentati, nec ordinetur ad salutem ipsius nisi per accidens, scilicet ex concursu alterius causæ, in quantum per auxilium gratiæ superatur : ideo tentari simpliciter non est appetendum; sed tentari et vincere simul acceptum, optandum est. Verumtamen, quum sit victoria ex parte nostri propter fragilitatem nostram nimis incerta, securius fugitur quam optatur. Ideo Dominus docet nos orare ut in tentationem non inducamur. Quod insuper Jacobus ait, Omne gaudium existimate, etc., intelligendum est de tentatione tribulationum, ad quarum nos patientiam instruit : quia nec aliter vinci possunt. Ideo cum gaudio sufferendæ sunt et cum tranquillitate. Et ipsum gaudium victoria quædam est : quod non de tentatione, sed de patientia habendum est.

Matth. VI, 13. *Jacob.* I, 2.

ARTICULUS LXXXI.

De ordine tentationis primorum parentum; et an peccatum Adæ omnibus aliis peccatis gravius fuerit; et utrum potuerit peccare venialiter.

SICUT Augustinus disseruit, progressus tentationis interioris in nobis, repræsentat seriem tentationis primorum parentum. In nobis quippe tentatio a sensualitate incipiens, per inferiorem rationem ad superiorem rationem pertingit. Sic in illis serpens, qui sensualitatem designat,

Digitized by Google

per mulierem, quæ est forma inferioris rationis, virum decepit, in quo significatur superior ratio. Ideoque ille processus tentationis decens erat, quatenus in eo sequentium peccatorum similitudo ostenderetur. In tentatione autem illa fecit diabolus aliquid quod ipsi complacuit, videlicet quod in aliena forma apparuit, et primo mulierem accessit. Aliquid autem fecit non sponte, quia maluisset aliam speciem, et præsertim boni angeli, assumpsisse, in qua citius decepisset; sed a Deo permissus non erat nisi formam serpentis assumere.

Denique, in peccato multa possunt attendi propter quæ unum alio gravius exstat. Illud tamen simpliciter gravius est, in quo plura aggravantia concurrunt, et maxime quod ex ratione propriæ speciei enormius est. Sic ergo peccatum Adæ quantum ad aliquid gravius erat, quia in minori tentatione pulsatus succubuit, et quoniam faciliter resistere valuit; sed secundum speciem peccati, et simpliciter loquendo, multa graviora peccata secuta sunt. — Si vero quis dicat, quod peccatum Adæ maximum bonum abstulit, scilicet originalem justitiam totius posteritatis, et maximam læsionem intulit, naturam totam corrumpens, ergo gravissimum exstitit; respondendum, quod etiam alia peccata donum originalis justitiæ abstulissent, si naturam integram invenissent, quemadmodum secundum mortale peccatum gratiam tolleret, si adesset : ideoque, quod peccatum Adæ majus bonum peremit, per accidens fuit. — Conformiter, peccatum Adæ et personale erat, et sic non est ei maxima pœna inflicta. Erat etiam quoddam naturale peccatum, et sic naturam infecit, et maximam pœnam sortitum est; sed in posteris est hæc pœna, pœna damni dumtaxat.

Amplius autem, quoniam talis erat institutio originalis justitiæ, ut nec caro spiritui, nec sensualitas vel inferior pars rationi rebellis esse posset, nisi ipsa in primis ratio Deo non subjaceret; ideo non potuit primus homo ante mortale peccatum venialiter peccare : nam quidquid in inferiori parte fuisset, ratio in Deum ordinasset, quamdiu ipsa sub Deo mansisset; ipsa autem sine mortali peccato a Deo averti non potuit. Et quamvis liberum arbitrium ante prævaricationem habebat, hoc tamen in actum venialis peccati prodire nequibat, nisi præcedente mortali. — Dicit autem Augustinus, quod Adam peccatum suum veniale putabat. Sed hoc mirum videtur, quum doctissimus fuerit. Nec rationabile est, secundum Philosophum secundo Posteriorum, quod nobilissimi habitus animæ insint quos ignoremus. Sciendum igitur, quod peccatum veniale est triplex : primum, ex genere, ut verbum otiosum; aliud, ex causa, quod scilicet ex ignorantia aut infirmitate causatur, ob quas excusabilitatem aliquam habet; tertium, ex eventu, sicut culpam præcedentem mortalem confessio venialem facit, secundum Ambrosium, quia relinquitur temporalis pœnæ reatus. Verbum igitur Augustini, de veniali ex causa intelligitur : quod tamen simpliciter mortale est. Quod vero Aristoteles dicit, de habitibus cognitivæ partis accipitur, de quorum perfectione certitudo est. Habitus nempe affectivæ latere possunt : quemadmodum de caritate certum est. Poterat etiam Adam aliquid scire in communi, quod non consideravit in particulari.

ARTICULUS LXXXII.

Quod peccatum Adæ erat superbia; et quomodo appetiit esse sicut Deus; et utrum Eva gravius peccaverit quam Adam.

In uno autem actu, plurium peccatorum reperiri possunt deformitates; sed illa quæ formalior est, utputa quæ ex principali motivo atque intento accipitur, speciem complet et proprium nomen impertit. Unde in peccato Protoplasti, gula et avaritia et inanis gloria erant : tamen

Digitized by Google

quia omnia alia ad finem excellentiæ refe-
Gen. III, 5. rebat, sicut et serpens spopondit, Eritis (inquiens) sicut dii, ideo superbia proprie et formaliter erat peccatum ipsius; alia vero quasi materialiter se habebant. Propterea quinto Ethicorum ait Philosophus, quod qui mœchatur pro lucro, avarus et injustus potius quam mœchus vocandus est. Et nil mirum, si primi angeli et primi quoque hominis peccatum erat superbia. Sola enim superbia ex perfectione sumit exordium; aliorum vero peccatorum occasio esse solet quidam defectus. — Sciendum est autem, quod primi parentes non crediderunt verba Dei esse falsa; sed putabant alio forte modo ea esse intelligenda, vel ad aliud significandum prolata. Vel certe, quia elatio mentem excæcat, appetitus excellentiæ impedivit ne actualiter divini verbi veritatem pensarent. — Denique, cupiditas tripliciter sumitur. Primo, ut est speciale peccatum, cujus objectum sunt bona temporalia ad usum pertinentia vitæ : et sic non erat in peccato parentum avaritia. Secundo, ut est generale peccatum, prout est immoderatus appetitus habendi, sive scientiam, sive temporalia, aut quodlibet aliud : et sic erat in eis cupiditas vel avaritia. Tertio, ut est non quidem peccatum, sed pronitas ad inordinate appetendum.

Præterea contemplandum, quod nec Adam nec Lucifer optarunt Deo in aliquo æquari simpliciter : nam hoc et impossibile est et inexcogitabile. Sed volebant assimilari Deo in modo habendi quasdam perfectiones, differenter tamen : quia angelus in excellentia potentiæ, homo in excellentia scientiæ peccavit. Quum etenim angelus fuerit creaturarum dignissima, propriam dignitatem conspiciens, naturalique virtute innitens, causalitatem et gubernationem quamdam appetiit super sibi subjecta, tamen sub Deo, a quo se esse et dependere agnovit; sed hoc optavit secundum propriæ dignitatem naturæ, non secundum donum supernaturale sortiri. Porro homo, quia creaturis inferioribus prælatus erat ut eas regeret eisque uteretur non tam per potentiam quam prudentiam, ideo quamdam optavit scientiæ plenitudinem, ut scilicet per ligni prohibiti esum, et propriæ rationis naturale lumen, quod tamen a Deo sibi collatum esse credebat, præesse posset et sibi et ceteris, tamen sub Deo. Et hoc insinuant verba serpentis, scientiam boni et mali (quod *Gen.* III, 5. utique ad actiones pertinet et ad gubernationem rerum) promittentis. Ideo Augustinus dicit, quod noluit ut servus teneri mandato (tanquam videlicet regulatus ab alio), atque ordinate secundum munus gratiæ Dei prædictam consequi scientiam.

Præterea, duo peccata sic se possunt habere, ut secundum aliquid sit unum gravius altero, quod tamen illo simpliciter levius est, secundum plures circumstantias quæ in illis possunt attendi. Illud quippe simpliciter gravius exstat, cujus motivum pejus exsistit. Sic igitur, quoniam mulier ex sola elatione peccavit, vir autem non sic, sed etiam ex quadam amicabili benignitate ad feminam una cum quadam elatione peccavit : ideo simpliciter peccatum mulieris enormius fuit; tamen in aliquibus minus peccavit quam vir, quia videlicet erat sexus fragilior, et lumen rationis debilius. Adhuc autem, major erat elatio mulieris quam viri. Ipsa namque ex appetitu inani in tantum excæcata est, ut possibile verumque crederet quod serpens promisit : unde et seducta dicitur ab Apostolo. Vir autem *I Tim.* II, non sic obtenebrabatur serpentis promis- 14. so, ut in principio possibile aut futurum crederet illud, propriæ scilicet excellentiæ excæcatus amore. Verumtamen, elatio quam concepit, ad experiendum ipsum induxit : et sic dubitationem quamdam in ipso effecit, quæ in muliere firmam opinionem causavit. Itaque voluntas mulieris perversa, erat perfecta; viri autem non nisi conditionata : quia non optavit illud nisi sub conditione, si scilicet possibile foret. — Licet insuper Adam peccando de Dei misericordia cogitaverit, non

Digitized by Google

tamen præsumptionis peccatum commisit. Siquidem de Dei misericordia cogitare cum pœnitendi et resiliendi proposito, non præsumptionem causat, sed peccatum magis alleviat. Sed cogitare de ea sine emendationis proposito, præsumptionem inducit.

ARTICULUS LXXXIII.

An ignorantia sit peccatum, et quomodo ipsa excuset peccatum.

DE ratione porro peccati aliud non est, nisi privatio alicujus debiti inesse, dum et ipsum inesse congruit. Et ideo ignorantia, si privative dicatur, in se culpa est, dum scilicet aliquis ignorat quod jure scire debet. Non enim singuli eadem scire tenentur. Nec mirum, si ignorantia peccatum dicatur, quum peccatum sit corporalibus carere quæ ad statum vel officium pertinent, ut tonsura vel veste. Est autem ignorantia non originale sed actuale peccatum, eo modo quo omissio dici potest actuale peccatum : quod qualiter sit, infra patebit. Est quoque ignorantia in quantum peccatum est, in voluntate sicut in causa, in intellectu vero ut in subjecto.

Denique, ignorantia uno modo dicitur ex parte scientis, quia videlicet in ejus potestate est, et hæc vincibilis dicitur seu affectata ; secundo modo non est in potestate scientis, et dicitur invincibilis. Quod autem sit in potestate scientis, contingit dupliciter : vel per se, ut dum ignorat præceptum quod scire statim posset ; vel quantum ad suam causam, sicut patet de ignorantia ebrii, quia ebrietas vitari potuit. Alia est divisio ignorantiæ ex parte scibilis. Una enim est ejus quod quis scire tenetur : quam vocat Philosophus ignorantiam universalis, juristæ autem, juris. Alia est ejus quod quis scire non tenetur, videlicet particularium circumstantiarum : quæ secundum Philosophum ignorantia particularis dicitur, et facti juxta jurisperitos. Tertia est divisio ignorantiæ ex ordine ad actum. Quædam enim est causa actus, nam si sciret, non faceret : et sic peccans, per ignorantiam peccat ; et signum hujus est pœnitudo de actu. Alia vero non est causa actus, sed per accidens se habet ad illum : et secundum Philosophum tertio Ethicorum, sic peccans non dicitur per ignorantiam peccare, sed ignorans ; unde nec pœnitet : sicut qui accedit ad unam mulierem quam credit alteram, ad quam tamen accederet quamvis scivisset. Quædam insuper est ignorantia consequens peccandi affectum, dum videlicet ex concupiscentia quam voluntas non reprimit, ratio offuscatur in particulari : et hæc est ignorantia electionis, secundum quam omnis peccans est ignorans.

Agnoscendum est itaque, quia eo modo quo ignorantia rationem voluntarii tollit aut minuit, peccatum excusat : quia ignotum non potest esse voluntarium. Ideo ignorantia quæ non est causa actus, nec excusat nec minuit culpam. Quæ vero est causa actus, excusare potest, aut in toto aut in parte. Si namque nulla conjungitur ei culpa in quantum ignorantia est, scilicet negligentia discendi, etc., tunc omnino excusat : quemadmodum ignorantia invincibilis, et particularis, adhibita tamen diligentia debita. Ignorantia autem cui culpa miscetur, excusat in parte, in quantum ignorantia est (sic enim voluntarium minuit), sed non in quantum culpa est : unde non excusat a toto, sed a tanto. Similiter ignorantia vincibilis, sive sit vincibilis secundum se, sive propter causam suam, dummodo tamen rei illicitæ operam non dederit quando ignorantiam incurrit. Si namque rei licitæ operam moderate dedisset, ignorantia sequens culpam non haberet : et ideo peccatum sequens ex toto excusaret, ut patet in his qui exercitio spiritualium in amentiam convertuntur. — Ex his constat, quod licet ebrius homicida dupliciter peccet, nil tamen prohibet quin quantitas sequentis

Digitized by Google

peccati, per ignorantiam ex priori peccato ortam aliqualiter minuatur.

ARTICULUS LXXXIV.

Quod impeccabilitas nulli creaturæ conferri potuit ; et cur Deus hominem condiderit quem lapsurum prævidit.

OMNE proinde creatum, eo ipso quo creatum est, dependentiam habet ad Deum, et naturaliter convertitur ad suam causam ; et si a Deo avertatur, protinus deficit. Eorum autem quæ ad Deum convertuntur, quædam libere convertuntur : et in iis solis potest esse peccatum. Alia naturaliter convertuntur, ut in suo esse conserventur. Est autem contra rationem et libertatem arbitrii et voluntatis, ut in unam partium cogatur, aut ad unum determinetur per naturam : et ideo per naturale donum impeccabilitas nulli creaturæ dabilis est, sed per gratiam tantum, qua homines filii Dei fiunt. Ideo de homine scriptum est : Reliquit eum in manu consilii sui. Non est igitur capax quod peccare non queat, secundum naturalia sua, sicut nec aer ut secundum se ipsum sit actu lucidus. Nunquam enim proprietas superioris convenit inferiori per se et secundum naturam, nisi natura inferior fiat de natura superioris. *Eccli.* xv, 14.

Denique, sicut quarto capitulo de Divinis nominibus Dionysius ait, divina providentia non est corruptiva sed salvativa naturæ ; et ideo hoc ad Deum pertinet, ut unumquodque in sua natura permaneat : bonum nempe universi excedit bonum privatum. Et ideo oportet ut omnes entium gradus consistant, et divina perfectio in diversis laudabilis clareat. Nam licet particulari naturæ expediret quod in altiorem gradum proveheretur, hoc tamen ordini universi derogaret. Itaque si peccatum omnino impediretur, multi gradus rerum perirent, utputa libertas arbitrii, et a peccato posse resurgere ; et misericordia Dei non ita splenderet, neque ejus justitia. Rursus, quum sit bonum potentius malo, non ita erant mala tollenda, ut bonum omnino non esset in quo mala cadere valent. Non igitur permisisset Deus mala fieri, nisi exinde perfectio universi decorem haberet.

ARTICULUS LXXXV.

Quomodo vidit Adam Deum ante peccatum.

TRIPLICITER denique Deus potest cognosci. Uno modo per essentiam : sicut etiam lux sensibilis videtur ab oculo, non per speciem ad visum delatam, sed per suam essentiam informans oculum. Alio modo per effectum aliquem ejus in intellectum videntis effluentem, et in ipso intellectu relictum : sicut lapis cognoscitur per speciem quam intellectui invehit. Et hic modus naturali institutioni angelorum convenit. Videns enim propriam essentiam, quæ est lux quædam, existens divinæ et increatæ lucis signaculum, videt Deum hoc modo. Unde in libro de Causis dicitur, quod qui intelligit, scit id quod est supra se, per hoc quod est causa ejus. Tertio videtur Deus sicut videtur facies hominis in speculo, non quidem per similitudinem ejus immediate, sed per aliquid in quo ejus similitudo relucet. Et sic videtur Deus per effectum extra intellectum exsistentem : utputa, per naturalem effectum, ut invisibilia Dei per sensibilia philosophis ab Apostolo divinitus revelata dicuntur ; sive per spiritualem effectum, ut in cognitione fidei, quæ illis assentit quæ sanctis viris per influentiam spiritualis luminis sunt ostensa. Ideo nunc videmus in speculo : nam et anima nostra nunc se ipsam non agnoscit, nisi per species rerum quas apud se habet. *Rom.* i, 20. 1 *Cor.* xiii, 12.

Prima igitur Dei visio angelo et homini non nisi per gloriam competit ; nec sic Adam in paradiso cognovit, quia viator fuit. Secundus autem modus, qui angelis

Digitized by Google

naturalis est, etiam post peccatum viris contemplativis a Deo conceditur per gratiam, ut in revelationibus; et multo eminentius hic modus homini ante peccatum, per originalis justitiæ gratiam convenire valebat. Tertius vero modus communis est viatoribus. Ideo dicit Magister, quod cognitio Adæ media erat inter visionem patriæ, et eam quæ est per speculum in ænigmate. Tamen in principio quarti libri dicit, quod vidit Deum immediate. Sed hoc ideo asserit, quoniam non indiguit sicut modo, medio argumentationis, ex sensibilibus tendendo in Deum, sed per spiritualem effectum eum cognovit. Et quoniam hoc perdidit, ideo jam sacramentalibus signis opus est.

Sent. II, dist. XXIII D.

dist. I D.

Præterea, ut Donatus definit, ænigma est quæstio verborum obscuritate involuta. Obscuritatem ergo quamdam cognitionis ænigma designat. Hæc autem obscuritas primo accidit intellectui creato, quia ex nihilo est, propter quod a claritate divina occumbit : et sic omnis intellectus creatus ænigmaticus est. Secundo accidit, quia intellectus est ratiocinans et inquirens, et ex sensibilibus progrediens : et sic etiam ante peccatum intellectus hominis ænigmaticus exstitit, quia per continuum et tempus intelligebat. Intellectus vero angeli, secundum Dionysium, deiformis est. Tertio contingit ista obscuritas propter molem carnis, quæ propter suam corruptionem ex peccato secutam, animam deprimit : et sic non erat intellectus hominis ænigmaticus, sed jam est.

De Cœlest. hier. c. VII, XI, XII; de Divin. nom. c. I, VII. *Sap.* IX, 15.

ARTICULUS LXXXVI.

An Adam perfectam rerum cognitionem habebat; et utrum homo ante peccatum decipi potuerit.

ILLAM autem scientiam primo homini fuisse collatam fateri oportet in statu innocentiæ, sine qua imperfectus fuisset. Tunc vero dicitur aliquis in scientia perfectus, dum ea cognoscit quæ ad ipsum pertinent. Ad hominem insuper pertinebat, primo sui ipsius in operibus suis directio: et ideo noverat quid agendum esset, quid item vitandum. Pertinebant quoque ad eum aliæ creaturæ, quibus erat prælatus, et quæ propter eum erant, ut emolumentum de eis haberet, aut eas gubernaret : et ideo cognitionem ad hoc necessariam habuit. Porro hanc cognitionem aliter filii ejus habuissent quam ipse. Nam quum secundum Boetium, natura a perfectis exordium sumat, et divina perfecta sint opera; ideo sicut in principio secundum corporis formationem erat perfectus, ita et secundum animam in scientia et virtute : et hæc perfectio data est ei, non sicut personæ, sed sicut principio speciei, ut potens esset ad propagandum alios corporaliter, et instruendum intellectualiter. Filii autem ejus, quia cum originali justitia nati fuissent, etiam habitum prudentiæ mox nati per infusionem percepissent, per quem eligere potuissent quid agendum et quid non agendum. Unde sexto Ethicorum dicit Philosophus, quod sine prudentia, nulla potest esse justitia nec virtus. Tamen per indispositionem membrorum et organi, ab actu prudentiæ forte impediti fuissent. Sed aliarum cognitionum habitus per inventionem atque doctrinam erant adepturi, quatenus cum incremento corporis cresceret perfectio mentis. Alii dicunt, quod omnium rerum cognitionis habitus habuissent. Sed nec naturæ integritas nec originalis justitia hoc exigit.

De Consolat. lib. III, pros. 10. *Deut.* XXXII, 4.

Sciendum præterea, quia sicut in corpore hominis nulla poterat esse infirmitas manente sensualitate sub ratione, sic nec in anima potuit esse deceptio manente mente sub Deo per originalis justitiæ rectissimum ordinem. Tota quippe perfectio ejus ex adhæsione dependebat superioris partis animæ Deo : et ideo ante peccatum homo decipi non valebat. Nam sicut divina eum providentia a corporeis nocumentis foris protexisset, sic et a deceptione eum servasset eorum quæ ipse per se scire non quivit, ut mox intel-

Digitized by Google

lexisset, si quis ei falsum pro vero ob- A
1 *Tim.* II, 14. tulisset. — Verumtamen mulierem dicit deceptam Apostolus, et virum Augustinus: ipse enim veniale putabat quod erat mortiferum. Sed hanc deceptionem præcessit elatio, quam mulier ex verbis serpentis concepit; et vir quoque ex eis utcumque
Sent. II, dist. XXI B. nutavit. — Rursus, sicut ait Magister, mulier serpentem credebat a Deo usum accepisse loquendi : et sic videtur decepta ante culpam. Respondendum, quod non putabat serpentem loquendi usum divinitus accepisse secundum conditionem B naturæ, sed per ministerium spiritualis creaturæ; nec tamen pensavit utrum virtute boni vel angeli mali, et an Deo jubente vel permittente id fieret.

ARTICULUS LXXXVII.

De libero arbitrio, an sit habitus vel potentia ; et si potentia, an una vel plures.

DICUNT præterea quidam, quod liberum arbitrium habitus sit, actum tamen atque potentiam comprehendens; non ta- C men quod sit qualitas aliqua superveniens potentiæ, sed quædam ejus habilitas vel facilitas ad actum. Sed hæc positio non videtur idonea, quum habitus secundum proprietatem nominis sui, qualitatem dicat quæ est principium actus, informantem et perficientem potentiam. Ideo alii dicunt, quod liberum arbitrium dicat potentiam non absolute, sed prout per habitum perfecta est, non acquisitum neque infusum, sed naturalem. Hoc quoque non rationabile apparet. Nam voluntas, quum D sit vis imperans, non imperata, non per habitum sed ex propria natura dominium habet actus sui. Præterea, quum liberum arbitrium sit secundum se indeterminatum, non potest esse habitus : quoniam omnis potentia per habitum determinatur ad aliquid unum. Unde liberum arbitrium facultas dicitur, non quasi sit habitus, sed quia in potestate libera actum suum habet. Est ergo potentia, cujus proprie actus est eligere. — Nihilo minus Bernardus large utens nomine habitus, dicit liberum arbitrium esse judicium liberum. — Quod vero Augustinus dicit, hominem prævaricando et se perdidisse et arbitrium liberum, non de potentia vel de ipsa essentia arbitrii sumi debet, sed quod dignitatem liberi arbitrii minuit, peccato se subdens.

Denique, quum potentiæ distinguantur per actus, sicut liberum arbitrium habet actum determinatum, qui est eligere, sic est determinata potentia. Colligit tamen plures potentias, scilicet rationem et voluntatem : non utique essentialiter, sicut totum suas partes, sed virtualiter. Nam sicut potentiæ, fluunt ab anima ordine quodam. Unde sicut virtus animæ relinquitur in omni sua potentia, sic virtus unius potentiæ relinquitur in alia, quæ ipsam naturaliter præsupponit vim apprehensivam. Imo et una potentia plurium in se potentiarum virtutem colligere potest : et sic de libero arbitrio. Nam actus ejus, scilicet electio, præsupponit discretionem, et importat quoddam desiderium, quum non sit aliud electio, nisi pluribus propositis, unius præoptatio. Discretio autem ad intellectum pertinet, et ad voluntatem desiderium : ideoque has duas potentias liberum arbitrium comprehendit.

ARTICULUS LXXXVIII.

An liberum arbitrium sit potentia a voluntate et ratione distincta; et utrum per ipsum homo in primo statu peccatum vitare valebat.

QUONIAM quidem potentiæ distinguuntur per actus, eligere autem, quod est liberi arbitrii actus, aliud est quam velle simpliciter aut ratiocinari; ideo quidam ponunt liberum arbitrium esse potentiam mediam inter voluntatem et rationem, quasi utramque in suo actu participantem, licet secundum dignitatem eis posterior sit : quoniam objectum ejus non est principale bonum aut finis, sed bonum secundarium eligibile ad finem.

Digitized by Google

Sed quum subtilissimi philosophorum, A præter rationem et voluntatem, nullam aliam potentiam in intellectiva parte posuerint, videtur positio ista non esse conveniens. Denique, quum sexto Ethicorum Philosophus dicat, quod electio est vel intellectus appetitivus, vel appetitus intellectivus, non videtur esse liberum arbitrium a voluntate et ratione distinctum. Et videntur verba Philosophi et etiam Damasceni potius velle, quod sit electio actus voluntatis, in quantum in ea manet actus rationis. Nam quum in aliquo actu B manet virtus alterius potentiæ, semper ille actus adscribitur potentiæ unde immediate procedit. Electio autem est præconsiliati appetitus : et ita erit principaliter actus voluntatis, non simpliciter, sed prout in ea relinquitur actus rationis; propter quod electio nominat voluntatem deliberatam. Ideoque actus liberi arbitrii non dicitur velle simpliciter, nec objectum ejus bonum simpliciter, sed cum quadam modificatione.

Insuper, aliquém non posse vitare pec- C catum, intelligi potest dupliciter : uno modo, quod ad peccandum compellatur; secundo, quod ad illud propter passionem vel habitum malum inclinetur quibus vincitur. Et neutro horum modorum dici potest quod Adam peccato resistere non valebat. Natura enim in eo integra erat, et liberum arbitrium cogi non potuit. Imo facillime peccato resistere potuit : ob quod gravius cecidit. Unde liberum arbitrium, quamvis per se non possit in bonum meritorium, tamen ex se habet D unde vitare queat malum, et ad gratiæ se disponere donum.

ARTICULUS LXXXIX.

De sensualitate, et de superiori ac inferiori ratione.

EST autem inter sensibilitatem et sensualitatem distinctio. Nam sensibilitas omnes vires sensitivæ partis, interiores et exteriores, apprehensivas et appetitivas, complectitur. Sensualitas vero illam partem animæ nominat per quam ad appetendum aliquid vel fugiendum movetur. Præterea, sicut apprehensio intellectualis movet voluntatem prout res intelligitur sub ratione boni aut mali, sic apprehensio sensitiva non causat motum nisi sensibile apprehendatur sub ratione convenientis sive nocivi. Vis autem sensitiva quæ tales intentiones cognoscit, est æstimativa, per quam agnus viso lupo, concipit speciem inimicitiæ et fugit. Et hæc se habet ad appetitum sensitivum sicut intellectus practicus ad voluntatem. Proprie ergo incipit sensualitas in æstimativæ et appetitivæ sequentis confinio, ut se habeat sensualitas ad partem sensitivam quemadmodum voluntas et liberum arbitrium ad partem intellectivam. Ratio autem delectabilis quæ sensualitatem movet, aut exteriori sensu percipitur, sicut exteriorum delectabilia sensuum; aut interiori dumtaxat sensu percipitur, ut agnus visa matre amicitiam concipit et ad ubera currit. Et secundum ista, sensualitas in duo tendit, videlicet : in delectabilia secundum sensum externum, et in ea quæ sola æstimatione nociva aut convenientia æstimantur. Et secundum hoc dicit Magister, quod sensualitas est tendens in corporis sensus, quoad primum, et quod ex ea est appetitus rerum ad corpus pertinentium, quoad secundum.

Patet ergo, quod proprie loquendo, vires apprehensivæ sensitivæ pertinent ad sensualitatem tanquam præambula, sicut ratio ad liberum arbitrium; vires autem appetitivæ, sicut de essentia ejus exsistentes. Sensualitas quoque non nominat unam potentiam nisi secundum genus; sed dividitur in concupiscibilem et irascibilem : a quibus tamen secundum rationem differt, quia concupiscibilis et irascibilis nominant appetitum sensitivum prout rationi obedire natus est, completus et per objecta distinctus; sensualitas vero nominat eum secundum quod incompletus est, indeterminatus atque a ratione

Digitized by Google

depressus : unde perpetuæ corruptionis esse dicitur et virtutis incapax.

Porro ratio, dum in superiorem et inferiorem dividitur, sumitur pro sola potentia intellectiva, cujus est apprehendere aliquid per investigationem et collationem sub ratione boni vel mali, non naturali instinctu, sicut bruta convenientia sibi atque nociva cognoscunt. In hac autem ratione ordo est secundum gradum eorum quibus intendit. Quædam namque quibus intendit, æterna et necessaria sunt, quædam temporalia. Et eadem ratio prout æternis inhæret, superior ratio dicitur : quæ inferior appellatur, dum temporalibus ad ministrandum intendit. Æternis vero dupliciter potest intendere : vel considerando ea in se ipsis, aut prout sunt regula quædam temporalium agendorum, in quantum per ea dirigimur in disponendis : quia secundum Philosophum, uniforme est causa atque mensura multiformium rerum. Itaque ratio superior, partim quidem speculativa est, partimque practica. Ideo dicit Magister, quod ratio in quantum speculativa, intendit supernis inspiciendis ; in quantum vero practica, supernis consulendis.

Sent. II, dist. XXIV F.

Distinctio itaque rationis superioris ab inferiori, non est accipienda secundum speculativum et practicum, quasi ad diversa objecta respiciant de quibus ratiocinatio fiat ; sed distinguuntur ex parte mediorum unde ratiocinatio sumitur. Ratio nempe inferior consiliatur, ad electionem tendendo, ex rationibus temporalium rerum quas moralis considerat, scilicet diminutum, superfluum, honestum. Superior autem ratio ex divinis et æternis rationibus consilium accipit, utputa quia est contra præceptum Dei, etc. Diversitas vero mediorum quibus ad eamdem conclusionem proceditur, non distinguit potentiam, sed quandoque habitum. Et ideo ratio superior et inferior sunt una potentia, et secundum habitum differunt : quoniam superior perficitur sapientia, inferior autem scientia. Et sciendum, quod non quælibet diversitas actus diversificat potentiam, sed illa dumtaxat quæ sumitur secundum diversam rationem objecti : et ob id, licet actio superioris rationis ab inferioris actu differat, potentia tamen una est.

ARTICULUS XC.

Quid sit synderesis, et quid conscientia.

QUEMADMODUM Augustinus ait et Aristoteles probat, omnis motus, etiam naturalis, ab immobili motore procedit. Quum ergo ratio in suo discursu variabilis sit atque fallibilis, oportet ut a quadam uniformi ac certa quietaque cognitione procedat, quæ sine discursu habeatur subito dum offertur. Unde, sicut ratio speculativa procedit ex principiis per se notis, sic ratio practica ex principiis quibusdam per se notis proficiscitur : sicut Deo esse obediendum, malum fore vitandum. Et horum habitus synderesis dicitur. Quæ distinguitur a ratione practica, non per substantiam potentiæ, sed per habitum quemdam innatum. Synderesis igitur nominat vel habitum tantum, vel potentiam simul cum habitu, et pertinet ad intellectum. Unde Augustinus dicit, quod præcepta juris in naturali judicatorio scripta sunt, quod est synderesis. Sciendum quoque, quod liberi arbitrii est particulare judicium de hoc operabili, synderesis vero, universale judicium per communia juris principia ; et ideo non sunt ad idem : præsertim quum synderesis sit tantum ad unum, quia nunquam errat ; et opponitur fomiti : nam sicut fomes semper instigat ad malum, sic ipsa ad bonum.

Denique, sicut ait Philosophus sexto Ethicorum, in eligendis et fugiendis utitur ratio syllogismis quibusdam. In syllogismo autem sunt major et minor atque conclusio. Quum ergo synderesis sit habitus principiorum in agendis, ipsa in tali syllogismo offert majorem, cujus consideratio est actus ejus ; ratio autem superior sive

Digitized by Google

inferior, minorem ; consideratio vero conclusionis elicitæ, est actus conscientiæ. Dicitur enim conscientia quasi cum alio scientia : quia universalis scientia per eam ad particularem actum applicatur, et per eam est sibi homo conscius eorum quæ fecit aut operari intendit. Sic etiam dicitur sententia vel dictamen rationis. Et quidem conscientiam errare contingit, non propter errorem synderesis, sed rationis.

Est itaque differentia legis naturalis, conscientiæ atque synderesis. Nam lex naturalis dicit ipsa principia juris ; synderesis vero nominat habitum eorumdem, vel potentiam cum habitu conscientiæ ; conscientia autem nominat applicationem legis naturalis ad facienda per modum conclusionis. Propterea definiunt aliqui, quod conscientia est dictamen rationis, quo judicat et ligat ad aliquid faciendum vel non faciendum : et quoniam nemo ligatur ad agendum aut dimittendum, nisi prout actualiter considerat hoc esse agendum, ideo constat quod conscientia proprie nominet actum. Verumtamen vicissim improprie sumitur pro re conscita : sicut dum ait Apostolus, Caritas procedit de conscientia bona. Interdum etiam sumitur pro habitu quo quis ad consentiendum disponitur : et sic dicit Damascenus, quod conscientia est lex intellectus nostri. Quandoque etiam ponitur conscientia pro synderesi, et contra, propter propinquitatem quam habent. Virtus namque conclusionis ex communi principio trahitur. — Insuper, tam conscientia quam electio, conclusio quædam est particularis agendi ; sed conscientia est conclusio cognitiva tantum, electio autem conclusio affectiva.

I *Tim.* I, 5.

ARTICULUS XCI.

De motu sensualitatis et utriusque rationis ; et qualiter in sensualitate et in ratione sit peccatum.

QUUM sit motus via in aliquid, ideo in potentiis animæ, motus vocatur inclinatio ad aliquid. Et quoniam inclinatio non nisi appetitivis potentiis proprie convenit, ideo in eis dumtaxat dicitur esse motus. Est autem in nobis triplex appetitus, scilicet : naturalis, qui ex naturali dispositione qualitatum mixti causatur, ut appetitus cibi. Et hic rationi in nullo obedit, nec est in eo peccatum : propter quod relinquit eum Magister. Alius est appetitus sensitivus, qui ex sensu aut imaginatione procedit, et hic vocatur motus sensualitatis. Tertius est rationalis, qui ex apprehensione rationis exoritur, et est actus voluntatis. Porro apprehensio rationis duplex est, videlicet : absoluta et simplex, quum statim sine discussione apprehensum dijudicat ; et talem apprehensionem sequitur indeliberata voluntas. Alia est apprehensio rationis per discursum, a qua oritur voluntas deliberata. Ratio autem inferior utroque modo circa terrena motum voluntatis producit : et si primo modo, tunc sequitur motus ejus qui delectatio dicitur, quia accipit quod corpori delectabile est ut prosequendum ; si autem secundo modo, tunc non sequitur appetitus ante deliberationem. Et quoniam ratio superior per se non inhæret terrenis, sed in quantum rationibus regulatur æternis, ideo in illis non sequitur eam delectatio, sed solum deliberatus appetitus : delectatio quippe complacentiam non deliberatam insinuat.

Præterea scire oportet, quod motus sensualitatis qui pure naturales sunt, utputa ex dispositione naturalium qualitatum surgentes, nullo modo peccata consistunt. Unde quidam dicunt, quod motus primo primi culpam non habent ; sed motus secundo primi, qui scilicet ex imaginatione causantur et aliquo modo rationi subduntur, peccata sunt, sed levissima, sicut ait Magister. Et sic in sensualitate est veniale peccatum tanquam in subjecto. Licet enim motus hi sensualitatis rationi non subdantur complete, neque voluntatis imperio secundum se, aliquo tamen modo subduntur, in quantum causam eorum voluntas seu ratio prohibere valebat ; et in tantum

Sent. II, dist. XXIV H, L

Digitized by Google

culpabiles sunt. Mortale autem peccatum in sensualitate esse non potest, quia sensualitas appetitum sensitivum dicit prout ad carnem depressus est : sic vero rationi et voluntati perfecte obedire non potest, et ideo nec plenam deformitatem sortitur. Voluntas equidem est omnis peccati origo, et sicut Aristoteles asserit, ipsa est principium moralium. Et quia in sensualitate inchoat voluntatis dominium, ideo est in ea prima radix peccati. In sola autem voluntate dicitur esse peccatum, non sicut in subjecto, quia inordinatus actus non est solum in ea, sed sicut in causa, quia libertas primo convenit ei, et ipsa est causa peccati sensualitatis per accidens, quia non impedit illud. — Denique, in concupiscibili et irascibili potest esse virtus et mortale peccatum, quia intellectivo appetitui obedire nati sunt, et actus eorum ex electione procedunt. — Advertendum quoque, quod primi motus aliquo modo in potestate nostra sunt, quia unumquemque sigillatim præveniendo, impedire valemus. Non tamen perfecte in potestate nostra consistunt. Dum namque uni resistimus, alter subrepit, quoniam intentio voluntatis simul actualiter contra plura esse nequit : et ideo omnes simul vitare non possumus.

Præterea, in ratione peccatum esse potest dupliciter. Primo, secundum se, dum videlicet in judicio suo errat : et sic in ratione tam speculativa quam practica est peccatum, quum male syllogizatur. Secundo est in ratione peccatum, prout per eam voluntas regulatur, quando scilicet perversa electio in ea efficitur. Socrates ergo et ejus sequaces, ut septimo Ethicorum narrat Philosophus, ponebant non posse esse peccatum in ratione secundo modo, nisi ratio erraret primo modo, dicentes omne peccatum ignorantiam esse. Videbatur enim eis scientiam (quum sit nobilissima qualitas) a passionibus vilibus vinci non posse : et ita si in nobis esset scientia, non prævalerent passiones. Sed quoniam ad sensum apparet falsitas hujus, ideo Aristoteles docet, quod scientiam habens, licet in universali recte judicet, tamen in particulari errare potest, passioni succumbens : in tantum, ut si verba sapientialia ore proferat, mente ea non teneat, sicut et de ebrio patet, in quo passio scientiam opprimit. Si igitur ratio sub ratione universali divina male subsumat, passione depressa, tunc erit peccatum in ratione superiori. Si autem sub ratione creata male subsumat, sic in inferiori ratione peccatum contingit. Quum itaque sit ratio directiva voluntatis, oportet ut in ea sit aliquis error antequam peccare queat voluntas. Est tamen aliquid in ratione quod est æternæ rectitudinis, ipsa videlicet synderesis, quæ non est ratio superior, sed habitus principiorum in operandis atque vitandis, quemadmodum dictum est. art. xc.

ARTICULUS XCII.

Quod in ratione inferiori possit esse mortale peccatum, et in superiori veniale.

QUÆDAM autem sunt ex suo genere peccata mortalia, ut furtum, fornicatio; et quod talia aliquando non sint mortalia, est per accidens, quia videlicet subjectum eorum peccati mortalis capax non est, sicut quando in sola sensualitate sunt. Idem vero est judicium de operatione et delectatione eam sequente, secundum Philosophum. Nam si una est bona, et alia. Si ergo delectatio consequens operationem quæ est per se mortale peccatum, non est mortalis, hoc est per accidens, scilicet ratione subjecti, quod capax non est mortalis peccati; sed quum fuerint in eo quod virtutis et vitii capax est, tunc erunt mortalia. Perfecta autem ratio virtutis et peccati mortalis esse non valet sine electione rationis consiliantis et deliberantis. Quum ergo ratio inferior sit per rationes creatas deliberans, atque influentiam superioris rationis participans, et ab ea regibilis,

Digitized by Google

constat quod in delectatione possit esse mortale peccatum. Delectatio vero inferioris rationis aliud non est nisi complacentia voluntatis in eo quod ratio inferior apprehendit conveniens. Hæc autem delectatio, si mox ut mentem tetigerit, a superiori ratione spernatur, utputa dum sequitur subitam rationis apprehensionem, tunc est veniale peccatum; si vero morosa sit, mortale erit. Verumtamen diuturnitas hæc non ex mora temporis, sed ex deliberatione rationis pensatur. Si enim post superioris rationis deliberationem adhuc delectatio placeat, morosa dicetur; et erit in delectationem consensus, et mortale peccatum, ex eo quod superior ratio (cujus est advertere divina præcepta) non dirigit rationem inferiorem. Et hæc est opinio Magistri, quæ rationabilior est opinione eorum qui ei contradicunt. — Et sciendum, quod licet consensus in veniale ex genere, ut est verbum otiosum, sit venialis, tamen consensus in veniale per accidens, est mortalis, quia per consensum removetur accidens illud, quod erat rationis delectationem non attingere.

Sent. II, dist. XXIV H, I.

Est insuper peccatum veniale, vel ex genere, ut verbum leve; vel ex parte subjecti quod electionem non participat. Omnis autem potentia quæ elevatur ad aliquid supra se, habet unum motum subitum ex se, et alium ratione illius ad quod elevatur : sicut appetitus sensibilis habet motum subitum in sibi delectabile, sed in quantum rationi subjicitur, habet post deliberationem motum rationi conformem. Quum ergo superior ratio per lumen fidei elevata sit ad supernaturalem notitiam, potest in ea esse subitus motus secundum naturalem suam cognitionem fidei obvians : et hic venialis est, quum sit ex subreptione et ante deliberationem. Itaque motus rationis superioris in veniale ex genere, venialis est. Si vero sit in id quod ex genere mortale est, hoc contingit dupliciter : quia illud vel est per se pertinens ad ejus objectum, et tunc habet duos motus circa illud : unum subitum, qui est venialis, alium deliberatum, qui est mortalis, sicut motus infidelitatis; vel est objectum inferioris potentiæ, scilicet sensualitatis, ut sunt delectabilia circa carnem : et in talia non habet motum venialem, sed semper mortalem, quia non habet in talibus nisi motum deliberatum. Nam ipsa non considerat convenientia carnis secundum se, sed consiliatur de illis tanquam medium administrans. Non itaque ratio superior in omni peccato deflectitur a Deo simpliciter et secundum habitum, sed solum in mortali peccato; in aliis autem aliquo modo deflectitur a rationibus divinis secundum actum.

ARTICULUS XCIII.

Utrum peccatum veniale fieri possit mortale.

QUÆSTIO hæc, an veniale fieri queat mortale, tripliciter potest intelligi. Primo, an idem numero actus qui est peccatum veniale, fieri possit mortalis. Et hoc impossibile est : nam actus ille qui transit, idem numero reiterari non valet. Secundo, an culpa quæ ex suo genere venialis est, fieri possit mortalis. Et hoc utique possibile est, si eatenus placeat, quod in ea finis constituatur, et per consequens plus Deo diligatur. Cujus complacentiæ signum est, si illud quod prohibitum non est, etiam quis faceret, licet foret prohibitum, ut in histrionibus verba otiosa sectantibus patet. Tertio, an multa venialia ad quantitatem mortalis peccati pertingere queant. Et quidem hoc per se impossibile est, quum reatus et macula peccati mortalis et venialis in infinitum distent : mortale enim privat bonum increatum, et habet æternam pœnam; veniale autem tollit caritatis quemdam fervorem, et temporale meretur tormentum. Verumtamen istud per accidens possibile est occasionaliter : quia venialia disponunt ad mortale, faciendo pronitatem ad ipsum.

Digitized by Google

Non tamen de necessitate contingit : quia adhuc libertas manet in anima ne in mortale labatur.

ARTICULUS XCIV.

In quibus sit liberum arbitrium ; et quod ipsum cogi non possit.

QUEMADMODUM Commentator edisserit, ab eo quod est ad utrumlibet, nihil producitur, nisi prius determinetur. Nam unumquodque agit in quantum in actu est. Determinatio autem agentis ad aliquam actionem, oportet ut sit ab aliquo cognoscente præstituente finem actioni. Naturalia vero, quum non agnoscant operis sui finem, nec finem sibi præfigant, diriguntur ab aliquo sciente separato. Et ideo secundum Philosophum, opus naturæ est opus intelligentiæ naturam instituentis aut dirigentis. Intellectus autem rationem finis cognoscit, et opus suum ad aliquid ordinat : unde et ei judicium competit actus sui. Ideo in intellectualibus tantum invenitur liberum arbitrium, quia in potestate eorum est hanc aut illam actionem eligere. — Porro, quum ea quæ de Deo et creaturis dicuntur, Deo conveniant per eminentiam quamdam, ideo liberum arbitrium non convenit Deo sicut et aliis, sed competit ei secundum id quod perfectionis est, non autem secundum id quod imperfectum in eo est. Electio namque, quæ est arbitrii liberi actus, convenit Deo, non quoad id quod est consilium prærequirens et ex eo procedens, sed in quantum Deus non determinatur ad opus ab aliquo alio : unde et verissime dominium actus sui habet. — Præterea, ad libertatem non pertinet posse in bonum et malum : quoniam bonum est objectum voluntatis, in quod liberum arbitrium naturaliter ordinatum est. Sed posse in malum, ex defectu procedit : ideoque, quo liberum arbitrium perfectius est, eo minus potest in malum. Hoc vero ad ipsum pertinet, ut in aliquam actionem ex se libere possit, eam exsequendo vel dimittendo, non tamen malum committendo. — Sic quoque in Beatis salvatur libertas arbitrii. Licet enim per gratiam sint confirmati in bono, sicut et Deus per naturam, non tamen est eorum determinata natura, nec gratia mutat sed perficit eam ; et etiam aliqua libere agunt vel omittunt.

Agnoscendum præterea, quod quædam coactio dicitur insufficiens, sive impulsio; alia autem sufficiens, sive compulsio. Quædam vero virium animæ compelli possunt : quod tamen dupliciter evenit. Vel ratione complexionis, ut sunt vires organicæ, quæ necessario agunt immutatis organis : quemadmodum oculus necessario videt, si specie informetur. Aut virtute demonstrationis; et sic cogitur intellectus. Sed voluntas nullo modo compellitur. Cujus ratio est : nam invenitur aliquod verum quod falso non admiscetur, ut sunt principia per se nota : ideo intellectus illi vero necessario assentit, et contrariis primorum principiorum dissentit. Et ita quum ultimus finis nil mali admixtum habere possit, ideo voluntas non potest non velle eum : unde nullus potest velle non esse felix. Sed eorum quæ ad ultimum finem ordinata sunt, nil tam bonum est, quod in cunctis sufficiat, vel tam malum, quod non aliquid boni admixtum habeat. Ideoque nullo eorum quæ ad ultimum finem sunt, liberum arbitrium cogi potest, vel contentari voluntas. Impelli tamen possunt vel inclinari ad aliquid, nunquam tamen necessario cogi, quum hoc naturæ eorum repugnet. Nec Deus omnipotens hoc potest, ut voluntas necessario se habeat ad ea quæ sub electione cadunt, sicut nec duo contradictoria esse simul : non propter suam impotentiam, sed quia res non est capax.

ARTICULUS XCV.

De aliquibus ad liberum arbitrium pertinentibus.

EXTENDIT se quoque liberum arbitrium ad actus omnes humanos, non quasi eos

Digitized by Google

immediate eliciens, sed quia imperat eis. Vires tamen vegetativæ partis non sunt aliquo modo secundum se rationi subjectæ : et ideo eis non imperat voluntas seu liberum arbitrium, quum sint proprie loquendo, operationes potius naturales quam humanæ.

Denique de hoc, qualiter liberum arbitrium augeri et minui dicatur, advertendum quod coactione compellente nunquam cogitur. Et quoad hoc, non augetur neque minuitur : nam hoc semper et in omni statu naturale est, ut sit a coactione necessitante liberum. Per accidens tamen est excellentiori et perfectiori modo in uno quam in alio, secundum ordinem dignitatis intellectuum in quibus exsistit : quia liberum arbitrium invenitur in Deo magis a coactione alienum quam in angelo, et in illo amplius quam in homine. Est et alia coactio insufficiens, quæ impellit et inclinat, non tamen necessitat : et secundum hanc augetur in hominibus libertas atque minuitur secundum diversos status eorum, juxta varietatem dispositionum inclinantium.

Porro, libertas negationem coactionis includit. Privatio autem distinguitur secundum ea quæ privat : ideo secundum ea quæ libertatem cogere possunt, alio modo sumitur distinctio liberi arbitrii. Dictum quoque jam est, quod sit duplex coactio : una compellens, a qua omnis libertas aliena est; et sic per remotionem ipsius, accipitur libertas a necessitate. Alia est coactio impellens. Et hæc est vel faciens vel impediens : habitus enim et dispositiones in anima, faciunt hanc impulsionem arbitrii ; pœnalitates vero quæ sunt ex parte corporis, usum libertatis impediunt. Et per remotionem facientis, dicitur libertas a peccato ; per remotionem autem impedientis, libertas a miseria. Et sic distinctio hæc tripartita libertatis non sumitur secundum diversos status hominum, quia in diversis statibus una libertas consistit. Sta-

Sent. II, dist. XXV G.

tus equidem hominis a Magistro quadruplex ponitur, scilicet : innocentiæ, culpæ, gratiæ et gloriæ. — Dicit autem Anselmus, quod posse peccare, nec libertas est, nec pars libertatis : quia videlicet liberum arbitrium per se in bonum ordinatum est, et tendentia ejus in malum, corruptio est ipsius atque defectio. Justitia vero libertatem non impedit, sed perficit : et igitur non ponitur libertas a justitia. Et utique multo minus gloria libertatem diminuit : imo nullatenus eam diminuit nec usum ejus impedit. Unde Augustinus : De ratione, inquit, beatitudinis est, ut quis habeat quidquid desiderat et vult, et nihil mali velit. — Porro Bernardus triplicem distinguit libertatem, scilicet arbitrii, consilii et complaciti. Et sumitur ista ex parte termini ad quem, seu eorum quæ sub electione cadunt. Quæ sunt in triplici differentia. Est namque aliquod bonum licitum, quod nulla est lege prohibitum : et respectu hujus est libertas arbitrii, quoniam in nostro est judicio an sequamur illud an non. Aliud est bonum licitum et etiam utile : et secundum hoc dicta est libertas consilii. Consilium enim est de meliori bono quod ad salutem est expediens. Tertium vero est bonum quod delectat : et ratione hujus accipitur libertas complaciti, quæ experiri habet quid libeat. Divisio tamen Magistri præhabita, est magis secundum se : quia est secundum ea a quibus libertas est expers.

ARTICULUS XCVI.

Quod gratia sit quid creatum, et accidens.

GRATIÆ insuper nomen liberalitatem quamdam insinuat : et ideo gratia dicitur quasi gratis donatur. Liberalis vero dationis causa est amor. Propterea gratia uno modo dicitur ipsa acceptatio amoris, prout quis illius gratiam habere dicitur qui eum diligit. Secundo dicitur gratia donum quod liberaliter præstatur. Et utroque modo significat gratia quoddam creatum. Nam et ipsa divina dilectio per quam Deo acceptabiles sumus, est qualitas creata. Siquidem ut nostra scientia, sic et nostra dilectio a rebus causatur.

Digitized by Google

Ipsum quoque donum gratuitum per quod Spiritum Sanctum, qui est increatum donum, habere dicimur, est aliquid creatum in anima. Nam quum Spiritus Sanctus immutabilis sit, non dicimur eum de novo habere, nisi propter mutationem in nobis factam : et ob id necesse est ut animæ aliquid adveniat, secundum cujus adeptionem Spiritum Sanctum sortiri censetur : hoc autem est gratia. — Denique Deus
Sap. XI, 25. omnia quæ creavit, diligere scribitur, secundum quod bonum naturæ omnibus tradit. Sed dilectio qua electos diligit, perfecta est, et quasi amicitiæ, quia diligit eos, non solum sicut artifex opus, sed quadam societate amicabili, sicut amicus amicum : per quam trahit eosdem in suæ fruitionis consortium. Et ideo hæc dilectio gratia vocatur. — Potest tamen nomine gratiæ increatum aliquid designari, scilicet divina acceptatio, vel donum increatum, quod est Spiritus Sanctus. Naturales quoque bonitates, quum gratis præstentur, gratiæ vicissim vocantur.

Porro, quum gratia adveniat animæ post suum esse naturale completum, oportet ut accidens sit. Est quippe gratia (sicut
Ps. CIII, 15. Glossa ait super illud Psalmi, Ut exhilaret faciem in oleo) nitor animæ sanctum amorem concilians. Deus enim conjungit mentem ultimo fini efficienter, gratia vero formaliter. — Quod autem Scriptura dicit,
Num. XI, 17. Tollam de spiritu tuo, etc., non est intelligendum tanquam gratia transire possit de uno subjecto in aliud, sed dictum est hoc propter similitudinem gratiæ ad similes actus in specie. Est enim actus gratiæ, mundare et gratificare, sicut albedinis dealbare; et ipsa Dei similitudo vocatur, quia per eam creatura Deo assimilatur operando divina et sancta.

A B C D

ARTICULUS XCVII.

Quod gratia sit in essentia animæ, et realiter aliud a virtute.

QUEMADMODUM secundo Ecclesiasticæ hierarchiæ capitulo Dionysius adstruit, non potest quis divinas operationes efficere, nisi per spiritualem generationem divinum quoddam esse participet. Itaque, quum actus meritorii naturalem facultatem excedant, et ad supernaturalem finem perducant, oportet ut anima per quoddam divinum munus elevetur supra se ipsam, ut sit ad divina idonea. Hoc vero munus gratia appellatur. Unde gratia immediate animæ essentiam informat et perficit, et ex consequenti potentias ejus. Item, quum gratia sit vita animæ, necesse est ut ipsam animam primo respiciat. Rursus, omnis potentia determinatur ad certos actus. Quum igitur gratia sit omnium actuum meritoriorum origo, non est alicujus potentiæ appropriata perfectio. Verumtamen, quum inter vires animæ voluntas communissima sit, eo quod imperet actibus aliarum virtutum, et in ea sit prima ratio meriti atque demeriti; ob id gratia, quæ etiam indeterminata est, secundum prædicta, primo respicit voluntatem : quoniam omnes actus gratia informati, voluntati seu libero arbitrio quodammodo adscribuntur. Porro virtus et culpa, quum ex actibus producantur, immediate ad potentiam pertinent; gratia autem ab extra est et infunditur : unde in essentia animæ ponitur. Nec culpa opponitur gratiæ immediate, sed virtuti.

Denique dicunt alii, quod virtus sit idem quod gratia secundum rem, sed ratione distinguitur : nam virtus dicitur, in quantum opus bonum reddit; gratia, prout hominem Deo gratificat. Sed hoc stare non potest, quum quædam virtutes per actus acquirantur, et ita anima sine gratia superaddita, posset mereri : quod est hæresis Pelagii. Ab alio ergo habet virtus, quod virtus sit, et quod hominem Deo gratum faciat atque acceptum. Item, secundum præhabita, virtutis subjectum est potentia; subjectum autem gratiæ essentia animæ. Aptius igitur dicitur, quod gratia realiter a virtutibus distinguatur : sicut enim ab essentia animæ fluunt potentiæ, quæ tamen in anima uniuntur velut in

Digitized by Google

radice; sic a gratia causantur virtutes, quæ potentias perficiunt, et a gratia realiter differunt, atque in ea tanquam in origine conjunctæ sunt. — Reducitur quoque gratia ad primam speciem qualitatis; sed quum non sit proximum principium actus, non est virtus vel habitus, sed eorum formale principium. Dicit tamen Augustinus, quod gratia prævenians, est fides per dilectionem operans. Sed hoc ideo dicit, quia in actu fidei primo ostenditur gratia.

ARTICULUS XCVIII.

De divisione gratiæ, et unitate ipsius.

HABET autem gratia in nobis actus diversos ordinatos. Primo enim dat animæ esse divinum, secundo facit opus meritorium, tertio adipiscitur præmium, scilicet vitam æternam. Actuum quoque quidam est interior, alter exterior. Et secundum hæc Augustinus diversimode accipit gratiam prævenientem et subsequentem. Nam secundum ordinem meriti ad præmium, dicit gratiam quæ est merendi principium, gratiam prævenientem; subsequentem vero dicit ipsum habitum gloriæ, qui in nobis facit beatam vitam. Secundum ordinem quoque interioris actus ad exteriorem, dicit gratiam prævenientem, quæ causat motum bonæ voluntatis; subsequentem autem, quæ est exterioris operis causa. Secundum ordinem insuper esse quod dat gratia animæ ad opus bonum, sic dicit gratiam prævenientem, in quantum dat esse salubre; subsequentem, prout est causa meritorii operis. — Divisio autem gratiæ in operantem et cooperantem, proprie sumitur secundum præsentis vitæ tantummodo statum, et hoc dupliciter. Primo, ut dicatur gratia operans, in quantum dat animæ esse divinum; cooperans vero, prout Deo opus acceptum facit. Secundo, ut gratia operans sit, quia causat actum voluntatis in se ipsa; et cooperans, prout opus exsequitur. Et sic gratia operans et cooperans est idem cum gratia prævenient et subsequente secundum duos ultimos modos; nec distinguuntur hæ gratiæ nisi propter diversitatem effectuum. Et quoniam, secundum Philosophum decimo Ethicorum, in moralibus interiores actus exterioribus principaliores sunt, ideo gratia in quantum exterius agit, cooperans nuncupatur.

Denique, quum gratia sit propria perfectio essentiæ ipsius animæ, quæ utique una est et simplex, ideo gratia secundum essentiam una manet nec multiplicatur. Et rursus, quum in omni actu sit una ratio promerendi, id quod est ratio prima merendi, est solum unum : hoc autem est gratia. At vero ad actum meritorium duo sufficiunt : primo, ut operans dignus sit vita beata, et hoc efficit gratia; secundo, ut actus sit in rectum finem relatus atque circumstantiis debitis vestitus, et hoc virtus agit. Non ergo ad eliciendum actum meritorium quidquam exigitur nisi gratia quæ sit in essentia animæ, et virtus quæ potentiam ejus informet. Sed qui dicunt gratiam et virtutem idem esse in re, et etiam illi qui asserunt gratiam non esse in essentia animæ, aliter sentiunt. — Amplius autem, dum ait Apostolus, Divisiones gratiarum sunt, sumit gratiam large, pro omni dono gratis dato. — Sciendum præterea, quod gratiæ sacramentales ordinantur et dantur contra diversos defectus ex peccato consequentes : et ideo sicut differt una virtus ab alia secundum diversitatem actuum, sic gratia sacramentalis una differt ab alia secundum quod ad diversos ordinatur effectus. Et sicut gratia de qua nunc sermo est, non multiplicatur propter varietatem virtutum, sic nec propter distinctionem sacramentalium gratiarum quæ in sacramentis præstantur. Sunt enim quædam emanationes gratiæ quæ una est et proprie gratia dicitur; quia tamen nomina appropriata non habent, ideo communiter nomen gratiæ obtinent.

I *Cor.* XII, 4.

Digitized by Google

ARTICULUS XCIX.

Quod virtus sit habitus, et de definitione ipsius.

OPORTET præterea actum rationalis potentiæ proportionatum esse suæ potentiæ. In actu autem virtutis consideratur substantia actus, et modus agendi, ut scilicet faciliter et delectabiliter fiat operatio virtuosa. Dicit enim secundo Ethicorum Aristoteles, quod signum habitus sumi oportet delectationem fientem in opere. Delectatio vero causatur ex conjunctione ad bonum conveniens. Necesse est igitur potentiam ad actum virtutis esse assimilatam atque aptatam : præsertim quum rationales potentiæ sint secundum se indeterminatæ ad unum. Hæc assimilatio ad actum, est perfectio superaddita potentiæ, per quam actum elicit : unde et virtus vocatur. Divina autem potentia, quum sit ex se ipsa perfecta, et ad bonum naturaliter conversa, a quo flecti non valet, non indiget tali perfectione adjuncta, sed per se ipsam idonea est. Et quoniam virtus quodammodo per modum naturæ ad consimilem actum inclinat, ideo Tullius ait, quod virtus est habitus modo naturæ, rationi consentaneus. — Non tamen oportet ut sit virtus semper in actu, ut aliqui dicunt. Nam virtus non tollit naturam rationalis potentiæ : et ideo ipsa permanet ad agendum libera. Et rursus, quum electio (sine qua virtus esse nequit) esse non possit quin experiatur, non videtur quod semper sint in nobis actus virtutum sine interruptione, quamvis nos lateat.

Porro Augustinus virtutem definiens : Virtus, inquit, est bona qualitas mentis qua recte vivitur, et qua nullus male utitur, quam Deus in nobis sine nobis operatur. Verumtamen non intendit Augustinus definire virtutem quamlibet, sed infusam dumtaxat : quam hic plene definit. Dicens enim, *bona qualitas,* tangit formales causas virtutis, scilicet genus et differentiam; et subjectum, quum addit, *mentis;* actum quoque (qui est finis virtutis) tangit, quum dicit, *qua recte vivitur;* causam etiam efficientem, quum adjicit, *quam Deus in nobis sine nobis operatur.* Sed quoniam tam libero arbitrio quam virtute bene vivere dicimur, libero autem arbitrio male uti quis potest; ideo ad differentiam ejus addit Augustinus in definitione virtutis, *qua nullus male utitur.* Circa quod advertendum, quod homo dicitur aliquo uti dupliciter. Primo, sicut forma : et sic virtute nullus male utitur, quia eo ipso quo usus a virtute procedit, bonus est. Secundo, sicut objecto : et sic qui de virtute superbit, male utitur ipsa.

Denique, licet bonum convertatur cum ente, tamen speciali modo invenitur in rationali natura. Quum enim bonum dicatur ratione finis, illa natura quæ electione viget et finem cognoscit, eminentius rationem boni participat : et ideo habitus electivi ex fine speciem sumunt, atque eorumdem constitutivæ differentiæ assignantur malum et bonum. Unde in definitione virtutis dictum est, *bona qualitas.* — Anselmus quoque definit justitiam, quod sit rectitudo voluntatis propter se ipsam servata. Et hoc quidem de justitia accipi potest prout est virtus generalis, quam Philosophus legalem appellat, et sola ratione a virtute distinguitur : potest tamen de speciali justitia intelligi. Rectitudo namque uno modo accipitur secundum commensurationem rei ad rem : et hanc sibi vindicat justitia, quæ in datis et acceptis æqualitatem constituit, sicut quinto Ethicorum dicitur. Secundo dicitur rectitudo secundum commensurationem actus ad finem et ad rationis judicium : et sic convenit omni virtuti; sicque accipitur in definitione Augustini præhabita.

ARTICULUS C.

Utrum de condigno mereri quis possit vitam æternam; et an homo gratiam possit mereri.

DICITUR denique quis mereri ex condigno, dum inter meritum ac præ-

Digitized by Google

mium invenitur æqualitas secundum æstimationem rectam ; sed ex congruo mereri quis dicitur, dum non est talis æqualitas, sed ex liberalitate sua dator tribuit quemadmodum eum decet. Itaque aliqui asserunt, quod ex condigno per gratiam vitam beatam mereri possimus. Alii vero dicunt quod non, sed ex congruo tantum. Et utraque positio secundum aliquid vera est. Quum enim sit duplex æqualitas, utputa quantitatis et proportionis, secundum primam nemo vitam æternam ex condigno meretur, quia non est tantum bonum in actu virtutis sicut in præmio gloriæ. Proportionis autem æqualitas est, dum sic se habet hoc ad illud sicut aliud ad aliud. Et secundum hanc de condigno vitam beatam mereri quis potest, quoniam non est Deo majus vitam æternam tribuere, quam nobis actum virtutis explere: et sic inter Deum et eum quem remunerat, est quædam æqualitas propter efficaciam gratiæ, quæ divinum esse animæ influit, eamque Deo consignat. Rationabilius quoque videtur, quod ex condigno dicamur posse felicitatem mereri. Est namque duplex justitia, scilicet : commutativa, quæ est in venditione et emptione, et respicit æqualitatem arithmeticam, quæ in quantitatis æqualitatem tendit ; et justitia distributiva, in qua unicuique secundum dignitatem et capacitatem suam præstatur : et hæc respicit æqualitatem geometricam, quæ est proportionis æqualitas. In præmiatione autem Sanctorum hæc magis servatur quam prima, quia Deus dat singulis juxta opera sua, et a nullo aliquid recipit : et ita ex condigno secundum distributivam justitiam meremur vitam felicem. Quod etiam inde ostenditur, quod vita æterna dicitur corona justitiæ, quia justo judicio redditur, quemadmodum depositum, dicente Apostolo : Potens est depositum meum servare. Et rursus, sicut culpa juste meretur pœnam æternam, sic apparet quod Dei gratia mereamur de jure vitam beatam. — Nec obest quod tenemur quidquid boni operamur : quia etiam apud homines quis laudatur, reddendo quod debet. Nam et actus justitiæ laudabilis est sicut ceterarum virtutum. Licet enim justitia det alteri quod suum est, tamen modus in quo fundatur vis merendi et laus reddentis, est in quantum sponte et propter justitiam agit quod potest non agere.

II *Tim.* IV, 8.

Ibid. I, 12.

Insuper nullus mereri dicitur nisi quod secundum suam conditionem attingere valet. Unde servus mereri non potest ut in filiorum hereditate sit particeps. Quum ergo gratia naturalem virtutem creaturæ excedat, quippe quæ in naturalem finem perducit, nullus ex naturalibus suis eam valet mereri. Nihilo minus opera bona quæ gratiæ infusionem præcedunt, meritum habent, quia ad gratiam præparant, et honestatem atque decorem ac jucunditatem quamdam habent, in quibus præcipue meritum eorum consistit ; per accidens quoque temporalium copiam afferunt. — Si autem quis in gratia stans oret ut si gratiam perdat, eam Deus restituat ; si talis a gratia excidat, non meretur exaudiri : quia peccatum sequens, orationem præcedentem mortificat ; nec est omnino efficax, quia instanter non orat, quoniam peccando orationem interrumpit. Nec possunt merita sequentia gratiam præconcessam mereri, quia in justitia distributiva (cui comparatur collatio gratiæ) semper meritum prius est præmio, ut jam dictum est. Sed in justitia commutativa præcedere potest præmium ipsam mercedem : sicut in eo videmus qui prius accipit laboris stipendium, quam impertiatur obsequium.

ARTICULUS CI.

Quomodo per meritum gratia augeatur ; et utrum unus alii gratiam primam possit mereri.

QUEMADMODUM culpa duplicem habet pœnam, unam concomitantem se, videlicet remorsum conscientiæ (nam secundum Augustinum in libro Confessi-

Digitized by Google

onum, animus inordinatus sibi ipsi pœna est), aliam vero quæ ab alio infligitur, vel a Deo vel homine; sic opus bonum duplex sortitur præmium : unum concomitans ipsum actum, ut delectatio boni, etc.; aliud quod remunerator extra impendit : et ad hoc præmium ordinatur meritum secundum proportionem dignitatis tantum; primum autem præmium reducitur in principia actus sicut in causam. Igitur per actum meritorium contingit mereri gratiæ augmentum, sicut præmium concomitans naturam ipsius actus : quoniam naturaliter omnis actus potest in acquisitionem vel augmentum similis habitus, vel effective aut dispositive. — Quum autem dicitur quod efficacia promerendi correspondet quantitati gratiæ, intelligenda est solum correspondentia seu commensuratio proportionalitatis gratiæ ad præmium. Nam quo fuerit gratia major, eo majus adipiscitur præmium. Sic quoque per caritatem viæ imperfectam, meremur caritatem perfectam in patria. — Verumtamen, non quolibet actu meritorio gratia augetur. Actus nempe meritorius se habet ad præmium quandoque solum in ratione meriti : et ita sicut uno actu meritorio meretur quis vitam æternam, sic quolibet alio simili. Interdum autem habet se ad præmium etiam in ratione causæ : et sic habet se ad augmentum gratiæ. Unde illo tantummodo actu augetur gratia, quo quis utitur gratia secundum proportionem suarum virium, ut in nullo genere defectuosus sit per negligentiam, et sic inveniatur conditio per quam ex actu consequitur augmentum habitus.

Insuper intuendum, quod productio effectus impeditur primo propter impotentiam causæ; secundo, propter indispositionem recipientis. Sic itaque, quum meritum sit quodammodo causa præmii, contingit ut ipsum impediatur a prosecutione præmii, vel propter insufficientiam actus, vel propter inefficaciam et incapacitatem ejus pro quo bonum impenditur, et qui meritum consequi deberet. Imperfectio quoque actus est duplex : una ex mero defectu gratiæ; alia propter parvitatem gratiæ. Itaque qui extra gratiam est, sibi ipsi non meretur gratiam de condigno, sed solum ex congruo, si faciat quod in se est. Qui autem in gratia est, sibi quidem potest mereri; alteri autem gratiam mereri non potest, nisi gratia sua perfectissima sit, quatenus sic in alios redundare possit. Ideo Christus, de cujus plenitudine accepimus omnes, cunctis gratiam de condigno meruit. Nullus autem post eum gratiam alteri potest mereri, nisi ex congruo. Semper vero impediri potest effectus gratiæ dum unus alteri meretur, propter indignitatem alterius, sicut et meritum Christi nil prodest. Denique, et aliquis propter variationem sui et lapsum, meretur cras vel postmodum gratiam perdere, per quam hodie meruit ex parte actus ut in fine vitæ æternam felicitatem obtineat. Peccatum enim sequens, meritum præcedens mortificat. — Ex his elucescit, quomodo accipi debeat quod in libro de Prædestinatione Sanctorum Augustinus ait, unum posse alteri gratiam primam mereri. Deus quippe prævidit ac præordinavit, ut quidam per aliorum merita gratiam adipiscantur. Sæpe enim per orationes sanctorum mali se convertunt, se præparando ad gratiam: quo completo, gratiam eis Deus impertit, sicque salvantur.

Joann. I, 16.

ARTICULUS CII.

Utrum sine gratia homo nil boni facere queat; et an sine gratia peccata vitare possit.

ACTIO insuper consequitur naturam agentis : ideo secundum diversitatem rerum est diversitas operationum. Quod quidam non intuentes erraverunt, æstimantes quod sicut lapis de necessitate descendit, sic homo necessario agat secundum qualitatem naturæ. Joviniani ergo, considerantes in nobis intellectualem na-

Digitized by Google

turam (quæ bona est), dicebant hominem non posse peccare. Manichæi vero, naturam considerantes sensualem, quam a malo principio creatam dixerunt, ponebant hominem non posse peccata vitare. Et quia utraque positio libertatem arbitrii tollit, ideo Pelagiani ponebant sine gratia posse virtutem fieri, et naturalia non de necessitate gratia indigere. Sed positiones istæ hæreticæ sunt. Ideoque secundum fidei veritatem dicendum, quod in actum meritorium non potest quis sine gratia, sed in actus qui naturali et morali bonitate virtuosi sunt, potest homo per liberum arbitrium. Nulla enim natura destituitur propria operatione, secundum Damascenum. Propria quoque operatio hominis, secundum Dionysium, est secundum rationem : ergo et ordinata est, et per consequens bona. Sed sine gratia non est meritoria, quia a gratia est efficacia proficiscendi ad supernaturalem finem, et virtus infusa, non autem virtus civilis.

De Divin. nom. c. IV.

Præterea dicunt quidam, quod homo post lapsum peccata vitare non possit sine gratia, in tantum, quod qui in mortali peccato est, sine peccato alio mortali diu esse non possit; et licet hoc aut illud vitare valeat, non tamen quodlibet : sicut etiam de venialibus dicitur, quod licet vitare possimus singula, non tamen omnia. Sed hæc positio irrationalis est, quia nullum peccatum libertatem tollit : et ideo, licet per peccatum mortale ingignatur animæ difficultas vitandi mala, non tamen necessitas labendi. In ea semper namque electio permanet libera fugiendi vel prosequendi quodque. Nec est de mortali sicut de veniali : quia mortale requirit deliberatum consensum, non autem veniale. Dicendum est ergo, quod licet peccatum commissum sine gratia vitare non possimus ut ab eo absolvamur, quia sine gratia non valemus resurgere (cujus oppositum Pelagius sensit), tamen peccatum nondum commissum, etiam mortale, sine gratia vitare possumus, quantumcumque in peccato simus. Nec interest an diu vel non diu dicamur illud posse vitare seu non vitare : quoniam diu a peccato abstinere, magis confortat quam debilitet libertatem arbitrii. — Propterea, quod ait Magister, hominem ante reparationem gratiæ non posse non peccare, sic accipiendum est, ut non peccare idem sit quod peccatum non habere. Nam sicut videre, dicitur vel visum habere, vel uti eodem ; sic peccare dupliciter dicitur, scilicet peccatum habere, et actum efficere. — Denique, quod Augustinus dicit, superbum necessario esse alii invidum, non de necessitate absoluta sed conditionata accipitur, quia videlicet superbus excellentiam quam finaliter intendit, sine alterius odio sortiri non valet.

Sent. II, dist. XXV F, G.

ARTICULUS CIII.

Utrum sine gratia implere quis possit divina præcepta, vel ad gratiam præparare se ipsum.

PORRO de præceptis legis dupliciter loqui contingit. Vel quantum ad id quod directe sub præcepto cadit : et hoc est actus virtutis quantum ad ipsum opus, non autem quantum ad modum agendi, quem virtus circa ipsum ponit. Vel quantum ad id quod legislator intendit, ut scilicet homines boni virtuosique fiant. Sic igitur intentio legis divinæ est, non solum ut opera quæ præcipiuntur fiant, sed ut in caritate fiant, atque in dilectione Dei et proximi homines instruantur. Itaque præcepta divina quantum ad substantiam actus, scilicet quoad id quod sub præcepto directe cadit, sine gratia gratis data et gratum faciente fieri possunt, si per gratiam intelligatur habitus infusus. Nam hoc solum directe præcipitur quod in homine est ut impleat. Non est autem in homine ut actum virtutis operetur eo modo quo virtuosus, donec insit ei virtus acquisita vel infusa. Sed quantum ad id quod legislator intendit, sine gratia impleri mandata non valent. Finis enim legis, secundum Apostolum, est caritas : quæ est

I Tim. I, 5.

Digitized by Google

donum a Deo infusum, et sine gratia esse non potest. Unde nec observantia mandatorum sine caritate salvare potest, sed prout caritate formatur. — Verumtamen nec actus caritatis neque aliarum virtutum cadunt directe sub præcepto prout ab habitu virtutis procedunt, sed quoad substantiam actus. Potest namque aliquis caritatem non habens, Deum proximumque, etiam super cuncta, diligere. Actus enim virtutum considerari possunt vel secundum quod præcedunt habitum, vel secundum quod causantur ab habitu : et quum causantur ab habitu, tunc justus et virtuosus est aliquis.

Præterea agnoscendum, quod gratia dupliciter sumitur. Primo, pro divina providentia, quæ gratis singulis providet atque impendit secundum quod unicuique convenit : et sic accipiendo gratiam, nemo se potest ad gratiam gratificantem sine gratia præparare, quoniam sicut octavo Physicorum ait Philosophus, mutatio voluntatis sine movente quod eam excitet, esse non potest : omne enim motum movetur ab aliquo. Unde quidquid hominem excitat (sive exhortatio sive ægritudo sit hoc) ad Deum et gratiæ infusionem, gratia gratis data dicitur, sive etiam actus liberi arbitrii, quem Deus in nobis causat, sit hoc. Et quoniam omnia divinæ providentiæ subdita sunt, quæ ad electorum salutem omnia ordinat; ideo hoc modo accipiendo gratiam, ad nullum bonum sine ipsa valemus. Secundo dicitur gratia donum habituale a Deo menti infusum : et tunc est duplex opinio. Nam aliqui asserunt, quod sine quodam lumine menti impresso, quod est donum gratiæ gratis datæ, nullus se ad gratiam gratum facientem disponere queat. Sed hoc non videtur apte dictum, quoniam præparatio ad gratiam non est per actus æquandos gratiæ æqualitate proportionis, sicut meritum æquatur præmio : ideoque non oportet ut actus præparatorii naturam excedant. Imo, sicut natura est in naturali potentia ad gratiam, sic per actus virtutum naturalium habet naturalem dispositionem ad eamdem. Et rursus, secundum hanc positionem iretur in infinitum, vel tandem esset infusio gratiæ sine præparatione gratiæ præviæ : quod ipsa non concedit. — Dicendum ergo est, quod homo per liberum arbitrium se præparare potest ad gratiam, faciendo quod in se est. Scriptum est enim : Convertimini ad me, et convertar ad vos. Nihilo minus rogandus est Deus ut nos ad se convertat et præparet, quia sine ejus auxilio nihil valemus. Et ista conversio per multa exteriora occasionaliter (Deo tamen providente) completur. Hinc nempe Anselmus ait, quod non est propter Dei immunificentiam, sed nostram malitiam, quod gratiam Dei non accipimus : quia eam acceptare non volumus. *Zach.* I, 3.

Quæri præterea solet, an homo sine gratia aliquid verum agnoscere queat. Ad quod respondendum, quod verorum quædam naturali rationis lumini proportionata sunt, quæ videlicet ex primis principiis consequuntur : et hæc per naturale lumen sciri possunt. Alia vero, utputa quæ fidei sunt, et futura contingentia, non nisi per lumen gratiæ gratis datæ (ut lumen fidei et prophetiæ) est scire, quoniam naturale excedunt ingenium. Quidam tamen theologi, asserentes intellectum agentem esse unum in omnibus, scilicet ipsum Deum, volunt quod sine nova emissione seu irradiatione divinæ lucis, nulla veritas a nobis cognosci possit. Hæc autem positio quoad fundamentum suum ante destructa est. Nihilo minus Deus est causa omnis veritatis et cognitionis, secundum quod ipse in omni natura prime et principaliter agit; sed ad hoc non semper exigitur influentia supernaturalis luminis. art. LXVIII.

ARTICULUS CIV.

An in statu innocentiæ homo gratia eguerit; et utrum ante lapsum gratiam habuerit.

QUUM dicat Apostolus, Gratia Dei vita æterna; constat quod visio Dei, quæ *Rom.* VI, 23.

Digitized by Google

est vera felicitas, omnem creaturæ rationalis naturalem virtutem excedat : unde et sine ea nec ante peccatum homo ad æternam beatitudinem pertingere potuit. Est autem duplex necessitas, scilicet : absoluta, sicut necesse est mixtum corrumpi; alia conditionata, ex suppositione finis, et sic necessaria erat homini gratia, quia aliter fini suo uniri non quivit. Indiguit itaque tam operante quam cooperante gratia, sed aliter quam nunc. Tunc siquidem gratia operans non fecisset de impio justum (nam hoc accidit ei ratione subjecti, B quod peccato obnoxium invenit); sed gratificasset tunc eum, qui secundum se gratus esse nequibat. Gratia quoque cooperans virtutem atque efficaciam sibi dedisset ad operandum exterius. — Præart. LXXXV. habitum est autem, quod sicut nulla creatura potest Deo æquari, sic nec ex naturalibus puris potest ad ejus visionem perduci. Unde nec gratia nec gloria potest alicui naturalis esse. — Item, carentia visionis divinæ dicitur dupliciter. Vel negative, et sic non est pœna, imo sic debetur C omni menti creatæ secundum naturalia ejus. Secundo dicitur privative, et tunc est pœna culpæ.

Præterea alii dicunt, quod homo ante peccatum naturales dumtaxat virtutes habebat, non gratiam nec caritatem. Alii dividunt statum innocentiæ in duos status, dicentes quod homo in principio creationis sine gratia factus est, postea vero gratiam suscepit, quam perdidit. Sed positiones hæ non videntur dictis Sanctorum concordes. Ideo tertii aiunt, hominem in D gratia conditum; et hoc positioni Augustini consonat, qui ponit res simul in materia et forma creatas. Aliæ vero magis concordant cum eis qui ponunt temporalia intervalla in prima rerum creatione. Verumtamen, quæ harum verior sit, efficaciter ostendi non potest, sicut nec alia quæ ex sola Dei voluntate dependent. Rationabilior tamen apparet positio tertia. Quum enim homo in naturalibus sit perfectus creatus, otiosus esse non potuit : A ergo in principio creationis suæ ad Deum conversus, consecutus est gratiam; et ita natura præcessit gratiam ordine naturæ, non temporis successione. Sicque intelligendum est quod ait Magister, quod in Sent. II, primo statu homo non habuit unde ad me- dist. XXIV ritum vitæ proficere potuit : quia etiam A. dum gratiam habet, non ex naturalibus, sed ex gratuitis sortitur ut proficiat.

ARTICULUS CV.

Utrum in statu primo majorem gratiam habuisset homo quam postea; et an opera ejus erant ante lapsum ad merendum efficaciora.

GRATUITORUM autem donorum quædam ordinantur ad perfectionem recipientis, quibus videlicet in propriis actibus perficitur, ut scientia, virtus; alia ad aliorum utilitatem, ut operatio signorum, dona linguarum, etc., quibus alienæ infirmitati succurritur : quæ quia in statu primo non erat, ideo nec talia dona fuissent. In primis autem donis magis abundasset genus humanum ante peccatum quam modo. Et excessus iste dupliciter potest attendi : intensive, et extensive. Extensive, quoniam plura talia dona habuisset tunc quam nunc, scilicet : in corpore impassibilitatem, immortalitatem, perfectam obedientiam virium inferiorum. Verumtamen quædam virtutes imperfectiones quasdam habent annexas, ut fides, continentia, etc.; et istæ vel non fuissent tunc, vel secundum alium actum et modum fuissent. Et hoc intelligendum est de imperfectione ex peccato secuta, non naturam consequente. Fides quippe ex propria natura imperfectionem habet, quia non est per speciem : et quoad hoc etiam in primo statu fuisset. Habet quoque fides imperfectionem ex peccato ortam, quia modo obscurior est quam tunc. Similiter non fuisset tunc continentia cum repugnantia sensualitatis, nec pœnitentia prout est specialis virtus, saltem secundum

Digitized by Google

eosdem actus. Intensive etiam tunc homines universaliter magis abundassent in gratia gratificante quam modo. Nihilo minus aliqui post peccatum plus excedunt in gratia quam in primo statu aliqui habuissent, quia gratia non datur homini solum secundum naturalem capacitatem, sed secundum conatum, qui in eo vicissim major est qui debilior est. — Porro virtutes cardinales altiori modo sunt in angelis quam in viatoribus (maxime post peccatum), videlicet secundum actus qui consistunt circa finem ultimum. — Insuper et perseverantiam, secundum quod est specialis virtus, habuit Adam : sic enim actus perseverantiæ est firmum propositum perseverandi in bono. Alio modo perseverantia est quædam circumstantia omnis virtutis, ponens continuationem boni usque in finem : et sic non habuit eam. — Licet præterea propter Adæ peccatum sit Christus homo factus, ex hoc tamen non est homo majorem gratiam adeptus post peccatum quam ante habuisset, quoad præmium essentiale, sed accidentale.

Intuendum est autem, quod efficacia meriti ex tribus pensatur, videlicet : gratia, voluntate et objecto. Nam quo gratia actum informans est major, voluntasque pronior, et objectum amplius arduum, eo est meritum majus. Quia ergo ante peccatum erat gratia plenior et voluntas pronior, quum nulla ei passio repugnaret; ideo opera hominis tunc fuissent plus meritoria : sic tamen ut utrobique circa idem objectum comparatio fiat. Nec obstat quod jam major est difficultas et labor. Arduum enim non auget rationem meriti nisi ratione bonitatis, non ratione difficultatis, nisi per accidens, in quantum ad id quod difficilius est, major requiritur attentio et voluntatis conatus. — Poterat denique ante peccatum esse victoria, quia etsi non esset impugnator interior, habuisset tamen certamen exterius. Sed nec de necessitate meriti est, habere certamen contra impugnantem : sic enim non fuisset in angelis meritum. Est autem de necessitate meriti, habere certamen apprehendendi quod supra se est, viribus suis reluctando. — Nec rursus est illic majus meritum ubi majus certamen, sed ubi est magis legitimum : quod in minori impugnatione quandoque contingit. Dicitur namque aliquid difficile ex arduitate operis : et sic virtus dicitur esse circa difficile et arduum; vel ex imperfectione operantis : et sic non est virtus circa difficile, imo hanc difficultatem virtus tollit. Sic ergo virtuosus, delectabiliter et sine difficultate bene agendo, plus meretur quam imperfectus cum multo labore. — Præterea sciendum, quod angelo data est gratia ad determinatum gradum, secundum determinatum ordinem promerendum : ideoque per gratiam suam, altiorem ordinem mereri non potest. Homini autem longior via data est, et ipse secundum se ad nullum ordinem determinatus est, quum sit omnium infimus; et ob id ad quemlibet ordinem meritis gratiæ suæ pertingere potest : non tamen est gratia hominum secundum genus major gratia angelorum.

ARTICULUS CVI.

De pœnis hominis; et quod pro peccato primi parentis omnibus inflictæ sint.

AD felicitatem denique aliquid pertinet per se, ut visio Dei, gaudium, etc.; aliud per modum congruentiæ, sicut Beatis cœlum empyreum competit. Conformiter autem, ad illam beatitudinem quam homo ante lapsum habebat, quædam tanquam essentialia pertinebant, ut immortalitas, originalis justitia, etc.; quædam vero secundum congruentiam tantum, ut locus temperatissimus atque amœnus, videlicet paradisus. Unde, sicut per peccatum a statu innocentiæ, qui ipsi supernaturaliter datus erat, prolapsus est; sic et locum amisit qui perditæ dignitati convenit, atque in locum in quo formatus est, juste projectus exsistit. — Posuit autem Deus ante *Gen.* III, 24. paradisum, ne quis ad eum accederet,

Digitized by Google

flammeum gladium. Et forte per gladium hunc, impedimenta intelligenda sunt propter quæ locus ille accedi non potest: nam propter intemperatum calorem præsertim inaccessibilis creditur. — Si vero homo post peccatum ligno vitæ uti potuisset, licet mortem non evasisset, multum tamen distulisset eamdem, sicut de Enoch et Elia censemus : et hoc homini non erat expediens, esse tam diu in ista miseria; sicque *Gen. III, 22.* verba Dei quibus dixit, Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est, magis per modum compassionis quam insultationis sumenda sunt.

Præterea, defectus et pœnæ quæ nos ex peccato consequi dicuntur, dupliciter comparari possunt ad naturam humanam. Primo, secundum primordialem suam institutionem, in qua conditus est homo secundum exigentiam sui supernaturalis finis, videlicet cum originali justitia : et sic palam est, quod defectus isti, scilicet mors, morbus, fames, hebetudo, etc., pœnæ sunt peccatum secutæ. Si vero comparentur ad hominem secundum nuda naturalia ejus, tunc non sunt ei magis pœnales quam ceteris mixtis : quoniam omne elementatum naturaliter corruptibile est, quemadmodum omnem creaturam naturaliter consequitur indigentia conservationis, et vertibilitas in nihil. Unde Seneca ait : Mors est hominis natura, non pœna. Peccatum enim, sicut quarto capitulo de Divinis nominibus Dionysius dicit, naturam non tollit, sed vulnerat : quia impedit eam a consecutione ultimi finis. Ob id ergo tertio capitulo Hierarchiæ ecclesiasticæ asserit, quod quia corruptio ei naturalis est, merito in eam relabitur dum prævaricatur.

ARTICULUS CVII.

Quomodo defectus in posteros per originem veniens, reatum culpæ habeat; et qualiter concupiscentia dicatur originale peccatum.

SCIENDUM est insuper, quod defectus aliud non est nisi simplex negatio cujusque perfectionis, licet non sit nata haberi. Malum vero superaddit ad rationem defectus carentiam alicujus quod haberi potest, quia est nomen privationis. Culpa autem superaddit utrisque rationem voluntarii : unde oportet ut eo modo sit omnis culpa voluntaria quo culpa est. Sicut autem est quoddam bonum naturæ, et aliud bonum personæ; sic est quædam culpa naturæ, et culpa quædam personæ. Culpa personæ actualis est, et causatur a voluntate personæ. Culpa vero naturæ rationem culpæ sortitur a voluntate naturæ : quæ voluntas erat in primo homine sicut in principio naturæ. Et sic defectus originalis justitiæ a voluntate primi hominis accidit. Nam quia originalis justitia donum erat naturæ collatum, et in posteros transfundendum non peccante Adam; sic eo peccante, natura dono suo privata est in se, et in omnibus qui per carnalem propagationem gignuntur : siquidem habitus et privatio ad idem genus reducuntur. Ob hoc itaque non oportet quod peccatum originale sit in potestate aut libertate posteriorum, quia non est peccatum actuale, nec vitium personæ ut est persona, sed quasi per accidens, in quantum naturam infectam participat. Sufficit autem quod fuerit in potestate et voluntate alicujus in illa natura, scilicet primi parentis. — Denique, peccatum originale per propagationem seminis venit ad animam. Nam quum anima patris sit originali justitia destituta, ideo est in carne deordinatio atque corruptio. Unde ex tali carne traducitur similis caro : quam quum anima informat, maculam contrahit; sicut etiam propter defectum seminis oritur defectus non solum in carne prolis, ut lepra vel podagra, sed et in anima, sicut quidam a nativitate stolidi sunt. Hanc autem infectionem culpæ non habet semen in actu, quum non possit esse subjectum peccati, sed in virtute et radice : quemadmodum ex semine leprosi generatur leprosus, licet in semine non sit lepra. Ita, quia in semine est dispositio quæ privatur impassibilitate ac or-

Digitized by Google

dinatione ad animam, quam corpus humanum ante lapsum habebat, sequitur ut anima prolis, quæ culpæ susceptiva est, contaminetur actualiter originali culpa : nam anima recipitur in corpore secundum modum recipientis et conditionem materiæ.

Porro, in omni peccato est unum quasi materiale, et aliud sicut formale : quemadmodum in actuali peccato ipsa substantia actus seu conversio ad bonum commutabile, est materiale; deordinatio vero actus seu aversio a summo bono, est tanquam formale. Conformiter, quum in peccato originali sit deordinatio quædam naturæ, est in eo aliquid materiale, videlicet ipsæ vires deordinatæ, seu infectio virium; formale quoque, scilicet deordinatio a fine. Voluntas autem per se est ipsius finis, et ei immediate conjungitur, et imperare habet inferioribus viribus : ideoque aversio voluntatis a rectitudine quam habuit per originalem justitiam, est formale, atque privatio originalis justitiæ. Subtractio autem vinculi seu retinaculi per quod vires sensitivæ voluntati rationali subdebantur, est materiale in peccato : et inde secutum est, quod unaquæque potentia movetur in suum objectum secundum propriam inclinationem et naturam. Itaque concupiscentia qua habiles sumus ad male concupiscendum, originale peccatum dicitur, tanquam materiale ipsius peccati. Nam sicut in artificialibus materia prædicatur de toto, ut cultellus est ferrum, sic et in moralibus. Verumtamen concupiscentia dupliciter sumitur, scilicet pro habilitate concupiscendi, et pro actu qui ex ea causatur. Hæc vero concupiscentia etiam fomes peccati vocatur; et non sumitur a virtute concupiscibili, quæ contra irascibilem distinguitur, sed ab ipsa sensualitate, quæ communis est utrique.

ARTICULUS CVIII.

Utrum alimentum transeat in veritatem humanæ naturæ.

Sent. II, dist. XXX N, O.

DE quæstione proposita triplex invenitur famosa opinio. Una Magistri et plurium, quod scilicet alimentum non convertitur in carnem humanam, sed quidquid ad veritatem humanæ naturæ pertinet ex parte corporis, totum in primis parentibus fuit; et ab eis in posteros divisum est, nullo extraneo adjuncto, sed per multiplicationem materiæ excrescit in tantam quantitatem ut cernimus. Unde hoc solum resurrecturum testantur. Alimentum vero necessarium asserunt non nisi in fomentum naturalis caloris : quemadmodum dum liquatur aurum, adjungitur plumbum, ne consumatur aurum. Hæc autem positio non videtur conveniens : quoniam, sicut prius ostensum est, multiplicatio talis esse non potest nisi vel per rarefactionem, vel per novæ materiæ creationem, aut per alicujus conversionem in id quod augetur. Per rarefactionem non est, quia sic corpus humanum jam subtilissimum esset, imo igne subtilius; nec per creationem, quia augmentatio est motus naturalis, et etiam quia secundum theologos, materia tota simul creata est. Ergo tertium restat, quod ipsi negant. art. LXX.

Secunda est opinio, quam Alexander commentator asseruit et quidam sequuntur, quod in re animata et homine est aliquid ex parte materiæ quod nunquam consumitur, in quo principaliter veritas et unitas hominis consistit; aliquid vero consumitur, et pro illo alimentum in carnem convertitur, et ex eodem res ipsa augetur; et hoc sic conversum, secundario et minus principaliter ad veritatem naturæ pertinet. Et permanens illud dicunt per totum diffundi; et ex adjuncto tantum resurget (ut aiunt) quantum ad corporis complementum exigitur; reliquum relinquetur. Et ratio hujus opinionis est, quia in rebus corporeis unitas individualis est ex parte materiæ : quæ si non sit eadem numero manens, saltem in parte, non esset res vere una et eadem ante et postmodum. Verumtamen positio ista non videtur idonea. Nam quum caloris sit naturaliter ut humorem consumat, non videtur quare magis una

Digitized by Google

pars humidi maneat fixa et inconsumpta quam alia.

Unde tertia est positio Averrois, quod nihil signatum maneat idem in nutrito ex parte corporis, sed consumpta una parte, alia advenit et deperditum supplet. Hinc Aristoteles primo de Generatione, transmutationem cibi in alitum comparat adustioni lignorum. Dicit igitur Commentator, quod id quod corporis est, considerari potest dupliciter : vel ex parte materiæ, et sic nil permanet fixum ; vel ex parte speciei et formæ, et sic est idem permanens corpus. Hæc autem positio Aristoteli amplius consonat, et rationabilior videtur.

ARTICULUS CIX.

An semen sit solum superfluum alimenti.

ILLI præterea qui asserunt alimentum non converti in substantiam aliti, etiam dicunt, quod semen non est ex superfluo alimenti, sed de substantia generantis, sic quod tota substantia seminis ex humido sit radicali, ex quo membra primo atque principaliter componi dicunt. Unde secundum istos, quidquid de veritate naturæ humanæ est in filio ex parte corporis, totum erat in patre : imo et in ipso primo parente fuit tota substantia corporis omnium posterorum. Horum autem motivum potissimum est propter traductionem originalis peccati, quod secundum eos traduci non posset, nisi id ipsum quod in prole est, in parente primo et aliis infectum fuisset. Sed hæc positio inepta est : quia secundum Augustinum, peccatum originale in nobis est, non quia in Adam fuimus secundum corpulentam substantiam (alioqui in Christo esset hoc peccatum), sed quia secundum rationem seminalem concupiscentialiter in eo fuimus et ab eo descendimus. Et quidem ratio seminalis, virtus formativa dicitur ; corpulenta vero substantia, materia. Unde qui ex coitu generantur, utroque modo erant in Adam. Christus vero, quia corpus accepit ex Virgine, Spiritu Sancto illud formante, secundum rationem seminalem non erat in Adam, sed secundo modo. Assimilatio ergo in corruptione peccati non est propter identitatem materiæ, sed secundum rationem virtutis activæ. Habet quoque positio hæc alia impossibilia, sicut jam partim in præcedenti articulo patuit.

Ideo alii dicunt, quod semen est simul ex humido radicali et nutrimentali superfluo, et hoc totum erit humidum radicale in filio et de substantia ejus ; et sic aliquid quod est de substantia filii, erat de veritate naturæ patris, avi et proavi, et ita usque ad Adam. Sed non videtur vera positio ista, quoniam secundum eam, esset propagatio hominum per admixtionem, et sic esset semper minus de veritate humanæ naturæ in prole quam in patre : unde jam dudum generatio defecisset.

Est ergo tertia positio Aristotelis, quod semen sit superfluum alimenti, et non resolutum a toto, sed habens dispositionem naturalem ad convenientiam et formam totius : quia scilicet dum ad ultimam digestionem pervenerit, eo vis nutritiva non egens, virtuti generativæ ipsum ministrat. Et hujus positionis ponit Philosophus duas rationes triaque signa quintodecimo de Animalibus. Prima : nam semen non est in corpore accidentaliter, sicut putredo et sanies, sed naturaliter, sicut ceteræ superfluitates. Quod autem naturaliter in corpore est, aut est pars, ut caro et nervus ; aut superfluum, ut lac et urina. Sed semen non est pars organica, quum sit simile in toto et parte ; nec est de partibus consimilibus, quia in constitutionem membri non venit : est igitur alimenti superfluum. Secunda ratio est, quia si semen est de substantia corporis, oportet quod per decisionem corrumpatur, et formam amittat atque virtutem : et sic amitteret naturam et virtutem membrorum unde deciditur : et per con-

Digitized by Google

sequens ex eo generari non posset simile A secundum speciem.

Denique signorum Aristotelis primum est : nam nihil a corpore dissolutum, in corpore habet determinatum locum ; semen vero habet determinatum locum, videlicet vias seminales, et quasi in eadem parte corporis ubi sunt loca aliarum superfluitatum. Secundum signum est, quod nullus alleviatur per emissionem ejus quod est de substantia membri sui : sed per moderatam emissionem seminis alleviatur natura. Tertium est, quoniam ubi est mi- B nus de superfluo alimenti, est minus de semine : unde pueri semen non habent, quia nutrimento multo egent ; et pingues sunt pauci seminis et modicæ generationis, quia superfluum alimenti convertitur in eorum pinguedinem. Si autem esset semen dissolutum, contingeret econtrario.

Quod ergo dicitur, genitum esse ex substantia patris generantis, accipiendum est ideo dictum, quia proles est ex eo quod erat conveniens in substantiam generantis transire. Nam quum sanguis dicatur ali- C quo modo de substantia animalis, multo amplius hoc de semine dici potest, quod ad ulteriorem digestionem perductum est.

ARTICULUS CX.

Quomodo per originem carnis originale peccatum transfundi possit ; et qualiter in omnes pertranseat.

PORRO, sicut primus homo naturam infecit, sic naturæ infectio in personam omnem sequentem redundat. Siquidem D Adam peccante, natura humana in ipso privata est supernaturali dono, et sibi ipsi secundum naturalia sua principia relicta. Ideo, quod ex ea per carnis propaginem nascitur, similem defectum sortitur : nam ultra gradum suum nihil agit ; et ideo genitus ab eo in quo natura redintegrata non est, per virtutem seminalem, necessario habet originalis justitiæ carentiam. Et hic defectus rationem culpæ habet propter voluntatem primi peccantis hominis, qui voluntate naturæ peccavit. Nam et justitia illa ei data erat, non ut personæ, sed sicut principio naturæ, ut videlicet simul cum traductione naturæ in prolem diffunderetur. Unde nunc defectus justitiæ naturaliter naturam propagatam consequitur, quia in potestate naturæ in primo homine exsistentis erat non prævaricari. Quomodo autem in semine sit originalis culpa, et qualiter ad animam veniat, paulo ante jam patuit. — Sciendum art. CVII. vero, quod libido tripliciter dicitur. Primo, prout est in actu voluntatis illicite aliquid desiderantis : et sic est actuale peccatum. Secundo, prout consistit in delectatione sensualitatis, et præsertim generativæ, ubi semper excedit delectatio : et sic est ex peccato relicta, ex quo inordinationem acquirit. Tertio sumitur quasi habitualiter, pro ipsa nimia inordinatione ex qua inest nobis pronitas inordinate concupiscendi. A prima autem libidine liberatur justus per actum matrimonialem, qui sine omni culpa mortali et veniali esse potest. Ideo per istam non transmittitur peccatum originale in posteros ; nec per secundam : quia licet per miraculum illa a concubitu aliquorum auferretur, nihilo minus nati in peccato gignerentur. Igitur tertia libido est originalis peccati culpa. Generans enim generat sibi simile in natura : quum ergo hæc sit conditio naturæ peccato infectæ, ut inordinationem virium habeat, ideo in sobole compar conditio remanet. Quod si fervor coitus dicatur causa originalis peccati, intelligendum est illud, non quod sit vere causa, sed quia est signum hujus peccati.

Denique, quum ad originale peccatum duo concurrant, videlicet defectus iste principia naturæ concomitans, et quod in potestate naturæ erat ut hoc defectu careret ; ideo omnes qui per rationem seminalem ab Adam gignuntur, in hoc defectu nascuntur. Ut enim sine peccato quis nasceretur secundum virtutem formativam ab alio, oporteret naturam perfecte esse redintegratam in generante : alioqui

Digitized by Google

pars humidi maneat fixa et inconsumpta quam alia.

Unde tertia est positio Averrois, quod nihil signatum maneat idem in nutrito ex parte corporis, sed consumpta una parte, alia advenit et deperditum supplet. Hinc Aristoteles primo de Generatione, transmutationem cibi in alitum comparat adustioni lignorum. Dicit igitur Commentator, quod id quod corporis est, considerari potest dupliciter : vel ex parte materiæ, et sic nil permanet fixum ; vel ex parte speciei et formæ, et sic est idem permanens corpus. Hæc autem positio Aristoteli amplius consonat, et rationabilior videtur.

ARTICULUS CIX.

An semen sit solum superfluum alimenti.

ILLI præterea qui asserunt alimentum non converti in substantiam aliti, etiam dicunt, quod semen non est ex superfluo alimenti, sed de substantia generantis, sic quod tota substantia seminis ex humido sit radicali, ex quo membra primo atque principaliter componi dicunt. Unde secundum istos, quidquid de veritate naturæ humanæ est in filio ex parte corporis, totum erat in patre : imo et in ipso primo parente fuit tota substantia corporis omnium posterorum. Horum autem motivum potissimum est propter traductionem originalis peccati, quod secundum eos traduci non posset, nisi id ipsum quod in prole est, in parente primo et aliis infectum fuisset. Sed hæc positio inepta est : quia secundum Augustinum, peccatum originale in nobis est, non quia in Adam fuimus secundum corpulentam substantiam (alioqui in Christo esset hoc peccatum), sed quia secundum rationem seminalem concupiscentialiter in eo fuimus et ab eo descendimus. Et quidem ratio seminalis, virtus formativa dicitur ; corpulenta vero substantia, materia. Unde qui ex coitu generantur, utroque modo erant in Adam. Christus vero, quia corpus accepit ex Virgine, Spiritu Sancto illud formante, secundum rationem seminalem non erat in Adam, sed secundo modo. Assimilatio ergo in corruptione peccati non est propter identitatem materiæ, sed secundum rationem virtutis activæ. Habet quoque positio hæc alia impossibilia, sicut jam partim in præcedenti articulo patuit.

Ideo alii dicunt, quod semen est simul ex humido radicali et nutrimentali superfluo, et hoc totum erit humidum radicale in filio et de substantia ejus ; et sic aliquid quod est de substantia filii, erat de veritate naturæ patris, avi et proavi, et ita usque ad Adam. Sed non videtur vera positio ista, quoniam secundum eam, esset propagatio hominum per admixtionem, et sic esset semper minus de veritate humanæ naturæ in prole quam in patre : unde jam dudum generatio defecisset.

Est ergo tertia positio Aristotelis, quod semen sit superfluum alimenti, et non resolutum a toto, sed habens dispositionem naturalem ad convenientiam et formam totius : quia scilicet dum ad ultimam digestionem pervenerit, eo vis nutritiva non egens, virtuti generativæ ipsum ministrat. Et hujus positionis ponit Philosophus duas rationes triaque signa quintodecimo de Animalibus. Prima : nam semen non est in corpore accidentaliter, sicut putredo et sanies, sed naturaliter, sicut ceteræ superfluitates. Quod autem naturaliter in corpore est, aut est pars, ut caro et nervus ; aut superfluum, ut lac et urina. Sed semen non est pars organica, quum sit simile in toto et parte ; nec est de partibus consimilibus, quia in constitutionem membri non venit : est igitur alimenti superfluum. Secunda ratio est, quia si semen est de substantia corporis, oportet quod per decisionem corrumpatur, et formam amittat atque virtutem : et sic amitteret naturam et virtutem membrorum unde deciditur : et per con-

Digitized by Google

sequens ex eo generari non posset simile secundum speciem.

Denique signorum Aristotelis primum est : nam nihil a corpore dissolutum, in corpore habet determinatum locum ; semen vero habet determinatum locum, videlicet vias seminales, et quasi in eadem parte corporis ubi sunt loca aliarum superfluitatum. Secundum signum est, quod nullus alleviatur per emissionem ejus quod est de substantia membri sui : sed per moderatam emissionem seminis alleviatur natura. Tertium est, quoniam ubi est minus de superfluo alimenti, est minus de semine : unde pueri semen non habent, quia nutrimento multo egent ; et pingues sunt pauci seminis et modicæ generationis, quia superfluum alimenti convertitur in eorum pinguedinem. Si autem esset semen dissolutum, contingeret econtrario.

Quod ergo dicitur, genitum esse ex substantia patris generantis, accipiendum est ideo dictum, quia proles est ex eo quod erat conveniens in substantiam generantis transire. Nam quum sanguis dicatur aliquo modo de substantia animalis, multo amplius hoc de semine dici potest, quod ad ulteriorem digestionem perductum est.

ARTICULUS CX.

Quomodo per originem carnis originale peccatum transfundi possit ; et qualiter in omnes pertranseat.

PORRO, sicut primus homo naturam infecit, sic naturæ infectio in personam omnem sequentem redundat. Siquidem Adam peccante, natura humana in ipso privata est supernaturali dono, et sibi ipsi secundum naturalia sua principia relicta. Ideo, quod ex ea per carnis propaginem nascitur, similem defectum sortitur : nam ultra gradum suum nihil agit ; et ideo genitus ab eo in quo natura redintegrata non est, per virtutem seminalem, necessario habet originalis justitiæ carentiam. Et hic defectus rationem culpæ habet propter voluntatem primi peccantis hominis, qui voluntate naturæ peccavit. Nam et justitia illa ei data erat, non ut personæ, sed sicut principio naturæ, ut videlicet simul cum traductione naturæ in prolem diffunderetur. Unde nunc defectus justitiæ naturaliter naturam propagatam consequitur, quia in potestate naturæ in primo homine exsistentis erat non prævaricari. Quomodo autem in semine sit originalis culpa, et qualiter ad animam veniat, paulo ante jam patuit. — Sciendum art. CVII. vero, quod libido tripliciter dicitur. Primo, prout est in actu voluntatis illicite aliquid desiderantis : et sic est actuale peccatum. Secundo, prout consistit in delectatione sensualitatis, et præsertim generativæ, ubi semper excedit delectatio : et sic est ex peccato relicta, ex quo inordinationem acquirit. Tertio sumitur quasi habitualiter, pro ipsa nimia inordinatione ex qua inest nobis pronitas inordinate concupiscendi. A prima autem libidine liberatur justus per actum matrimonialem, qui sine omni culpa mortali et veniali esse potest. Ideo per istam non transmittitur peccatum originale in posteros ; nec per secundam : quia licet per miraculum illa a concubitu aliquorum auferretur, nihilo minus nati in peccato gignerentur. Igitur tertia libido est originalis peccati culpa. Generans enim generat sibi simile in natura : quum ergo hæc sit conditio naturæ peccato infectæ, ut inordinationem virium habeat, ideo in sobole compar conditio remanet. Quod si fervor coitus dicatur causa originalis peccati, intelligendum est illud, non quod sit vere causa, sed quia est signum hujus peccati.

Denique, quum ad originale peccatum duo concurrant, videlicet defectus iste principia naturæ concomitans, et quod in potestate naturæ erat ut hoc defectu careret ; ideo omnes qui per rationem seminalem ab Adam gignuntur, in hoc defectu nascuntur. Ut enim sine peccato quis nasceretur secundum virtutem formativam ab alio, oporteret naturam perfecte esse redintegratam in generante : alioqui

Digitized by Google

gigneret tale, quale ipsum est. Licet autem natura in præsenti vita redintegretur per gratiam in quibusdam quoad id quod personæ est, tamen secundum ea quæ ad naturæ integritatem pertinent, non nisi in futura vita reparanda est in Beatis. — Præterea, licet per passionem Christi et sacramenta Ecclesiæ, reddita sint nobis quæ in Adam perdidimus, non tamen omnia in præsenti vita consequimur, sed quædam nunc, scilicet gratiam; quædam in patria, videlicet immortalitatem et alia. Unde licet generans per Baptismum ab originali purgetur, tamen in prolem ab ipso transfunditur : quia purgatio hominis in Baptismo ordinatur ad id quod personæ est, et ad actus personales; non autem purgatur quantum ad id quod naturæ est, et quoad actus naturæ. Ideoque per generationem, quæ est actus naturæ, originalis infectio transfunditur, licet in generante non maneat quoad reatum. — Si autem Deus per miraculum hominem modo ex digito conderet, essent quidem in eo defectus qui in aliis sunt, non tamen secundum quod culpabiles sunt, sed in quantum naturales. — Insuper dici solet, quod si mulier peccasset non peccante viro, illa forsan in peccato suo obisset, et aliam Deus viro fecisset; vel si ex ea prolem genuisset, illa corporales defectus habuisset, scilicet passibilitatem, etc., non autem defectus qui ex parte animæ sunt. Si autem vir peccasset sine femina, omnes nihilo minus defectus posteri haberent, quia ex defectu animæ, corporis causantur defectus. Ratio autem hujus est : nam in generatione vir habet se active, mulier passive præbensque materiam.

ARTICULUS CXI.

De subjecto originalis peccati; et cur virtus generativa magis dicatur infecta.

DENIQUE, sicut gratia est immediate in essentia animæ, sic et originalis culpa. Anima quippe unitur corpori sine vinculo intermedio, sicut omnis actus intrinsecus suæ potentiæ, secundum Philosophum octavo Metaphysicæ. Quoniam ergo ex unione animæ ad corpus contrahit ipsa originale peccatum, constat quod illud immediate respicit essentiam animæ, et ex consequenti potentias. Verumtamen secundum materiale quod in peccato isto est, scilicet concupiscentiam vel fomitem, est magis in inferioribus animæ viribus; secundum formale autem, scilicet deordinationem, est præsertim in superioribus viribus. Ideoque per originale peccatum omnes potentiæ inficiuntur. Omne vero peccatum, etiam originale, est in voluntate sicut in causa, non tamen semper ut in subjecto.

Præterea tribus attribuitur originale peccatum, scilicet : generativæ inter partes animæ, tactui autem inter potentias sensitivas, concupiscibili vero sicut operativæ virtuti, quia ista tria præcipuum ordinem habent ad actum quo natura traducitur : quia delectatio consistit in tactu, substantia actus in generativa, concupiscibilis quoque imperat motum. Et licet generativa pertineat ad vegetativam partem, quæ secundum se rationi non obedit, potest tamen in ea esse ista infectio materialiter, et sicut in eo in quo fortius sentitur resistentia carnis contra rationem, et sicut in primordiali quodammodo causa infectionis originalis, quæ per generativam diffunditur. Unde est in ea immediate, et in sensitiva parte mediate, in quantum disponit et ordinat actum generativæ. Infectio quoque fomitis principaliter in sensualitate ostenditur, secundum quod infectio naturæ redundat in infectionem personæ quoad actus particulares. — Adscribitur autem generativæ originale peccatum, secundum quod est principium actus naturalis quo natura propagatur; et actuale, prout habet exteriores actus ad generationem ordinatos, ad vim motivam ac sensitivam pertinentes. Et quoniam vis nutritiva etiam quosdam tales actus habet, et delectationem

Digitized by Google

sentit, ideo ei attribuitur etiam actualis infectio quasi materialiter, non autem originalis, quia non est principium naturalis propaginis. Augmentativæ vero nulla infectio convenit.

ARTICULUS CXII.

Qualiter per Baptismum originale peccatum tollatur; et de pœna quæ remanet; et quomodo fomes in uno major exsistat quam in altero.

DE remissione autem originalis peccati, proportionaliter loqui oportet sicut de remissione actualis peccati. Actus vero peccati duo inducit. Nam ratione aversionis a Deo, aufert gratiam; ratione autem conversionis ad caduca, fit dispositio in peccante ad simile malum. Et quoniam sponte gratia privatur, juste reatum pœnæ incurrit. Dum vero gratia restituitur, tunc simul macula tollitur, quæ in defectu gratiæ est, et obligatio ad pœnam, quæ reatus vocatur. Sed dispositio inducta non mox aufertur, sed minuitur : quoniam gratia ad bonum inclinat. Postea quoque per habitum virtutis dispositio prava corrumpitur. Conformiter ex propagatione carnis relinquitur in natura generati dispositio inclinans ad malum, quæ fomes vel concupiscentia dicitur : quæ attingens personam, reddit eam gratia Dei indignam. Unde relinquitur macula defectus gratiæ in anima, et reatus, ut scilicet præmio careat quod gratiæ debebatur. Porro gratia quæ in Baptismo donatur, infectionem a natura in personam devolutam tollit, scilicet maculam culpæ, et per consequens reatum, non tamen dispositionem ad malum, videlicet fomitem; sed minuit eam, quia gratia ad oppositum inclinat. — Denique, in originali justitia erat aliquid sicut formale, scilicet rectitudo voluntatis : et secundum hoc opponitur ei deformitas culpæ. Erat quoque in ea aliquid quasi materiale, videlicet ordo rectitudinis impressus inferioribus viribus : et quoad hoc opponitur ei fomes. Licet ergo non reddatur homini in Baptismo originalis justitia quoad illud materiale, tamen rectitudo voluntatis per gratiam reparatur : et sic id quod culpæ est tollit, licet aliquid pœnale permaneat. — Sciendum autem, quod in actuali peccato materiale, scilicet actus, est causa formalis ejus quod in ipso est, scilicet maculæ actualis. Licet vero in peccato originali fomes materialiter se habeat ad originalem maculam, non est tamen causa ejus in eodem subjecto : ideoque manente fomite, transeunt reatus et macula. Sed in peccato actuali non potest tolli macula actu manente.

Præterea, quum originale peccatum sit primo infectio naturæ, et deinde personæ, duplex ei pœna debetur. Una, in quantum est personæ, scilicet carentia visionis divinæ (actus enim est suppositi) : et hanc aufert Baptisma, cujus gratia ordinatur ad purgationem culpæ prout personam respicit. Alia vero pœna debetur originali peccato prout respicit naturam quam inficit, videlicet necessitas moriendi, rebellio carnis, et cetera quæ principia speciei consequuntur, et in omnibus sunt, nisi per miraculum auferantur : et istam non aufert Baptismatis gratia, sed aufert eam donum gloriæ, quando videlicet in futuro statu natura in perfectam libertatem ac integritatem redibit.

Insuper de intensione et remissione fomitis intuendum, quod quum fomes immediate naturam respiciat, par oportet esse judicium de intensione fomitis atque naturæ. Natura autem dupliciter consideratur, videlicet : secundum essentialia et specifica sua principia, seu secundum rationem speciei, et sic æqualiter omnibus individuis inest; vel secundum quod perfectio naturæ redundat in individuum, quoad ea ex quibus sequuntur et causantur operationes individuorum : et sic secundum diversitatem complexionum, est unus homo potentior alio in operando et intelligendo, etc. Si itaque consideretur

Digitized by Google

fomes absolute, prout naturam respicit, sic omnibus æqualiter inest. Nam subtractio illius rectitudinis quæ omnes animæ vires ordinabat sub se invicem et sub Deo, omnibus uniformiter convenit. Si autem consideretur fomes prout in personam redundat, in quantum potentiæ sua rectitudine destitutæ inordinate inclinant ad delectationes impuras; sic est in uno corruptio fomitis major quam in alio, secundum quod unus est proclivior alio ad aliqua vitia, ex natura aut consuetudine.

art. cx. — Dictum est autem, quod causa fomitis in prole non est delectatio concubitus parentum, sed habitualis concupiscentia, quæ ex voluntate primi parentis rationem culpæ sortitur.

ARTICULUS CXIII.

An originalis infectio sit a Deo; et quomodo deceat divinam sapientiam animam corpori infecto unire; et de æqualitate animarum.

IN originali vero infectione est considerare aliquid culpabile, in quantum videlicet defectus ille aliquo modo voluntarius est: et sic non est a Deo. Est quoque in ea aliquid per modum pœnæ, in quantum est defectus a quadam perfectione: et sic est a Deo, qui gratiam juste abstraxit, et naturam sibi ipsi reliquit. Est autem duplex pœna: quædam quæ consistit in inflictione contrarii agentis, sicut pœna sensus; et hujus est Deus causa activa. Alia vero est in sola ablatione et defectu quodam, quemadmodum remotio gratiæ, et infectio ista: et harum pœnarum est Deus causa, non activa, sed quia non influit quod potest. Et sic est Deus causa originalis infectionis, in quantum non dat nobis originalem justitiam quam contulit Adæ. — Si autem quis instet, quia

Sent. II, dist. III F. (secundum Magistrum) si angelus in primo instanti creationis suæ malus fuisset, sequeretur Deum esse auctorem ejus malitiæ. Quum ergo anima infundendo creetur, et maculetur in primo instanti sui esse, est mala. Ergo a Deo esset mala. Respondendum, quod non est simile: quoniam angelus simplex est, et non est receptus in alio per quod maculam trahat; anima vero propter corruptionem carnis quam informat, fit peccato obnoxia. — Denique, licet infusio et creatio animæ simul sint, differunt tamen. Nam creatio dicitur per respectum principii a quo est anima; infusio autem dicit respectum tam principii a quo, quam termini, scilicet materiæ quam perficit. Si ergo dicatur anima maculari creatione, falsum est, si ille ablativus designet causam; si vero importat concomitantiam, sic vera est, quia dum creatur, maculatur. Sic etiam infusione maculatur per concomitantiam, si infusio consideretur ratione principii a quo; si autem dicat respectum ad id cui infunditur, tunc infusio est causa peccati.

Præterea, quum ad divinam sapientiam spectet magis bonum commune procurare quam bonum privatum, non debuit omittere hominum genus multiplicare propter peccatum: sic enim ordini universi multum derogaretur, et subtraherentur multa bona. Rursus, prius non aufertur propter posterius: et ergo non debuit naturalis bonitas humanæ naturæ dimitti propter amissionem gratiæ et eorum quæ secuta sunt. Unde melius est hominem naturalem Dei bonitatem participare quam omnino non esse: præsertim quum provisum sit homini quomodo redire possit ad perditam gratiam. — Insuper advertendum, quod pœna inferni est duplex. Una, quæ aufert et impedit ea quæ ad perfectionem naturalem exiguntur: et hæc debetur actuali peccato. Alia vero est pœna nil eorum corrumpens quæ homini secundum naturalia sua debentur, sed tollens aliquid quod propriam naturam hominis excedit, scilicet Dei visionem: et hæc juste debetur originali peccato.

Porro Magister dicit, quod sicut in angelis assignatur differentia, sic et in anima- Sent. II, dist. XXXII I.

Digitized by Google

bus humanis. Sed hoc videtur favere eis qui dicunt angelum et animam ex materia et forma compositos, et esse plures angelos unius speciei. Quæ quia ante destructa sunt, dicendum est, quod omnes animæ sunt unius speciei, et non differunt essentiali differentia, sed secundum dispositionem materiæ per quam individuantur et multiplicantur. Quo enim fuerit corpus melius complexionatum, eo nobiliorem animam sortitur. Unde dicit Philosophus, molles carne, aptos mente. — At vero, duplex est materiæ diversitas, scilicet : partium specie differentium, ut manus, pedis, capitis ; et hæc, secundum Averroem, est a forma, quæ utique requirit sibi proportionatam materiam. Alia est diversitas materialis tantum, non ad speciem, sed ad individuum pertinens ; et illa redundat ex corpore in animam.

art. XVI, XIX.

ARTICULUS CXIV.

Utrum a proximis parentibus proles maculam contrahat, aut propter eorum culpam pœnam incurrat ; et de unitate originalis peccati.

DENIQUE, nullum defectum oportet a parentibus in prolem traduci, præsertim qui ex parte animæ sit, nisi qui ad naturam pertinet. Hunc autem defectum originale peccatum induxit. Nam per ipsum discontinuata et intercisa est adhæsio mentis cum Deo : ex cujus interruptione facta est inferiorum disturbatio virium. Ex aliis autem peccatis actualibus causantur defectus et corruptiones personam respicientes, in quantum peccator efficitur ad peccandum pronior. Ideoque actualia proximorum parentum peccata nullo modo in filios transeunt.

Sciendum est insuper, quod filius considerari potest dupliciter : primo ut quædam persona ; secundo ut res quædam patris : quia secundum Philosophum, ad felicitatem civilem inter alia bona fortunæ quæ organice conferunt, etiam filius confert. Est autem filius res patris secundum corpus, quod ab ipso contraxit, et secundum res temporales, de quibus filius patrem juvare tenetur. Secundum animam vero est res Dei. Unde Ezechiel ait : Sicut anima patris mea est, sic et anima filii. Duplex quoque pœna consequitur peccatum. Una quoad animam, scilicet amissio gratiæ et turbatio conscientiæ in præsenti, et in futuro pœna inferni : et talem pœnam nunquam sustinet filius pro parente *. Alia pœna est peccati quasi per accidens : quæ etiam non semper infligitur, sed secundum moderamen divinæ providentiæ, ut corporales infirmitates et aliæ pœnæ temporales ; et quoad has, redundat quandoque culpa parentum in filios, nisi forte filius sit peccato patris dissentiens et bene vivens. Et de hac loquitur scriptura quæ ait, Ego Dominus zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios : quia hoc dictum est de pœna temporali, et de filiis qui patrem saltem per consensum aut realiter imitantur. Et quidem in filio patrem in malo sequente, duplex est ratio pœnæ : tum quia patrem sequitur ; tum quia res patris est. Unde quandoque magis punitur quam pater. Nec istud est mirum, quia secundum humanam justitiam, quandoque animalia occiduntur et domus effodiuntur propter peccata dominorum. — Denique, et populus, quum sit res quædam regis, interdum pro peccato regis punitur, quemadmodum de David et Israele scriptum est ; tamen, ut Gregorius asserit, tunc id potissime accidit, dum populus meretur ut regem malum habeat, vel qui in peccatum labi relinquatur : et sic etiam pro propria culpa populus punitur. — Verumtamen secundum legem humanam, non punitur filius pro patre in bonis quæ jam a patre accepit, sed quæ accepturus esset, sive quoad corpus, sive in possessionibus. Non enim pro peccato patris filius natus truncatur, vel emancipatus exheredatur ; sed accidentaliter pœna patris redundat in filium : quia quod patri aufertur, filius

Ezech. XVIII, 4.

* parentis peccato

Exod. XX, 5.

II *Reg.* XXIV.

Digitized by Google

haberet si pater non peccasset, ut hereditatem, vel etiam membrum, quoniam ex truncatis nascuntur truncati.

Contemplandum præterea, quod quum originale peccatum sit privatio primordialis justitiæ, quæ omnes vires in Deum reduxit, et sibi invicem coordinavit; ideo originale peccatum est unum dumtaxat, et respicit essentiam animæ, et per ipsum omnes vires deordinatæ sunt. Unde Anselmus dicit, quod originale peccatum est pronitas ad omne malum. In pluribus autem numero differt. Est etiam virtualiter multa peccata, in quantum ex eo actualia peccata causantur. Propterea Sancti quandoque ipsum pluraliter designant. Et quia secundum se unum est, ideo correspondet ei directe una pœna, scilicet carentia visionis divinæ; et ceteræ pœnæ quasi per accidens consequuntur ipsum, quia aversa mente a Deo, justum erat corpus et sensus non obedire menti.

ARTICULUS CXV.

De pœna originalis peccati; et an pueri non baptizati spiritualem patiantur dolorem de amissione vitæ æternæ.

EST autem pœna correspondens culpæ. Originale vero peccatum non est per subtractionem alicujus quod homini naturaliter debetur, sed est carentia supernaturalis doni, per quod ordinatus est homo ad consequendum vitam æternam. Originalis enim justitia erat naturam ad supernaturalem finem, scilicet Dei visionem, perducens. Ideo originali peccato nulla alia pœna debetur post hanc vitam nisi pœna damni, videlicet carentia visionis beatæ. Præterea, acerbitas pœnæ sensibilis, delectationi peccati respondet. In originali autem peccato non est delectatio, quia nec operatio, sine qua esse non valet delectatio. Item, pœna sensibilis pertinet ad ipsam personam. Originale autem peccatum est directe culpa naturæ. Unde sicut peccatum non est per suam operationem, sic nec pœna esse debet per suam passionem, sed per subtractionem illius quod naturam excedit, ad quod originalis justitia provexit. In bonitatibus itaque naturalibus nullum detrimentum habebunt propter originale peccatum. Nam et originale peccatum, sicut minimum habet de voluntario, sic minime participat rationem peccati. — Porro corpora puerorum post resurrectionem impassibilia erunt, non simpliciter, sicut corpora Beatorum, neque propter intrinsecam impotentiam patiendi, sed propter defectum exterioris agentis in ea : omnis enim naturalis actio, maxime corruptiva, cessabit post diem judicii, cessante motu cœli; sed aget unum corpus in aliud, solum secundum ordinem divinæ justitiæ. Quod ergo ait Augustinus, pueros non baptizatos æterno supplicio puniendos, de pœna damni intelligi par est.

Præterea, quia secundum hæc, dolor sensibilis correspondet delectationi, quæ in peccato originali nulla est; ideo oportet quod nullus dolor insit pueris non baptizatis post hanc vitam de privatione veræ felicitatis, nec exterior neque interior. Habebunt autem perfectam cognitionem eorum quæ naturali agnitione scire possunt. Unde cognoscent se visione Dei privatos; causam quoque hujus privationis dignoscent : non tamen dolebunt. Nullus enim rectæ rationis dolet se id non habere ad quod proportionatus non est : sicut non dolet homo quia volare non potest; vel rusticus, quod imperator non est. Pueri vero sine Baptismo defuncti, nullam unquam proportionem sortiti sunt acquirendi vitam æternam, quia naturaliter eis non convenit, nec usum liberi arbitrii habuerunt, ut propriis actibus mererentur: ideoque de ejus amissione nihil dolebunt. Denique, in pueris illis est recta ratio, quia peccato non erit obliquata, nec onere carnis gravata. Sed recta ratio non sinit quempiam turbari de hoc quod ipse vitare non potuit. Et ex hoc Seneca probat, quod in sapientem turbatio cadere ne-

Digitized by Google

quit. Pueri vero pœnam hanc damni nullo modo vitare valebant : non ergo turbabuntur de ea. Imo gaudebunt, quoniam de naturali Dei bonitate multum participabunt, et naturali amore diligent eum. Nec dolebunt quod per alios ad Baptismum non pervenerunt : sicut nec pueri baptizati, de hoc quod multa dona non perceperunt quæ aliis multis ipsis similibus concessa sunt. Hoc quippe ad superexcellentem gratiam pertinet, sine actu proprio præmiari. Unde nec vermem conscientiæ habent, nec desperatio cadit in eos. Vellent tamen esse cum Deo si possibile foret per gratiam, a quo secundum naturam separati non sunt.

ARTICULUS CXVI.

Quomodo malum dicatur esse, quum tamen non sit aliqua vera natura.

DIVIDIT denique Aristoteles quinto Metaphysicæ ens, in ens reale extra animam, quod dividitur in decem prædicamenta, et ens rationis quod significat veritatem propositionis : secundum quod affirmatio dicitur vera, quæ signat esse quod est ; et negatio, dum significat non esse quod non est. Et sic negationes ac privationes dicuntur entia : vere enim dicitur cæcitas esse in oculo. Et sic mala, simpliciter loquendo, conceduntur esse : quia sicut quarto capitulo de Divinis nominibus Dionysius probat, non aliud est malum quam bonum imperfectum. Et si tale bonum non esset, omnia bona essent æqualia, deperiretque pulchritudo universi, quæ ex ordine et gradibus bonitatum resultat ; ordo quoque essentialis causarum cessaret. Denique, si nulla res propria perfectione carere posset, tunc esset in omnibus æqualis in bonitate stabilitas, neque implerentur omnes gradus bonitatis.

Dionysius tamen quarto capitulo de Divinis nominibus asserit, quod malum nec est exsistens, neque in exsistentibus. Et hoc dicit, quia accipit exsistens primo modo. Et sic malum nec est in se, nec in subjecto tanquam aliqua in ipso exsistens essentia, sed est sola privatio boni. Dicit etiam, quod malum plus distat a non exsistente quam ab exsistente : quia videlicet malum, quum non sit simplex negatio boni (alias omnia essent mala), sed negatio cum aptitudine habendi, ideo fundatur in exsistente sicut in subjecto, ut cæcitas in oculo ; sed in non exsistente nullo modo esse potest.

Denique Avicenna in sua Metaphysica utilem tangit divisionem mali. Dupliciter (ait) dicitur malum, scilicet per se et per accidens. Malum per se, est ipsa privatio boni, quæ abstractive malum dicitur : et hæc est duplex. Quædam enim est privatio ejus quod est necessarium ad perfectionem rei in suo primo esse, ut privatio pedis : et talis est in omnibus malum. Alia est privatio alicujus quod est secundaria rei perfectio, ut alicujus scientiæ : et hæc non est mala, nisi in eo qui eam habere deberet propter certam causam. Malum vero per accidens, duplex est, scilicet : subjectum talis privationis, vel causans eamdem. Et utrumque horum est malum concretive sumptum. Subjectum insuper mali quadruplex est, scilicet : actus, habitus, passio, substantia. Dicitur enim actio mala, quæ non est ad debitum finem directa, vel circumstantiis rectis vestita. Et quia ex actu gignitur habitus, ideo ex consequenti habitus mali dicuntur. Passio quoque per quam aliquid in patiente corrumpitur, mala est. Et quia accidens non est subjectum privationis nisi virtute substantiæ, ideo substantia primo subjicitur malis, et mala vocatur ratione alicujus istorum. Si autem est malum per accidens inducens, hoc est duplex : vel ex parte materiæ, sicut est defectus in monstris ; vel ex parte agentis : et hoc est dupliciter. Nam vel agens est animæ conjunctum, sicut gladius secans, et ignis comburens : et inde causatur malum sensus. Vel est

Digitized by Google

agens separatum, impediens influentiam causæ perficientis; et ita nubes malæ dicuntur, quia lumen impediunt : et ex hoc causatur malum damni. Est itaque ordo inter hæc mala : quia per se malum, primo et absolute malum dicitur ; et alia per habitudinem ad illud.

Innotescit itaque, quod malum secundum se non est aliqua natura, nec ens positivum, sed sola privatio. Malum autem concretive dictum, ratione subjecti est aliquid, sed non ex eo quod est malum : quemadmodum oculus cæcus est aliquid non ex eo quod cæcus, sed ratione subjecti cæcitatis. Quod vero mali causa est, licet in se sit aliquid, tamen secundum quod est causa mali, privative dicitur. Nam in eo quod privationem inducit, malum ostenditur : et hoc est verum de privatione privante perfectionem debitam inesse. — Sciendum quoque, quod malum abstractive sumptum opponitur bono privative; si autem consideretur per accidens, prout est in actione et habitu, sic opponitur bono contrarie, ut prodigalitas liberalitati : et sic etiam malum est differentia specifica, non autem primo modo.

Efficaciter denique probat Philosophus quarto Ethicorum, quod nihil possit esse totaliter malum : quia si est aliquid pure malum, oportet in eo corrumpi omne bonum ; et si in eo omne bonum corrumpitur, ergo et esse quod esset subjectum privationis. Sed substantia corrupta privatio desinit esse : ergo nec ipsa nec substantia esset.

ARTICULUS CXVII.

Quod bonum sit causa mali, atque subjectum; et quod malum, totum bonum corrumpere nequeat.

INSUPER, nil agit nisi secundum quod est in actu et perfectum; perfectum est autem unumquodque a forma : ideoque forma est causa agendi. Intentio quoque agentis est assimilare sibi passum, introducendo similitudinem suam in ipsum; et ob id, quod per se ab agente intentum est, bonum est. Defectus autem præter intentionem contingit : et hoc tripliciter. Vel ex parte intenti, quod videlicet non compatitur secum perfectionem quæ sibi contraria est : sicut dum ignis generat ignem ex aere, forma ignis per se intenta est; et quia cum ea forma aeris simul esse non valet, ideo corruptio ejus per accidens est ex parte formæ ignis. Secundo, ex parte recipientis, sicut dum materia indisposita est, ut in monstruoso effectu. Tertio, ex parte instrumenti, quemadmodum propter curvitatem cruris, claudicatio evenit. Quoniam ergo actiones morales non sunt factiones in materiam foris transeuntes, ideo malum culpæ non accidit ratione materiæ, sed ex parte agentis, in peccato mortali, et ex parte instrumenti, videlicet inferiorum virium animæ, quæ sunt quasi instrumenta rationis, in peccatis venialibus, scilicet primis motibus. Quum enim peccatum mortale sit per quod sibi mens finem constituit in alio quam in Deo, ideo mortale peccatum est ex parte rationis deliberate agentis : quia non est possibile ut aliquid habeat duos ultimos fines, sicut nec duas formas substantiales. Unde quum anima alicui creaturæ quasi ultimo fini principaliterque intento inhæret, Deum, qui vere omnium ultimus finis est, deserit; et tamen hujus finis omissio, est præter intentionem voluntatis, quæ aliquid mali sub specie boni appetit, ex quo consequitur aversio ejus a Deo. Et ideo malum non habet causam nisi per accidens, sicque bonum est causa mali. — Et ipsa quidem voluntas, eo ipso quo propter suam libertatem in utrumque flexibilis est, esse potest causa primi mali sine aliquo malo præcedenti; et hoc habet, quia secundum se nihil est atque ex nihilo, et vertibilis in nihil, et inde habet ut deficere possit. Non tamen est agens malum ratione hujus potentiæ, alioqui semper deficeret, sed prout in se ipsa est actu

Digitized by Google

pravitate infecta, quam ex se elicit immediate. Agens vero naturale, quia ex se ad unum determinatur, non potest esse causa inordinati effectus, nisi defectus aliquis in ipso præcedat. — Denique quod aliqui dixerunt, malum ut in pluribus accidere in ipso universo, simpliciter falsum est : quia naturalia, et maxime superiora, raro vel nunquam deficiunt, neque voluntaria secundum quod propria perfectione completa sunt.

Quoniam autem malum est privatio boni cum aptitudine habendi, ideo mali subjectum est illud bonum quod a propria perfectione ac habitu deficere potest, tam in naturalibus quam in voluntariis : et ideo nec in Deo, qui universaliter bonus est, nec in Beatis, qui omnem bonitatem sibi debitam sortiuntur, nec in corporibus cœlestibus malum esse potest. — Quod autem Dionysius dicit, quod malum non est in exsistentibus, ideo dicit quia non est pars constitutiva nec reale aliquid in exsistente. — Non etiam est malum in eo quod sibi opponitur, scilicet in habitu sibi opposito, sed in subjecto quod utriusque capax est. Et ideo licet bonum sit subjectum mali, non sequitur quod unum contrarium sit subjectum alterius : quia nec quodlibet malum opponitur cuilibet bono ; sed determinatum malum determinato bono opponitur.

De Divin. nom. c. IV.

Advertendum est quoque, quod ad rationem privationis tria concurrunt, scilicet : habitus privationi oppositus, subjectum utriusque, et aptitudo seu habilitas ad habitum, quæ est quasi quædam inchoatio habitus : sicut malum culpæ habet animam pro subjecto, et pro habitu opposito gratiam, et animæ quoque inest dispositio naturalis ad gratiam. Itaque malum culpæ gratiam penitus tollit, nihil autem de essentia subjecti, videlicet animæ, aufert ; sed habilitatem diminuit, in quantum eam a gratia magis ac magis elongat. Et quidem diminutio hæc non est per subtractionem partis alicujus. Sicut enim qualitates et formæ non augentur per additionem, sed per intensionem ; sic et ista habilitas per remissionem minuitur. Et hæc quidem elongatio in infinitum protrahi potest ; nunquam tamen totaliter habilitas destruetur, quum sit naturam concomitans : peccatum autem naturalia non tollit, quia et in dæmonibus illa integra permanserunt, secundum Dionysium quarto capitulo de Divinis nominibus. — Porro ista habilitas est medium inter animam et gratiam, quia radicatur in ipsa et perficitur gratia. Unde in quantum accedit ad gratiam, opponitur culpæ et læditur ea ; in quantum vero in ipsa anima fundatur, non opponitur culpæ, sed est subjectum ejus : et ideo manet manente natura.

ARTICULUS CXVIII.

De divisione mali, et definitione peccati.

QUONIAM juxta præhabita, malum est perfectionis privatio, ideo secundum divisionem perfectionis, est divisio mali. Est autem duplex perfectio, scilicet : prima, ut est forma substantialis ; et hujus privatio dicitur malum naturæ. Alia est perfectio secunda, videlicet operatio ; et privatio ejus peccatum dicitur, secundum Philosophum, prout res non consequitur naturalem suum finem. Unde monstrum est peccatum in natura. Sed quoniam bonum et malum speciali modo sunt in rationali natura, secundum Philosophum quinto Metaphysicæ ; ideo malum in his quæ per electionem agunt, superaddit peccato rationem voluntarii, et culpa vocatur. Conformiter, malum naturæ in his quæ finem cognoscunt, specialem sortitur rationem mali, ut dicatur malum pœnæ, in quantum voluntas dissentit defectui. Unde omnis pœna malum naturæ dicitur : quia secundum Augustinum, pœna malum est, quoniam bono naturæ nocet, subtrahendo id quo natura perficitur in suo esse naturali, ut cæcitas, vel in superaddito ipsi esse, sicut est ablatio gra-

Digitized by Google

tiæ. Constat igitur, quod in irrationalibus A pœna non dicitur, quum culpa in eis non sit neque voluntas. Divisio enim mali in malum culpæ et pœnæ, non est divisio mali absolute accepti, sed prout in rationalibus reperitur. — Sciendum est autem, quod aliquid dicitur causa alicujus dupliciter, scilicet : formaliter, sicut albedo est causa esse albi ; et efficienter, et sic dealbans est causa esse albi. Sic etiam privatio vel ademptio boni nocet formaliter, quia est ipsum nocumentum ; culpa vero ratione actus sui effective nocet, B quia gratiam tollit ; et privatio passive dicta, pœna est.

art. cxvi. Præterea, secundum præinducta, ad peccatum duo concurrunt, videlicet ipse actus, et deformitas per quam a debito ordine avertitur. Finis autem rationalis naturæ, quem theologus considerat, est æterna felicitas, ad quem finem nos lex divina dirigit velut instruens, et justitia ut in illum inclinans. Secundum hoc ergo tri-
Sent. II, dist. xxxv A. plex ponitur in littera definitio peccati : quia prima tangit actum peccati in ordine C ad instrumenta quibus exercetur, quum dicitur, Peccatum est factum, vel dictum, vel concupitum contra legem Dei. In secunda tangitur subjectum actus ex parte objecti, quum dicitur, Peccatum est voluntas retinendi vel consequendi quod justitia vetat : et sumitur hic justitia secundum quod est generalis virtus. In tertia vero ponitur id quod est completivum et formale in peccato, scilicet privatio dirigentis in finem, quum dicitur, Peccatum est prævaricatio legis divinæ ; et deordi- D natio a fine, quum additur, Et cœlestium inobedientia mandatorum. Hæ autem definitiones non nisi peccato actuali mortali conveniunt, quia hoc perfecte rationem peccati habet. Peccatum vero veniale deficit a plena ratione peccati, quoniam non penitus a fine deordinat, sed aliquo modo retardat. Peccatum quoque originale plus a ratione peccati distat, quia non consistit in actu ejus qui ipso inficitur, sed cum natura transfunditur.

ARTICULUS CXIX.

An peccatum omissionis sit in aliquo actu consistens ; et qualiter in exteriori actu sit peccatum ; et utrum peccatum corrumpat potentias animæ.

EST autem duplex opinio de peccato omissionis, an oporteat ad ipsum aliquem actum concurrere. Quidam enim dicunt quod sic : vel exteriorem, ut quum quis nimium vigilans, debita hora surgere nequit ; vel interiorem, per quem retardatur a debito opere et expletione præcepti. Hæc tamen positio non videtur idonea. Quum enim voluntas ad utrumque oppositorum libera sit, potest omittere unum absque determinatione sui ad aliud, imo de alio nil cogitans : nam voluntas potest in neutrum oppositorum, sicut Deus nec vult mala fieri, nec vult ea non fieri. Si ergo voluntas sic se habeat, tunc utique peccat, quia non facit quod facere debet. Et illud exemplum de vigilante non est efficax, quia vigilia illa non est per se causa obdormitionis illicitæ, sed per accidens : quia per se non est contraria præcepto. Unde alia opinio aptior est, quæ dicit peccatum omissionis in sola negatione debiti actus consistere. Et quoniam opposita in idem genus reducuntur, ideo sicut actus rationem peccati et culpæ habet in quantum est voluntarius, sic et omissio culpabilis est quia voluntaria. Denique, quoniam habitus et privatio in eodem genere sunt saltem per reductionem, ideo in definitione peccati præinducta, in dicto et facto ac concupito includitur omissio dicti, facti et concupiti. Unde et peccatum omissionis est actuale peccatum, non quasi in actu fundatum, sed quasi ad idem genus reductum. — Præterea, omissio non est peccatum nisi secundum quod sub præcepto affirmativo cadit. Præceptum vero affirmativum obligat semper, sed non ad semper, sed ad determinatum tempus : ideo omissio non est peccatum nisi pro illo

Digitized by Google

tempore ad quod præceptum est obligans. Igitur subjectum peccati omissionis non est operatio, sed ipsa voluntas.

Amplius autem agnoscendum, quod in agentibus ordinatis virtus primi agentis manet in sequentibus, et quod instrumentaliter movetur ab aliquo, imitatur conditionem principalis moventis. Quia igitur voluntas omnium virium animæ motrix est, et actibus totius hominis imperat, conditio voluntatis atque proprietas perseverat et participatur in illis. Nam et intellectus vult intelligere, et irascibilis vult suum actum; et hoc usque ad actus exteriores protenditur, quia vult homo ambulare, loqui, comedere. Quoniam igitur ratio meriti et demeriti a ratione voluntarii oritur, ideo sicut secundario actibus exterioribus convenit ratio voluntarii, sic est in eis ratio culpæ : quæ tamen principalius attribuenda est voluntati, in qua est peccatum quoad suum formale, scilicet deformitatem, et sicut in prima causa. Quidam autem considerantes peccatum solummodo quoad suum formale, dixerunt non nisi in voluntate esse peccatum. Alii vero solum materiale peccati pensantes, quod est actus, asserebant non nisi in exteriori actu fore peccatum.

Insuper intuendum est, quod qualitates ad quas aliquid in potentia est, quandoque indifferenter se habent, et æqualiter perficiunt subjectum, nec una debetur subjecto magis quam alia; et in acquisitione talium non consistit perfectio, nec in amissione earum corruptio : sicut cœlum est in potentia ad diversos situs. Aliæ vero qualitates sic se habent, ut una sit naturalis ac perfectiva subjecti, alia indebita, sicut anima est in potentia ad virtutes et vitia. Dum ergo debitam perfectionem acquirit, perficitur; sed corrumpitur dum indebitæ qualitati subjicitur. Unde (secundum Philosophum septimo Physicorum) acquirens virtutem, non alterari sed perfici dicitur. Sic itaque potentiæ animæ corrumpuntur per vitia, non secundum quod naturales proprietates sunt, neque ut esse amittant, sed quoad perfectiones suas secundas, videlicet secundum ordinem quo ordinatæ sunt in debitum finem, quem propter peccata sortiri non valent. Unde potentiæ, dum ad malum inclinant, licet ad suam corruptionem inclinent, non tamen illam intendunt per se, sed per accidens : per se enim delectationem intendunt, ex qua sequitur in eis corruptio; sicut et æger vicissim appetit nociva, quum tamen sanitatem desideret.

ARTICULUS CXX.

Quod unum peccatum sit causa alterius et pœna peccati; et an passio sit secundum se peccatum.

DENIQUE in triplici genere causæ unum peccatum esse potest causa alterius. Primo, in genere causæ efficientis; et hoc dupliciter : vel per accidens, scilicet ex parte aversionis, quia ratione aversionis peccatum tollit gratiam, quæ prohibet et impedit malum; unde privatio ejus est causa per accidens peccati, sicut removens prohibens. Et sic quodlibet mortale peccatum esse potest cujuslibet causa peccati. Secundo est unum peccatum causa alterius in hoc genere causæ, per se, scilicet ex parte conversionis, in quantum ex actu peccati relinquitur in anima dispositio vel habitus inclinans rursus ad peccandum. Et sic unum peccatum non est causa alterius, nisi sibi secundum speciem similis, ut luxuria luxuriæ. — Secundo est unum peccatum causa alterius in genere causæ finalis, dum scilicet unum peccatum adducit aliud in suum finem : ut dum quis luxuriatur ut ditetur, hic luxuria advocatur in finem avaritiæ. Et ita quoque quodlibet peccatum esse potest causa alterius. Tamen unum magis natum est causare aliud : unde et filia ejus vocatur. — Tertio est unum peccatum causa alterius per modum causæ materialis, quando videlicet actus unius præbet materiam ad aliud : et sic gula est causa luxuriæ, et avaritia, dissensionis et litis.

Digitized by Google

Insuper advertendum, quod contingit idem esse pœnam et culpam, sed non secundum eamdem rationem. Nam in quantum est pœna, est voluntati contraria ; in quantum vero est culpa, est voluntaria. Igitur tripliciter culpa dicitur pœna. Primo ratione effectus, in quantum naturam corrumpit et gratiam tollit. Hoc autem dupliciter accidit. Nam culpa quandoque causat pœnam ratione aversionis, videlicet gratiam auferendo ; interdum ratione conversionis, et hoc dupliciter : quia quædam peccata habent pœnam annexam, ut ira, invidia ; alio modo secundum quod actus peccati non sine labore fit, sicut *Sap.* v, 7. scriptum est : Ambulavimus vias difficiles. — Secundo dicitur peccatum pœna, in quantum est effectus pœnæ, scilicet subtractionis gratiæ : quia gratia juste subtracta, ruit homo in peccatum. Et sic omne auxilium Dei quod peccati impeditivum est, si subtrahatur, ejus subtractio causat peccatum : quod pœna dicitur, quia est effectus pœnæ. Et hæc auxilia quandoque subtrahuntur propter peccatum præcedens, quatenus homo liberius peccet. — Tertio culpa pœna dicitur ratione deformitatis in actu : quia animus inordinatus sibi ipsi pœna est.

Matth. xv, 18 ; *Marc.* vii, 15. Porro, quum scriptum sit, Quæ procedunt ab homine, hæc coinquinant hominem ; non est passio secundum se peccatum in quantum passio, quia non est a patiente in quantum hujusmodi, sed ab aliquo inducitur in patiente. Per accidens tamen potest esse peccatum, secundum quod voluntas inordinate se habet ad eam. Nempe passionum quædam sunt passiones tantum, videlicet passiones corporales, quæ infliguntur ab extrinseco, ut adustio, sectio, vel etiam a principio naturali intrinseco, ut febris. Et harum passionum voluntas est causa, vel libenter sustinens eas propter aliquem finem : propter quod meritum in eis est, si sint decentes ; demeritum quoque, si indecentes sint. Aliæ vero passiones sunt simul passiones et operationes : quemadmodum secundum Philosophum, sentire, est quoddam pati. Et istæ passiones sunt in omnibus viribus animæ, præter intellectum agentem et virtutes motivas organis affixas. Nam et intelligere, quoddam pati est, velle etiam, atque appetere : quoniam potentiæ istæ recipiunt species rerum in se. Et in omnibus his nomen passionis magis proprie dicitur, secundum quod ad transmutationem corporalem amplius accedunt : propter quod inter eas ira et invidia magis passiones dicuntur. In istis autem non est peccatum aliquod, nisi secundum quod voluntas aliquo modo se habet circa eas, vel eas imperando, in quantum operationes sunt, aut eas accipiendo, prout passiones sunt. Nam et motus sensualitatis, secundum præostensa, non est peccatum, art. xci. nisi prout in potestate voluntatis est. — Sciendum autem, quod ira et invidia quandoque nominant vitium, et sic sunt peccata mortalia ; quandoque autem passiones. — Ex his innotescit, quod passio est directe virtuti opposita. Nec pugnat contra rationem tanquam virtuti contraria, sed opponitur medio quod ratio in passione statuit : propter abundantiam enim passionum, a medio receditur, sicut propter causam materialem.

ARTICULUS CXXI.

Utrum omnis pœna pro peccato infligatur ; et de divisione bonorum.

PROINDE nemo punitur nisi quia aliquo quod ei bonum est privatur. Est autem aliquid bonum homini dupliciter, scilicet : secundum naturam communem, in quantum est animal ; vel secundum propriam naturam et rationem qua homo est, scilicet in quantum est rationalis, ad beatitudinem ordinatus. Primo modo, bona exteriora et corporis sunt bona hominis : et ideo horum privatio pœna hominis est ; non tamen semper pro proprio peccato hominis infligitur, quia non sunt bona hominis in quantum est homo. Verum-

Digitized by Google

tamen nisi originali peccato esset natura obnoxia, non eveniret hæc pœna hominibus. Bona vero hominis secundo modo, sunt virtutes et similia dona; et horum defectum, nisi ex propria culpa, nullus sortitur. Sed et sanitas corporis et res exteriores, sunt hoc secundo modo bona hominis, in quantum instrumentaliter atque organice ad virtutem deserviunt; et in horum subtractione secundum quod necessaria sunt et ad virtutem organice deservientia, nemo punitur nisi pro peccato suo. Si vero subtrahantur quoad id quo necessaria non sunt, non est hoc pœna hominis, nec obest, sed prodest, sicut scriptum est : Divitias et paupertatem ne dederis mihi. — Quinque autem de causis, secundum Augustinum, flagellamur : primo, ut justis merita augeantur, ut in Job; secundo, propter custodiam virtutum, ne superbia tentet, sicut in Paulo; tertio, propter correptionem peccati, ut lepra Mariæ; quarto, ad initium pœnæ, ut in Herode, quatenus ostendatur in præsenti quid in futuro sequatur; quinto, propter gloriam Dei, sicut in cæco nato. Itaque, quando quis flagellatur ut ei merita accrescant, non est pœna hominis secundum quod homo; sed secundum animalem naturam pœna est : et quoad id, sequitur originale peccatum. — Unde patet, quod Christus non est passus pœnam quæ ipsi obesset secundum bona rationis, seu pœnam hominis in quantum est homo, sed secundum communem naturam : et hoc propter peccata nostra.

Prov. xxx, 8.

Job xlii, 12.

II *Cor.* xii, 7.

Num. xii, 10.

Act. xii, 23.

Joann. ix, 3.

Præterea, quum actus voluntarius determinetur et specificetur ab objecto, ille actus dicitur bonus ex genere, cujus objectum proportionatum est potentiæ operantis : nam prima determinatio est per formam generis. Sed quia circa idem objectum potest se actus diversimode habere, ideo ultra determinabilis est per debitas circumstantias, et ille erit bonus ex circumstantiis; et tandem informatur ipso habitu virtutis, et sic perfectam bonitatem adeptus, dicitur simpliciter bonus.

ARTICULUS CXXII.

Utrum peccatum sit substantia vel natura quædam; et quod omne ens quod aliquid positivum nominat, sit a Deo.

CONSIDERANDUM quod substantia, sicut quinto Primæ philosophiæ dicitur, dupliciter accipi potest. Primo, prout nominat primum prædicamentum. Secundo, juxta quod nominat aliquid in re : et sic dicitur definitio significare substantiam rei. Et ita quidquid entitatem veram habet in quoque genere, substantia dicitur vel habens substantiam. Quoniam ergo in peccato sunt duo, scilicet actus, et recessus a rectitudine seu deformitas, quod est privatio boni et formale peccati : constat quod peccatum ratione actus est substantia secundo modo accepta; ratione autem deformitatis nihil est, nec substantia, nec accidens. Denique, secundum Boetium, natura multis modis dicitur. Primo dicitur natura omne quod intellectu accipi potest : et sic communiter se ad omnia entia habet. Secundo, prout in substantiis invenitur : et ita omne quod agere et pati potest, natura vocatur. Tertio dicitur natura prout est principium motus et quietis ejus in quo est per se, et non secundum accidens. Quarto natura dicitur unumquodque informans specifica differentia. Peccatum ergo ratione actus, natura dici potest primo et quarto modo, non autem secundo et tertio modo. — Dicit autem Augustinus, quod peccatum est privatio modi, speciei et ordinis : quia videlicet per peccatum privatur actus forma qua in specie moris bonus esset; non tamen privatur simpliciter forma essendi, imo per differentiam quamdam terminatur ad speciem. Sed quoad formale, peccatum nullo modo natura est, nec ens vel res, nisi secundum quod privationes et negationes entia dicuntur.

Omne itaque quod aliquod reale esse habet vel essentiam aliquam, a Deo est. — Sed quis dicet, Aliquem peccare, et de-

Digitized by Google

formitatem peccati esse, est verum : ergo hoc esset a Deo; quod non videtur. Respondendum, quod verum et ens uno modo dicuntur prout in rebus fundantur; secundo, prout in intellectu cadere possunt : et sic verum consistit in compositione et divisione intellectus. Primo igitur modo, aliquem peccare, vel deformitatem peccati esse, non est verum nec ens, imo est recessus a veritate atque essentia. Sed secundo modo verum est aliquem peccare, et etiam ens, quia illa rectitudo qua significatur sic esse sicut in re est, est in ratione, et ipsa utique rectitudo a Deo est; sed illa non est peccatum : et quantum est in peccato de entitate, tantum est ibi de participatione similitudinis divinæ. — Item quæritur quomodo idolum nihil sit si a Deo est. Et dicendum, quod forma hominis in idolo dupliciter considerari potest : vel in quantum est figura quædam, et sic est a Deo; vel secundum quod ordinata est ad id quod indecens atque inconveniens est, utputa quatenus adoretur, et sic nec a Deo est, nec aliquid est.

ARTICULUS CXXIII.

Utrum Deus sit causa actus mali.

JUXTA præinducta, duo sunt in peccato : unum quasi materiale, videlicet actus; et aliud tanquam formale, scilicet deformitas. Et quidem, quod hujus deformitatis Deus causa non sit, palam est.

An vero sit causa actus in quo fundatur obliquitas, duplex exstat opinio. Una asserit, quod actus mali seu peccaminosi nullo modo a Deo sunt, nec in quantum actus, nec in quantum vitiosi. Et hanc positionem modo pauci vel nulli defendunt, quoniam duplicem errorem illabitur. Nam primo ex ea videtur quod sint plura prima principia, scilicet Deus et voluntas : quia si voluntas sine influentia atque auxilio primi agentis agere valet, tunc erit primum agens. Hoc tamen solvere conantes, dicunt quod ad rationem primi principii non sufficit quod sine Dei causalitate agere queat, sed quod esse a se ipso habeat. Quum ergo voluntas non sit nisi a Deo, non sequitur quod sit primum agens. Sed ista solutio inefficax est. Quum enim agere procedat ab esse, id cujus essentia est ab alio, non potest a se habere potentiam et actionem. Rursus, et si secundum responsionem hanc sequatur quod voluntas non sit primum ens, non tamen vitatur quin sit primum agens, quum actio ejus non reducatur in agens aliud sicut in causam. — Præterea, quum actus peccati sit vera et positiva essentia, si Deus non est causa ipsius, non utique esset universalis causa omnium rerum : quod est contra perfectionem primi principii, quia in ordine omni, primum est omnium sequentium causa.

Ideoque cum alia opinione tenendum, quod actus peccatorum in quantum actus sunt, a Deo sint. Semper namque dum in effectu incidit defectus ex causa secunda et non ex prima causa, id quod defectionis est, causæ secundæ oportet adscribere; quod vero perfectionis est, causæ primæ : quemadmodum in claudicatione id quod motionis est, a virtute gressiva procedit, defectus vero ambulationis curvitati tibiæ attribuendus est. Quia igitur ordo Dei ad voluntatem est sicut causæ primæ ad causam secundam, quæ deficere potest, quidquid in effectu causæ secundæ, scilicet voluntatis, est bonitatis et actus sive essentiæ, hoc omnino est a Deo; quod autem imperfectionis et obliquitatis est, a voluntate est, quæ secundum quod ex nihilo est, semper ad defectum proclivis est, nisi confirmetur per gratiam. Constat ergo, quod simpliciter dici non potest quod Deus sit causa peccati, ut homicidii, furti; sed cum additione nil prohibet, ut si dicatur causa peccati in quantum est actus. Præterea, quod non est causa operationis per quam substantia in esse producitur, non est causa substantiæ talis. Quum ergo per fornicationem et adulteria plures gi-

Digitized by Google

gnantur, non esset causa eorum Deus, si non esset causa illarum actionum (secundum quod operationes sunt) per quas illi generantur, scilicet fornicationis, etc.

ARTICULUS CXXIV.

Quod Deus sit causa pœnæ; et quod malum per prius dicatur de culpa quam de pœna.

RATIO insuper pœnæ duo complectitur, scilicet : justam et ordinatam remunerationem culpæ, et defectum, secundum quod privat patientem aliquo bono. Unde quidam, inter quos Tullius est, attendentes pœnam tantummodo in quantum malum quoddam est et privatio boni, asseruerunt pœnas non esse a Deo. Sed ordinem pœnæ respectu culpæ, attribuebant homini pœnam juste infligenti; defectum vero qui in pœna accidit, non esse a Deo ordinatum, sed ex necessitate causarum suarum* incidere opinati sunt. Tales namque homines divinam providentiam negaverunt. Ideo hac opinione velut erronea derelicta, dicendum est, pœnam esse a Deo, non autem culpam, licet utrumque sit quoddam malum. Cujus ratio est, quoniam effectui adscribitur causa agens, secundum quod a causa producitur. Pœna autem non habet rationem mali secundum quod ab agente egreditur, imo sic justa est; sed ex parte recipientis contingit defectus, quod propter suam dispositionem quodam bono recte privatur. Culpa vero rationem mali habet prout ab agente procedit : et ideo illi quod deficere non potest, adscribenda non est. — Aliter tamen est Deus causa pœnæ damni, et pœnæ sensus. Nam primam non facit influendo aliquid, sed ab influentia cessando; sed pœnam sensus ipse inducit.

* secundarum

Denique ratio mali prius convenit culpæ quam pœnæ. Nam ratio boni a fine sumitur; finis autem movet efficientem : unde tam finis quam recessus a fine, prius respicit efficientem quam patientem. Malum ergo culpæ, quod ex parte agentis pravitatem sortitur, prius est malo pœnæ, quod ex parte recipientis defectum complectitur, non ex agente. Alii aliter assignant causam istius, dicentes quod culpa, quia privat bonum immensum, scilicet Deum, est potius mala quam pœna, quum pœna sit privatio boni creati. Sed hæc ratio in pœnis corporalibus locum habet, non autem in aliis, quoniam pœna et culpa idem bonum privant. Ejusdem quippe boni cujus activa privatio est culpa, passiva privatio est pœna, videlicet subtractio gratiæ et carentia visionis divinæ : et ita utrumque a Deo æqualiter segregat.

ARTICULUS CXXV.

Quod omnium rectarum voluntatum sit tantum unus finis, et quis sit ille.

EODEM præterea ordine reducitur unumquodque in finem quo ab agente producitur, quoniam agens ordinat effectum suum in finem. Ideo secundum ordinem agentium, est ordo finium. Et sicut est unum primum agens, sic est unus universorum ultimus finis, scilicet Deus benedictus et gloriosus ac sanctus : nihilo minus conveniunt diversis rebus diversi proprii fines, secundum diversitatem particularium agentium, et secundum uniuscujusque propriam naturam. Unde omnium rectarum voluntatum ultimus finis est Deus. Verumtamen sunt aliqui fines proximi, quibus mediantibus ultimus finis acquiritur; et si illi fines directe ad Deum ordinant, tunc sunt recti, et bona exstat voluntas. Talis autem finis est caritas, beatitudo, etc. — Ad hoc vero quod Deus vel caritas, finis operationis humanæ dicatur, non oportet ut homo in omni actione de Deo vel caritate de novo cogitet, neque sufficit quod habitualiter tantum Deum aut caritatem habeat, quia sic etiam veniale peccatum in Deum ordinaret; sed oportet quod prius cogitaverit de Deo vel caritate, et in finem hunc actiones sequen-

Digitized by Google

tes ordinaverit. Cujus exemplum ponit Avicenna de artifice, qui si semper operando regulas artis suæ intenderet, multum impediretur in opere; sed quemadmodum prius cogitavit, sic demum prosequitur.

Quoniam igitur ultimo fini conjungitur aliquid per finem proprium, qui est operatio naturalis perfectissima; ideo fini qui Deus est, conjungitur homo per operationem intellectualem. Sed perfectio operationis consistit in tribus : in dignitate objecti; in firmitate habitus, ex quo actus elicitur; et in delectatione, quæ secundum Philosophum, est decor operationis, sicut pulchritudo juventutis. Deus ergo est simpliciter ultimus finis; caritas autem et delectatio spiritualis, et operatio seu beatitudo, sicut ea quæ ultimo fini conjungunt, et in quibus felicitas formaliter est. — Beatitudinem autem cuncta desiderant : quia licet beatitudo secundum substantiam suam ignota sit, ratio tamen ipsius nota est, quoniam omnes beatitudinem esse quemdam perfectissimum statum intelligunt. In quo autem status talis consistat, in bono corporali vel spirituali, et quando habeatur, in hac vita vel alia, non omnes agnoscunt. — Præterea, caritas omnium virtutum mater vocatur, quoniam ipsa solum universaliter omnibus virtutibus imperat; et habet id ipsum tum ex parte objecti, quod est Deus, videlicet altissimum bonum, in quod immediate fertur, tum ex subjecto, quod est voluntas, quæ omnibus viribus præcipit. Ideoque caritas dicitur communis finis omnium voluntatum rectarum.

ARTICULUS CXXVI.

Quod intentio sit actus voluntatis; et quod unus sit actus de fine et mediis ad finem; et quomodo ex fine judicanda sit voluntas esse recta vel perversa.

QUEMADMODUM nomen intentionis insinuat, intentio dicitur quasi in aliud tendentia. Tendere autem in aliquid, est illius potentiæ cujus est prosequi aliquid et fugere : quod utique ad vim appetitivam pertinet. Unde intentio est actus voluntatis, non absolute, sed in ordine ad rationem ut actum voluntatis ordinantem. Dupliciter autem ordinat ratio actum voluntatis : vel secundum quod voluntas est de fine, et sic actus ejus est intentio; aut prout est mediorum ad finem, et ita actus voluntatis in ordine ad rationem vocatur electio. Ad intellectum enim practicum, pertinet judicium prosecutionis et fugæ, non autem tendentia ipsa. Denique in hoc, quod dicitur voluntas in aliquid tendere, importatur quædam distantia ejus in quod tendit : et ideo dum fertur immediate in aliquid, non dicitur esse intentio, sive sit hoc finis*, sive aliquid in ultimum finem; sed quum per unum in aliud nititur pervenire, illius in quod pervenire nititur exstat intentio. Et hoc est finis : unde intentio est de fine, non secundum quod voluntas absolute fertur in finem, sed secundum quod ex eo quod est ad finem, in finem tendit. Et ergo intentio in ratione sua ordinem comprehendit per relationem unius ad aliud. Ordo autem talis est per actus rationis; et ob id intentio attribuitur voluntati prout actus intellectus in ea manet. In naturalibus vero et sensitivis est etiam quodammodo intentio, secundum quod naturali appetitu moventur in aliqua quæ intendunt, propter directionem intellectus superioris separati, in quantum opus naturæ est opus Dei et intelligentiæ.

* finis ultimus

Præterea intendendum est, quod dum aliquid est ordinatum in aliud, potest considerari dupliciter, vel in quantum est res quædam, vel in quantum habet relationem ad aliud : sicut imago considerari potest vel ut est similitudo alterius, aut in quantum est figura quædam depicta in lapide. Quando ergo aliquid quod dicitur per relationem ad aliud, consideratur ut ordinatum ad illud, sic est unus actus voluntatis de eo atque de fine, sicut ea-

Digitized by Google

dem est consideratio imaginis in quantum imaginis, et ejus cujus est imago *. Si vero accipiatur ut res quædam secundum se appetibilis, sic erit alius motus in ipsum et in finem. Verumtamen aliqua sunt, quæ nullo modo desiderabilia sunt nisi in ordine ad finem, ut adustio, sectio; et in talibus non differt motus voluntatis in ipsa et in finem eorum. Quando enim medium et finis simul considerantur, sunt unum objectum et non duo, et finis est formale objecti, medium autem velut materiale : quemadmodum lumen et calor sunt unum objectum. Cogitatio quoque de fine et medio ad finem eadem est, quando medium accipitur cum habitudine ad finem.

* *Hic addendum est, si quis considerat imaginem prout imago est alicujus rei.*

Intuendum est insuper, quod voluntas fertur in finem uno modo immediate, sicut dum vult beatitudinem; et tunc proprie dicitur voluntas finis. Et sic semper dependet bonitas et malitia ex ipso fine. Nam bonitas finis non dependet ultra ex alio : et ideo velle bonum finem, est bonum; et velle finem malum, est malum. Secundo fertur in finem mediante eo quod est ad finem, et hoc est proprie finem intendere. Dicendum est ergo, quod in malis, absolute loquendo, actus habet malitiam ex fine : quia si finis intentus, est malus, etiam voluntas est mala, quantumcumque sit bonum quod ad talem finem ordinatur, quia unus particularis defectus sufficit ad malitiam actus. Sed in bonis distinguendum est : quia aut loquimur de fine quem sibi volens præstituit, et tunc non sequitur, si finis bonus est, quod voluntas sit bona. Potest namque malum propter bonum finem facere, et unus defectus inficit opus, quoniam (ut Dionysius ait) bonum est ex tota et integra causa, malum autem ex singulis circumstantiis. Si vero loquamur de fine actus, videlicet ad quem actus proportionatus est; tunc verum est, si finis sit bonus, quod actus bonus sit. Nam secundum Philosophum sexto Ethicorum, actus malus non est proportionatus ad finem bonum, sicut nec materia quælibet ad quamlibet formam. Unde qui vult malum propter bonum, scilicet homicidium ut habeat pacem, non facit malum propter finem actus mali, sed propter finem quem sibi ipsi inordinate præstituit. — Porro, in malis tantum quis peccat, quantum malum intendit. In bonis autem non est ita, ut quis tantum mereatur quantum bonum intendit, nisi intelligatur de fine actus, non de fine volentis.

De Divin. nom. c. IV.

ARTICULUS CXXVII.

An in intellectu et ceteris potentiis possit esse peccatum.

CONSIDERANDUM præterea, quod non eodem modo est in voluntate et intellectu peccatum. Nam velle mala, est malum; sed intelligere mala, non est malum. Unde voluntas dicitur mala ex parte objecti, non autem intellectus, sed propter indebitam proportionem ejus ad id quod intelligit, quia videlicet aliter concipit rem quam est, et hoc est malum, dum false intelligit. Ratio denique hujus est, quoniam voluntas est boni et mali, intellectus veri et falsi : bonum autem et malum sunt in rebus; verum et falsum in anima, ut sexto Metaphysicæ dicitur. Ideo voluntas tendit actu suo in objectum suum secundum quod est in re, et ob id actus ejus malus aut bonus est propter bonitatem sive malitiam voliti. Intellectus vero tendit in rem secundum quod est in anima; ratio autem tam boni quam mali bona est : et igitur cognoscere bona et mala, bonum est. Itaque ratio culpæ primo et directe in voluntatis actu consistit; in intellectu autem aliisque potentiis non est peccatum, nisi in quantum actus earum a voluntate imperantur. Nam voluntas latissima est atque liberrima, ac aliarum potentiarum motiva, et nullo modo cogi potest. Intellectus autem vi demonstrationis cogitur; potentiæ quoque organicæ ad quosdam actus coguntur pro-

Digitized by Google

pter immutationem organorum. Insuper, quum intellectus feratur in rem secundum quod in anima est, scilicet prout habet rationem veri, indiget in actu intelligendi alio quodam medio lumine seu demonstratione, per quæ deducatur res ad esse intelligibile proportionatum intellectui. Voluntas autem absque medio fertur in rem secundum quod in se ipsa est : unde nec indiget ut rem ad aliud esse perducat sibi proportionatum; et ideo deficere nequit quin in quodcumque feratur. Sed intellectus non quodlibet intelligere potest, quia necessaria media non habet. — Advertendum est quoque, quod in cogitatione in quantum est cogitatio, non est nisi peccatum vanitatis, quum scilicet intellectus utilioribus se occupare deberet ; sed potest esse peccatum in cogitando, dum cogitatio propter delectationem assumitur. Et delectatio illa est in concupiscibili vel irascibili. Peccatum vero tale, reducitur ad illud genus in quo est actus exterior.

ARTICULUS CXXVIII.

An superior rationis scintilla possit exstingui ; et utrum conscientia possit errare.

QUONIAM secundum Isaac in libro Definitionum, rationalis anima in umbra intelligentiæ facta est, oportet ut aliquid de perfectione et modo intelligendi intelligentiæ seu angeli, in anima maneat. Angelus autem sine inquisitione, simplici adspectu intelligit : et ideo anima de hac perfectione parum participat. Nam et aliqua, videlicet prima principia, tam in operativis quam in speculativis, sine inquisitione intelligit. Habitus autem horum principiorum in speculativis dicitur intellectus, in operativis vero synderesis. Hæc autem virtus, scintilla rationis vocatur : quia instar scintillæ ab igne volantis, parvum lumen est animæ respectu lucis angelici intellectus. Unde secundum Hieronymum, significatur per aquilam, quia est supremum in homine, et rationalem virtutem transcendens. — Sicut autem non contingit intellectum errare in cognitione primorum principiorum in speculativis, quin semper repugnet ei quod contra illa principia dicitur; sic nec synderesis, quæ superior scintilla rationis est, in practicis primis principiis errat, quin naturaliter ei repugnet quod contra principia prima naturaliter sibi indita continB git. — Denique, sicut intellectus circa prima principia in se considerata non errat, sed prout per ineptam ratiocinationem ad falsam conclusionem deducuntur : sic lumen synderesis in se nunquam exstinguitur ; sed prout deliberatio applicatur ad conclusionem operabilis, potest esse defectus, vel propter impetum passionis, aut errorem inductionis, secundum quod conclusio non recte infertur. — Licet quoque in superiori ratione possit esse peccatum, non tamen in synderesi, quia C synderesis est aliud a superiori ratione : nam secundum Hieronymum, est supra totam rationem.

Si autem quis arguat, quod in hæreticis non videtur aliquid remurmurare ei quod eorum sectam defendit, nec in vitiosis qui malo habitu corrupti sunt, ei ad quod desiderium inclinat; respondendum, quod naturale lumen non sufficit ut ei repugnet quod fidei dissentit : et ideo quoad naturale lumen, manet synderesis integra in infidelibus. Vel dicendum, quod synD deresis semper remurmurat malo in communi; sed quod in hæretico non remurmurat, est propter applicationem universalis principii ad particulare opus. Similiter est in vitioso, in quo error contingit, non propter defectum scientiæ in universali, sed in particulari evenit error ratione passionis aut impetus. Unde propter inclinationem habitus, vel libidinem actus, non percipitur murmur synderesis. — Porro, in damnatis manet inclinatio qua homo naturaliter vult bonum, non utique

Digitized by Google

secundum actum, sed secundum ordinem naturæ ad actum : tamen propter perpetuum obstinationis impedimentum, nunquam procedit inclinatio illa in actum. Nihilo minus naturalis cognitio in eis manet : propter quod in ipsis semper perseverat murmur rationis contra voluntatem ; sed ipsa voluntas rationi nunquam obedit.

Denique secundum præhabita, conscientia est conclusio quædam, sententians quid sit agendum. Synderesis quippe ministrat universale principium in agendis, sicut Deo esse obediendum ; et in tali communi principio, non contingit errare. Sed ex tali principio non infert ratio conclusionem nisi mediantibus principiis propriis ac determinatis. Hæc vero non sunt per se naturaliter nota, sed per inquisitionem vel fidei assensum patescunt. Et quia non omnium est fides, contingit circa ista principia errare : sicut hæreticus credens nullo modo esse jurandum. Quum ergo conclusio ex utrisque principiis pendeat, potest esse in conscientia error, quia in una præmissa, scilicet in principio determinato, erratur.

II *Thess.* III, 2.

Verumtamen, conscientia dicitur testis in divino judicio, in quantum retinet id contra quod voluntas fecit, quasi accusans eamdem quod sibi non obedivit ; et in hoc non errat, quia contra conscientiam facere, semper peccatum est. — Conformiter, conscientia dicitur a Basilio naturale judicatorium, secundum quod virtus synderesis in ea servatur ; et quoad hoc non errat. — Damascenus quoque dicit, quod conscientia est lex intellectus. Sed hoc non dicit quasi ipsa sit prima et infallibilis lex animæ, sed quia est quædam applicatio primæ legis, videlicet communium principiorum ad particulares actus. — Rursus, non dicitur conscientia scientia simpliciter, sed secundum æstimationem ejus cujus est. Unde licet scientia sit semper verorum, non tamen conscientia.

ARTICULUS CXXIX.

An conscientia errans obliget.

PORRO, quum conscientia sit rationis dictamen, et ipsa voluntas non feratur in aliquid nisi ex prævia quadam apprehensione, quia objectum ejus est bonum apprehensum (intellectus enim ostendit voluntati intentionem boni et mali) ; ideo oportet ut secundum judicium rationis vel conscientiæ, sit actus voluntatis : nam actus ejus specificatur ex objecto. Unde conscientia, sive sit recta sive erronea, semper ligat : quia si voluntas aliquid fugiat sub ratione boni, licet non sit bonum, errat ; et si aliquid prosequatur quod putat malum, licet sit bonum, iterum errat. — Conscientia autem erronea non obligat nisi per accidens, scilicet ratione apprehensionis : et ideo non oportet ut id ad quod obligat sit bonum, vel secundum legem divinam. Nec tamen obligat virtute propria. Non enim ideo dictat aliquid faciendum quia sibi videtur, sed virtute divini præcepti et per accidens, quia dictat hoc tanquam a Deo præceptum.

Sciendum autem, quod nemo est simpliciter perplexus, quia sic de necessitate peccaret ; sed non est inconveniens, aliquem esse perplexum quodam posito, donec illud deponat. Unde stante errore conscientiæ, potest quis esse perplexus ; errorem autem deponere potest. — Denique, quum conscientia obliget virtute divini præcepti, ideo si aliquid dictat quasi sub præcepto directe cadens, voluntas mortaliter peccat si non acquiescit, licet veniale sit id quod sententiat. Si vero non apprehendatur quasi præceptum, tunc non fit directe contra conscientiam, sed præter eam, et est solum veniale peccatum. Si enim quis habeat conscientiam quod nisi fornicetur, mortaliter peccet ; quum mortale peccatum non sit nisi ex contemptu Dei, constat quod fornicationem non potest omittere nisi Deum contemnendo, atque per consequens mortaliter peccando.

Digitized by Google

ARTICULUS CXXX.

Quomodo bonum et malum sint differentiæ essentiales actionis; et quod ex voluntate dependeant bonitas et malitia exterioris actus.

SPECIFICA autem differentia actionum est ex diversitate formarum, quæ sunt actionum principia : sicut calefacere et frigefacere differunt specie, sicut calor et frigus. Forma autem voluntatis est finis seu bonum : ideo in actibus voluntatis est differentia specifica ex ratione finis. Et quum actus non sint in genere moris nisi in quantum voluntarii, ideo in genere moris est speciei diversitas secundum diversitatem finis. Quoniam itaque malum et bonum dicuntur per ordinem ad finem, ideo sunt essentiales differentiæ in genere moris, scilicet actionum ipsius voluntatis. Aliarum autem operationum quas voluntas imperat et quæ ad alias potentias pertinent, non sunt bonum et malum differentiæ nisi per accidens, videlicet secundum quod voluntarii rationem participant et ad genus moris reducuntur et pertinent : quia aliquid reducitur ad genus dupliciter, videlicet : per se, sicut albedo ad colorem; aut per accidens, ut album ad colorem, ratione albedinis. — Malum autem non est differentia actionis voluntariæ secundum quod est privatio tantum, sed prout fundatur in fine indebito, qui non est omnino expers bonitatis.

Denique advertendum, quod voluntas intendens, videlicet in ultimum finem proficiscens, si mala sit, sufficit ejus malitia ad malitiam exterioris actus : quia quod malo fine agitur, semper malum est. Non tamen sufficit bonitas voluntatis ad bonitatem actus : quia sunt actus qui de se mali sunt, nec unquam bene fieri possunt. Voluntas vero secundum quod eligens, scilicet prout fertur in medium ad finem, si bona est, semper est actus bonus; et si mala, erit universaliter operatio mala. Et ideo comparatio voluntatis cum arbore, de voluntate eligente intelligenda est. Sicut enim quinto Ethicorum tradit Philosophus, ad bonitatem consilii tria requiruntur : primo, ut consilians præstituat sibi debitum finem; secundo, ut adinveniat efficax opus ad finem consequendum; tertio, ut utrumque inveniat debito tempore, ne scilicet sit præceps vel tardus. Consilium autem electionem præcedit : nam electio est velut conclusio consilii, secundum Philosophum tertio Ethicorum. Ideo ad bonitatem voluntatis eligentis exigitur bonitas finis et medii ordinati ad finem : quibus concurrentibus, actus exterior utique bonus est. — Itaque constat, quod actus exterior non pertinet ad genus moris nisi ratione voluntatis : non tamen habet suam bonitatem vel malitiam a voluntate intendente solum, sed etiam simul a voluntate eligente. Nec obstat quod secundum Philosophum, ratio boni a fine sumitur : quia ad bonitatem rei non sufficit bonitas finis ultimi, quem respicit voluntas intendens; sed exigitur etiam bonitas proximi finis, quem respicit voluntas eligens. Unde elucescit quia non sufficit ad bonitatem actionis, bonitas voluntatis intendentis. — Ex his patet intellectus verbi S. Ambrosii quo ait : Affectus tuus operi tuo nomen imponit.

Matth. VII, 18.

ARTICULUS CXXXI.

Utrum exterior actus aliquid de bonitate vel malitia addat supra bonitatem vel malitiam voluntatis; et an eadem actio possit esse bona et mala.

TALIS præterea est habitudo actus exterioris et interioris, quod uterque est alteri causa bonitatis cujusdam. Habet enim uterque secundum se bonitatem aliquam, quam alteri dat. Bonitas namque exterioris actus in commensuratione circumstantiarum consistit, secundum quam proportionatus est ad rectum finem; et hanc exterior actus dat interiori, non se-

Digitized by Google

cundum quod est exercitus, quia sic est posterior, sed in quantum intentus, quia voluntas comparatur ad ipsum sicut ad objectum. Est quoque quædam bonitas in actu interiori secundum se, secundum quod voluntas est domina actus sui : et ab hac bonitate oritur ratio meriti et laudabilis ; et hanc participat actus exterior ab interiori. Et de hac bonitate loquendo, actus exterior nihil bonitatis aut malitiæ superaddit voluntati, dummodo voluntas æque intensa sit. Nam in quibusdam non potest voluntas tam intensa esse ante actum sicut in actu, quando scilicet actus exterior est secundum se delectabilis. Et ideo non tantum peccat qui vult fornicari, ut fornicans : quia non potest esse tanta delectatio in cogitatione, ut in opere. In quibusdam autem voluntas in actu remittitur, quando videlicet actus difficiles sunt ; et in his potest voluntas intensior esse in actu interiori quam exteriori. Loquendo autem de bonitate prima, sic actus exterior complet interiorem, sicut terminus motus, motum.

Quoniam vero per bonitatem quam dat voluntas exteriori actui, ordinatur actus exterior ad præmium essentiale, secundum quod liberaliter atque ex amore actus procedit ; ideo quoad præmium essentiale, nihil addit voluntati actus exterior. Nam tantum meretur qui habet perfectam voluntatem bonum aliquod faciendi, quantum si faceret ; et tantum meretur si facit unum actum, quantum si multos, manente voluntate æque intensa. Porro, per bonitatem actus exterioris ordinatur homo ad præmium accidentale. Unde actus exterior addit aliquid accidentale ipsi bonæ voluntati : sicut per meritum adipiscitur martyr aureolam. Ex frequentatione etiam actus exterioris innascitur animæ habitualitas ad bonum, et dispositio ad gratiæ incrementum ; et ad satisfactionem adjungit : quia per eum magis punitur quis quam per solum interiorem actum.

Ex his patet quomodo dictum sit a Sanctis : Quantum intendis, tantum facis. Nam ly quantum, potest esse adverbium vel nomen. Si nomen, tenet in malis, et non in bonis. Si adverbium, sic in bonis et malis verum est, secundum bonitatem et malitiam quam habet opus extrinsecum a voluntate eligente. Tamen actus exterior aliquid bonitatis addit de bonitate quæ convenit ipsi secundum se. — Propterea Bernardus ait : Bona voluntas sufficit ad meritum ; sed bona actio requiritur ad exemplum. Hoc enim verum est quoad essentiale præmium, vel quando facultas operis deest. Unde et Philosophus decimo Ethicorum testatur, quod operatio bona, est ad manifestationem virtutis. — Denique, sicut Dominus in Evangelio dicit, vidua quæ duo æra minuta misit, plus omnibus misit, quia videlicet efficaciori voluntate id misit, et ideo ad essentiale præmium amplius merebatur ; sed quoad accidentale præmium, alii plus mereri poterant, prout ministros templi ad orandum pro se inducebant, vel plus satisfaciebant. — Licet autem totum essentiale præmium in interiori actu consistat, non est tamen superfluum exterius agere : quia voluntas non potest esse perfecta, nisi transeat in opus si possit ; et iterum, quia opus exterius cadit sub præcepto, confertque ad præmium accidentale.

Luc. XXI, 2, 3.

Denique, quum ens et unum convertantur, sicut unius rei non est nisi unum primum esse et essentiale, sic non potest esse nisi una, nec habet pluralitatem nisi secundum esse secundarium et accidentale. Itaque actus exterior consideratus in se et secundum esse suum naturale, est unius dumtaxat ; sed potest quamdam pluralitatem habere secundum esse morale, quia esse morale accidit ei ex participatione voluntarii, prout a voluntate imperatus est. Unde idem actus dicitur bonus et malus, non secundum quod unus, sed secundum quod est quodammodo multa : ut si quis propter Deum ad ecclesiam

Digitized by Google

vadat, et in ipso meatu intentionem mutet, et propter gloriam vanam viam suam continuet; ista ambulatio secundum esse naturale, est unus motus, sed secundum esse morale, est alia et alia, in quantum diversa intentione et voluntate expletur; et quoad hoc, potest dici bona et mala.

ARTICULUS CXXXII.

An in actibus humanis reperiatur indifferens.

EST autem de præsenti materia triplex opinio. Quidam enim dicunt, quod non in verbis, sed in factis sit aliquid indifferens : quia verbum est signum alicujus, non autem factum. Et ideo in verbis deformitas est, si otiose dicantur; non tamen in facto, si sine legitima causa fiat. Sed ista responsio nulla est : quia licet factum non ordinetur ad aliud ut signum ad signatum, ordinatur tamen ad aliquid sicut ad finem. Otium vero opponitur ordini qui est ad finem. — Ideo alii dicunt, quod in verbis et factis aliqua sint indifferentia, videlicet nec bona nec mala : quæ scilicet nec ordinantur ad impletionem præceptorum Dei, nec contrariantur eisdem : ut si quis loquatur alicui ex amicitia civili, vel opus amicabile faciat. Sed nec istud videtur sufficiens, quia actus virtutis politicæ non est indifferens, sed est de se bonus, et si gratia informetur, erit et meritorius. Actus enim virtutis necessario ordinatur in finem bonum, nec potest egredi actus ab aliquo deliberante sine intentione finis.

Ideo cum tertia opinione dicendum, quod nullus actus a voluntate deliberata procedens, esse possit indifferens, nec secundum theologum, nec secundum moralem philosophum. Et ulterius, non potest a voluntate deliberata in habente gratiam egredi actus, quin sit meritorius vel demeritorius. Sed in non habente gratiam, potest esse actus nec meritorius nec demeritorius, non tamen nec bonus nec malus. Nam malum in quantum malum, non opponitur bono contrarie, sed privative : quia in contrariis utrumque extremum est aliquid positivum; sed ex positivo non potest sumi ratio mali. Si ergo inter bonum et malum est medium in actionibus, hoc erit in quantum privative opposita sunt. Sed in privative oppositis non est medium nisi per hoc quod subjectum non est susceptivum habitus : sicut lapis nec est cæcus nec videns. Et per hunc modum oportet accipere medium inter bonum et malum. Sed nullus actus ex ratione deliberata procedens, esse potest qui non sit susceptivus bonitatis aut malitiæ : et ideo in tali actio non potest esse indifferens. Actus vero qui sequuntur subitæ imaginationis apprehensionem, ut confricatio barbæ, dicuntur hoc modo indifferentes. Porro actus civili bonitate bonus, non est susceptibilis efficaciæ promerendi nisi per informationem gratiæ : et ideo in non habente gratiam, potest esse indifferens ad meritum atque demeritum. Sed quia caritas omnibus virtutibus imperat, ideo actus omnium virtutum ad finem caritatis ordinandi sunt : et ideo in habente caritatem, est omnis actus ex deliberata voluntate procedens, meritorius aut demeritorius.

ARTICULUS CXXXIII.

Quod fidei sit intentionem dirigere; et utrum omnis operatio infidelium sit peccatum.

RECTUM porro est id cujus medium ab extremis non exit. Actio autem inter operantem et finem intentum media est : ideo recta dicitur quando non discordat a fine. Illius autem est dirigere, cujus est in finem ordinare. Ordinare vero in finem contingit dupliciter, scilicet : ostendendo finem, et hoc pertinet ad actum rationis; aut inclinando in finem, quod voluntatis est : quia secundum Augustinum, amor

Digitized by Google

est quoddam pondus animæ. Finis quoque actuum humanorum est duplex, scilicet : naturalis, et in hunc dirigit ratio per habitum sapientiæ acquisitæ, cujus actus est felicitas contemplativa, vel per habitum prudentiæ, cujus actus est felicitas civilis, secundum Philosophum. Alius est finis supernaturalis, ad quem non sufficit naturalis ratio nec voluntas, nisi per fidem et caritatem perficiantur. Rursus, quidam est finis proprius et proximus, alius communis et ultimus. Fides ergo dirigit in **finem communem** et ultimum. Prudentia vero, quum sit (**secundum Bernardum**) auriga virtutum, dirigere potest ad bonum humanum, non autem ad bonum divinum, quod est beatitudo repromissa in patria.

art. CXXI. Denique (sicut præhabitum est) operatio dicitur multipliciter, et secundum diversos gradus bona ; illa vero ultimatam perfectionem sortitur, quæ procedit a virtute informata per gratiam. Licet autem hæc bonitas operationis et virtutis non sit in infidelibus, potest tamen esse in eis bonitas virtutis politicæ seu bonitas actus ex genere, cujus videlicet objectum bonum est, et etiam bonitas ex circumstantia : unde non omnis actus infidelium est malus, sed semper est deficientis bonitatis. — *Rom.* XIV, 23. Quod ergo dicitur in Glossa, Omnis vita infidelium peccatum est, ideo dicitur, quia quidquid faciunt ex inductione suæ perfidiæ, peccatum est ; aut quia infidelitas tale peccatum est, ut ea stante nullum peccatum infidelibus ignoscatur. Possunt autem aliqua facere propter finem aliquem proximum bonum. Neque tenentur semper ordinare omnem actum suum in finem quem fides ostendit : quia præcepta affirmativa non obligant ad semper, licet obligent semper. Insuper, consilium non est nisi de bono : sed infidelibus consulitur ut quædam de genere bonorum faciant. Sancti quoque, ut Hieronymus et Augustinus, sæpe commendant quosdam gentilium de quibusdam operibus : illa ergo mala non erant.

ARTICULUS CXXXIV.

An voluntas peccati et actus sint unum peccatum ; et qualiter post peccatum reatus permaneat.

QUONIAM secundum præinducta, actus non ponitur in genere moris nisi ratione voluntatis, in quantum videlicet est voluntarius ; ideo secundum unitatem voluntatis, pensanda est unitas actus boni et mali : nempe ab eodem habet res esse et unitatem. Ostensum est autem, quod actus qui est unus secundum esse naturale, **potest esse** multa secundum esse morale ; et contra, actus qui **est** in genere moris unus, potest esse multa secundum esse naturale : sicut in furto, in quo sunt multi actus naturales, qui omnes sunt unum peccatum. Quum ergo quæritur, an voluntas et actus sint unum peccatum, oportet distinguere. Si enim intelligatur de voluntate actui conjuncta, sic sunt unum peccatum : nam tunc actus voluntatis non multiplicatur. Si vero intelligatur de voluntate præcedente actum, erunt duo peccata, non propter diversitatem actus interioris et exterioris, sed duorum interiorum actuum voluntatis. Unde et divisim in lege prohibemur concupiscere (quod de concupiscentia separata ab actu intelligendum est), et concupiscentiam exsequi. — Denique, non semper sunt diversa peccata quando actus diversi sunt : sicut quando actus unius peccati imperat actui alterius, ut si quis furetur propter gulam : tunc enim est unum peccatum, in quo tamen sunt plures deformitates, quarum una complet rationem peccati, unitatem efficiens.

art. CXXX. art. CXXXI. *Exod.* XX, 17, 14, 15.

Sciendum est insuper, quod reatus proprie est obligatio ad pœnam. Et obligatio hæc, inter culpam et pœnam media est, quia a culpa causatur et ad pœnam perducitur : ideo quandoque reatus pro pœna, quandoque pro culpa accipitur. Quum autem, secundum Philosophum secundo Ethicorum, pœna sit quædam medicina, vel ad correctionem puniti, vel ad ædificatio-

Digitized by Google

nem et exemplum aliorum, ne videlicet alii talia agant qualia vident ulcisci, medicina vero contra defectum ordinetur; ideo reatus defectus est, qui a voluntario actu deformi causatur, et manet post actum, quatenus per justitiam pensetur per pœnæ inflictionem, quod recto ordini subtractum est: quoniam hoc utique justum est, quod qui propria voluntate nimium usus est, aliquid contra propriam voluntatem patiatur, ut sic omnia ordinatissime disponantur. — Porro, in peccante duo defectus sunt: unus in ipso peccante, scilicet privatio gratiæ propter præcedens peccatum; et hic defectus recuperatur dum gratia redditur. Alius defectus est in actu peccati, eo quod limites æquitatis et rationis divinæque legis transgreditur; et hic non ex toto aufertur dum gratia reparatur. Unde satisfactio injungitur, et est homo temporalis pœnæ adhuc reus.

ARTICULUS CXXXV.

De peccato mortali et veniali.

DIVISIO autem peccati in mortale et veniale, est divisio analogi in analogata: quia in peccato veniali non est plena ratio peccati. Nam veniale peccatum non corrumpit virtutem secundum habitum, sed secundum actum, in quantum est quædam elongatio a virtute; et ideo veniale dicitur, quia propter suam imperfectionem facile indulgetur. Et quia mortale et veniale non sunt perfecte contraria, sed differunt secundum perfectum et imperfectum, ideo in eodem esse possunt. Verumtamen, quoniam quodammodo opponuntur, ideo non possunt in eodem actu fundari. Nempe in veniali peccato adhæret voluntas inordinate ei quod ad finem est, non tamen in eo sibi finem ultimatum constituit. Mortale vero peccatum, quod ideo mortale vocatur quoniam vitam spiritualem animæ, scilicet gratiam et caritatem, penitus aufert, constituit sibi finem in re commutabili atque caduca, plus diligens creaturam quam Creatorem.

Denique, sicut bonum ex genere dicitur propter debitum objectum, sic malum ex genere dicitur propter materiam in qua peccatur. Unde in illis est mortale peccatum, in quibus excedere vel deficere, est directe contra caritatem Dei et fœdus humanæ societatis. Potest autem id quod ex genere veniale est, mortale fieri, si quod veniale est, credatur mortale, et tamen fiat; aut si quis eatenus delectetur in re temporali ut divino illud amori præferat, seu in eo finem constituat. Insuper, potest peccatum veniale esse vel ex genere actus qui directe non repugnat caritati, aut ex parte peccantis, quemadmodum accidit in primis motibus sensualitatis. In præcedentibus vero ostensum est, quomodo peccatum tripliciter veniale dicatur: scilicet, ex causa, eventu, et ex genere. art. LXXXI.

Differunt autem peccatum mortale et veniale: quia mortali, non autem veniali, debetur æterna pœna. Cujus ratio ex tribus elicitur. Primo, quia Deus, contra quem peccatur, est immensæ dignitatis, et ideo eum contemnere, est infinitæ enormitatis: quia quo qui offenditur major exsistit, eo offensa major censetur. Secundo, ex parte peccantis, qui sibi finem dilectionis constituit in eo quo peccat, et ideo quantum in se est, vellet in æternum ei adhærere, in quo sibi finem reponit: unde et in suo æterno peccare fertur. Tertio, ex statu peccantis: nam quum sine gratia non sit culpæ remissio, mortaliter peccans se gratia privat si ita decedat, et nunquam a culpa potest mundari, et per consequens nec a pœna. Et quoniam creatura non est capax infinitæ pœnæ intensive, ideo fit compensatio, et torquetur per durationem infinitam. — Verumtamen, peccatum veniale in eo qui propter mortale peccatum in infernum retruditur, etiam in æternum punitur. Sed hoc accidit veniali, eo quod mortali peccato conjunctum est. — Quoniam vero per mortale peccatum adhæretur bono commutabili tanquam fini, per veniale autem sicut ei quod est ad finem;

Digitized by Google

ideo conversiones peccati mortalis et venialis non sunt proportionales, quia non sunt ejusdem generis.

ARTICULUS CXXXVI.

De radicibus peccatorum.

DENIQUE, ad similitudinem radicis in arbore, id quoque vocatur radix peccati ex quo peccatum oritur, convalescit atque fructificat. Hoc autem est bonum intentum, ad quod peccans inordinate convertitur. Nam finis movet efficienter. Itaque ex parte conversionis est id radix peccati, ex quo oritur ipsum. Oritur autem peccatum ex tribus, videlicet : ex actu, secundum quod unum peccatum est causa alterius ; ex habitu, qui elicit actum ; et ex passione seu pronitate ad malum. Actus vero et habitus, quum ex aliquo priori causentur, vel passione aut actu, non proprie sortiuntur nomen radicis : unde relinquitur, quod radix peccati sit passio aut pronitas quædam ex originali peccato relicta. Est autem ordo in bonis commutabilibus, ad quorum conversionem contingit peccatum : nam unum est finis alterius. Ultimus vero finis in eis est homo, ad quem omnia illa ordinantur : ideo quanto radices sumuntur propinquiores huic fini, tanto pauciores sunt. Et ob id si sumatur radix ex parte peccantis, est una, videlicet inordinatus amor sui. Si autem sumatur radix ex parte eorum quæ homo propter se appetit, erunt plures. Appetitus quoque circa bonum commutabile, est vel prosequens quod sibi peccans putat conveniens, aut fugiens quod putat nocivum. Sicut autem malum non habet esse nisi ut privatio boni, ita nec vitatur nisi in quantum quis bonum contrarium diligit.

Secundum hæc itaque Sancti diversimode assignant peccatorum radices. Nam passio, quæ est radix peccati *, aut est secundum inclinationem appetitus in ea quæ propter finem quæruntur, et hoc dupliciter, scilicet : vel secundum inclinationem in bonum tantum propter quod malum fugitur ; aut secundum inclinationem appetitus in bonum et malum. Si secundo modo, sic sunt duæ radices peccati, videlicet cupiditas male inflammans, et timor male humilians. Si primo modo, aut hoc est secundum inclinationem in bonum exterius universaliter, et ita est solum una radix peccati, utputa cupiditas ; aut in diversa bona exteriora particulariter, et sic sunt tres radices secundum triplex genus exteriorum bonorum, videlicet : concupiscentia carnis, quæ est circa delectabilia sensui ; concupiscentia oculorum, quæ est circa bona exteriora in usum ordinata ; et superbia vitæ, quæ est circa bona secundum opinionem, ut honor, dignitas, fama.

Sic igitur peccatum habet radicem et fundamentum, non ratione aversionis, quia sic nihil est, sed ratione conversionis. Ideo, quum superbia et contemptus ac error dicantur ex parte aversionis, non proprie habent rationem radicis. Nam secundum Dionysium, nullus ad malum respiciens operatur : imo semper omne agens aliquid boni intendit, vel apparens, vel verum. Nihilo minus hæc dici possunt initia peccati : quia quum peccatum sit actus deficiens, nil prohibet initium ejus esse quemdam defectum. Et hic defectus si sit in ratione dirigente, dicitur error, secundum quod error idem est quod ignorantia electionis, secundum quam (secundum Philosophum) omnis malus ignorans est. Vel est in voluntate actum imperante, quæ non intente neque sollicite inhæret eis quæ Dei sunt, et ita, secundum Ambrosium, erit contemptus vel superbia, prout quis cupit non subesse præcepto. Et sicut secundum rem, unum peccatum est conversio et aversio, secundum terminos tantum distinctum, sic cupiditas in quantum radix, et superbia in quantum initium, sunt idem in re, et differunt secundum terminos, scilicet aversionem et conversionem. Unde et undecimo super Genesim asserit Augustinus, cupiditatem atque superbiam unum esse malum, non duo.

De Divin. nom. c. IV.

* Hic deest primum divisionis membrum.

Digitized by Google

ARTICULUS CXXXVII.

De multiplici divisione peccati.

DIVIDITUR vero peccatum in peccatum cogitationis (secundum quod cogitatio complectitur affectionem omnemque actum interiorem), locutionis, operis et consuetudinis. Et sumitur hæc quadripartita divisio secundum gradus quibus pervenitur ad completam rationem peccati, in quantum unus actus alteri additur ad perfectionem peccati ; et ideo posterior gradus comprehendit priorem. Et est ista divisio quasi totius potestativi in suas partes. Non enim est per essentiales differentias, sed per quædam quæ accidunt ipsi peccato. Peccatum quoque consuetudinis est secundum quod unus actus alteri superadditur. Et quoniam consuetudo est circumstantia aggravans peccatum ex multiplicatione actuum, ideo divisio atque progressus peccati sistit in ea, quia post actum exteriorem non est alius actus exterior alterius generis. Nec condividitur consuetudo actui tanquam simpliciter distincta ab actu, sed quasi distincta ab actu non consueto, quemadmodum in divisione totius potestativi contingit.

Porro, alia ponitur divisio peccati, ex parte objecti, videlicet in peccatum contra Deum, contra proximum, et contra se ipsum. Sicut enim, secundum Philosophum, omnis virtus est quædam justitia, sic omne peccatum est quædam injustitia : quia per ipsum detrahitur aliquid alteri quod ei debetur. Aliquid autem debemus Deo, scilicet reverentiam, dilectionem, etc. ; et dum tale aliquid ei non exhibemus, dicitur esse peccatum contra Deum. Nobis quoque debemus ut secundum rationem vivamus. Unde dum bestialiter vivimus, peccamus in nos. Dum vero proximo subtrahimus quod ei debemus, est peccatum in proximum. — Sciendum autem, quod injustitia duo habet objecta, scilicet : id quod subtrahitur alteri, quod est materia actus, et inde specificatur; et illum cui fit subtractio, scilicet Deum aut hominem : et penes illud objectum sumpta est præsens divisio. Nec est inconveniens ista in peccato coincidere : quia qui peccat in proximum, peccat in se et in Deum ; sed hoc est per modum sequelæ. — Intuendum præterea, quod quum homo se naturaliter diligat, ideo omnis homo diligit se secundum id quod se magis esse existimat. Unde sapiens, quia scit se maxime esse id quod est secundum intellectum, bona spiritualia vehementius sibi desiderat. Quidam vero æstimant se esse quod non sunt, et falso se diligunt. Nam secundum naturam sensualem se magis pensant et amant.

Tertio dividitur peccatum in peccatum et delictum. Et sumitur ista divisio ex parte legis divinæ regulantis actus humanos ; et hoc dupliciter : quia vel secundum distinctionem præceptorum in se, et sic peccatum respicit præcepta negativa, delictum affirmativa ; vel secundum quod peccator diversimode deficit a præceptis : quia aut deficit secundum rationem per ignorantiam, et tunc est delictum ; aut deficit secundum voluntatem per contemptum, et sic est peccatum. Itaque peccatum consistit in actu prohibito ; delictum vero in omissione est.

ARTICULUS CXXXVIII.

De capitalibus vitiis.

IN præhabitis demonstratum est quemadmodum unum peccatum ex alio quatuor modis nascatur. Quorum ultimus propriissimus est, quando peccatum ordinatum ad finem alterius peccati, ex illo causatur ad cujus finem ipsum per se ordinabile est atque accommodum : sicut quum quis furatur ut ditetur, furtum ex avaritia oritur. Illa ergo peccata capitalia sunt ex quibus hoc modo alia oriuntur ; et per hoc differt peccatum capitale a radice peccati, quoniam radix proprie non est peccatum sicut capitale peccatum. Sic art. cxx.

Digitized by Google

igitur illa capitalia sunt, ad quorum fines A corrupto appetitui desiderabiliores, cetera ordinantur peccata. Hæc vero sunt quæ circa principalia sensualium potentiarum objecta consistunt, quia ex corruptione sensualitatis in nobis causantur.

Appetitus autem sensualis in concupiscibilem et irascibilem dividitur. Objectum vero concupiscibilis, est delectabile sensui : et ideo peccatum capitale quod est in concupiscibili, est vel quia inordinate desiderat delectabile secundum sensum, aut quia inordinate fugit impedimentum B hujus delectationis. Si primo modo, hoc est dupliciter : nam vel tendit in id quod est medium ad delectationem sensualem, ut sunt divitiæ, et sic est *avaritia ;* aut in ipsum delectabile. Perfecta autem delectatio sensus est in tactu et gustu, secundum quod gustus est quidam tactus, propter immediatam applicationem sensualis ad sensum. Et sic circa delectabile tactus, est *luxuria ;* circa delectabilia gustus, *gula.* Ex eo autem quod inordinate fugit impedimentum delectationis, est *acedia,* quæ C est tædium spiritualis boni. — Denique objectum irascibilis, est arduum aliquod et magnum in quod homo pervenire conatur. Dupliciter igitur in irascibili potest esse peccatum : aut quia inordinate fertur in tale arduum et altum, et sic est *superbia* vel inanis gloria ; aut ex eo quod contendit contra id quod impeditivum est ardui. Et hoc dupliciter accidit. Aut enim illud impediens, directe contra agit, sicut impugnans, et sic est *ira,* quæ est appetitus vindictæ ; aut indirecte, et sic est *invi-* D *dia,* quæ est dolor boni alterius, prout illud æstimatur propriæ excellentiæ impeditivum.

art. CXXXVI. Superius vero dictum est, quomodo cupiditas et superbia tripliciter accipi possint : quomodo scilicet uno modo sint quidam habituales defectus, et non peccatum, sed peccati initium ; secundo autem quædam generalia peccata ; tertio vero specialia, et sic capitalia sunt. — Illa quoque peccata in quæ homo facilius inclinatur, capitalia sunt ; quæ vero non facile appetuntur propter se, sed solum propter finem alterius, ex illis nascuntur, et filiæ appellantur. Et præsertim ex superbia et avaritia omnia nasci videntur, quoniam objecta horum vitiorum, videlicet pecunia et honor, potissime promittunt homini sufficientiam, maxime autem superbia : nam excellentia est aliquid propter se desideratum ; pecunia autem non diligitur, secundum Philosophum primo Ethicorum, nisi propter aliud quod per eam quis consequi cupit. — Non solum autem mortale, sed et veniale peccatum, capitale esse potest : quia licet non habeat principalitatem in ratione peccati, tamen principalitatem finis potest habere, secundum quod alia ad ipsum referuntur.

ARTICULUS CXXXIX.

De speciebus superbiæ ; et utrum omnia peccata sint paria.

SICUT primo de Anima dicit Philosophus, rectum est judex sui et obliqui. Oportet ergo ex cognitione virtutis in cognitionem oppositi vitii pervenire. Vitium autem opponitur virtuti cui in objecto communicat, ut luxuria castitati. Ideo superbia magnanimitati opponitur, quia utriusque objectum est arduum, et tendere in rem magnam. Sed magnanimitas tendit in illud mediocriter : quæ mediocritas in electione magni et in proportione sui ad illud consistit. Tendit enim magnanimus in id quod simpliciter magnum est, et non in id quod imperfecte est magnum : et ideo non curat exteriora bona, inter quæ honor præcipuum est, tanquam finem. Imo nec honorari finaliter cupit, quoniam hoc sibi valde parvum censet, quum sit vanum et caducum ; sed optat fieri dignus honore. Item non tendit in magna nisi secundum proportionem suam, videlicet secundum quod est capax et habilis ; et ideo, secundum Philosophum, est magnanimitas omnium

Digitized by Google

ornamentum virtutum, quia actus earum reddit eximios. Ratione primi, scilicet quod magnanimitas intendit vere magnum, opponitur ei inanis gloria, quæ non tendit in magnum simpliciter, sed in laudem et honorem, et non ut eis digna sit. Ratione autem secundi opponitur magnanimitati superbia, quæ non tendit in vere magnum secundum proportionem suam. Hoc autem contingit dupliciter : quia illud vel simpliciter deest superbo, et sic est tertia species superbiæ, scilicet jactantia; vel quia non habet tam excellenti modo ut nititur : et hoc est dupliciter, secundum quod aliquid est dupliciter excellentius in causa quam in effectu. Nam causa digniori modo habet perfectionem causati. Et hinc sumitur quarta species, quoniam superbus vult singulariter videri. Item, causa in quantum causa, habet aliquid a se ipsa. Et inde sumuntur duæ aliæ species superbiæ : quarum prima est, quando quis sibi attribuit quod habet ab alio; secunda, dum id suis meritis adscribit. — Ingratitudo autem et inobedientia, non sunt species superbiæ, nisi quia aliqualiter proprietatem superbiæ participant.

Denique Stoicorum positio, quam Tullius sequitur, erat quod omnia peccata essent æqualia : quia putabant virtutem omnino in indivisibili esse, et eam statim corrumpi, quantumcumque quis recederet ab ea, utputa si aliquam circumstantiam virtutis omitteret. Contra quod secundo Ethicorum Philosophus probat, quod ad opus virtutis non semper requiritur simpliciter attingere medium, sed sufficit esse circa medium, licet perfectio virtutis in indivisibili sita sit. Præterea, etsi ratio virtutis in indivisibili consisteret, non tamen ratio bonitatis, neque perfecti [eo quod contingit perfectionem perfectioni superaddi, quarum unaquæque rationem bonitatis causat] : et ergo contingeret unum peccatum esse alio pejus, prout in eo plures circumstantiæ boni corrumperentur. Est ergo unum peccatum gravius altero : primo, ex parte actus, secundum quod magis a rectitudine rationis abscedit; secundo, ex parte peccantis, prout quis ampliori contemptu aut majori libidine peccat. Hæc tamen gravitas accidit peccato in suo genere considerato : nam quod ex proprio genere levius est, gravius esse potest.

ARTICULUS CXL.

De peccato in Spiritum Sanctum.

PORRO, peccare in Spiritum Sanctum dupliciter dicitur, scilicet : peccare in personam ejus, ut quum de ea male quis sentit, quemadmodum qui asserebant eum ministrum Patris et Filii; et sic est peccatum infidelitatis. Secundo dicitur peccare in Spiritum Sanctum, peccare contra attributum ejus quod est bonitas : et ideo ex certa malitia aut industria peccare, est peccare in Spiritum Sanctum; sicque accipitur proprie peccatum in Spiritum Sanctum. Peccare autem ex infirmitate, est peccare in Patrem, cujus attributum est potentia; atque ex ignorantia peccare, est peccare in Filium, cui attribuitur sapientia. Nempe, ut quinto Ethicorum Philosophus docet, tribus modis contingit peccare : ex ignorantia, passione et electione. Itaque ex ignorantia peccare, est peccatum in Filium, dum scilicet aliquid ignoratur quod a peccato retraheret. Peccare ex passione, est peccatum in Patrem, quum ex passione aut innata aut illata quis peccat : hoc namque est ex infirmitate peccare. Ex electione vero is peccat qui non alia tentatione victus, sed ex ipsa sua malitia, cum deliberatione peccato adhæret ut fini : et hoc est peccare in Spiritum Sanctum. — Dicit autem Augustinus, quod omne peccatum ex errore causatur : quod ad ignorantiam pertinere videtur. Sed hoc de errore electionis est dictum, secundum quem omnis peccans est ignorans, secundum Philosophum, in quantum videlicet in particulari eligibili errat.

Digitized by Google

Advertendum quoque, quod ex certa deliberatione atque malitia peccare, intelligi potest dupliciter. Vel ex aliquo interius inclinante, ut est habitus malus: et sic omnis qui in malo habituatus est, ex electione peccat, ut intemperatus. Secundo, dum voluntas id rejicit quod a peccato retrahere potest : sicut dum spem futuræ vitæ quis abjicit ut peccato liberius vacet. Primo autem modo ex electione peccare, non est determinatum genus peccati, sed quædam communis circumstantia peccati. Sed secundo modo, est determinatum genus peccati, quod proprie peccatum in Spiritum Sanctum vocatur : sic enim habet speciale objectum, utputa id quod a peccato est natum retrahere; quod utique est bonitas Spiritus Sancti, aut effectus ei appropriandus. — Quum autem secundo modo ex electione peccatur, sunt ibi duo actus mali, quorum unus est causa alterius : et primus, videlicet spontanea abjectio ejus quod peccatum impedit, est proprie peccatum in Spiritum Sanctum; alius autem non ita : sicut si ex desperatione quis fornicetur, non est fornicatio in Spiritum Sanctum; sed ipsa aspernatio ejus quod peccatum impedire potest, peccatum in Spiritum Sanctum dicitur.

Denique, sufficientia specierum peccati in Spiritum Sanctum ita accipitur. Nam peccatum in Spiritum Sanctum est ex hoc quod quis abjicit quod peccatum impedire potest. Retrahitur autem aliquis a peccato, aut propter deformitatem peccati, aut propter aliud. Si propter aliud, hoc est dupliciter, scilicet : vel ad vitanda supplicia, vel ad præmia consequenda; quorum neutrum est virtuosi, cujus est bonum operari propter amorem boni. Hæc vero duo tolluntur per præsumptionem, quæ privat timorem supplicii, et per desperationem, quæ aufert spem præmii. Si autem retrahatur a malo et agat bonum propter se, scilicet delectatus amore boni, hoc est dupliciter : quoniam actus virtutis et vitii considerari potest, vel ut quoddam bonum humanum, aut ut bonum divinum. Si ergo consideretur actus peccati ex parte ejus quod est humanum, sic duo in ipso considerari possunt, delectatio indebita scilicet, atque deformitas; et ex utraque quis a peccato retrahi potest. Et quoad hoc sunt duæ species peccati in Spiritum Sanctum, scilicet : obstinatio, qua aliquis firmiter adhæret delectationi, ac si non esset indebita; et impœnitentia, qua deformitatem peccati nec abhorret neque relinquere curat. Divinum quoque in actu virtutis, quod etiam a peccato retrahit, est duplex : unum velut dirigens, scilicet veritas fidei; aliud sicut inclinans, videlicet gratia in Ecclesiam a Spiritu Sancto diffusa. Contra primum est impugnatio veritatis agnitæ; contra secundum, invidentia fraternæ gratiæ.

Itaque desperatio prout est peccatum in Spiritum Sanctum, non est ex hoc quod remissionem peccatorum quis neget (hoc namque infidelitatis est vitium), sed quoniam homo remissionem peccatorum quam fieri credit, a se rejicit ut securius peccet, nolens in ea tendere per quæ peccatorum remissionem percipiat. — Denique, sicut perseverantia uno modo est specialis virtus, prout dicit propositum perseverandi in bono incepto usque in finem; alio autem modo est quædam circumstantia aliarum virtutum, secundum quod dicit actualem in actibus virtutum durationem usque ad mortem : sic impœnitentia prout dicit propositum non pœnitendi, est species peccati in Spiritum Sanctum; sed in quantum dicit permanentiam in peccato usque ad mortem, negando peccati pœnitentiam, sic est quædam circumstantia et accidens peccatorum aliorum. — Advertendum autem, quod veritas et sapientia, et hujusmodi, si secundum propriam rationem considerentur, appropriantur Filio; si vero considerentur ut dona, sic appropriantur Spiritui Sancto, qui est primum donum, in quo omnia dona donantur. — Invidia quæ est peccatum in Spiritum Sanctum, non est illa quæ est de

Digitized by Google

* exaltatione

prosperitate aut actione * hominis, sed quæ est de exaltatione gratiæ, vel ideo quod multi convertuntur ad Deum. — Nullum denique istorum est peccatum in Spiritum Sanctum, nisi quia voluntas tendit per se in ea : ut quod aliquis non vult habere spem præmiorum, nec vult assentire veritati quam novit. Si autem contingunt ex quodam exteriori, seu passione seu rationis defectu, sic non erunt peccata in Spiritum Sanctum.

Dicitur quoque peccatum in Spiritum Sanctum irremissibile, non quia remitti non possit, sed quia de se non habet aptitudinem ut remittatur, et hoc tribus de causis. Primo, ex causa movente : nam procedit ex industria et mera malitia seu electione, non autem ex infirmitate aut ignorantia, quæ peccatum remissibile faciunt, quia rationem voluntarii minuunt. Secundo, propter modum inclinationis, quia in peccato hoc adhæret quis malo sicut fini. Et hæ duæ rationes sunt in omni peccato quod ex electione procedit, ut irremissibile sit. Tertia vero propria est peccato in Spiritum Sanctum, et sumitur ex parte objecti : nam peccans in Spiritum Sanctum, abjicit remedium a peccato retrahens, seu spiritualem medicinam peccati. Unde sicut æger medicinam fastidiens, incurabilis est quantum in se est, nisi miraculose curetur; sic in Spiritum Sanctum peccans, secundum se incurabilis est, sed quasi miraculose ab immensitate divinæ clementiæ curari potest : ideoque de eo penitus desperandum non est.

Solet præterea quæri, an aliquis in primo actu peccati et ante alia peccata, peccare possit in Spiritum Sanctum. Ad quod respondendum, quod quum nihil appetatur nisi sub ratione alicujus boni, ideo, sicut in objecto peccati in Spiritum Sanctum est minimum de bonitate, tam vera quam apparenti ; ita sæpius et quasi semper ipsum sequitur post alia, imo gravissima peccata, dum scilicet homo omnino obtenebratus est. Nihilo minus, quoniam peccatorum quorum actus distincti sunt, unum non necessario præsupponit aliud, ipsa quoque voluntas ad utrumque oppositorum se habet; ideo possibile est aliquem ante alia peccata peccare in Spiritum Sanctum, præsertim in ultimis duabus speciebus, videlicet impugnatione veritatis agnitæ, et invidentia gratiæ qua reconciliati sumus : nam hæ species ab aliis peccatis ampliorem habent distinctionem. Et tamen etiam in aliis speciebus hoc accidit, si quis bene consideret. Nam potest aliquis abjicere spem futuræ beatitudinis propter difficultatem perveniendi ad eam, et propter delectationes eorum qui eam non curant; aut firmare animum suum, ut in omnibus propriam voluntatem sequatur : quod obstinationis est.

Ex hoc etiam solvitur quæstio, an peccatum primi hominis vel angeli erat in Spiritum Sanctum. Et dicunt quidam, quod peccatum eorum nec erat in Patrem nec in Filium neque in Spiritum Sanctum, quia istæ differentiæ peccati non sunt nisi secundum quod peccatum invenitur in natura corrupta : siquidem infirmitas, malitia et ignorantia, ex peccati corruptione secutæ sunt. Licet autem istud de infirmitate verum sit, non tamen de ignorantia neque de malitia. Nam ignorantia, non privative sed negative accepta, est defectus sequens intellectum creatum eo quod creatus est, in quantum deficit a lumine increati intellectus : et sic non præexigit culpam. Et ex tali nescientia seu ignorantia nascens peccatum, est peccatum in Filium, quia videlicet non omnia actu considerat, nec cuncta agnoscit quæ sciri possunt. Similiter non oportet quod malitia sit pœna, sed est aliquis actus peccati. Sciendum tamen, quod primum peccatum primi hominis et angeli non erat peccatum in Spiritum Sanctum : quod ex objecto patet. Non enim peccaverunt repugnando spei aut alicui tali; sed erat superbia, quantum ad genus peccati. Quantum vero

Digitized by Google

ad circumstantiam peccati, erat peccatum in Filium : quia uterque ideo peccavit, quod non consideravit quod ad evitationem peccati considerandum erat. Nihilo minus ex primo peccato angeli consecutæ sunt aliæ multæ deformitates, scilicet invidia, odium, etc., inter quæ esse potest peccatum in Spiritum Sanctum. — Denique advertendum, quod peccare ex spe misericordiæ, non est peccatum in Spiritum Sanctum, sed peccare ex spe divinæ misericordiæ sine pœnitentia consequendæ : hoc enim repugnat divinæ justitiæ. Et ideo licet, secundum Augustinum, Adam peccando cogitavit de divina misericordia, non tamen peccavit in Spiritum Sanctum : quia simul cogitavit de pœnitentia, ut Augustinus testatur.

ARTICULUS CXLI.

An omnis prælatio sit a Deo ; et utrum in statu innocentiæ fuisset prælatio.

QUONIAM bonorum omnium Deus causa est, nulliusque mali, ideo quidquid boni in prælatione est, a Deo est utique ; si vero aliquid mali in ea est, non hujus erit Deus causa. Tria autem in prælatione considerantur, scilicet prælationis principium, modus et usus. In quibusdam quoque quodlibet horum bonum est, utpote qui ad prælationem debite pervenerunt, et actus ejus bene exercent. In quibusdam vero principium malum est, ut qui indebite promoventur propter insufficientiam, aut qui injuste pervenerunt ; et tamen actum prælationis bene adimplent : et sic in eis usus bonus est. In aliquibus etiam est econtrario. Sed et in quibusdam utrumque malum est. Modus autem seu forma prælationis, in omnibus bonus est : consistit enim in ordine recti sub regente. Et ideo simpliciter concedendum est, omnem prælationem esse a Deo, quia formale in prælatione est a Deo ; sed quoad aliquid, scilicet quoad abusum, non est a Deo. Unde quidam usurpatam dicuntur habere prælationem. Et de quibusdam scriptum est : Ipsi regnaverunt, et non ex me. *Osee* VIII, 4.

Denique, duplex est prælatio : una ad regendum, et hæc est regis ad subditos, quæ semper ordinatur ad utilitatem inferiorum ; alia est ad dominandum, et hæc est tyranni ad servos : quia secundum Philosophum, tyrannus a rege differt, quoniam ad proprium commodum prælationem suam ordinat ; et ideo dicit Philosophus, quod servus est organum animatum domini sui. Talis autem prælatio ante peccatum non fuisset, nisi respectu irrationalium, quæ in bonum hominis referenda sunt ; nec modo est, nisi quia homo propter peccatum comparatus est jumentis. Homo enim non est naturaliter ordinatus ad finem alium nisi ad Deum. Prima autem prælatio etiam in primo statu fuisset, non tamen quoad omnes effectus quos modo habet. Triplex quippe est ejus effectus. Primus, dirigere subditos in agendis : et secundum hunc tunc fuisset, quia unus homo majori lumine naturalis ingenii et ampliori munere sapientiæ alio præditus fuisset. Secundus effectus est supplere defectus inferiorum, sicut dum populum princeps defendit ; tertius, corrigere mores, ut quum mali corriguntur, et rebelles ad bonum coguntur : et quoad hos effectus, non fuisset prælatio in statu primo. — Ista quoque prælatio dignitati libertatis non derogat. Imo hoc modo non inepte prælati se servos subditorum appellant. Fecit quidem natura omnes homines æquales, secundum Gregorium, in libertate, non autem in perfectionibus naturalibus. Liberum namque vocatur, quod est causa sui. Sed unus homo non ordinatur naturaliter ad alium. Et igitur in libertate omnes æquales fuissent. *Ps.* XLVIII, 13, 21.

ARTICULUS CXLII.

Quod obedientia sit specialis virtus.

HABET præterea obedientia speciale objectum, videlicet præceptum cum debito observandi. Dicitur enim objectum

Digitized by Google

speciale, non quod circa ipsum sit solum una virtus, potentia vel habitus, sed propter specialem rationem. Contingit namque ut eadem res ad diversas potentias pertineat secundum rationes diversas : sicut color ad visum, imaginatio ad intellectum. Sic itaque, licet obedientia respiciat præceptum, quod est communis materia ad omnes actus virtutum, tamen quia respicit præceptum cum speciali ratione, scilicet cum debito observandi, ideo est specialis virtus. Et quia alteri reddere quod debetur, est justitiæ, ideo obedientia est pars justitiæ etiam specialis : quoniam debitum quod superioribus redditur in adimpletione mandati, est pars hujus quod est reddere alteri quod suum est.

Dicit autem Gregorius, quod obedientia est mater virtutum : quod tamen aliter ipsi quam caritati adscribitur. Oritur enim virtus una ab alia, vel per modum causæ finalis ; et ita, quum actus omnium virtutum ad caritatem ordinentur, ipsa caritas mater virtutum vocatur. Secundo oritur una virtus ab alia, quia ex actibus unius virtutis causatur vel conservatur alia virtus ; et sic obedientia est mater virtutum.

ARTICULUS CXLIII.

Utrum Christiani teneantur sæcularibus potestatibus obedire ; et an obedientiam professi, in omnibus simpliciter obedire teneantur.

PAULO ante jam dictum est, quod obedientia respicit præceptum cum debito observandi. Hoc autem debitum causatur ex ordine qui est forma et modus prælationis, consistens in condecenti habitudine superioris ad inferiores. Hic vero ordo, ex eo quod a Deo est, vim coactivam habet, non solum corporaliter, sed
Rom. XIII, 5. et spiritualiter, propter conscientiam, ut ait Apostolus. Itaque Christianus obedire tenetur potestati sæculari secundum id quod a Deo est, non autem quantum ad ea quæ a Deo non sunt.

Dictum est autem, quod prælatio dupliciter a Deo non est : vel quantum ad modum acquirendi prælationem, vel quantum ad abusum prælationis. Quantum ad primum contingit dupliciter : aut propter indignitatem personæ, aut propter illicitum modum acquirendi. Insufficientia vero personæ non impedit quin prælato jus prælationis acquiratur : et ideo prælatis quamvis dyscolis obedire tenentur subditi, quia formale prælationis (quod debitum obedientiæ causat) semper a Deo est. Secundus autem defectus impedit jus prælationis. Nec est verus prælatus, qui per violentiam aut simoniam dominium subripit. Unde talis prælatus a subditis repelli potest quum adest facultas, nisi postea verus efficiatur prælatus consensu subditorum, vel superioris auctoritate. Propterea Tullius in libro de Officiis, laudat eos qui Julium Cæsarem (suum quamvis amicum et familiarem) occiderunt, quoniam tanquam tyrannus jura imperii usurpavit. Nam qui sic ad liberationem patriæ tyrannum occidit, mercedem et laudem meretur, quando videlicet non est recursus ad superiorem per quem judicium de invasione fieri possit. Porro, abusus prælationis dupliciter accidit. Primo, si prælatus præcipiat aliquid quod directe contrarium est virtuti, ad quam acquirendam est instituta prælatio : et tunc subditus non solum non tenetur obedire, sed etiam tenetur non obedire, sicut sancti martyres mori eligebant potius quam impiis principum parere edictis. Secundo, si aliquid jubeat ad quod se non extendit prælatio, ut si dominus a servo tributa requirat non debita : et tunc non tenetur subditus obedire, nec etiam tenetur non obedire. — Dicit autem Thomas, quod majus vinculum non solvit a minori, nisi quando non compatiuntur se mutuo : ideo vinculum quo in Baptismo quis ligatur, non absolvit a vinculo servitutis.

art. CXLII.

Digitized by Google

Denique advertendum, quod triplex est obedientia, scilicet : indiscreta, et hæc non est vera obedientia, nec eam aliquis habere debet, imo omnino abjicienda est : ut quum quis in his obedit quæ divinæ legi aut regulæ propriæ professionis contraria sunt. Alia est obedientia imperfecta, sed discreta atque ad salutem sufficiens ; et est quum quis in eis quæ promisit obediens est, non autem in aliis. Tertia est obedientia perfecta, qua quis simpliciter in cunctis obedit quæ divinæ legi (quam inviolabiliter observari oportet) et propriæ professionis statutis non repugnant. Et de hac intelligendum est quod B. Benedictus ait, quod quamvis prælatus aliquid impossibile jusserit, implere tamen tentandum est. Et hæc obedientia non est necessaria, sed abundans. Et hæc responsio ex verbis S. Bernardi in libro de Dispensatione et præcepto, manifeste elici potest atque probari : licet aliqui aliter dicant, asserentes quod obedientiam professus, teneatur in omnibus obedire quæ regulæ non contrariantur, sive illa sint de genere bonorum, sive indifferentia, dummodo altiora non sint quam professio Ordinis assumpti requirit ; ad æqualia vero et faciliora prælatus cogere potest, quamvis secundum præcepta regulæ non sint. Sed prima responsio longe melior est. Nam quum debitum obedientiæ ex ordine prælationis dependeat, ad illa dumtaxat subditus ex voto obedire obligatur ad quæ est ordinata prælatio. Sed prælationes in religionibus ad hoc ordinatæ sunt, ut status religionis secundum statuta regulæ conservetur : ideoque in his solum quæ ad regulam pertinent, debitum obedientiæ se extendit. — Si vero quis dicat, Si subditus in aliquo potest non obedire, ergo judicare habet de præcepto prælati ; respondendum, quod in his quæ regulæ suæ non sunt, de actu proprio judicare habet, licet de præcepto prælati non judicet.

Si autem quæratur, an monachus plus obedire teneatur abbati suo quam episcopo ; respondendum, quod quandoque potestas inferior totaliter oritur a superiori, et tunc semper magis obediendum est superiori quam inferiori. Et ita se habet potestas divina ad omnem potestatem, potestas quoque imperatoris ad potestatem proconsulis, et Papæ ad omnem potestatem spiritualem in Ecclesia. Quandoque autem potestas superior et inferior procedunt a quadam potestate altiori, quæ secundum suam voluntatem subdit unam alteri in quibusdam, et non in omnibus ; et tunc magis est obediendum potestati superiori in his in quibus inferior sibi subjecta est, non autem in aliis. Unde quoad statuta regulæ, plus obedire debet monachus abbati quam episcopo ; non tamen in his quæ ad ecclesiasticam pertinent disciplinam. Conformiter, quum sæcularis potestas spirituali inferior sit quoad ea quæ ad animæ salutem pertinent, non autem in his quæ ad bonum civile pertinent, ideo in illis quæ ad animæ salutem respiciunt, magis obedire oportet spirituali potestati quam sæculari ; sed in eis quæ ad bonum civile spectant, sæculari potestati amplius obediendum est, sicut scriptum est, Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari : nisi in aliquo utraque potestas exsistat, quemadmodum in Papa, qui spiritualis ac sæcularis potestatis apicem tenet ab eo qui est fons universæ virtutis, Deus sublimis et benedictus. Amen. *Matth.* XXII, 21.

CREATURARUM IN ORDINE AD DEUM CONSIDERATIONIS THEOLOGICÆ FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

DE VENUSTATE MUNDI
ET PULCHRITUDINE DEI

Digitized by Google

Digitized by Google

PROŒMIUM

UNUS est Altissimus, creator omnium, omnipotens rex, metuendus nimis, sedens super thronum, dominans Deus. Eccli. I, 8.

Quemadmodum quarto capitulo de Divinis nominibus magnus atque divinus Dionysius protestatur, omnibus desiderabile, amabile ac delectabile est pulchrum. Denique, sicut omnis mens creata bene disposita, primum summumque bonum potissime ac finaliter amat aut appetit ad fruendum, sic utique primum summumque pulchrum maxime cupit, ultimateve diligit ad videndum. Hinc Deum sublimem, qui est bonitas pura, immensa, causalissima et fontana, pulchritudo quoque incircumscripta, idealis, separata, in se subsistens, omniformiter superperfecta, totius beatitudinis esse fontem, objectum et causam, christianæ sapientiæ veritas docet : pro eo quod ipse dumtaxat, et vere ac plene satiare ac quietare idoneus est tam ipsius intellectus quam volitivæ potentiæ capacitatem, aviditatem et motionem. Propterea decimo de Civitate Dei asserit Augustinus : Deus est fons nostræ beatitudinis ; ipse omnis appetitionis est finis, ad quem dilectione tendimus, ut in illo quiescamus.

Nullum quippe defectivum, nullum imperfectum, nullum finitum, creatum, secundarium, dependens seu indigens, sufficit menti creatæ ut eam felicitet, impleat et quietet ; sed ad unum indefectibile ac perfectum, infinitum, increatum, primum et independens, oportet esse ascensum, contactum ac statum, hoc est ad pulchritudinem illam exemplarem, supersplendidissimam atque fontalem. Qua sicuti est visa et fruitive possessa, feliciter specieque tenus adepta, tanta mox adest exuberantissima delectatio, complacentia, opulentia quoque deifica, ut videns, plenissime contentetur, constabiliatur et immobilitetur in ea, hoc est in Deo adorando et benedicto, cujus splendor ac decor finem prorsus non habet.

Hujus igitur increatæ pulchritudinis, in infinitum præ cunctis et super omnia dulcis, convenientis, desiderandæ, amandæ, et supermundissimæ, igneo flagret mens pia amore, dicendo : Quando veniam, et apparebo ante faciem Dei ? Nempe, ut decimo de Civitate Dei, Augustinus ex verbis Plotini, magni Platonici, introducit : Contemplatio Dei tantæ pulchritudinis visio est, et tanto amore dignissima, ut sine hac quibuslibet aliis bonis præditus et abundans, infelicissimus sit censendus. Sed, o quam purum et incontaminatum, quam innocens et purgatum esse oportet, quod superessentiali illi infinitæque pulchritudini supersanctissimæ Deitatis immediate conjungitur, beatifice counitur, atque per speciem facialiter copulatur ! *Ps.* XLI, 3.

Digitized by Google

Digitized by Google

DE VENUSTATE MUNDI

ET

PULCHRITUDINE DEI

ARTICULUS PRIMUS.

Quid pulchrum, quæ ratio seu descriptio pulchri; et quod pulchrum sit unum convertibilium cum ente, ita quod omne ens est pulchrum.

QUID autem sit pulchrum, et quæ ratio ejus, originaliter sumitur ex theoricis S. Dionysii documentis : qui capitulo de Divinis nominibus quarto, Bonum (inquit) et pulchrum idem sunt, et omnia appetunt bonum et pulchrum, neque est exsistentium aliquod quod non participet B bono et pulchro. Itaque, secundum B. Dionysii commentatores, quemadmodum bonum et verum ac unum convertuntur cum ente, ita et pulchrum : ita quod omne ens est pulchrum, sicut omne ens dicitur bonum et verum ac unum.

Rursus, sicut omne creatum, aliquid divini esse divinæque bonitatis participat; sic quoque aliquid divinæ, sempiternæ et increatæ pulchritudinis Creator eidem communicat, per quod suo conditori aliqualiter assimilatur, ejusque pulchritudinem in aliquo imitatur. Etenim, quantum res sortitur de entitate, tantumdem habet de bonitate et pulchritudine, loquendo de bonitate naturæ, et pulchritudine naturalis perfectionis seu formæ. Forma quippe est decor et species rei. Hinc quod debita perfectione ac forma ornatur, pulA chrum rite asseritur. Essentiali vero itemque intrinseca perfectione aut formalitate, nulla res condita in toto privatur : aliqua ergo pulchritudine decoratur.

Præterea, omne creatum, in quantum rationem idealem exemplaremque formam quam habet in luce ac sapientia mentis divinæ, proportionaliter imitatur, pulchrum consistit. Unde Dionysius : Pulchrum, ait, est omnium exemplaris causa in Verbo. Quamvis igitur pulchrum et bonum realiter convertantur atque coincidant, tamen formaliter distinguuntur : quoniam juxta Thomam in prima parte, bonum dicitur in ordine seu per comparationem ad potentiam appetitivam, pulchrum vero per comparationem ad cognitivam potentiam. Quemadmodum ergo bonum describitur esse quod omnia appetunt, eo quod nihil desideretur nisi sub ratione seu proprietate boni, aut veri aut apparentis; sic pulchrum quidam esse describunt quod omnia adspiciunt vel cognoscunt, hoc est, quod sua actualitate, cognoscentis intuitum C ad suam notitiam aut adspectum movere sive allicere potest : communiter namque pulchrum vocamus, quod visui placet, et videntem oblectat.

De Divin. nom. c. IV.

q. V, a. 4 ad 1um.

Cui consonat quod Alexander de Hales, doctor magnus et solidus, ait super secundum : Pulchrum dicimus, quod in se habet unde conveniens sit in adspectu.

Digitized by Google

Præterea, doctor iste aliam ponit differentiam boni et pulchri. Utrumque siquidem dispositionem respectu alicujus causæ importat; sed bonum dicit dispositionem respectu causæ finalis, pulchrum vero respectu causæ formalis. Res enim creata dicitur ens, quoad causam efficientem (efficiens nempe dat esse); bona, quoad causam finalem, a qua sortitur inclinationem ad bonum et debitum finem; pulchra, quoad causam formalem formantem et exemplarem, quæ effectum suum distinguit ab aliis, imprimendo ei formam, qua separatur ac differt a ceteris : quoniam forma distinguit et separat, juxta Averroem.

ARTICULUS II.

Quomodo etiam in ipso universorum primo principio, Deo benedicto, pulchrum concernit rationem causæ exemplaris et ad eam pertinet.

JAM in fine præcedentis articuli tactum est, quod res creata dicitur pulchra quoad causam formalem extrinsecam seu exemplarem, videlicet Deum, sub ratione hujuscemodi causæ formalis unumquodque distincta ac propria ideali ratione causantis, secundum Augustinum in libro LXXXIII Quæstionum. Nihilo minus res creata, etiam pulchra vocatur et est ex parte causæ formalis intrinsecæ seu informantis, quæ est velut quædam impressio et participata similitudo formæ idealis, conferens enti speciem et decorem. Denique, Deo glorioso et sancto existente omnium causa in triplici genere causæ, utputa, efficientis, formalis quoque seu exemplaris, atque finalis, certum est causalitatem causæ efficientis ad potentiam, exemplaris ad sapientiam, finalis ad bonitatem potissime pertinere. Itaque causalitas efficientialis competit Deo ratione potentiæ, sicque omnia sunt ex ipso; causalitas vero exemplaris, ratione sapientiæ, cujus est omnia ordinate producere, rationem et formam operis intuendo, sicque omnia sunt per ipsum. Porro, causalitas finis competit Deo ratione bonitatis, et sic omnia sunt in ipso. Quoniam itaque, juxta inducta, pulchrum dicit dispositionem respectu causæ formalis et exemplaris, palam quod in Deo quoque pulchrum seu pulchritudo ad causam pertineat exemplarem : cujus est creata sapienter pulchriformiterque distinguere, et singula propriis perfectionibus ad imitationem primæ et exemplaris pulchritudinis decorare.

Hinc Areopagita Dionysius docet, quod primum et increatum supersubstantialeque pulchrum, dicitur pulchrum et pulchritudo, quoniam exsistentia cuncta pulchrificat secundum propriam singulorum proportionem, et causat universalem omnium harmoniam et claritatem, ac instar solaris luminis, universitati entium pulchrificas distributiones radii sui fontani immittit. Et denuo ait : Secundum pulchrum omnia determinantur ac distinguuntur. Distinctio quippe penes ea quæ sunt eminentiora et pulchriora in rebus, præsertim attenditur. Unde differentia perfectissima a perfectione speciei essentiali ac ultimata accipitur, secundum philosophos. De Divin. nom. c. IV.

Postremo, pulchrum quoad cognitivam potentiam dicitur, sicut ostensum est. Hinc in spiritualibus intellectualibusque naturis, pulchritudo ad sapientiam præcipue pertinet, atque in Deo ad attributum veritatis reducitur, secundum doctores. Causalitas autem exemplaris ad sapientiam pertinet. Rationabiliter ergo in Deo pulchrum ad rationem et genus causæ exemplaris asseritur pertinere. In ipso equidem primo ac omnipotenti principio invenitur causa subsistendi, ratio intelligendi, et ordo vivendi : quorum primum ad naturalem, secundum ad rationalem, tertium ad moralem pertinet philosophiæ partem seu speciem, prout octavo de Civitate Dei, a Platonicis dictum Augustinus commemorat.

Digitized by Google

ARTICULUS III.

De distinctione pulchri et veri.

CONVERTIBILIA entis, videlicet bonum, verum, pulchrum, reale nil superaddunt enti, sed solum aliquam rationis considerationem ac proprietatem. Porro
art. I. jam dictum est, quod pulchrum dicitur respectu causæ formalis, et quantum ad cognitivam potentiam. Quum ergo etiam verum prout cum ente convertitur, dicatur atque sumatur ex parte formæ, et per B comparationem ad vim cognitivam intellectualem, videlicet prout natum est facere veram conceptionem in intellectu, secundum Avicennam et omnes; quærendum quomodo pulchrum a vero distinguitur.
ibidem. Iterum, dictum est quod pulchrum vocatur, secundum quod formam exemplarem quam habet in mente divina, proportionaliter imitatur. Simili autem ratione, verum quoque ens omne creatum asseritur. Nam sicut artificialia vera dicuntur, in quantum ad imitationem formæ C quam habent in mente artificis producuntur; sic naturalia dicuntur vera, secundum quod ad imitationem formæ idealis quam habent in mente primi opificis producta sunt. Sicque videtur eadem esse ratio veri et pulchri.

Ad hoc Alexander de Hales in secundo respondet, quod veritas est dispositio seu proprietas ex parte formæ relata ad interius, puta per comparationem ad intrinsecam atque latentem mentis seu intellectus considerationem. Pulchritudo autem D est dispositio ex parte formæ relata ad
ibidem. exterius : quia, ut habitum est, pulchrum describitur, quod cognoscenti vel intuenti conveniens et ornatum monstratur.

Porro, quod pulchrum ex parte formæ sumatur, liquet ex verbo Augustini, in libro de Natura boni dicentis : In hominis forma quoniam major est pulchritudo, in ejus comparatione, simiæ pulchritudo deformitas appellatur. Iterum, quum tria sint ipsius creaturæ, videlicet modus, species, A ordo, palam est pulchritudinem ad speciem pertinere, atque secundum eam determinari : nam et speciosa dicimus pulchra. Sed species ex parte formæ accipitur : ergo et pulchrum seu pulchritudo.

Si vero quis instet contra prædicta, eo quod teste Dionysio, pulchrum secundum De Divin. causam omnia appetunt : quum igitur nom. c. IV. appetitus respiciat finem, pulchrum ad causam pertinebit finalem. Ad hoc quidam respondent, quod appetere sumitur proprie; sicque dicitur respectu finis seu causæ finalis. Sumitur etiam communiter; et sic omne in quo quiescit appetitus alicujus, dicitur ab eo appeti, et esse finis ipsius : ut quod est delectabile intellectui, dicitur appetere intellectus; et quod est delectabile visui, dicitur appetere visus. Sicque pulchrum cadit in naturali appetitu omnium rerum, et quælibet potentia appetit pulchrum conveniensque objectum. — Si autem rursus quis instet, quia Dionysius ait, quod pulchrum Ibidem. est finis omnium, et omnia fiunt causa pulchri; dicendum, quod quum bonum et pulchrum idem sint, pulchrum materialiter in quantum est quoddam bonum, vel etiam summum bonum, ad finalem pertinet causam.

ARTICULUS IV.

De multiplici divisione pulchri seu pulchritudinis.

QUEMADMODUM ens et convertibilia ejus, videlicet bonum et verum, multipliciter dividuntur, ita et pulchrum : præsertim quum pulchrum inveniatur in omni natura, genere, gradu et ordine entis. Est itaque pulchritudo quædam increata, quæ est pulchritudo et pulchrum per essentiam, scilicet Deus. Alia est pulchritudo creata, seu pulchrum per participationem. Quemadmodum enim omne creatum dicitur ens, in quantum aliquid de divino esse participat, atque ob id eidem in aliquo per quamdam imitatio-

Digitized by Google

nem vestigialem assimilatur; sic omne creatum dicitur pulchrum, in quantum aliquid de pulchritudine divinæ naturæ sortitur, ac per hoc eidem aliqualiter conformatur. Et sicut Deus omnia fecit bona, quoniam in se ipso naturaliter bonus est, sic omnia fecit pulchra, quia in se substantialiter, imo et supersubstantialiter pulcher est. — Præterea, pulchritudo creata, alia est essentialis, alia accidentalis. Essentialis, est ipsa rei essentia, seu intrinseca atque specifica ejus perfectio seu natura, in quantum in se continet unde cognoscenti complaceat et decora appareat. Hanc quoque pulchritudinem non solum reor ponendam in entibus prædicamenti substantiæ, sed in omni prædicamento ac genere entis. Essentialis etiam pulchritudo rei est ipsa entitas, seu natura et forma, alicujus actualitatis perfectionisque contentiva : quemadmodum pulchritudo sapientiæ seu doctrinæ est ipsa doctrina modo præfato, et pulchritudo lucis est ipsa lux cum respectu prædicto. Pulchritudo autem accidentalis, est aliqua adventicia perfectio vel superveniens decor, essentialem pulchritudinem complens ac fulciens : sicut essentiali, naturali atque ingenitæ pulchritudini mentis creatæ, supervenit pulchritudo sapientiæ et virtutum. Essentia nempe entis creati in se perfecta non est, sed actibus atque habitibus bonis perfici indiget et ornari. Sola autem divina essentia in se prorsus perfecta consistit : unde nec actu nec habitu usquam perficitur, quum ipsa sit actus purus et simplicissimus, in quo vere ac penitus idem sunt esse, posse et agere. Hinc pulchritudo accidentalis in ipsa locum non habet.

Amplius, pulchritudo, alia est corporalis, alia spiritualis. Spiritualis autem in rationalibus et intellectualibus invenitur essentiis.

Postremo, sicut veritas in veritatem vitæ, veritatem doctrinæ veritatemque justitiæ tripartitur; ita et quædam dici potest pulchritudo vitæ, quædam pulchritudo doctrinæ, quædam demum pulchritudo justitiæ. Pulchritudo vitæ est actio ipsa vitalis, seu conversatio naturæ intellectualis, secundum divinæ legis directionem et jussa exhibita, deformitate et labe carens peccati. Pulchritudo doctrinæ est ipsa veritas quæ docetur, a commixtione falsitatis aliena, audientibus grata, salubris, jucunda. Pulchritudo justitiæ est æquitas, obliquitatis vitiorum expers : habet equidem quamdam suam justitia claritatem seu lucem, estque in ipsa maximus splendor virtutis.

ARTICULUS V.

De pulchritudine corporali.

PRÆTEREA, corporalium pulchritudinum alia est elementorum, alia mixtorum, alia cœlestium corporum, alia inanimatorum, alia vegetabilium, alia sensitivorum et irrationalium, alia rationalium creaturarum. De corporali itaque pulchritudine disserens Augustinus undecimo de Civitate Dei : Pulchritudo, inquit, non mole constat, sed parilitate ac dimensione membrorum. Porro, vicesimo secundo de Civitate Dei, pulchritudinem istam plenius describens : Corporis (ait) pulchritudo est partium convenientia cum quadam coloris suavitate. Unde Albertus in quæstionibus suis super Missus est, ad hanc pulchritudinem asserit tria requiri. Primum est elegans atque conveniens corporis magnitudo; secundum est membrorum proportionata formatio; tertium, boni ac lucidi coloris perfusio. Hinc juxta Philosophum in Ethicis, homines parvæ staturæ non sunt proprie pulchri, sed dici possunt graciles ac decori. Hæc corporalis pulchritudo inter dona computatur naturæ, multisque efficitur occasio culpæ, vanitatis et pompæ. Non enim inaniter dictum est : Pulchris inest fastus. Ideo quintodecimo de Civitate Dei loquitur Augustinus : Pulchritudo corporis, bonum quoddam est et donum Dei; sed propterea

Digitized by Google

largitur Deus illud etiam malis, ne magnum bonum æstimetur a bonis.

Sed nunc dicta de pulchritudine corporali, intelligenda sunt de pulchritudine accidentali perfecta, quæ rebus inanimatis membra non habentibus non convenit, sed animalibus tantum, nec omnibus eis, sed quibusdam dumtaxat. Nihilo minus vegetabilibus atque non vivis eximia competit et admirabilis pulchritudo in partium suarum formatione, coloratione, consonantia et splendore : sicut videmus in herbis virentibus, et metallis splendentibus. Eapropter, quinto de Civitate Dei Augustinus testatur : Deus nec exigui et contemptibilis animantis viscera, nec avis pennulam, nec herbæ flosculum, nec arboris folium, sine suarum convenientia partium et quadam veluti pace reliquit. Hinc Hugo de S. Victore in libro de Tribus diebus * conscripsit : Est verum et evidens divinæ sapientiæ argumentum, quod omne genus simile sibi procreat, et in tam multis similitudo una propagata primæ originis formam non variat. Unumquodque suam speciem habet, et unumquodque generis sui similitudinem servat. Vide folium, quomodo serratis dentibus per gyrum distinguitur, quomodo intrinsecus productis costulis huc illucque intexitur ; numera unum, numera aliud : omne quod est unius generis, unius invenies et multitudinis et similitudinis ; tot dentes in uno quot in alio, tot costulas in uno quot in alio, talem colorem et formam in uno qualem in alio. Hæc Hugo.

* invisibilibus Dei

Denique, ex horum sagacissima speculatione, quidam præclari philosophi argumentati sunt, providentiam Dei excelsi et gloriosi usque ad inferiora et ima pertingere : secundum quod decimo de Civitate Dei Augustinus deducit, dicendo : Plotinus Platonicus de providentia disputans, eam a summo * (cujus est intelligibilis atque ineffabilis pulchritudo) usque ad hæc terrena et ima pertingere, flosculorum ac foliorum pulchritudine comprobat : quæ omnia quasi abjecta et velocissime pereuntia, decentissimos formarum suarum numeros habere non posse confirmat, nisi inde formentur ubi forma intelligibilis et incommutabilis, simul exemplariter habens omnia, perseverat. Hoc et Dominus Jesus ostendit in Evangelio : Considerate (inquiens) lilia agri quomodo crescunt ; dico autem vobis, quod nec Salomon in omni gloria sua coopertus est sicut unum ex illis. Hinc quoque in primo Timæi asserit Plato, quod præstantem bonitatem, videlicet superdignissimam Deitatem, non decuit aliquid procreare nisi pulchrum.

* summo Deo

Matth. VI, 28, 29.

ARTICULUS VI.

De pulchritudine cœlestium corporum.

OMNIUM figurarum completissimam constat esse rotundam, circularem seu sphæricam. Lux quoque et diaphaneitas inter corporales qualitates exstant præclaræ. Quum igitur cœlestium orbium, astrorum ac planetarum figura sit sphærica, ipsique orbes consistant diaphani, stellæ vero itemque planetæ sint pellucidæ ; palam est, cœlestibus quidem corporibus pulchritudinem inesse præcipuam : præsertim quum ipsi orbes diaphani præfatis astris atque planetis lucentibus adornentur. Idcirco in Ecclesiastico legitur : Species cœli gloria stellarum ; mundum illuminans in excelsis Dominus. Species cœli in visione gloriæ ; sol in adspectu vas admirabile, opus Excelsi, radios igneos exsufflans ; magnus Dominus qui fecit illum. Luna, ostensio temporis et signum ævi, crescens mirabiliter in consummatione, vas castrorum in excelsis, in firmamento cœli resplendens gloriose. Præterea, teste Hugone, quid pulchrius luce, quæ quum in se colorem non habeat, omnium tamen rerum colores ipsa quodammodo illuminando colorat ? Quid jucundius ad videndum cœlo quum serenum est, quod resplendet quasi sapphirus, et gratissimo quodam suæ claritatis temperamento vi-

Eccli. XLIII, 10. *Ibid.* 1-9.

Digitized by Google

sum excipit et demulcet adspectum? Sol sicut aurum rutilat; luna pallet quasi electrum. Stellarum quædam adspectu flammeo radiant; quædam luce rosea micant; quædam vero alternatim, nunc roseum, nunc viridem, nunc candidum fulgorem demonstrant.

Hinc itaque convenientissime ait Scriptura : Gloria Dei plenum est opus ejus. Quam desiderabilia sunt omnia opera ejus! Quis satiabitur videns gloriam ejus? Verum multa dicimus, et deficimus verbis; consummatio autem sermonum, ipse est. Multa quippe sunt abscondita majora his : pauca enim vidimus operum ejus. Etenim difficile æstimamus quæ in terra sunt; et quæ in prospectu sunt, invenimus cum labore; quæ autem in cœlis sunt, quis investigabit?

Eccli. XLII, 16, 23, 26.

Ibid. XLIII, 29, 36.

Sap. IX, 16.

Enimvero, quis cœli empyrei, quod omnium visibilium invisibiliumque locus seu continentia est, magnitudinem, venustatem, nobilitatem, luciditatem, simplicitatem, et ceteras ejus proprietates cognoscere possit aut fari? Ipsum est enim quantitate permaximum, qualitate præfulgidum, situ altissimum, uniforme, inalterabile atque immobile, contemplationisque beatificæ fruentium Deo habitaculum congruum; hic paradisus cœlestis, hæc patria Beatorum, hic voluptatis deificæ locus, hoc regnum cœlorum, terra regioque vivorum, cujus gyro contenta seu clausa sunt omnia, extra quod nulla penitus invenitur creatura. Porro, si minima stella visibilis, major est tota terra, quam magni sunt orbes cœlestes, quorum respectu stellæ apparent et sunt adeo parvæ? Nihilo minus, quanto stellæ majores sunt secundum veritatem quam apparentiam, tanto utique orbes majores sunt vere quam apparenter.

Hinc itaque, in horum cœlestium orbium atque astrorum decore, splendore, magnitudine et virtute, supergloriosissimi Creatoris omnipotentem sapientiam ac supersapientem omnipotentiam, sinceriter contemplemur, jugiter admiremur, ferventer amemus, reverenter colamus, et dignis (quantum inopes et pusilli valemus) præconiis incessanter humiliterque laudemus. Idcirco equidem admonet Isaias: Levate oculos vestros in excelsum, et videte quis creavit hæc.

Is. XL. 26.

ARTICULUS VII.

Ex quibus principaliter constet, colligatur atque resultet pulchritudo mundi.

QUEMADMODUM ordo, ita et pulchritudo mundi in generibus rerum ac speciebus principaliter est consistens. Hæcque vocatur essentialis pulchritudo mundi, secundum Alexandrum de Hales; et determinatur atque attenditur penes modum, speciem et ordinem, secundum eumdem : non prout modus, species et ordo considerantur in rebus quæ transeunt, seu individuis quæ corruptionibus subjacent, sed in generibus ac speciebus quæ permanent.

Verumtamen penes individua incorruptibilia, in quibus species tota salvatur in individuo uno, sicut sunt sol, luna, ac personæ angelicæ, itemque in his individuis quæ secundum se tota corrumpi non possunt, quamvis secundum partem queant corrumpi, tam in materia proxima quam in forma, qualia sunt quatuor elementa, essentialis pulchritudo mundi consistit. Hinc ergo propter generabilium corruptibiliumque individualium rerum continuam successionem, desitionem, innovationem, principalis pulchritudo mundi non turbatur, nec deformatur : quemadmodum libro de Natura boni loquitur Augustinus : Fit decedentibus ac succedentibus rebus temporalibus, quædam in suo genere pulchritudo, ut nec ipsa quæ desinunt esse, turpent aut turbent modum, speciem et ordinem universæ creaturæ : sicut sermo bene compositus, utique pulcher est, quamvis in eo syllabæ omnesque soni, quasi nascendo ac moriendo transcurrant.

Digitized by Google

Denique, secundum Augustinum undecimo Confessionum, mundi pulchritudo descendit a pulchritudine prima, exemplari, divina. Siquidem ait : Tu, Domine, fecisti ea pulchra, quoniam pulcher es : pulchra enim sunt, sed non sicut tu conditor eorum; cui comparata, nec bona nec pulchra sunt. Cui consonat illud Isidori : Ex pulchritudine circumscriptæ creaturæ, pulchritudinem suam, quæ circumscribi non valet, facit Deus intelligi. Pulchritudo igitur creaturæ est quoddam vestigium cognitive perveniendi ad notitiam pulchritudinis increatæ. Vestigium autem principaliter attenditur penes modum, speciem et ordinem : ergo et pulchritudo.

Insuper elucescit ex his ejus solutio quæstionis qua quæritur, an pulchritudo mundi possit augeri vel minui. Est nempe dicendum, quod perfectio attenditur modis duobus, videlicet secundum formam totius, et secundum formam partis, vel certe penes essentialia ac principalia, et item penes accidentalia et adventicia. Unde essentialis pulchritudo mundi, quoad genera et species et quantum ad formam totius, semper perfecta perseverat, neque augeri nec minui potest. Sed quantum ad accidentalem perfectionem ac pulchritudinem pertinet, perfectio et pulchritudo universi augeri potest ac minui, per individualium rerum multiplicationem, adornationem, deformationem et subtractionem, tam quantum ad esse quam quoad bene esse talium rerum. Quomodocumque ergo se habeant partes, perfecta est universitas mundi quantum ad essentialem ordinem entium et decorem, ut innotescit ex verbis Augustini, tertio de Libero arbitrio asserentis : Quum non peccantibus adest beatitudo, perfecta est universitas; quum vero peccantibus adest miseria, nihilo minus perfecta est universitas. Quod autem ipsæ non desunt animæ, quas vel peccantes sequitur miseria, vel recte facientes beatitudo, semper in naturis omnibus universitas plena atque perfecta est.

Verumtamen, licet modo præfato perfectum sit universum quoad genera et species, nihilo minus posset Creator omnipotens adhuc multiplicare species specialissimas in natura angelica, a supremo illius naturæ nunc subsistente supposito ascendendo in infinitum. Divina namque immensa potestas tot facere nequit, quin in infinitum plura et præstantiora producere possit. Sed ipse superliberrimus Conditor, in numero, pondere et mensura, *Sap.* xi, 21. secundum suæ abyssalis sapientiæ imperscrutabilem profunditatem rationabilissimamque censuram, constituit universa.

ARTICULUS VIII.

An malo culpæ conveniat ratio pulchri; et utrum hujusmodi malum conferat ad pulchritudinem universi.

SICUT sæpius jam patuit, pulchrum consequitur bonum et ens, ita ut quantum quid sortitur de bonitate ac entitate, tantumdem de pulchritudine sortitum dicatur. Quum igitur malum culpæ in quantum hujusmodi, sit deforme et casus ab ente, ipsa quoque malitia deformitas sit et nihil, juxta illud Dionysii quarto capitulo de Divinis nominibus, Malum secundum se, nec exsistens, nec bonum, nec operativum, nec effectivum; palam est, quod malum culpæ ut tale, non sit pulchrum neque ad pulchritudinem conferens, sed in quantum per sapientiam Creatoris omnia convenientissime ordinantis, ex ipso elicitur bonum, atque ex ejus justa punitione, summi Judicis æquitas commendatur. art. I, III, IV.

Bona quoque tali malo opposita, ex ejus comparatione et respectu, evidentius innotescunt et pulchriora apparent : eo quod opposita juxta se posita, clarius elucescunt. Sic nempe electorum beatitudo et gloria, ex reproborum miseria et tormento amplius decoratur, augetur, ipsosque electos ad pleniorem Dei amorem et gratiarum actionem inflammat, dum mala culpæ

Digitized by Google

et pœnæ in damnatis conspiciunt, quæ ipsi divinæ miserationis auxilio evaserunt. *Ps.* LVII, 11. Hinc quippe lætabitur justus quum videbit vindictam, *Job* XXII, 19. innocens quoque subsannabit iniquos.

De Divin. nom. c. IV. Unde divinus Dionysius : Malum, inquit, est ad completionem universi conferens. Et Augustinus undecimo de Civitate Dei : Deus nullum aut hominum aut angelorum, quem malum futurum prævidit, creasset, nisi novisset quibus eos bonorum usibus commodaret, atque ita ordinem sæculorum tanquam carmen pulcherrimum honestaret. Et rursus in libro præfato : Sicut contraria contrariis opposita, sermonis pulchritudinem reddunt ; ita quadam non verborum sed rerum eloquentia, contrariorum oppositione, sæculi pulchritudo componitur. Quod in Ecclesiastico rectissime positum est modo sequenti : Contra malum bonum, et contra *Eccli.* XXXIII, 15. vitam mors ; sic contra justum peccator : et ita intuere in omnia opera Altissimi ; bina contra bina, et unum contra unum. Hinc rursus in Enchiridio decimo capitulo adstruit Augustinus : Universa simul sunt valde bona, quia ex omnibus consistit universitatis admirabilis pulchritudo : in qua id quod malum dicitur, bene ordinatum et loco suo positum, eminentius commendat bona, ut magis complaceant et laudabiliora sint. Deus enim, ut in eodem libro conscriptum est, adeo bonus est, ut non permitteret mala nisi sciret et vellet ex eis elicere bona.

ARTICULUS IX.

Quomodo ratio pulchri conveniat malis pœnæ et monstris ; et qualiter conferant ista ad pulchritudinem mundi.

MALORUM culpæ Deus causa non esse asseritur, sed voluntas creata, in quantum defectiva atque ex nihilo facta, secundum Dionysium et Augustinum. Porro, malorum pœnæ causa est Deus. Talia etenim mala pœnalia juste infligit Deus, vel naturaliter concomitantur entis naturam, quemadmodum mixtorum corruptio, quæ licet bona et pulchra non sit eis quæ corrumpuntur, confert tamen et prodest ad pulchritudinem mundi, et aliis cedit ad commodum : sicut dum homines carnibus animalium occisorum aluntur. Corruptio demum unius generatio exstat alterius, in quo esse speciei continuatur.

Hoc quoque ad mundi pertinet ornamentum, ut rebus eveniat quod ipsis naturale consistit. Hinc in libro de Libero arbitrio loquitur Augustinus : Habitationi cœlesti anima injusta non convenit per peccatum ; terrestri autem convenit per supplicium. Vilioribus namque locis congruunt viliora. Ideo denuo asserit Augustinus : Servus in tali peccato deprehensus ut mundandæ cloacæ dignus habeatur, ornat eam turpitudine sua. Et utrumque horum, videlicet turpitudo servi et mundatio cloacæ, conjunctum et redactum in quamdam sui generis unitatem, ita dispositæ domui coaptatur, ut ejus universitati ordinatissimo decore conveniat. Sic voluntaria quæ in peccato fit, est turpis affectio : cui propterea pœna adhibetur, ut ordinet eam, ubi tale esse turpe non sit, et decori universitatis congruat, ut peccati dedecus emundetur pœna peccati.

Præterea, tertiodecimo de Civitate Dei loquens de morte Augustinus : Per ineffabilem (inquit) misericordiam ipsa pœna vitiorum transit in arma virtutis, dum scilicet quis pro justitia moritur. Mors ergo, in quantum est instrumentum virtutis, pertinet ad decorem. Imo si mors non esset, non utique esset martyrium : quod item non esset, si persequentium culpa deesset. Sicque persecutorum iniquitas fit electis exercitium patientiæ, cumulus meritorum coronaque gloriæ.

Si vero quis instet, quoniam in libro Sapientiæ habetur, quod Deus mortem non *Sap.* I, 13. fecit, et in de Civitate Dei Augustinus affirmat, quod sicut lex non est malum dum auget peccantium concupiscentiam, ita mors non est bonum quum auget pa-

Digitized by Google

tientiam et gloriam. Respondendum, quod A mors uno modo consideratur ut defectus vitæ et esse : sic non est bonum, nec terminus operationis divinæ directe intentus. Alio modo consideratur ut malum pœnale ei qui patitur : sicque convenit ei ratio pulchri et boni modo præfato. De- *Ps. cxv, 15.* nique, pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum, quum sit ingressus ad vitam *Ps. xxxiii, 22.* æternam. Mors vero peccatorum quamvis sit pessima eis, bona tamen et pulchra est ad declarationem divinæ justitiæ. Eis quoque aliquo modo bona esse convin- B citur, in quantum est terminus malæ conversationis eorum : qui quanto diutius vivunt, tanto graviorem sibi damnationem accumulant.

Postremo, de monstruosis effectibus planum est, quod essentiali pulchritudine naturæ suæ specificæ non priventur, quum species rerum consistant in indivisibili sicut numeri, juxta Philosophum. Deformitas quoque eorum clarius monstrat decorem eorum qui convenienti suæ speciei forma atque figura ornantur. Qui si ra- C tionalis naturæ sint, ex monstrorum deformitate, ad pleniorem gratiarum actionem Deo offerendam induci debent, ad compassionem quoque piissimam. De gentibus autem monstruosis quæ in quibusdam terræ locis esse feruntur, quid sentiri conveniat, Augustinus sextodecimo de Civitate, capitulo octavo, sapienter ac sobrie tractat.

Ex præinductis insuper elici valet, quomodo mutabilia conferant ad pulchritudinem universi. Quum enim mutabile seu corruptibile, et incorruptibile, sint aliquo D modo differentiæ entis, quemadmodum necessarium et contingens, secundum Philosophum, constat quod mutabilia seu corruptibilia, quantum ad id quod in suis naturis sunt, directe ad mundi decorem ordinemque pertineant, quanquam quoad suam defectibilitatem seu mutationem et corruptionem non spectent ad pulchritudinem universi, nisi eo modo quo nunc de malis pœnæ et ipsis rerum defectibus dictum est.

ARTICULUS X.

De pulcherrima mundi dispositione, secundum Richardum atque Hugonem.

INTER attributa perfectionalia quæ Deo conveniunt, potentia, sapientia et bonitas seu benignitas eminent. Hæc sunt invisibilia Dei, quæ per res creatas no- *Rom. i, 20.* scuntur, quamvis in Deo penitus idem sint. Potentiam manifestat creaturarum quædam quasi immensitas, utputa magnitudo et multitudo, sapientiam decor, bonitatem utilitas.

Magnitudo quædam est molis, quædam virtutis ac dignitatis. Si ergo miramur magnitudines montium, tractus fluminum, spatia camporum ac nemorum, totiusque terræ quasi impertransibilem atque immensurabilem molem, quid de aliorum magnitudine elementorum, quorum quodlibet ambit cingitque terram, dicendum videtur, quum et aer in tantum major sit aqua, ut ambiat eam, et ignis ita in quantitate aerem vincat, ut cingat eumdem? Ex quo palam fit, quam ineffabiliter orbes cœlestes majores sint elementis. Rursus, quum ipsæ rerum species innumerabiles comprobentur, quam multa et innumerabilia sunt sub eis contenta? Quantæ ergo potentiæ fuit creare hæc omnia?

Decor insuper corporalium rerum consistit in situ, motu, figura et qualitate. Videmus autem quam convenientissime situata sint corporalia universa, ita quod elementa formaliora, sunt cœlis viciniora et sibi invicem propinquiora, videlicet ignis et aer. Elementa quoque quæ maximam inter se qualitatum contrarietatem sortita sunt, non proxime collocantur, sed unum cum utroque in quadam qualitate communicans, intermedium est collocatum. Ordinatissima demum dierum et noctium vicissitudine, veris, æstatis, autumni ac hiemis distinctione, generabilium et corruptibilium cursus, vita, incrementa,

Digitized by Google

innovatio atque duratio peraguntur, secundum ipsius solis in zodiaco accessum et recessum. Ipsa quoque tempora ita immutabili lege, suæ mutabilitatis vices custodiunt, ut neque aliquando a sui ministerii expletione deficiant, neque secus currentia primæ ordinem institutionis confundant.

Præterea, quis corporis humani, ceterorum quoque animantium, organizationem, formationem, intus et foris distinctionem satis miretur? Quid de gemmis et pretiosis lapidibus narrem, quorum non solum efficacia utilis, sed adspectus quoque mirabilis? Ecce tellus redimita floribus, quam jucundum præbet spectaculum, quomodo visum delectat, quomodo provocat et affectum. Videmus rubentes rosas, candida lilia, purpureas violas, in quibus non solum pulchritudo sed origo quoque mirabilis est : quomodo scilicet Dei sapientia de terræ pulvere species tales producit. Amplius, super omne pulchrum, viride quomodo intuentium animos rapit, quando vere novo, nova quadam vita, germina prodeunt, et erecta sursum in spiculis suis, quasi deorsum morte calcata, ad imaginem futuræ resurrectionis, pariter in lucem tam amœne erumpunt.

His omnibus, hominibus quoque et bestiis variisque jumentis, elementum terræ Dei sapientia decoravit : cui tam ineffabilem fecunditatem impressit; in cujus visceribus tam pretiosa gignuntur metalla; ex qua etiam oriuntur tam pretiosissima ligna, quorum nonnulla sunt pretiosissimarum specierum generativa; in qua commorantur animalia tam diversimode figurata : quorum nonnulla miramur ex corporum magnitudine, quædam ex parvitate, quædam ex raritate, quædam ex speciositate, quædam ex quadam (ut sic loquar) convenienti ineptitudine et delectabili deformitate, quæ vocantur ridicula.

Eapropter magnitudinem corporum admiramur, quæ sui generis modum in quantitate excedunt, sicut gigantem inter homines, cetum inter pisces, gryphem inter aves, elephantem inter quadrupedes, draconem inter serpentes. Ea vero miramur ex parvitate, quæ ceteris sui generis quantitate æquari non possunt, sicut sunt tinea, formica et scinifes : quæ tamen divinitus tam artificiose ac sapienter sunt instituta, ut vix discernere valeamus quid magis debeamus mirari, dentes apri vel tineæ, alas gryphis vel scinifis, caput equi vel locustæ, crura elephantis vel culicis, aquilam vel formicam, leonem vel pulicem, tigridem vel testudinem. His nempe tam exiguis corporibus, sic omnifariam lineamenta suæ naturæ congrua plene distribuit Deus, ut in minimis nihil deesse videatur eorum quæ natura formavit in magnis. Dedit eis Deus oculos, quos vix comprehendere potest oculus. Imo, secundum Augustinum vicesimo secundo de Civitate Dei, animalia quæ minimum habent molis, habent plus admirationis. Plus enim formicularum et apicularum opera stupemus, quam immensa corpora belluarum.

His habitatoribus Deus æternus terram ornavit; aquas piscibus decoravit. Ipsumque mare, grande intuentibus spectaculum exhibet, quum se diversis coloribus velut vestibus induit, et aliquando viride, atque hoc multis modis, aliquando purpureum, aliquando cæruleum est. Quam porro delectabiliter spectatur, etiam quando turbatur, fitque inde major suavitas, quia demulcet sic intuentem, ut non jaciat et quatiat navigantem!

Præterea, quanta sæpe est et quam blanda temperies aeris! qui sua subtilitate, respirationi animalium pro conservatione vitæ ipsorum, tam pulcherrime convenit; quem Deus ineffabili diversitate volucrum garrularum atque pictarum, eminenter ornavit. Per hunc species sensibilium, lux solis, claritas lunæ ac siderum deferuntur ad sensus humanos. Qui in triplicem regionem distinguitur; in quo etiam dæmonum caterva vagatur.

Digitized by Google

ARTICULUS XI.

An materiæ primæ secundum se consideratæ, conveniat ratio pulchri.

art. 1. EX præinductis patescit, quod pulchrum dicitur in ordine ad cognitivam potentiam. Materia autem secundum se non est cognoscibilis, sed per actum. Iterum, ibidem. dictum est quod forma dat speciem et decorem; et item quod pulchrum vocatur, eo quod sua actualitate moveat ad sui notitiam cognoscentem. Quum ergo materia secundum se sit pura potentia, non videntur sibi competere nomen et ratio pulchri. — Sed hujus contrarium facilius demonstratur. Nam sicut materia aliquid entitatis et bonitatis, ita et quidpiam pulchritudinis participat et sortitur. Dicit quoque Dionysius quarto capitulo de Divinis nominibus, quod materia suscipit participationem pulchritudinis et ornatus. Rursusque : Illico, ait, quod materia necessaria est ad completionem universi, ergo bona et pulchra. Insuper, teste Philosopho, materia appetit formam quemadmodum turpe bonum, et femina masculum; appetitus vero ex similitudine quadam videtur procedere : materia ergo aliquid boni et pulchri habet in se.

Respondendum, quod utique materia eo modo quo habet essentiam ac bonitatem, habet et pulchritudinem in se essentialem. Accidentalem vero decorem et exsistentiam actualem a forma participat. Entitas vero materiæ est plurimum diminuta: idcirco difficulter a nobis agnoscitur. Nihilo minus materia, quantum est ex parte ipsius, propriam quamdam habet in se cognoscibilitatem. Quamvis etiam forma dicatur dare speciem et decorem principaliter, attamen materia aliquo modo ad naturalium rerum essentiam et speciem pertinere asseritur. Licet quoque materia in sua natura non habeat actualitatem formalis exsistentiæ, habet tamen quamdam actualitatem simplicis quidditatis, in quantum recedit a nihilo estque aliquid positivum.

ARTICULUS XII.

An miracula et mirabilia, incarnatio quoque Verbi et sacramenta, pertineant ad pulchritudinem mundi.

HANC dubitationem movens Alexander de Hales in secundo, distinguit triplicem statum mundi. Primus fuit ante peccatum, in quo statu factus est mundus, et dicitur status innocentiæ. Secundus est post lapsum, qui est status gratiæ reparantis naturam lapsam. Tertius est status innovationis mundi peracto judicio.

Si ergo attendatur pulchritudo universi quantum ad ea quæ pertinent ad primum ejus statum, nec miracula, nec mirabilia, nec incarnatio, nec sacramenta ad ejus pulchritudinem spectant. Miracula vero et incarnatio pertinent ad pulchritudinem universi quoad statum secundum, quia in illo fit reparatio naturæ secundum diversos defectuum modos. Verumtamen incarnatio ad istam pulchritudinem pertinet, non tanquam id sine quo natura lapsa reparari nullatenus potuit, sed sicut id sine quo optimo ac decentissimo modo reparari nequivit. Porro mirabilia, non autem miracula, spectant ad pulchritudinem universi quantum ad tertium statum : quoniam innovatio mundi et quæ ad eam pertinent, supra naturam erunt ac mirabilia.

De hac vero materia infra plenius erit tractandum, articulo octavodecimo, quo de supernaturali pulchritudine rerum dicetur.

ARTICULUS XIII.

Quomodo in omni ente creato reperiantur modus, species et ordo; et quomodo omnia facta dicantur in numero, pondere et mensura.

SÆPE jam dictum est, quod pulchritudo universi in modo, specie et ordine sit consistens. art. III, VII. Oportet igitur intueri qualiter tria hæc in omni sint creatura.

Porro Augustinus in libris de Natura bo-

Digitized by Google

ni et de Civitate Dei, affirmat hæc tria in omnibus inveniri. Itaque Alexander de Hales, et Bonaventura, alii quoque doctores communiter adstruunt, quod tria prædicta competunt singulis secundum tripartitam habitudinem seu triformem dispositionem, vel triplicem rationem causalem, secundum quam refertur res creata ad Creatorem. In quantum enim refertur ad eum sicut ad causam efficientem, competit ei modus, id est esse creatum modificatum, utputa in certo genere limitatum ac terminatum, quoniam Deus ut causa efficiens, influit creaturæ esse hujusmodi : soli etenim Deo competit esse illimitatum atque immensum. In quantum vero refertur ad Creatorem tanquam ad causam formalem seu exemplarem, competit ipsi species, id est esse distinctum, specificatum, essentiali ac ultima intrinseca pulchritudine decoratum. Deus etenim ut exemplare principium, dat esse formatum, completum, ut patuit. Denique, in quantum refertur ad Deum sicut ad causam finalem, competit ipsi ordo, hoc est inclinatio sive tendentia ad proprium finem finaleque bonum.

art. I, II.

Dicit autem Durandus, quod tria hæc ita accepta, videlicet, ut sunt partes vestigii omni enti creato communes, nil reale rei superaddunt, sicut nec bonitas et veritas prout convertuntur cum ente : alioqui modi esset modus, et ita in infinitum.

Præterea, ad tria hæc referuntur tria illa de quibus in libro Sapientiæ dicitur Deo : Omnia in numero, et pondere, et mensura constituisti. Numerus quippe pertinet ad speciem, quoniam species rerum se habent ut numeri ; pondus pertinet ad ordinem ; mensura, ad modum. Deus ergo constituit et creavit universa in numero, id est in suis certis essentialibus principiis, puta genere et differentia, quæ totam rei essentialem perfectionem pulchritudinemque designant. Vel certe, quum solus Creator omnipotens sit penitus simplex atque purissima unitas, sicut in libro de Causis ostenditur, omne creatum fertur in numero constitutum, quia in eo est compositio ac diversitas aliqua, scilicet : actus et potentiæ, secundum Avicennam ; vel *quo est* et *quod est*, juxta Boetium ; vel esse et essentiæ, secundum Thomam et Ægidium ; vel esse, posse et agere, secundum divinum Dionysium ; vel formæ et materiæ. Insuper omnia facta dicuntur in pondere, id est in naturali quadam inclinatione ad finalem suam propriamque perfectionem. Quæ inclinatio etiam naturalis appetitus vocatur. Unde undecimo de Civitate Dei loquitur Augustinus : Velut amores corporum, momenta sunt ponderum. Ita enim corpus pondere, sicut animus amore, fertur quocumque fertur. Itaque hoc loco pondus, non pro gravitate suscipitur. Demum, in mensura quoque facta scribuntur, eo quod esse limitatum sortita sunt.

Sap. XI, 21.

De Cœlest. hier. c. XI.

Possunt præterea præinducta libri Sapientiæ verba aliter interpretari : ut omnia simul accepta dicantur facta in numero, eo quod in rebus creatis non sit multitudo actualiter infinita ; itemque in mensura, quoniam nec magnitudo creaturarum esse potest infinita, sed sicut corpus est quantitas mensurata, sic spiritualium rerum atque formarum est virtus perfectioque finita. In pondere quoque omnia facta sunt, quoniam inconfusus permanet entium situs et locus.

At vero, quidam verba ista alio modo exponunt, dicentes omnia facta in mensura, videlicet quantitative, quæ naturam substantiæ materialis concomitatur, secundum illud Philosophi : Omnium natura constantium est finis et ratio magnitudinis et augmenti. Spiritualia vero facta dicuntur in mensura, id est certa ac limitata capacitate perfectionum suarum, prout anima capax est scientiæ ac virtutum. Per numerum vero intelligunt speciem seu pulchritudinem accidentalis perfectionis. Nulla etenim res creata expers est penitus adventicii cujusdam decoris. Per pondus autem intelligunt

Digitized by Google

ordinationem ad proprium actum, et delectationem ipsum actum concomitantem.

Sed quoniam Augustino docente in libro de Natura boni, peccatum est corruptio modi, speciei et ordinis; intueri oportet quomodo in rationali intellectualique creatura, tria hæc per peccata corrumpantur. De Divin. nom. c. IV. Porro, secundum Dionysium, peccatum non tollit nec destruit naturalia. Modus autem, species et ordo, ut dictum est, omni rei conveniunt. Quum ergo peccatum dicitur horum trium corruptio, non sumuntur hæc tria ut insunt essentiæ animæ, nec prout insunt potentiæ ejus secundum se consideratæ, sed ut insunt voluntati per relationem ad bonum finale, scilicet Deum : ad quem, ut dicit Bonaventura, comparatur voluntas sicut ad principium motivum, sicque convenit ei modus; sicut ad regulam dirigentem, et sic convenit ei species; et sicut ad finem quietantem, et ita competit ei ordo. Quoniam ergo voluntas creata, bona beneque operans, continuatur Deo hoc dicto triplici modo, videlicet sicut principio moventi, regulæ dirigenti, fini quietanti, certum est quod in sua actione modum, speciem ordinemque observat. Sed quia peccando discontinuatur atque avertitur a Deo triplici modo præfato (siquidem peccans, agit contra id ad quod Deus movet ac dirigit, et per quod in ipso quiescitur), idcirco peccatum dicitur modi, speciei ordinisque corruptio.

Quocirca pensandum, quod corruptio accipi potest pro mera desitione seu ablatione rei : sicque per peccatum mortale corrumpitur modus, species, ordo, quantum ad esse gratiæ gratificantis, seu in bonis ac donis gratuitis. Hæc nempe per culpam mortalem omnino delentur. Alio modo corruptio sumitur pro permutatione alicujus a majori et perfectiori ad minus perfectum, puta pro læsione quadam vel diminutione : sicque per vitia, etiam naturalis aptitudo animæ ad bonum, et tria prædicta secundum quod insunt potentiæ secundum se consideratæ, corrumpi feruntur, quoniam debilitantur quodammodo. Nam sicut gratia naturalia perficit, sic peccatum eadem lædit, secundum Dionysium. Propter quod, juxta sententiam Alexandri de Hales in Summa sua, tres effectus adscribuntur malo culpæ. Primus est, vulneratio potentiarum; secundus, spoliatio donorum gratuitorum, videlicet gratiæ et virtutum infusarum, imo et acquisitarum interdum; tertius, corruptio seu infectio naturalis aptitudinis ad bonum, quæ est in ipsis potentiis, præsertim in voluntate, ad quam virtus et vitium primo atque potissime pertinere noscuntur, eo quod libertas in ipsa primordialiter principaliterque consistat. De Divin. nom. c. IV.

Postremo, secundum Alexandrum, voluntatis modus consistit in hoc, quod homo seu quispiam voluntatem suam conformat divinæ, non se ei præferendo, sed hanc assequendo : quoniam Deo proprium est, propria voluntate aliquid licite velle, secundum Anselmum. Species vero voluntatis in hoc est, quod naturalem suam rectitudinem habet : per quam rectitudinem non illa intelligitur rectitudo cujus carentia appellatur originale peccatum, sed ea quæ voluntatem naturaliter concomitatur, licet vitio deformetur. Ordo autem in voluntate attenditur prout ad finem refertur. Et constat hæc tria per peccatum corrumpi aut lædi.

At vero, si juxta ultimam expositionem, per mensuram seu modum intelligatur capacitas rationalis creaturæ, per speciem accidentalis pulchritudo, per ordinem ordinatio ad actum convenientem; palam est ista peccato corrumpi, quia peccatum efficit mentem spiritualium bonorum minus capacem, ejusque decorem offuscat, et debitas operationes tollit aut impedit, trahendo ad opera vitiosa, quæ sunt contra rectam institutionem naturæ, secundum Damascenum, præsertim quum Tullio protestante, virtus in modum naturæ inclinet.

Digitized by Google

ARTICULUS XIV.

De pulchra formatione corporis humani.

QUEMADMODUM naturalium hujus inferioris atque sensibilis mundi formarum præstantissima est anima rationalis, ita et corporum animatorum, organicorum, mixtorum, nobilius est corpus humanum : siquidem nobiliori formæ nobilior debetur materia, ut sit inter actum atque potentiam proportio congrua. Ut ergo mundi pulchritudo plenius clareat, et de inferiorum corporum animatorum decore, itemque ornata formatione, detur considerandi occasio, de corporis humani speciosa, magistrali et artificiali dispositione, modicum est profandum. Et quidem quæ dicam, ex verbis Augustini et Hugonis accepta sunt.

Itaque, vicesimo secundo de Civitate Dei loquitur Augustinus : In ipso hominis corpore, quamvis ratione mortalitatis sit cum belluis nobis commune, multisque earum infirmius sit, quanta Dei bonitas, quanta tanti Creatoris apparet providentia ! Nonne ita sunt in eo loca sensuum et cetera membra disposita, speciesque ipsa ac figura et statura totius corporis ita modificata, ut ad ministerium animæ rationalis se indicet factum ? Non enim ut animalia irrationalia prona in terram esse videmus, ita creatus est homo ; sed erecta in cœlum corporis forma, admonet eum quæ sursum sunt sapere atque divina adspicere. Porro mira mobilitas linguæ ac manibus attributa, ad loquendum et scribendum atque ad opera artium plurimarum ac officiorum complenda conveniens, nonne satis ostendit quali quamque præclaræ animæ tale corpus ad serviendum consistat unitum ? quanquam et detractis necessitatibus operandi, ita omnium partium congruentia numerosa sit, et pulchra sibi parilitate respondeat, ut nescias utrum in eo condendo major sit utilitatis habita ratio quam decoris. Certe enim, nihil creatum videmus in corpore utilitatis causa, quod non habeat etiam decoris locum. Plus autem nobis id appareret, si numeros mensurarum quibus inter se cuncta connexa sunt et coaptata, nossemus : quos forsitan, data opera, in his quæ foris eminent, humana posset investigare solertia. Quæ vero tecta sunt atque a nostris remota conspectibus, sicut est tanta perplexitas venarum atque nervorum, et viscerum secreta vitalium, invenire nullus potest : quia, etsi medicorum diligentia nonnulla laniavit corpora mortuorum, sive etiam inter manus secantis perscrutantisque morientium, atque in carnibus humanis satis inhumane abdita cuncta rimata est, ut addisceret quid et quomodo quibusve locis esset curandum ; numeros tamen de quibus loquor, quibus coaptatio, quæ ἁρμονία Græce dicitur, tanquam cujusdam organi, extrinsecus atque intrinsecus totius corporis constat, nemo valuit invenire, quos nemo ausus est quærere. Qui si noti esse potuissent, in interioribus quoque visceribus quæ nullum ostendunt decus, ita delectaret pulchritudo rationis, ut omni formæ apparenti quæ oculis placet, ipsius mentis præferretur judicio. Sunt vero quædam ita posita in corpore, ut tantummodo decorem habeant, et non usum : sicut habet pectus virile mamillas, et facies barbam, quam non esse munimento, sed virili ornamento, indicant puræ facies feminarum. Itaque in formatione corporis, dignitas necessitati prælata est. Transitura est quippe necessitas, tempusque venturum quando sola invicem pulchritudine sine ulla libidine perfruemur. Hucusque Augustinus.

Hinc etiam ait Hugo : Ecce in humana facie quam rationabili distinctione instrumenta sensuum collocata sunt. Supremum locum tanquam speculator quidam obtinet visus, ut eminus posita, mira agilitate præ ceteris percipiens, quæ ceteris sensibus superventura sunt, ante periculum prævidere possit. Denique, in corpore ossa intrinsecus collocantur, quatenus robur eorum corpus sustineat. Deinde caro ossa

Digitized by Google

vestit, ut duritia eorum molliter tactum excipiat; ad ultimum pellis carnem induit, ut sua quodammodo tenacitate, ab incommodis foris accidentibus corpus muniat.

ARTICULUS XV.

De essentiali pulchritudine intellectualium substantiarum in generali, et specialiter de naturali decore animæ rationalis.

HUCUSQUE de corporali pulchritudine deductus est sermo; nunc de spirituali pulchritudine effari par est. Itaque, quanto natura et esse intellectualium divinarum ac immortalium substantiarum perfectior, sublimior atque præstantior est corporalium mortaliumque rerum natura et esse, tanto utique excellentior ac delectabilior pulchritudo inest et competit illis quam istis. Imo, sicut illarum est major bonitas, veritas et unitas, ita et exuberantior atque amœnior pulchritudo, tam essentialis quam accidentalis.

Porro, in intellectualium essentiarum universitate ac ordine, infimum tenet locum anima rationalis : quæ, secundum Isaac in libro Definitionum, in umbra intelligentiæ est creata. Ejus itaque essentialis pulchritudo est, quod ad superbenedictæ Trinitatis, unius, supersimplicissimæ ac superessentialis Deitatis imaginem similitudinemque producta est, puta in tali specifica perfectione, ut ab ejus essentia fluant vis intellectiva, memoria et voluntas : quibus Dei et felicitatis est capax. Hic ergo naturalis est animæ decor, quod propter splendorem intellectus, non solum universis naturalibus corruptibilium formis exstat præstantior, nec earum dumtaxat perfectiones in se comprehendit, videlicet esse, vegetare, sentire, movere; sed insuper cum substantiis separatis atque angelicis mentibus habet parilitatem atque consortium, ab eodem principio effectivo, videlicet Deo creatore, immediate procedens, et ad eumdem finem immediate revertens, idem habens beatitudinis objectum cum illis. Estque simplex ac immortalis essentia : quæ quantæ vitalitatis, virtuositatis in se sit, pandunt operationes diversæ, mirabiles ac subtiles, quas exercet per corpus; quæ animi industriam, spiritus dignitatem, ingenii profunditatem declarant.

Insuper, anima rationalis, summæ Trinitatis imago est, primæ et increatæ lucis signaculum, Divinitatis prænobilis similitudo, radius Creatoris, libertate ornata, indestructibilis forma, ad Creatoris beatificam visionem finaliter ordinata : ita quod licet angelici spiritus sint ea digniores in ratione formæ seu dignitate naturæ, non tamen in ratione finis. Sicque vere accipi potest quod decimo de Civitate Dei recitat Augustinus : Magnus ille Platonicus Plotinus dicit animam rationalem non habere super se naturam nisi Dei, a quo fabricatus est mundus et ipsa creata, nec aliunde illis supernis ac beatis spiritibus præberi vitam beatam et lumen veritatis intelligentiæ, quam unde præbetur et nobis.

Gen. 1, 26, 27.

ARTICULUS XVI.

De essentiali pulchritudine angelicorum spirituum.

OMNIS emanatio rerum a primo principio, et conversio earumdem ad illud, per similitudinem quamdam efficitur unius ad aliud. Unumquodque siquidem agens simile sibi producit, et quodlibet ad simile sibi convertitur, quemadmodum Proclus Platonicus in Elementatione sua theologica multipliciter probat. Hinc nempe omnis effectus participata dicitur similitudo suæ causæ. Quanto ergo angelici spiritus sunt Creatori omnipotenti, immenso et adorando viciniores, tanto sunt ei in omnibus similiores. Quumque Deus sublimis et benedictus, sit lux incircumscripta, plena, mundissima, actus purus, mens splendidissima, honoratissimus intellectus, palam quod ipsi angelici spiritus dici possint lumina quædam participata,

Digitized by Google

præclara, divina, præ omni sensibili luce ineffabiliter serena, radiosa ac pulchra. Denique ipsi sunt actus in se subsistentes, quamvis non omnifarie puri ac simplices. Sunt quoque intellectus semper in actu feliciter exsistentes. Eorum quippe natura est forma præsplendida, in sua puritate sine contagione materiæ subsistenter stare idonea, immortalis essentia.

Hæc entia, quæ a Peripateticis nominantur substantiæ separatæ, a beatissimo principe theologorum Dionysio appellantur intellectus deiformes, deificatæ mentes, supermundani animi. Ipsi sunt fortissimi, sapientissimi atque pulcherrimi milites Dei, super quos lumen Solis æterni copiosissime oritur, qui jucundissimo Creatoris vultui inavertibiliter stant intenti. Hi sunt satrapæ paradisi, supercœlestesque cives, optimam vitam ducentes atque de suis sufficientes, cœlorum motores; in entitate, bonitate, veritate, unitate, simplicitate, incorruptibilitate, actualitate ac pulchritudine Deo altissimo similiores : qui ex Deo in multa sapientia splendent, luce sancta coruscant, deifica caritate rubent et flagrant; sincerissima voluptate exsultant, indissolubili pace concordant: ad quorum contemplationem mens nostra se habet sicut oculus noctuæ ad lumen solis.

De Cœlest. hier. c. II, VII, XI, XII; de Divin. nom. c. I, VII. *Job* XXV, 3.

Postremo, tanta est pulchritudo, eminentia, dignitas naturæ angelicæ, ut excellentia potentiæ, sapientiæ, bonitatis et pulchritudinis Dei, plenius atque lucentius in uno reluceat angelo, quam in omnibus simul cœlestibus corporibus, elementis et mixtis, quantum ad id quod ad corporeitatem est pertinens.

ARTICULUS XVII.

De accidentali pulchritudine intellectualium substantiarum.

SICUT ad corpus habent se membra, ita vires ad animam rationalem ac angelum. Quemadmodum etiam corpus adornatur figura atque colore seu luce, sic vires habitibus bonis, virtuosis, sapientialibus, scientialibus, eorumque actibus, decorantur. Itaque, sicut in partium congruentia et convenienti colore corporalis pulchritudo consistit, sic in potentiarum adornatione per actus et habitus perfectionales, spiritualis et accidentalis pulchritudo mentium creatarum sita videtur : imo et in ornamento quo ipsa essentia intellectualis per gratiam gratificantem perficitur; verum hoc ad supernaturalem pertinere pulchritudinem constat, de qua mox erit tractatus. Præsertim vero in ipsis dignissimis actibus mentis pulchritudo ista attenditur, ita quod interiorum actuum ab errore et vitio purgatorum, recta et condecens habitudo dicatur ipsa interior pulchritudo : ad quam concurrunt ac requiruntur virium dispositio bona, operationum exsecutio non impedita, sapientiæ quoque directio radiosa.

Præterea, quoniam juxta prælabita, pulchrum dicitur per comparationem ad cognitivam potentiam; hinc pulchritudo hæc spiritualis potissime videtur consistere in actione habituum intellectivam vim perficientium, maxime quoque in contemplatione et actu sapientiæ. Ad ipsum namque intellectum ejusque actus ac habitus potissime pertinere asseritur ratio lucis et claritas. Nam et ipse intellectus lumen vocatur quo cuncta cernuntur. Sapientia quoque, scientia, ars, prudentia, quid sunt, nisi quidam luciformes fulgores, sua claritate mentem illustrantes ad conspiciendum objecta? Ad caritatem demum potius pertinent fervor et puritas quam fulgor et claritas : nihilo minus in actibus et habitibus vim affectivam seu voluntatem perficientibus, pulchritudo ista aliquo modo consistit. Imo totalis pulchritudo mentis, per quam dicitur tota pulchra, ornatum intellectus atque affectus requirit, et vitiorum, errorum ac passionum expulsionem præexigit. Postremo, pulchritudo ista completa, ex donis, beatitudinibus, fructibus atque virtutibus quodammodo integratur : ita quod coaptatio horum, seu harmonia interna ex istis

art. 1.

Digitized by Google

resultans, appellanda appareat pulchritudo spiritualis in intellectualibus creaturis.

Insuper, quam ingens sit pulchritudinis hujus eminentia, quis capere queat aut fari? Potest tamen id ipsum parumper pensari. Primo, ex parte essentiæ intellectualium substantiarum : quæ quanto præstantior diviniorque consistit, tanto excellentiores, deiformiores et speciosiores actus habitusque sortitur, ac admirabiliori, delectabiliori et sinceriori pulchritudine venustatur. Modus quippe agendi parificatur modo essendi. Perfectio quoque secunda perfectioni primæ correspondenter proportionatur. Quanta autem sit intellectualis essentiæ dignitas, utcumque ostensum est. Secundo pensatur id ipsum ex parte potentiæ ex qua actus cui pulchritudo adscribitur, profluit, utputa intellectus : qui quum sit divinissima vis, præsertim in angelis, qui sunt quasi totaliter oculus intellectualis, habet utique præclarissimos atque pulcherrimos actus, quibus natura angelica splendidissime decoratur, atque instar vitri perlucidi, seu speculi tersi, pervii et politi, amœnissime prorsus perfunditur. Tertio idem pensatur ex parte modi agendi, qui in angelicis mentibus uniformis, liberrimus, continuus indefectibilisque cognoscitur : idcirco pulchritudo illarum non minoratur. Quarto, quoniam in bono sic confirmatæ sunt, quod decor earum peccati labe fœdari non valet. Quinto, ex parte objecti, videlicet Dei, cujus immensa nobilitas exstat : quem incessabiliter contemplantur, et contemplando ac diligendo, eidem pulchriformiter assimilantur. Ex quo plane objecto, actus earum præclarissime nobilitatur, dignissime specificatur, inæstimabiliter pulchrificatur.

ARTICULUS XVIII.

De supernaturali pulchritudine intellectualium creaturarum.

INFINITA liberalitas Dei naturaliter, totaliter et incircumscriptibiliter boni, ejusque ad creata dilectio, contenta non fuit suam perfectionem ac bonitatem rationali intellectualique creaturæ per naturalium effusionem donorum communicare, sed supernaturalibus atque gratuitis donis multipliciter ac benignissime decoravit, prævenit, implevit eamdem : primo, per gratiam gratum facientem perficiendo ejus essentiam, quæ per gratiam illam constituitur in esse deiformi, supernaturali, Deo acceptabili, atque ad promerendum idoneo. Voluntatem quoque ipsius caritate divina infusa ornavit; viatoribus autem etiam fidem et spem condonavit; septem donis Spiritus Sancti mirabiliter partem intellectivam ornavit; ceteris quoque beatitudinibus ac fructibus rationalem creaturam fulcire dignatus est. Quibus omnibus multo sublimius adornatur pulchriusque vestitur, quam orbes cœlestes et astra suis splendoribus, aut Titan lumine suo. Insuper, gratiis gratis datis Deus naturam humanam multiformiter sublimavit, dando hominibus gratiam faciendi miracula, omnium linguarum notitiam, spirituum discretionem, dæmonum expulsionem, gratiam prophetalem, apostolatusque apicem, atque multiplicem prælationem; potestatem insuper mirabilem remittendi peccata, eminentissimam virtutem consecrandi corpus et sanguinem Christi. Præterea, angelis suis mandavit de nobis, ut custodiant nos in omnibus viis nostris. I *Cor.* XII, 8-10. *Ps.* XC, 11.

Sed nec ista misericordissimo Deo satis fuerunt. Quin potius ipse unigenitus Filius Dei, verus Deus, nostram assumpsit naturam, et vere factus est frater noster. Per quod ineffabilem nimis dignitatem excellentiamque nostræ naturæ largitus est.

Insuper, Deus mentes Beatorum in patria lumine gloriæ decoravit, easque ad suæ superpurissimæ deitatis immediatam atque per speciem claram, fruitivam, beatificam visionem provexit. Sic igitur increatam et superinfinitam divinæ essentiæ pulchritudinem deliciosissime intuendo, II *Cor.* III, 18.

Digitized by Google

in eamdem transformantur imaginem, supernaturali et ineffabili modo. Implentur enim et superimplentur exuberantissima perfusione, communione, participatione bonitatis et lucis ac pulchritudinis Dei, ita ut penitus in eam rapiantur, configurentur et absorbeantur : per quod omnino pulcherrimi constituuntur, adeo ut pulchritudini unius minimique eorum, nequaquam totius sensibilis mundi decor et claritas valeant comparari.

ARTICULUS XIX.

De pulchritudine superspeciosissimi Dei secundum doctrinam divini Dionysii.

QUEMADMODUM causa per effectum, sic per creaturam Creator cognoscitur. Hinc, ut Thomas aliique commentatores librorum Dionysii contestantur, ipse sacer Dionysius de divinis nominibus tractat in libro Nominum divinorum, secundum emanationes et distributiones quibus Deus bonitatem perfectionemque suam rebus creatis variis modis communicat et effundit. Hoc itaque modo laudans Deum ut pulchrum et pulchritudinem ipsam fontanam, quarto capitulo de Divinis nominibus ait :

Divina bonitas in Scripturis laudatur ut pulchrum et sicut pulchritudo quæ effectiva est pulchri. Pulchrum autem et pulchritudo, in Deitate omnia in sua simplicitate causali comprehendente, unum et idem sunt. Loquentes ergo de summo bono, dicimus quod supersubstantiale pulchrum dicitur pulchritudo, quia pulchrificat omnia secundum propriam singulorum proportionem, causatque universalem omnium harmoniam et claritatem. Pulchrum autem dicitur Deus, sicut pulcherrimum et superpulchrum : neque factum, neque destitutum ; nec auctum, nec minoratum ; nec uno respectu pulchrum, alio respectu turpe ; nec hic pulchrum, et illic non ; neque quibusdam pulchrum, quibusdam non pulchrum : sed sicut ipsum secundum se ipsum, cum se ipso semper exsistens uniformiter pulchrum, et sicut præhabens in semetipso excedenter formam pulchritudinis omnis pulchri. Omnis enim pulchritudo et omne pulchrum, uniformiter et causaliter præexsistunt in simplici et supernaturali omnium pulchrorum natura. Et propter pulchrum sunt omnium concordiæ et amicitiæ et communiones. Ex ipso quoque sunt coaptationes singulorum ad singula, et harmoniæ universitatis rerum, et exsistentium proportiones in congruo situ. Et quæcumque sunt et fiunt, propter pulchrum et bonum sunt et fiunt ; et ad ipsum cuncta respiciunt, atque ab eo moventur et continentur. Et ipsum bonum et pulchrum est omnium principium et finis, superprincipale et superperfectum : quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso, et ad ipsum sunt omnia. *Rom. xi, 36.*

Ex his magni Theologi theoricis documentis elucescit, quod esse pulchrum seu pulchritudo, vere atque potissime convenit Deo, qui solus substantialiter, totaliter, independenter et incircumscriptibiliter pulcher est : ita quod idem est ipsi esse et pulchrum esse, quoniam ejus essentia est pulchritudo superessentialis, exemplaris, fontana, invariabilis, idealis, immensa.

Hinc Deus est omniformiter quomodolibetque pulcherrimus, et vere, proprie atque intrinsece in superessentiali pulchritudine infinitus : ut sicut comparatione suæ bonitatis puræ nullus est bonus, sic pulchritudinis suæ respectu, nullus appareat pulcher, quia in infinitum pulchritudo divina omnem creatam transcendit ac vincit. Unde secundo de Trinitate asserit Augustinus : Facies Dei est species (id est pulchritudo) quæ rapit omnem animam rationalem desiderio sui tanto ardentiorem quanto mundiorem, et tanto mundiorem quanto ad spiritualia resurgentem, et tanto ad spiritualia resurgentem quanto carnalibus morientem. Nono quoque de Civitate Dei : Angeli (inquit)

Digitized by Google

boni, non solum incorporalis, verum etiam incommutabilis et ineffabilis pulchritudinis Dei, sancto inardescunt amore.

ARTICULUS XX.

Quomodo ratio pulchri conveniat proprie Deo benedicto.

art. I. PULCHRUM supra descriptum est, quod sua actualitate movere potest cognoscentis adspectum ad se complacenter seu delectabiliter intuendum, quodque in se continet unde conveniens sit in adspectu, item quod visui placet et videntem oblectat. Quum igitur Deus sit actualitatis et perfectionis immensæ, utputa actus purus, constat quod efficacissimus sit ad movendum vim cognitivam ad ipsius intuitum. Est quoque omni menti bene dispositæ convenientissimus ad cernendum: omnium enim deliciarum ac divitiarum omniumque bonorum ac desiderabilium plenitudinem, sine mensura, superessentialiter, simplicissime ac eminentissime in suo purissimo esse comprehendit.

ibidem. Iterum, dictum est quemadmodum res creata pulchra dicatur, in quantum formam idealem ac speciem exemplarem quam habet in mente divina, proportionaliter imitatur. Ipsa ergo mens divina, in qua est mundus archetypus, et omnium entium ratio idealis ac species exemplaris, imo quæ essentialiter est universorum idea ac species, est vere superpulcherrima. Hinc Plato in primo Timæi, demonstrat primum opificem non condidisse hunc mundum ad imitationem exemplaris aliunde accepti vel elaborati, sed juxta formam in mente divina exemplariter præconceptam. Mundus enim, inquit, incomparabili pulchritudine constat; fabricatorque ejus speciosissimus comprobatur: idcirco mundum constituens, non nisi ad exemplar in se consistens inspexit.

art. II. Præterea habitum est, quod spiritualis pulchritudo vim intellectivam præsertim concernens, ad veritatem ac sapientiam maxime pertinet. Deus autem est ipsa sapientia infinita, veritasque perfecta. Ipse quoque est lux pura et incircumscripta. Ei ergo principalissime competit nomen ac ratio pulchri. Denique ipse est essentialiter sanctus, virtus virtutum, fons omnis munditiæ, mensura justitiæ, in omni sinceritate et puritate immensus. Incomparabiliter ergo pulcher censendus est, et ipse vere est amabilissimus, desiderabilissimus dulcissimusque ad videndum.

At vero paulo ante inductum est, quod art. XVII. intellectualium essentiarum pulchritudo in actione earum consistat; itemque, quod actio tanto sit pulchrior, quanto a potentia præstantiori egreditur, et ad nobilius terminatur objectum: si tamen potentia operans sit bene disposita. Deus autem est substantialiter operatio sua. Ipse quoque est sua potentia, suus intellectus et sua voluntas. Idcirco pulchritudo sua non est sibi accidentalis, sed consubstantialis, et tanta tamque immensa ut sua essentia; estque perfectionis immensæ, tam ratione intellectus et voluntatis Dei altissimi, quam ratione objecti, quod est ipsa veritas prima, quæ divini intellectus et suæ æternæ contemplationis exstat objectum; est item bonitas summa, quæ voluntatis divinæ et suæ æternæ dilectionis objectum est. Quo autem quid pulchrius est, eo delectabilius cernitur. Hinc Deus gloriosus et felix, cum infinita delectatione et complacentia, æternaliter invariabiliterque inspicit semetipsum.

In hujus demum pulchritudinis increatæ clara ac fruitiva contemplatione, omnis mentis creatæ est collocata felicitas. Unde decimo de Civitate Dei Augustinus recitat Plotinum Platonicum elocutum: Contemplatio Dei qua angeli beati sunt, tantæ est pulchritudinis visio, et tanto amore dignissima, ut sine hac quibuslibet aliis bonis præditus et abundans, infelicissimus sit.

Digitized by Google

ARTICULUS XXI.

Quod pulchritudo et cetera perfectionalia attributa Dei, ei dumtaxat conveniunt pure, id est sine admixtione oppositi, tam privative quam contrarie et contradictorie.

ANSELMO docente, illa proprie Deo conveniunt, quæ perfectionem simpliciter dictam designant, hoc est, quæ absolute loquendo, melius digniusque est inesse quam deesse : sicut est esse sapientem, esse justum, potentem, clementem, pulchrum, beatum.

Cujus ratio assignatur : quoniam juxta Hilarium ac Damascenum, primum et proprium Dei nomen est Esse, seu Qui est, prout ipsemet Deus sublimis et benedictus oraculo loquitur Moysi : Ego sum qui sum; hæc dices filiis Israel : Qui est, misit me ad vos. Esse itaque in omnimoda plenitudine sumptum, nomen est Dei : ita quod ipsum esse divinum, omnem essendi nobilitatem cum superinfinita perfectione, supersimplicissime comprehendit; vel potius est omnis nobilitas, omnis perfectio, omnis felicitas. Sic ergo in esse divino continetur, imo esse divinum est sapientia infinita, virtus immensa, pulchritudo illimitata, bonitas incircumscripta, veritas prima, beatitudo perfecta, sanctitas interminata. Et ut ad compendium stringam, quidquid præstantius est haberi quam deesse, competit Deo cum plenitudine omniformiter, intrinsece, proprie, intensive, perfectionaliter atque formaliter infinita : ita quod nulla comparatione, nulla habitudine, nullo respectu vel modo deest eidem, sed pure et sine contrarii sui permixtione convenit ei quomodolibet et perfecte : sicut Boetius in libro de Hebdomadibus tangit quantum ad attributum boni. Dionysius quoque pluribus tangit hoc locis.

Exod. III, 14.

Itaque, sicut purum aurum vocatur, cui nil alieni metalli admixtum est, generaliter vero purum asserimus, cui nihil de suo miscetur opposito; sic Deus excelsus et felix, dicitur pura bonitas, pura sanctitas, pura pulchritudo, sicque de ceteris : ita quod nihil non boni, non sancti, non pulchri ipsi inest, miscetur vel competit : nec privative, quoniam non est in ejus natura aptitudo ad aliud et oppositum ei quod habet; neque contrarie, propter suam omnimodam simplicitatem. Nil quoque opponitur contrarie esse divino, quod ob suam plenissimam incommutabilitatem, contrariæ dispositionis capax non est : contraria autem habent fieri circa idem, suntque sub eodem genere. Neque contradictorie aliquid non boni, non sancti, non pulchri inest vel competit Deo : quoniam divini esse perfectio est universalis ac infinita, seu universaliter infinita, et infinite seu infinibiliter universalis, ita quod nullibi terminatur. Idcirco non esse, locum nequaquam habet in Deo. Sic itaque divinæ et increatæ pulchritudini nil deformitatis miscetur aut competit : nec privative, nec contrarie, nec contradictorie.

Porro hoc nulli competit enti creato : quod quum sit esse finiti ac limitati, illic incipit esse non esse, ubi esse ipsius finitur; quod item in quantum ex nihilo est, defectibile est, vanum atque in nihil vertibile. Sic quoque est aliquo modo non pulchrum, indigens ac deforme : quia ex se nihil est, et suo esse potentialitas est admixta, indigetque incessanter conservari a Deo, a quo indesinenter dependet; sed et comparatione entis primi, summi boni increatique pulchri, est quasi non ens, non bonum, non pulchrum. Idcirco esse creato dicitur non esse admixtum : non quod esse realem faciat cum non esse compositionem, sed quia esse creato non competit plenitudo essendi, imo inest ipsi quædam carentia cujusdam esse.

Pariformiter dicitur Deus pura veritas : quoniam sicut divina essentia, quæ est veritas prima, est infinitæ cognoscibilitatis; sic intellectus divinus, cujus objectum est illa, est utique infinitæ capacita-

Digitized by Google

tis, perspicacitatis seu comprehensivitatis. Sicque est ibi plena omnino adæquatio intellectus ad rem intellectam : ita quod Deus se tantum intelligit, quantum ex sua cognoscibilis est natura. Sic vero nulla mens creata Deum valet cognoscere. Hinc veritas intellectualis quam habet de Deo, non dicitur pura, sed non vero admixta est, privative et contradictorie in viatoribus, qui in Dei agnitione queunt proficere ; in comprehensoribus autem, contradictorie tantum : in quibus quum veritas sit finita, ibi ejus non esse inchoatur, ubi ipsius esse terminatur. Hæc Alberti Magni et Richardi de Mediavilla consonant documentis.

ARTICULUS XXII.

Contemplatio primæ et increatæ pulchritudinis ex consideratione pulchritudinis ordinis universi.

PULCHRITUDINES rerum creatarum aliud prorsus non sunt nisi rivuli quidam pulchritudinis summæ, radiosissimæ ac fontanæ : quoniam quidquid decoris, splendoris, perfectionis, in entibus reperitur creatis sparsim, divisim et incomplete, hoc in pulchritudine Creatoris est unitum, simplicissime et perfecte, tanquam in fonte ditissimo, splendidissimo, indeficientissimo atque pulcherrimo. Si igitur Domini Dei nostri pulchritudinem, quam in vita hac clare per speciem in se ipsa cernere non valemus, utcumque speculari optamus, ordinem universi, entiaque præcipua in ipso contenta, pro viribus intueamur.

Ab inferioribus quoque ordientes, in primis elementum terræ oculo intellectuali perambulemus, longitudinem latitudinemque ipsius pensantes ; et quomodo superficies ejus ornata est innumerabilibus pulcherrimarum rerum generibus, speciebus ac individuis : in rosis ac liliis, aliisque prædecoris ac redolentibus floribus ; in virtuosissimis herbis, in viridissimis terræ nascentibus, in opacitatibus nemorum, elegantia arborum, in amœnitate agrorum, in altitudine montium, in situ camporum, in fontibus, stagnis, rivis ac fluviis, magnisque brachiis Magni maris. Quomodo ergo et quam incomprehensibiliter in se ipso pulcher exsistit, qui infimum elementum tam inexplicabiliter adornavit, et rebus terrenis, caducis, pusillis et inanimatis tantam venustatem impressit, ipsis quoque liquoribus, scilicet vino, lacti, oleo atque similibus, tantam claritatem gratissimumque colorem largitus est ; qui aurum, argentum et alia quædam metalla sic decoravit, ipsisque pretiosissimis gemmis tam deliciosissima contulit ornamenta ?

Insuper, ordinem animalium intueamur, quorum unumquodque secundum suæ speciei congruentiam, diversimode decoravit ; et quædam multiformiter coloravit : quod in piscibus quoque et avibus lætanter, non sine admiratione ac divinæ sapientiæ laude conspicimus. Ecce quam pulchræ bestiæ sunt equus et unicornis, dromedarius et camelus, leo et cervus, salmo et lucius, phœnix, pavo et nisus. Quam pulcher ergo, qui omnium horum naturam et speciem originaliter instituit ac formavit ?

Præterea, hominum universitatem pensemus. Quam pulchri sunt quidam in totius corporis elegantissima forma vividoque colore ! Si in modica corporis parte, puta in vultu, Deus tantam ponere pulchritudinem potuit voluitque in nonnullis, ut cum magno desiderio inspici appetantur, cum ingenti delectatione inspiciantur, et ipse inspector satiari aut fatigari vix valeat, nec tempus advertat, quam pulcher est ille Deus immensus, cujus immensitas aliud plane non est nisi sua infinita perfectio atque incircumscriptibilis pulchritudo ? Quemadmodum autem octavo de Trinitate ait Augustinus, bona hominis facies est, quæ est dimensa pariliter, affecta hilariter, luculenterque colorata.

Digitized by Google

Amplius, in aliorum elementorum pulchritudine, distinctione ac decentissimo ordine, in promptu est contemplari pul-
art. x. chritudinem Creatoris, prout superius aliqualiter est expressum. Jam vero in ipsa cœlestium orbium magnitudine, multitudine, diaphaneitate, perspicuitate, situ et ordine, motu ac varietate; in luciflui solis exuberantissima claritate, mundissima luce, indeficienti emicatione, qua totus sensibilis mundus clarescit ac hilarescit; in lunari quoque fulgore; in planetarum præfulgenti splendore ac mirabili ordine, erratica motione, causalissima influxione; in innumerabilium quoque stellarum fixarum imperscrutabili varietate, splendida luce, velocissima gyratione, mirabili situatione, stabili ordine; et postremo, in totius cœlestis regionis seu machinæ venustissimo apparatu, tam die quam nocte aere serenato, facile et jucundum, imo et amœnissimum est, supergloriosissimi, supersapientissimi, omnipotentis ac optimi Creatoris pulchritudinem speculari, admirari, amare, desiderare et colere.

Deinceps, si spiritualium et intellectualium substantiarum internam, occultam ac spiritualem pulchritudinem, tam clare cerneremus oculis cordis, quam evidenter præfatarum corporalium rerum materialem pulchritudinem ac decorem conspicimus oculis corporis : nonne utique in ipsis pulchritudinem superinvisibilis Conditoris quasi incomparabiliter clarius specularemur, jucundius miraremur, ardentius amaremus, perfectius coleremus? Verum, quantum valemus, angelicorum spirituum novempartitos choros ac ordines, ipsorumque ordinum tripartitas hierarchias, fideliter contemplemur. Angelorum quoque in quolibet choro contentorum inæstimabilem multitudinem intueamur; et qualiter summum illud empyrei cœli palatium, istis militibus eorumque distinctione multiplici et dignitate mirabili decoretur, sagaciter perpendamus. Atque in omnium horum tam naturali quam super-
art. xvi-xviii. naturali pulchritudine, de qua paulo ante jam dictum est, ipsius supersubstantialis Creatoris, incomparabilis Dei, sapientialiter atque humiliter pulchritudinem, cum omni reverentia, mente purgata et elevata, quieta et uncta, stabiliter contemplemur; eamque contemplando, transitoria ac terrena aspernemur, et ad sola divina, supercœlestia, totis animæ nostræ medullis suspiremus et affectemus.

Denique, quum sæculo isto jam consummato innovabitur mundus, ita quod lux lunæ erit sicut lux solis, et lux solis *Is.* xxx. 26. septempliciter major quam nunc; quando et terra pulchra et plana ac pervia erit ut aqua, aqua vero velut crystallus, aer ut cœlum, ignis ut sidera : tunc (inquam) pulchritudo, majestas et magnificentia Creatoris, in omnium horum corporali et supernaturali decore quasi sensibiliter a Beatis conspicietur, modo prorsus excellentiori quam nunc.

ARTICULUS XXIII.

Quomodo pulchritudo approprietur Filio Dei.

QUAMVIS præterea pulchritudo toti superbeatissimæ adorandæque Trinitati ac singulis divinis personis communis sit, juxta illud Augustini sexto de Trinitate, In Trinitate summa origo est omnium rerum, perfectissima pulchritudo, et beatissima delectatio; appropriatur tamen unigenito Dei Filio, Verbo æterno, dicente S. Hilario : Æternitas est in Patre, species in imagine, usus in munere. Et licet hæc verba, testante Magistro primo libro, adeo dist. xxxi C. alta sint ut vix ea humanus possit intellectus attingere, tamen ex verbis Augustini sexto de Trinitate verba Hilarii exponentis, aliqualiter innotescunt. Ait enim ibidem :

Imago si perfecte implet seu repræsentat id cujus est imago, ipsa æquatur ei, non illud imagini suæ. In qua imagine Hilarius speciem nominavit propter pulchritudinem : ubi tanta est congruentia,

Digitized by Google

et prima æqualitas primaque similitudo, nulla in re dissidens, et nullo modo inæqualis, et nulla ex parte dissimilis, sed ad identitatem respondens ei cujus imago est. Porro ineffabilis quidam complexus Patris et imaginis seu Filii, non est sine perfruitione, caritate et gaudio. Illa ergo dilectio, delectatio, beatitudo (si tamen aliqua humana voce digne dicitur) *usus* ab Hilario appellatur; et est in Trinitate tertia persona, videlicet Spiritus Sanctus, non genitus, sed genitoris genitique suavitas, ingenti largitate ac ubertate perfundens omnes creaturas secundum capacitatem earum, ut ordinem suum teneant et locis suis quiescant. Hæc Augustinus. Qui etiam primo de Doctrina christiana, sententiam verborum Hilarii aliis verbis significans, ait : In Patre unitas, in Filio æqualitas, in Spiritu Sancto unitatis æqualitatisque concordia. Quoniam enim Pater a nullo est, et ens omnifarie primum, idcirco appropriantur ei unitas atque æternitas.

Denique, quoniam (ut frequenter jam patuit) pulchrum dicitur respectu cognitivæ potentiæ, cujus species est vis intellectiva, et verbum est emanatio intellectus; idcirco pulchritudo rite appropriata est Verbo seu Filio Dei. Insuper, verbum procedit ab intellectu secundum rationem similitudinis, quoniam perfectio intellectus in assimilatione quadam consistit ipsius intellectus ad rem intellectam. Merito itaque Filio Dei appropriantur pulchritudo atque æqualitas, tanquam ei in quo quidquid Patris est, plenissime atque clarissime splendet. art. I.

Amplius, dictum est quod pulchritudo spiritualis ad sapientiam et veritatem potissime pertinet. Quemadmodum ergo Filio Dei appropriantur veritas et sapientia, ita et pulchritudo. art. II.

Adhuc, tactum est quod pulchrum concernit rationem causæ formalis exemplaris; et item, quod pulchrum est omnium causa formalis ac distinctiva in Verbo. Causalitas autem causæ formalis exemplaris, appropriatur Filio tanquam ei per quem facta sunt omnia : ergo et pulchritudo; præsertim quum Filius Dei per appropriationem quamdam vocetur ars Dei et mundus archetypus. Unde undecimo de Civitate Dei loquitur Augustinus : Non est auctor excellentior Deo, nec ars efficacior Dei Verbo. Sexto quoque de Trinitate : Verbum, inquit, est ars omnipotentis sapientisque Dei, plena rationum omnium viventium, et omnes unum in ea. Alibi quoque fatetur, quod qui negat mundum archetypum, negat Dei Filium : nempe quum Verbum sit emanatio intellectus, ea quæ intellectum concernunt, ei rite appropriata consistunt. art. I, II.

ARTICULUS XXIV.

De mutua conversione, contemplatione, dilectione, fruitione, complacentia Patris et Filii ac Spiritus Sancti ad invicem.

INTELLECTUALES substantiæ, contemplando ac diligendo convertuntur ad invicem. Porro, quo aliquorum fuerit major ferventiorque dilectio, eo delectabilius convertuntur atque jucundius uniuntur ad invicem. Quemadmodum demum quælibet divina et increata persona est vere absolute perfecta, ita est in infinitum amabilis. Sed et universæ rationes sanctæ ac puræ mutuæ dilectionis in superbenedictis personis reperiuntur. Sunt namque simillimæ invicem, et una se alii totam communicat. Unaquæque etiam scit se amari ab alia infinito amore. Ipsarumque trium supersanctarum ac supervenerabilium personarum est mera identitas in natura, conformitas summa in voluntate, maxima quoque propinquitas in origine; realis tamen et vera est distinctio in personis, quæ se invicem plenissime comprehendunt. His itaque rationibus mutuæ caritatis diligit Pater Filium, et Filius Patrem, uterque quoque Spiritum Sanctum, et Spiritus Sanctus utrumque, dilectione

Digitized by Google

penitus intensive infinita, superæstuanti et superardentissima, incomprehensibili et æterna. In hac autem eorum mutua dilectione et superaffectuosissima unione, consistit deliciosissimum gaudium et complacentia prorsus immensa, voluptas æterna, invariabilis, interminata, delectatio supersancta et supermundissima.

Denique, Pater et Filius et Spiritus Sanctus contemplantur, vident, inspiciunt se invicem comprehensive et superclarissime, æternaliter et indefesse : sicque fruuntur se invicem fruitione superbeata, imperscrutabili, supergaudiosissima, omniformiterque completa. Videns itaque Pater æternus suum dilectum ac unicum Filium tantæ perfectionis, tam infinitæ pulchritudinis, bonitatis, sapientiæ atque dulcedinis : nonne diligit, amplectitur, inspicit eum cum ingenti lætitia complacentiaque immensa? Nec enim minus diligit eum quam semetipsum. Ideo incessabiliter stat conversus, fixus, intentus in ejus adspectum. Similiter Filius æternaliter est conversus ad Patrem, a quo sibi tantum bonum, videlicet Deitatis plenitudinem, videt esse communicatum; amatque Patrem (ut dictum est) cum superinfinito fervore, et adspicit eum cum superimmensa delectatione, fruens eodem superdulcissima omnique creaturæ inexperta fruitione. Et scimus quod Pater et Filius diligunt Spiritum Sanctum tam intense, plene ac infinite sicut se invicem, et sicut unusquisque se ipsum. Spiritus Sanctus quoque ad Patrem Filiumque conversus est conversione comprehensiva, fruitiva, deliciosissima, interminabiliter amorosa.

Ecce hæc est vita, beatitudo et gloria Dei nostri. Has gloriæ ejus divitias sinceriter contemplemur, ejusque superopulentissimæ felicitati cordialiter congratulemur. Ad hujus divinæ voluptatis beatificum gustum deificumque saporem, jugiter adspiremus; atque ut eam finaliter sortiamur, puritati internæ cum omni cordis custodia studeamus.

ARTICULUS XXV.

Quam desiderabilis atque amabilis sit bonitas pulchritudoque Dei; de vanitate quoque, vilitate, insipientia et impietate eorum qui rebus caducis, terrenis, carnalibus magis inhærent quam summo et incommutabili Deo.

QUUM unumquodque tanto amabilius desiderabiliusque consistat, quanto fuerit melius, virtuosius, sanctius sive perfectius, itemque spirituali decore ornatius : nonne Dominus Deus noster omnipotens, Deus gloriosus et adorandus, Deus sublimis et benedictus, qui est bonitas pura, virtus immensa, sanctitas infinita, superessentialis et absoluta perfectio, fontana, idealis, simplicissima atque mundissima pulchritudo, qui est toto universo in infinitum præstantior, speciosior, potentior, dulcior; cujus beatitudo et gloria est omnifarie interminata, cujus opulentia, sapientia, excellentia, liberalitas ac libertas, pietas ac potestas, nullum prorsus limitem, nullum penitus finem suscipiunt, sortiuntur aut habent : nonne utique Deus iste superdignissimus, est toto mundo et cunctis ac singulis in ipso contentis diligibilior, appetibilior atque suavior? Quumque sic esse nemo fidelium ambigat, consideret homo quam inexplicabilem irreverentiam injuriamque exhibeat Deo rationalis creatura, dum rebus istis terrenis, carnalibus, vanis, corporalibus, sensibilibus et caducis, imo et comparatione divinorum bonorum vilissimis, magis afficitur et adhæret, magis unitur et intendit, quam Deo altissimo, bono tam infinito, præstantissimo et præclaro, cujus respectu totus mundus est tanquam pulvis exiguus. Nonne quodammodo infinitam irreverentiam exhibet Deo, dum ei ista præfert vanissima, dum propriæ potius quam divinæ assentit ac paret voluntati, dum carnalem concupiscentiam amplius quam divinam sequitur legem? Etenim, quanto ille qui præcipit major est, tanto culpabilius est ei non obedire.

Is. XL. 15.

Digitized by Google

Rursus, quanto aliquis benefactor plura aliquibus beneficia contulit, tanto iniquius est ei ingratum exsistere; impiissimum vero est ei etiam mala pro bonis rependere. Si itaque scire optamus quam enormia sint nostra peccata, quam inexcusabilia atque gravissima, profunde sagaciterque pensemus quæ, quanta et qualia beneficia, liberalissime præstiterit nobis Dominus Deus noster dulcissimus. Nonne ipse creavit nos? Ipse utique dedit nobis corpus et animam rationalem, quam sua *Gen.* I, 26, 27. imagine insignivit; nosque ad suam simi- *Ps.* VIII, 8, 9. litudinem condidit; omnia subjecit sub pedibus nostris, oves et boves universas, insuper et pecora campi, volucres cœli et pisces maris; et universa bona, tam dona naturæ quam munera gratiæ, de ejus liberalitate sumus sortiti. Quoties peccantibus nobis pepercit? quam frequenter ac diu nos peccantes sustinuit? a quantis peccatis, damnis atque periculis nos præservavit? quot et quam innumerabiles nunc æternaliter condemnavit, qui multo minus quam nos miserrimi peccaverunt? Sed et specialia beneficia quæ singulis est largitus, quilibet vigilanter perpendat, cernetque quam impius sit et quam impiissime egerit, tam superbonum, incomparabilem ac liberalissimum benefactorem inhonorando ac offendendo. Præterea, si pensemus quam incomparabilia atque immensa bona promiserit et præparaverit nobis, intelligemus lucidius ingratitudinis nostræ ineffabilem enormitatem, vitiorumque nostrorum intolerabilem perversitatem; cæcitatem quoque nostram et inconsiderationem prænimiam deplangemus.

Denique, quo quis alium amplius prævenerit in amore, eo perversius est eum non redamare; perversissimum autem est etiam eum odire, abjicere, spernere, seque ab ipso omnino avertere. Ut ergo peccatorum nostrorum detestandas ac maledictas malitias efficacius intueamur, diligentissime perpendamus, quantum et quam incomprehensibiliter Deus naturaliter bonus ac sanctus prævenerit nos in amore.

Ipse equidem prior dilexit nos, et quum nondum creati essemus, ex suo ad nos præveniente gratuito ac æternali amore, plasmavit nos. Nostram assumpsit naturam; nobiscum conversari dignatus est; suo nos pretiosissimo sanguine a morte æterna et ab omni peccato redemit. Se ipsum nobis quotidie in supermirabili ac superdignissimo Sacramento largitur; intime nobis unitur; a nobis consecrari, tractari, sumi non dedignatur. Imo inexcogitabili caritate, pietate ac dignatione, ut ejus corpus sanguinemque sumamus requirit et præcipit : non plane ob suam indigentiam aut profectum, sed ob nostram salutem quotidianumque in spiritualibus commodum. *I Joann.* IV, 10, 19. *Baruch* III, 38.

Adhuc, quo quis alium plus honorat, eo gravius est honoranti vicem non reddere; indecentissimum vero est eum etiam inhonorare. Quum ergo Deus noster tam multipliciter humanum honoraverit genus, præsertim in supernaturalibus (de quibus dictum est) donis atque promissis, potissime vero per nostræ naturæ hypostaticam assumptionem, excellentissimam glorificationem, ejusdemque super omnes angelicorum ordines agminum elevationem; innotescit quam impiissime egimus Deum inhonorando, divinæ majestatis altitudinem superexcelsam non reverendo, ejus præceptis non obediendo.

Præterea, id quoque in omnibus his rite pensandum est, quod quanto is qui benefacit, diligit aut honorat, major ac melior est, tanto beneficia ejus, dilectio et honoratio, sunt amplius magni pendenda : imo et tanto utique amplius, quanto beneficiatus, dilectus ac honoratus, fuerit minor et vilior. Quum igitur tam immensa sit Dei benefactoris, amatoris honoratorisque nostri majestas, tam vehemens quoque nostra declivitas; elucescit omnino, quod nostra peccata ex considerationibus præinductis et causis præfatis, ex omni parte reddantur enormia, imo gravissima. Quam superinfinita ergo est misericordia Dei super genus humanum et super nos sin-

Digitized by Google

gulos! Et revera, quam mirabile piissimumque exsistit, quod unquam dignatur illum ad suam recipere caritatem et gratiam, a quo vel semel peccato mortali offensus est! Et ecce tam superincomprehensibilis est ejus benignitas, quod sæpius eos a quibus pene innumerabilibus gravissimisque piaculis est offensus, non solum dignatur redeuntes ac pœnitentes ad veniam gratiamque suscipere, sed et misericordissime prævenit eos, compungit, immutat, et sibi familiarissimos amantissimosque constituit, et quasi secretarios suos facit. In quibus impletur illud Apo-
Rom. v, 20. stoli : Ubi abundavit delictum, abundat et gratia. O quam magna et supermagna est misericordia Dei super electos! Reprobos quoque citra condignum deserit in præsenti, et citra condignum punit eosdem in supplicio infernali.

art. xxii. Præterea, quum (juxta præhabita) tam incomprehensibiliter, incomparabiliter ac infinite major, amœnior, dulcior, amabilior sit pulchritudo supersancti et supermundissimi Dei, quam totius universi : quam insensata sunt corda hominum mundanorum, qui rerum creatarum magis quam Creatoris pulchritudinem diligunt; qui miseræ, mortalis peccatricisque carnis mox periturum decorem, potius quam divini vultus invariabilem speciositatem desiderant; qui in mundi specie amplius quam in Creatoris venustate exsultant! Viles omnino obtenebratique sunt, qui corporis sui morituri ornatui magis quam immortalis suæ animæ decorationi intendunt; qui amplius student aut cupiunt se extrinsecus coram hominibus adornare, quam intus coram Deo a vitiis se purgare; qui carnem suam immundam ac fœtidam satagunt delicate nutrire et expolire, animam autem rationalem ac nobilem non cessant quotidie, male vivendo, deturpare, lædere et necare, omnique spirituali alimento privare.

Tales sunt omnes qui in peccato mortali exsistunt. Qui enim mortaliter peccat, a summo et incommutabili se bono avertit, atque ad caduca et vana mentem suam convertit, sicque rei creatæ inhæret finaliter, scilicet plus quam Deo, et fruitur ea: quod totum est contra ordinem æquitatis, eo quod solo Deo, in quo dumtaxat salus creaturæ consistit, fruendum sit, ceteris autem utendum tanquam mediis ad finem illum salvificum, Deum sublimem et benedictum. Res ergo creata, terrena, corporea, tantum ametur, quæratur, in usumque veniat, quantum utilis seu necessaria est ad increati ac summi boni adeptionem salutarem, non amplius neque minus.

De hoc, primo de Doctrina christiana loquitur Augustinus: Res aliæ sunt quibus fruendum; aliæ, quibus utendum. Illæ quibus fruendum est, beatos nos faciunt. Istis quibus utendum est, tendendo ad beatitudinem adjuvamur et quasi adminiculamur, ut ad illas quæ beatos nos faciunt, pervenire eisque inhærere possimus. Nos vero, si eis quibus utendum est, frui voluerimus, impeditur cursus noster et via ad Deum inferiorum rerum amore. Frui est enim amore inhærere alicui rei propter se ipsam. Uti autem, est quod in usum venerit, ad id quod amatur obtinendum, referre; si tamen amandum est: nam usus illicitus, abusus potius nominandus est. Si igitur in hujus mortalitatis vita peregrinantes, ad patriam beatitudinis redire volumus, utendum est hoc mundo, non fruendum, ut de corporalibus ac temporalibus rebus æterna et spiritualia capiamus. Res ergo quibus fruendum est, sunt Pater et Filius et Spiritus Sanctus. Trinitas ipsa, una quædam summa res est, communis omnibus ea fruentibus.

Hinc rursus libro præallegato, capitulo decimo, Augustinus hortatur : Quoniam illa veritate fruendum est quæ incommutabiliter vivit, purgandus est animus, ut perspicere illam lucem valeat, et inhærere perspectæ : quam purgationem, quasi ambulationem quamdam et peregrinationem ad patriam arbitramur. Verum, sicut secundo de Doctrina christiana Augustinus testatur, Deus videtur ab his qui

Digitized by Google

huic sæculo moriuntur : nam in tantum vident, in quantum moriuntur sæculo huic; in quantum vero sæculo vivunt, non vident. Tales sunt omnes mundani. De quibus Augustinus disseruit : Quoniam cupiditate fruendi creatura pro Creatore, homines configurantur huic mundo, mundi nomine congruentissime appellantur. De
Joann. XVII, 9. quibus ait Salvator ad Patrem : Non pro mundo rogo, sed pro his quos dedisti mihi
Ibid. 25. de mundo; itemque : Pater juste, mundus te non cognovit. Joannes quoque in prima
1 *Joann.* IV, 5. sua Canonica ait : Ipsi de mundo sunt, et de mundo loquuntur, et mundus eos audit.

Postremo, ne taliter de mundo hoc simus, terrena ac temporalia parvi pendamus, cœlestibus ac divinis jugiter intendere enitamur, atque ad increatæ, æternæ ac adorandæ pulchritudinis felicem jucundissimumque adspectum, infatigabiliter festinemus. Ad cujus desideratissimam visionem, post hujus finem exsilii, nos mox dignetur perducere Creator omnipotens, cui cantamus : Educ de custodia animam *Ps.* CXLI, 8. meam, ad confitendum nomini tuo; et denuo : Sitivit in te anima mea; quam *Ps.* LXII, 2. multipliciter tibi caro mea! Cui debetur ac persolvatur omnis honor, virtus, adoratio, gloria, qui est super omnia Deus sublimis et benedictus. Amen.

FINIS TRACTATULI DE VENUSTATE MUNDI ET PULCHRITUDINE DEI.

Digitized by Google

Digitized by Google

DE DISTANTIA PERFECTIONIS

DIVINÆ ET HUMANÆ

Digitized by Google

Digitized by Google

PROŒMIUM

ESTOTE perfecti, sicut et Pater vester cœlestis perfectus est. Matth. v, 48.

Deus noster, qui naturaliter bonus est, cujus etiam natura, quemadmodum magnus Dionysius ait, est bonitas pura, cujus voluntas, secundum Apostolum, est sanctificatio nostra; virtutum studio nos potissime volens esse intentos, ad sui imitationem nos ubertim ineffabili dignatione invitavit atque vocavit. Nempe in veteri quoque lege per servum suum Moysen : Sancti, inquit, estote, sicut et ego sanctus sum, Dominus Deus vester. De Divin. nom. c. IV. I *Thess.* IV, 3. *Lev.* XI, 44; XIX, 2; etc.

Porro Unigenitus Dei, qui legem perfecit, et veteribus mandatis consilia junxit, consummatam plenamque fideles suos sanctitatem suadens sortiri, quum ipse legis supergrederetur præcepta (quæ dixit : Diliges amicum tuum, et odio habebis inimicum tuum; ipse vero dixit : Diligite inimicos vestros, benefacite his qui vos oderunt), causam hujus suæ novæ doctrinæ insinuans : Ut sitis (ait) filii Patris vestri qui in cœlis est, qui solem suum facit oriri super bonos et malos, et pluit super justos et injustos. Unde ad eminentiorem nos Dei imitationem invitans quam ante legis tempore fecerat, ita disseruit : Estote igitur et vos perfecti, quemadmodum Pater cœlestis. Ad hoc quippe venit homo, ut nos conformaret Deo : imo, ut Augustinus fatetur, ut homines deos efficeret, ipse homo fieri dignatus est. Virtutibus autem Deo conformamur, ut talis homo fiat per gratiam, qualis ille est per naturam, utputa justus, verax, constans, misericors. *Ibid.* XIX, 18. *Matth.* V, 44. *Ibid.* 45. *Ibid.* 48.

Itaque, quoniam virtutibus Deum imitamur, imo, quemadmodum princeps ait Apostolorum, divinæ efficimur consortes naturæ; intuendum quibus præsertim virtutibus Deum imitari Deoque conformari queat humana fragilitas, quum scriptum sit : Omnes nostræ justitiæ quasi pannus menstruatæ; rursusque : Non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens; et iterum : Numquid justificari potest homo comparatus Deo, aut mundus apparebit natus de muliere? Et ad hoc intuendum, speculanda est proprietas itemque distinctio virtutis ac perfectionis divinæ atque humanæ : et de hoc erit in editione præsenti tractatus, prout dare dignabitur Spiritus veritatis. II *Petr.* I, 4. *Is.* LXIV, 6. *Ps.* CXLII, 2. *Job* XXV, 4.

Digitized by Google

Digitized by Google

DE

DISTANTIA PERFECTIONIS

DIVINÆ ET HUMANÆ

ARTICULUS PRIMUS.

De natura et proprietate virtutis ac perfectionis divinæ.

VIRTUS uniuscujusque rei est perfectio ejus : est enim virtus quæ habentem perficit, et opus ejus bonum reddit. Perfectio autem cujuslibet entis, est in eo secundum propriæ suæ speciei atque essentiæ dignitatem, gradum ac ordinem : etenim sublimiorum digniorumque naturarum perfectiones altiores consistunt. Deo autem est proprium, ut sit ens per essentiam, utputa independens, nulliusque egens, sed sibi per se omnino sufficiens. Omni autem naturæ quæ post Deum est, id rite commune censetur, esse ab aliquo, atque a creatore Deo profluxisse, ab eo incessabiliter dependere, ejusque manutenentia deficiente repente deficere et in nihil relabi. Porro idem est ordo et habitudo conformis essentiæ, et eorum quæ essentiam concomitantur vel ab ea oriuntur. Itaque, quemadmodum divina virtus atque perfectio Deo naturalis est, neque aliunde adepta ; sic ad aliud ordinari non eget neque referri, sed est ipsa in se ipsa omnino perfecta. Virtutem autem concomitantur et ex ea oriuntur, primum quidem operatio virtuosa, hinc vero delectatio seu complacentia. Omne equidem verum gaudium, delectatio vel complacentia non nisi ex virtute emanat. Ideo scriptum est : Non est gaudere impiis, dicit Dominus. Deus ergo de virtuoso suo actu non alteri gratias refert, sed in se ipso delectatur, et complacet sibi in se atque de propriis. Et hæc est beatitudo divinæ mentis, quoniam nullius extra se egens, de propriis gaudet, et complacet ipsa sibi in generali sua sufficientia. *Is.* LVII, 21, juxta LXX.

Denique creata omnis virtus atque perfectio, quemadmodum ipsa a divina virtute processit, sic ad eam ordinanda referendaque est, neque unquam licitum est de ea aut actu ipsius in se ipso delectari, vel sibi placere in se ; sed tam virtus ipsa quam operatio ejus, et item quidquid ex ea consequitur, naturali jure ac ordine ad divinam fontalemque est ordinandum virtutem. Ideo scripsit Apostolus : Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis ? Hinc insuper illi qui quum cognovissent Deum, non tamen sicut Deum glorificaverunt, nec gratias egerunt, vani facti sunt, atque ingratitudine sua justissime evanuerunt damnatique sunt. Propterea Scriptura testatur, quoniam soli Deo debetur omnis honor et gloria ; et Apostolus : Qui gloriatur (inquit), in Domino glorietur. Et utique qui sibi adscribit quod Deo debetur, furtum facit majestati divinæ. *I Cor.* IV, 7. *Rom.* I, 21. *I Tim.* I, 17. *I Cor.* I, 31.

Digitized by Google

Quotiescumque igitur vana et inordinata ac propria aliqua complacentia menti nostræ subrepit aut ingerit se, vel ipsa sibi boni quidpiam tribuit, mox vehementer prudenterque obviare oportet, et tam injustæ cogitationi celeriter resistere par est. Verumtamen beatus qui laqueum istum evaserit, præsertim quum ipse se tunc fortius ingerat, dum virtuosius agere quis conatur. Ideoque contra eum vigilantissima mente armari necesse est, alioqui ingrati inveniemur atque irreverentiam exhibentes majestati æternæ. Et scimus quoniam habenti, id est grato, dabitur; ei autem qui non habet, id est ingrato, quod videtur habere, auferetur ab eo; et melius prorsus esset nunquam recepisse, quam datori Deo ingratum fuisse.

Matth. xxv, 29.

ARTICULUS II.

De summa perfectione mentis humanæ.

IGITUR, quum divinæ virtutis perfectio consistat in hoc quod Deus de propriis divitiis gaudet, quippe qui a nullo quidquam recepit, neque alterius eget, sed a se ipso et per essentiam habet et est quidquid habet et est; omnis autem intellectualis creaturæ perfectio in hoc sita sit, ut de participatis atque a Deo concessis dumtaxat bonis lætetur, non utique in se, sed in primo datore : elucescit quoniam quo mens creata, præsertimque humana, hanc suam conditionem, proprietatem et qualitatem clarius recognoscit, atque recognoscendo in effectu seu opere plenius fatetur et ostendit, eo verior perfectiorque exsistit. Itaque quantumcumque vitæ, scientiæ et virtutum ac aliorum divinorum donorum excellentiam quispiam adeptus sortitusque fuerit, si vel in minimo aut certe tenuissimo motu in se ipso exsultet, et quasi de propriis gaudeat, aut alteri complacere desideret, protinus ab arce ac apice perfectionis suæ delabitur, atque ad se ipsum inordinate et injuste convertitur.

Verumtamen de gratia et donis ac beneficiis Dei lætari potest homo, imo et debet, non in se nec propter se, sed in Deo et propter laudem ipsius : primo quidem, ut datori Deo gratus sit; secundo quoque, quatenus per illa proximis prosit; tertio, quia per hæc multa pericula evasit, et æternæ beatitudini propinquavit.

Et revera nos quos immensa Dei benignitas de tenebris sæculi, atque de pristina nostra conversatione damnosa, mundana, illecebrosa, itemque vanissima ac periculosa eripuit, et ad pœnitentiæ semitas, ad veritatis agnitionem sanctumque Ordinem reduxit ac transtulit, nec satis lætari, nec Deo condigne regratiari valemus. Nihilo minus, quum ignoremus utrum amore an odio digni simus, neque certitudinaliter nobis constare possit, nisi Deo specialiter revelante et Spiritu Sancto spiritui nostro testimonium perhibente, quod in gratia stemus; ideo semper fiducia et lætitia nostra de Deo ac donis ejus moderanda est, ne præsumptuosa sit, sancto quoque timori ac spirituali tristitiæ admiscenda, quatenus divinæ pietatis beneficiorumque ejus consideratio nos ita lætificet et fiduciam præstet, ut propriæ nihilo minus fragilitatis et impietatis pensatio timoratos in Deoque tristes ac dolentes efficiat. Nimia quippe fiducia securitatem adducit, securitas autem animum a sancta sui ipsius custodia dispendiosissime resolvit ac distrahit. Contra quod scriptum est : Omni custodia serva cor tuum, quoniam ex ipso vita procedit. Unde et beatus Psalmographus Deum exorans : Confige (inquit) timore tuo carnes meas. Timor namque retrahit a malo. Ideoque beatus homo qui semper est pavidus. Et ob hoc in Vitaspatrum scriptum est, recordor, quoniam fiducia est pessima passio, dum scilicet homo quasi de sua justitia præsumere incipit, atque de sua vita confidere, ac per hoc studium et diligentiam seu sollicitudinem circa cordis sui custodiam relaxare, et ad externas consolationes mentem suam liberius uberiusque diffundere.

Ecclc. ix, 1.

Rom. viii, 16.

Prov. iv, 23.

Ps. cxviii, 120.

Prov. xv, 27.

Ibid. xxviii, 14.

Digitized by Google

Nunc ergo si studiosæ conversationis es, si laborator es, si profecisti paulisper, imo si perfectionis verticem contingere orsus es, aut ipsam demum veram virtutem apprehendisti ; agnosce et pensa, quoniam quo te ipsum minoris reputas, quo omne quod habes et es, Deo intelligibilius vehementiusque adscribis, quo ipsius in omnibus honorem et gloriam præcordialius cupis, eo perfectior es. Porro, quo ab hoc sensu amplius decidis, eo a vera perfectione veritatisque apice miserabilius deficis. Hinc nempe Salvator : Quum feceritis (ait) omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite, Servi inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus. Sicut enim quidquid sumus vel in natura vel gratia, a Deo habemus ; sic in ipsius obsequium atque præconium id ipsum expendere obligamur.

Luc. XVII, 10.

ARTICULUS III.

In quo perfectio divina conveniat cum humana.

OSTENSUM jam est, quod proprietas perfectionis divinæ proprietati perfectionis humanæ opposita est. Nunc ergo declarare oportet quid virtuti seu perfectioni divinæ atque humanæ commune sit.

Agnoscendum est igitur, quoniam omnes virtutes in quodam judicio rationis seu in cognitione intellectus fundantur. Optimum quippe hominis est, secundum Dionysium, esse secundum rationem : ipsa enim inter bonum et malum, verum falsumque discernit. Quum autem appetitus, sive intellectualis sive inferior, vel ratio ipsa, in operationibus suis verum rationis judicium assequuntur, tunc operatio virtuosa vocatur ; et proximum hujuscemodi actionis principium virtus dicitur, atque in illa potentia collocatur ad quam actio pertinet : sicut prudentia est in intellectu, mansuetudo in irascibili, justitia in voluntate.

De Divin. nom. c. IV.

Itaque hoc perfectioni et actioni divinæ virtutis itemque humanæ exstat commune, quod utraque in contemplatione veritatis seu vero intellectus fundatur judicio. Unde licet actio, proprietas atque perfectio virtutis divinæ et humanæ plerumque consistant oppositæ, nihilo minus utraque virtus vere virtus est. Hanc namque inter eas communitatem atque diversitatem vera ratio atque ipsius veritatis contemplatio sincera requirit. Et hujus quidem exemplum tale inducam. Dilectio, tam in Deo quam in homine, vera summaque virtus est : sed in Deo actio atque perfectio dilectionis, est ut Deus summe diligat se ipsum propter se ipsum, alia quoque non nisi in se et propter se ; in homine vero dilectionis perfectio, non est ut summe amet se ipsum vel diligat se propter se, aut certe ut diligat alia in se et propter se. Verumtamen præsens caritatis divinæ ac humanæ distinctio magis est ex parte subjecti seu amantis quam objecti sive amati. Nam in homine quoque perfectio itemque propria actio veræ dilectionis est, ut homo Deum summe et propter se ipsum pure diligat, alia autem in ipso et propter ipsum. Necesse est enim virtutes quæ Deo et creatis intellectibus adscribuntur, in aliqua convenire actione.

Denique hanc dilectionis divinæ atque humanæ distinctionem veritatis agnitio exigit. Quum enim bonum sit appetitus objectum, sicut se habet res ad bonitatem, sic se habet ad hoc ut appetibilis sit. Quum ergo solus Deus sit essentialiter atque totaliter et quomodolibet bonus, ipse solus propter se ipsum summe, imo in infinitum plus omnibus amandus appetendusque est. Cetera vero eatenus amanda sunt, in quantum divinæ bonitati assimilantur et de ea participant, atque secundum quod nos ad Deum manuducunt et promovent. Itaque, quoniam verum rationis dictamen requirit ut inferiora et procreata et causata ad superiora causasque, præsertim autem ad summum bonum causamque primam, ordinentur ; propterea

Digitized by Google

omnis dilectio, et quidquid virtutis ac dilectionis in creaturis est, ad divinam dilectionem referre justissimum est, Deo tanquam principali datori et causæ universa attribuendo, atque in ipso dumtaxat gloriando.

Denique scire convenit, quod intellectus voluntatem in omnibus dirigit, proprium suum objectum eidem ostendens : est enim objectum voluntatis bonum intellectum. Nihil ergo appetere valet voluntas, nisi quod sub ratione boni apprehendit intellectus : unde nec appetitus nec voluntas errare potest, nisi in ratione error præcedat. Intuendum est igitur, quod in omnibus gratuitarum virtutum meritoriis actibus, ratio in quantum fide illuminata est, dirigit voluntatem : debitum enim verumque finem, ad quem cuncta referre justum est, homini repræsentat. In moralibus vero acquisitisque virtutibus prudentia dirigit. Itaque paulo ante convenienter dicebam, quod omnis virtus in veritate vel fide, aut potius consideratione veritatis seu rationis judicio, originaliter stabilitur.

ARTICULUS IV.

De incessabili dependentia indigentiaque perenni qua a Creatore benedicto omnis creatura cum universa sua perfectione dependet.

AD sui ipsius veram adipiscendam notitiam, et ad omnium quoque virtutum, potissime tamen humilitatis adeptionem, non mediocriter confert profunda agnitio quemadmodum creatura a Creatore dependeat.

Enimvero, ut manifeste conspicimus, non æqualiter dependent a causis suis causata. Quædam enim dependent a causis suis dumtaxat quoad fieri seu inchoationem : ut domus ab artifice, et homo filius a patre gignente. Nam si domo constituta artifex desinat, aut filio genito genitor obeat, nihilo minus domus et filius in existentia sua perdurant. Alia autem a suis causis dependent eisque indigent, non solum in fieri, sed indesinenter quamdiu sunt, scilicet quoad permanentiam : sicut dependet splendor a luce, dies a sole, motus etiam corruptibilium rerum a motu cœlesti. Nempe, si vel in momento lux ipsa deficiat, protinus splendor occumbit; et dies repente exstinguitur, si in oculi ictu sol occultetur. Ipse demum motus cœlestis, secundum Aristotelem, est tanquam quædam vita inferiorum ; et quemadmodum Rabbi Moyses ait, sicut se habet motus cordis ad vitam animalis, sic se habet motus cœlestis ad omnes mutationes mundi inferioris. Et hoc idem magnus Dionysius asserit. *Cf.* t. XV, p. 255 A, 260 C; XVI, p. 137 A.

Palam est autem, creaturam vehementius a Deo creatore dependere, quam aliquis effectus a causa secunda creataque dependeat : tum quia prima causa est magis causa quam quæcumque causa secunda; tum quia Deus creator incomparabiliter sublimior est omni creatura, quam aliqua causa creata suo effectu; tum quia plus recipit creatura a Creatore, quam effectus aliquis a causa secunda : causa enim creata nunquam producit totam substantiam totumque esse sui causati, quemadmodum Creator excelsus. Quum ergo rationalis anima a Deo immediate creata sit, multo plus cum omni sua perfectione, virtute et gratia a Deo dependet, quam splendor a luce, dies a sole, aut forma naturalis ab influentia motus cœlestis. Unde evidentissime elucescit, quod si vel in ictu oculi, aut in indivisibili instante, Creator suus eam reliquerit, mox ab omni sua perfectione cadit ac deficit. Et quemadmodum suam naturalem subsistentiam repente amitteret, si in momento Deus illam conservare cessaret; sic omnem gratiam atque spiritualem decorem sine mora penitus perderet, nisi benignitas divina hæc ipsa clementissime manuteneret.

Itaque, o homo, si quidquid habes, a Deo sortitus es, et nec dona naturæ nec munera gratiæ ad momentum servare va-

Digitized by Google

les, nisi Deus incessabiliter in te ea conservet : quid inanissime intumescis de his quæ nec tua sunt, nec in tua potestate consistunt, imo de quibus tanquam de creditis mutuatisque talentis, districtissimam datori Deo rationem præstare exigeris ? Contra naturalem rationem ipsumque ordinem rerum peccas, dum velut de propriis in te ipso lætaris (aut certe in cordibus aliorum gloriosus et magnus haberi moliris vel cupis) de his quæ tibi ad tempus concessa sunt, quatenus si eis bene usus fueris, ampliora recipias, si vero inique, condigna tormenta sustineas, et quæ demum ad illius honorem ordinare rectissimum est, ex cujus liberalissima bonitate fluxerunt. Præterea, ut Avicenna Peripateticus pulchre inducit, quum res creata a se ipsa non habeat nisi non esse, si influxus bonitatis Creatoris retrahatur ab ea, nil manebit in ipsa nisi quod a se ipsa habet et est, utputa non esse, seu nihil.

ARTICULUS V.

De interno atque secreto modo orandi affandique Deum.

PRÆINDUCTAM igitur suam indigentiam, defectibilitatem, insufficientiam ac indesinentem a Deo glorioso et sancto dependentiam, devotissima sagaxque anima pensans, ad se ipsam conversa, sic Deum suum in proprii cordis cubiculo ignitis atque mentalibus verbis alloquatur et oret :

O Deus meus, virtus salutis meæ, in manu tua est tota salus mea. Tu naturaliter bonus es, tu nullius indiges ; tua natura est bonitas infinita et pura. Quidquid boni in me est, tuum est, a te est, per te manet. Tu, Deus piissime, qui substantialiter perfectus es, qui a propriæ perfectionis immensa plenitudine nunquam mutari neque deficere vales, incomprehensibili atque interminabili tuæ beatitudini tota mente ac universo affectu congratulor. Nil namque justius quam ut te omnis boni principium, omnis pulchritudinis atque dulcedinis fontem infinitum superessentialeque bonum, toto corde amplectar, ac per hoc universæ tuæ lætitiæ, perfectioni, felicitati et gloriæ tota affectione congaudeam. Hoc quippe amoris est proprium, ut amantem de bonis amati tanquam de propriis exsultare jubilareque faciat. Itaque, si ego creatura tua paupercula te Deum meum veraciter diligo, amplector, desidero ; tunc utique de infinita tua junditate, excellentia et immutabilitate totis viribus glorior ; neque de alio tristor nisi quod sanctitatem tuam ac majestatem inhonorando offendit : quamvis beatitudo tua gloriæ suæ æternæ detrimentum sustinere non possit, sed invariabiliter una eademque persistat.

Tu, Deus, qui naturaliter pius es, cujus sapientiam nil penitus latet, agnoscis creaturarum tuarum congeneam naturalemque defectibilitatem, insufficientiam, et in omne malum, nisi a te præserventur, pronissimam proclivitatem. Tu, Domine, nosti, et ego tibi confiteor, quoniam sicut tu a te ipso omniformiter perfectus es, et in omni nobilitate immensus es, sic ego a me ipso nihil sum nihilque habeo, nisi omnem fragilitatem, vilitatem et peccabilitatem. Porro si quid boni in me est, si quid virtutis et gratiæ, si quid amabilitatis et excellentiæ, totum tuum est, a te profluxit, a te dependet ; non mihi, sed tibi, Domine, gloriam præsto, tibi id attribuo.

Precor, benignissime et utique incomprehensibilis ac immensæ clementiæ Deus, exaudi me, miserere mei, age mecum, non secundum ineffabilem meam vilitatem, non secundum miserias meas, sed secundum immensam propriæ tuæ bonitatis clementiam, munificentiam, caritatem. Ostende atque mirifica in me misericordiæ tuæ abyssum. O Deus æterne, omnipotens, adorande, si me exaudis, si me conservas et salvas, misericordissime agis, et eo misericordius quo ego sum indignior ; si vero me spreveris, si me dam-

Digitized by Google

nari ac perire permiseris, nihilo minus optime quoniam justissime facis. Sed noli, precor, o Domine, noli justitiæ tuæ rigorem, sed misericordiæ tuæ dulcedinem manifestare in me; appareat, quæso, in æternum in me caritatis tuæ benignitas, non justitiæ tuæ severitas. Sim, oro, o metuendissime atque imperscrutabilis Deus, *Rom.* IX, 21. vas misericordiæ in honorem, non vas justitiæ in contumeliam. Non potest, o Deus immense, tanta esse mea malitia, contemptibilitas atque miseria, quin bonitas, amabilitas atque clementia tua eas incomparabiliter vincat, atque in immensum excedat. Eia ergo, superoptime Deus, non secundum mea, me æternaliter deseras, sed secundum tua, me in æternum salvifices, non ob aliud, nisi ut te in perpetuum, et nunc quidem in via per gratiam, demum autem in patria per gloriam sine fine, fatigatione, labore, laudem et honorem et diligam.

ARTICULUS VI.

Quod licet tota rationalis creaturæ perfectio sit conformari Deo, nihilo minus multa possumus licite velle, amare atque appetere, quæ Deus non vult, nec cupit, nec diligit.

CONTEMPLANDUM præterea est, in hoc nostram dilectionem a divina dilectione distingui : quoniam Deus unumquodque tanto amplius diligit, quanto ipsum melius ac ipsi conformius exsistit; nos autem non utique obligamur illas creaturas simpliciter magis diligere, quæ in se ipsis meliores amabilioresque consistunt, aut certe nobis similiores sunt. Nam si ordinem amabilium rite pensemus, magis (ni fallor) tenemur amare parentes benefactoresque præcipuos, quam ignotos, alienos sive extraneos, quamvis meliores. Deus autem, qui essentialiter justus est, ea simpliciter intensius diligit quæ amabiliora in se ipsis ac meliora exsistunt, vel secundum præsentem justitiam, vel secundum prædestinationem æternam.

A Horum autem ratio est, quia Deus omnia propter suam propriam bonitatem diligit. Non enim generatur dilectio Dei ex bonitate rerum factarum, sed bonitas divina est Deo ratio diligendi cuncta quæ diligit. Porro, nos non utique amamus res propter solam ipsarum bonitatem vel naturam, sed est nobis multiplex ratio aliquid diligendi, utputa bonitas rei dilectæ, benevolentia propria, et beneficia nobis exhibita. Deus autem a creaturis suis nil recipit : unde nec eas ideo diligit quia commodum B aliquod ei impendunt, sed ideo quod suam bonitatem eis communicare disposuit, per quam eum honorare atque diligere queant: in quo utique non Deo sed sibimetipsis proficiunt. Nostra autem dilectio non semper procedit ex bonitate dilecti, sed ex consideratione beneficiorum, bonorum seu donorum amati nobis exhibitorum ab ipso, vicissim emanat.

Ideoque parentes atque magistros, a quibus maxima bona suscepi, intensius diligere debeo, quam multos eis meliores, qui C ad me nullam simpliciter habitudinem habent, licet ipsi ex parte objecti amabiliores consistant. Unde angelum vitæ meæ custodem magis diligere teneor, quam multos angelos in patria altiores. Denique, multi devoti quosdam Sanctorum sibi in patronos præeligunt, honorant, colunt et diligunt, multis utique derelictis majoribus Sanctis, ad quos ipsi minorem affectionem concipiunt. Ratio equidem diligendi aliquid, in Deo est simplex, in nobis autem est multiplex.

D Ex istis insuper sequitur, quod viatores multa licite possunt amare et cupere, quæ Deus nec amat nec diligit nec vult, quemadmodum in Enchiridio Augustinus testatur. Forte enim vult Deus hac nocte patrem meum carnalem mori, et exigentibus culpis suis damnari : cujus tamen oppositum ego juste et licite cupio. Sed et ego quamdiu viator sum, omnes diligere teneor, orare pro omnibus, omniumque salutem toto corde appetere : cujus tamen oppositum vult Deus et diligit, quippe qui

Digitized by Google

omnes præscitos et reprobos odit perire- A que sinit. Hæc autem diversitas ex eo procedit, quod unicuique competit agere secundum status sui conditionem et ordinem. Unde quamdiu in via sumus, actio caritatis secundum exigentiam viæ nobis exercenda est, ideoque viatoribus secundum quod viatores sunt, impendenda est. Aliter autem in patria erit, ubi omnia in Verbo clare videntur. Et ex hoc divinæ justitiæ omnes Beati plenissime conformantur.

Verumtamen in omnibus his aliquo B modo divinæ voluntati concordamus. Licet enim Deus non velit quod nos, vult tamen nos velle quod volumus. Sed nec nos ejus justitiæ obviare intendimus, quippe qui quotidie dicimus : Fiat voluntas tua.

ARTICULUS VII.

De vera ac profunda humilitate.

QUEMADMODUM superbia est inordinatus propriæ excellentiæ appetitus, sic humilitas est sui ipsius vera dejectio C seu ordinatus propriæ parvipensionis affectus. Ideoque perfectæ humilitatis opus est : exhibitam gloriam spernere, nullum in præsenti honorem appetere, imo omnem venerationem sui ipsius horrere, nec sine interno dolore eam sufferre ; majoribus, minoribus atque æqualibus se ipsum inferiorem sentire ; neminem spernere, sed se pro suis peccatis omni despectu dignum perpendere, atque per hoc illatam contumeliam æquanimiter ferre ; nolle præesse, sed semper subesse.

Denique, quum secundum Augustinum, omnis peccati origo sit sui ipsius inordinatus privatusque amor, ex opposito non immerito omnium radix virtutum humilitas dicitur. Sicut enim ex hoc quod homo se ipsum in se ipso et non secundum ordinem ad ultimum finem amat, consequitur amor honoris, timor adversitatis, odium persequentis, appetitus ultionis, ac alia mala ; sic ex humilitate oriuntur contemptus honoris, amor adversitatis, inimicorum dilectio, patientia, mansuetudo, atque similia.

Itaque qui proficere cupit, omniumque vitiorum a se caput evellere, discat se non in se, sed in Deo, sub Deo et propter Deum diligere. In Deo, tanquam in eo qui est omnis veri amoris causa et ratio. Tunc quippe se homo amat in Deo, dum se eatenus diligit, in quantum divinæ bonitatis similitudo in ipso resplendet. Sub Deo quoque se diligit, dum plus Deum quam se ipsum amat. Sed et propter Deum se diligit, quando sui ipsius amorem ad Deum refert et ordinat, utputa dum illi soli placere desiderat, nec aliis displicere veretur, nisi per hoc Deo displiceat ; dum insuper de nullo lætatur nisi quod ad Deum se provehit, neque aliunde fit mœstus nisi quo a Deo recedit. Qui autem aliud amat vel quærit per quod Deo non appropinquat, jam se non in Deo et propter Deum, sed in se ipso et propter proprium commodum amat. Et revera talis se non amat : quoniam qui desiderat quod sibi non expedit, non se amat, sed odit. Porro, quum hunc amorem privatum homo a se eradicare orditur, ipsa continuo humilitas in anima oritur : tunc enim vilescit sibi in se, omnemque honorem et gloriam Deo, ad quem se ipsum totaliter ordinat, deberi intelligit.

Advertendum præterea, quod causa humiliandi se ipsum, immediate naturaliter inest omni rationali creaturæ, eo ipso quod creata est. Nam eo ipso quod creata est, sibi in se insufficiens, alio indigens atque D ab eo dependens est : in quibus ratio humiliandi se ipsum originaliter constat.

ARTICULUS VIII.

Quum humilitas in sui ipsius vera cognitione consistat, quomodo viri virtuosi et boni se nihil reputare aliisque viliores arbitrari possint, quibus tamen veraciter meliores sunt.

DUBITABIT autem forsan aliquis circa præinducta. Dictum quippe est, quod

Digitized by Google

perfecte humilis, non solum majoribus atque comparibus, sed inferioribus quoque inferiorem se putat. Hoc autem veritati derogare videtur : cui tamen nunquam derogare fas est. Etenim, secundum Philosophum, veritatem præhonorare sanctum est.

Sed dicendum, quod aliquis quantumcumque perfectus, se verissime profundissima humilitate, nihil et infimum atque universis decliviorem existimare potest, non quidem simpliciter et secundum omnem sui ipsius aliorumque consideratio- B nem, sed secundum partem aliquam. Quum enim quidquid perfectionis rationalis creatura habeat, a Deo processerit, imo quum nostra merita sint Dei dona, secundum magnum atque illustrem illum theologum Magistrum Sententiarum ; licet homo perfectus alio virtuosior sit, se tamen inferiorem veraciter sentit secundum id quod ex se ipso est. Quum enim totam suam perfectionem Deo attribuat, seque secundum id quod ex se est penset, se ipsum nihil esse veraciter concipit. Quum C vero proximum suum considerat non secundum id tantum quod ex se ipso est, neque secundum naturalia tantum, sed secundum dona ac beneficia Dei quæ in se habet vel suscipere potest ; tunc corde tenus se proximo suo subjicit inferioremque æstimat. Et breviter, secundum varias sui atque aliorum considerationes, potest se homo perfectus omnibus inferiorem veraciter credere, non tamen simpliciter, scilicet omnia quæ in se sunt intuendo, ut clarius elucescet. D

ARTICULUS IX.

De variis incitamentis et causis humilitatis.

QUUM proprius humilitatis effectus sit se ipsum vilipendere atque despicere, ipsa quoque humilitas in veritate fundetur ; restat ut ea quorum consideratio proprium inducit despectum, humilitatis A dicantur fundamenta et causæ. Veraciter enim fundatur humilitas in propriæ imperfectionis contuitu : unde secundum diversas propriæ insufficientiæ contemplationes, variæ quoque traduntur causæ humilitatis.

Primum igitur atque communissimum humilitatis fundamentum, est considerare se ipsum secundum id quod ex se est. Et quoniam omnis creatura ex se nihil est, et de se in nihilum tendit, et nisi a Deo conservaretur, in nihil mox caderet ; ideo omnis intellectus creatus bene dispositus, tam angelicus quam humanus, dum se hoc modo perpendit, se utique profunde humiliat, et tanto profundius quo hanc suam nihileitatem videt subtilius. Et quoniam Beati in patria eam multo lucidius cernunt quam nos exsules in via, propterea tam angeli quam omnes Beati, secundum hanc considerationem, multo humiliores sunt in cœlo quam aliquis homo viator in mundo.

Secunda præterea veræ humilitatis fundamentalis causa, est considerare se ipsum secundum propriæ conditionem atque qualitatem naturæ : quemadmodum dum se homo considerat secundum naturales suas proprietates ac propriæ speciei imperfectiones, scilicet, quod compositus est ex corpore, generatus ex spermate, valde passibilis, de necessitate mortalis, plurimis indigens, mente instabilis, ad malum proclivis, ratione debilis, affectione mutabilis, sordidissimarum superfluitatum vasculum, et item innumerabilium peregrinarum impressionum subjectum. Hæc atque similia, bene intuenti se ipsum sunt magnæ humilitatis copiosa materia.

Insuper tertia humilitatis origo prædictisque fortior, est considerare se ipsum secundum id quod a se ipso factus est, scilicet peccator, Deo ingratus, Creatoris offensor, majestatis contemptor, servitutis divinæ torpens neglector, legis transgressor, et in mille malis prævaricator. Qui se ipsum taliter rite attenderet, se utique vehementer humiliaret, odiret et sperne-

Digitized by Google

ret, atque sincera confessione cognosceret quod merito omnis creatura in eum insurgeret, Creatorisque sui in ipso injuriam vindicaret.

Quarta demum humilitatis occasio, est considerare se ipsum in ordine ad superiora, videlicet Sanctos, aut certe Sanctum Sanctorum, Deum altissimum. Quum nempe unum contrariorum ex speculatione alterius plenius innotescat, quo is ad cujus sanctitatem seu perfectionem vitam nostram comparamus, præstantior atque eminentior est in virtutibus, eo nostram miseriam, immunditias negligentiasque efficacius intuemur. Et quoad hoc, divinæ majestatis sincera cognitio hominem summe humiliat, et se penitus nihil arbitrari compellit, quoniam divinæ sanctitatis splendor atque sublimitas omnem perfectionem creatam incomparabiliter superexcedit. Nihilo minus secundum aliquem modum, consideratio perfectionis humanæ in viris perfectis, nos peccatores magis humiliat quam contemplatio sanctitatis divinæ aut certe angelicæ. Divinam namque perfectionem imitari perfecte aut adipisci nequimus, ideoque ex ejus excellentia minus nobis ipsis vilescimus, minusque intra nos de nostris negligentiis confundimur. Dum vero eorum studia, profectum itemque puritatem attendimus, qui nobis in natura pares fuerunt, et in naturalibus interdum decliviores, præsertim autem patrum nostrorum, cum quibus in nomine, religione ac professione communicamus; tunc de nostra ignavia amplius verecundamur, nosque vilissimos opinamur, quod eatenus ab illorum perfectione distamus, ad quorum imitationem obligamur, et quibus in gratia conformari naturaliter apti nati consistimus. Hæc (ni fallor) consideratio valde est utilis.

Denique alia sunt quorum consideratio humilitatem inducit, videlicet pensare non solum quid qualesque sumus, sed quales essemus et esse poterimus, imo et erimus, divinæ pietatis subtracto præsidio : quod utique infatigabiliter atque humillime semper nobis implorandum est ne nos unquam relinquat, quoniam si nos in momento deseruerit, protinus deficiemus, nec sine ejus clementia reparari valemus.

ARTICULUS X.

Quod perfecta atque profunda humilitas apicem duplicis notitiæ exigit.

EX præostensis lucere jam reor, quemadmodum humilitas in consideratione propriæ parvitatis atque in speculatione divinæ majestatis consistat. Licet enim propriorum defectuum pensatio hominem satis humiliare prævaleat, perfecta tamen (perfectorum præsertim virorum) humilitas, divinæ altitudinis considerationem efflagitat. Quomodo namque aliter omnes suas tam præclaras nobilesque virtutes, velut pannum menstruatæ contemnerent, nisi comparatione atque intuitu divinæ munditiæ ac sanctitatis immensæ? Constat itaque, quoniam quo se ipsum quis clarius pleniusque intelligit secundum considerationes prætactas, et ipsam demum dignitatem divinæ naturæ, sanctitatis et gloriæ profundius noverit, eo se ipsum perfectius feliciusque intelligit. Non enim sufficit qualiscumque Dei notitia, sed exigitur eminens, sapida atque formata. Ad humilitatem equidem prout virtus est meritoria, consideratio rationis naturalis non sufficit, sed disponit. Cognitio autem quæ est in lumine gratiæ seu per illustrationem divinam, efficacissima exstat; et hæc sapida formataque dicitur.

Desiderabilissima ergo atque saluberrima est Dei cognitio, et eo præstantior quo profundior, potissime si correspondeat vita. Ideo utique ad perfectionem adipiscendam studiosi, eam semper concupere et pro viribus ad eam sortiendam laborare deberent, non tam studio lectionis, quam munditia mentis ac sinceritate orationis : quemadmodum summus noster philosophus, illustrissimus ille Joannes Cassianus, ex ore sancti anachoretæ abbatis Theodori pulchre conscripsit. Quum enim, secun-

Cf. t. XXVII, p. 67 A.

Digitized by Google

De Divin. nom. c. IV. dum divinum Dionysium, divina lux, quæ immensitate sua super omnem vultum naturæ expansa est, sit pura bonitas, cui propriissimum est misereri, seque ipsam effluere, bonitatem suam communicare, gratiam impertire : ubi animam gratiæ illuminationisque capacem ac divino radio dignam, utputa a passionibus liberam et mundam, studiosamque atque sapientiæ avidam, invenerit, mox bonitatem suam diffundit, gratiæ lumen immittit, sapientiam tribuit; et sicut Christus repromisit, *Joann.* XVI, 13. veniens ille Spiritus veritatis, docet nos omnem veritatem.

Hinc quippe de beatissimis patribus nostris S. Bernardo, B. Thoma, aliisque incomparabilis scientiæ viris, legimus quod sanctitate vitæ magis quam studio sapientiam suam adepti sunt : quemadmodum etiam de S. Antonio sacer ac divinus Athanasius atque de sanctissimo Martino venerabilis Severus testati sunt.

Denique, nonne omnibus his mirabilius rite censemus, quod jam non diu ante nos contigit in admirabili illo viro Joanne Ruysbroeck, qui quum idiota esset, et ipsius insuper Latini ignarus eloquii, nihilo minus merito sanctitatis et simplicitatis tam supernaturales divinitus theorias sortitus est, et in suo quoque vulgari tam subtilissimas veritates conscripsit, ut excellentissimi sacræ theologiæ professores spiritum præ admiratione vix habeant, seque non posse sententias ejus intelligere palam edisserant? Enimvero et ego in christiana sapientia pauper, recens et modicus, hoc libere fateor, quod in nullius ecclesiasticorum atque catholicorum doctorum voluminibus tantam sententiarum altitudinem mihique tam difficilem comperi, ut in libris ipsius, solo uno Dionysio dempto, cujus tamen difficultas propter stili obscuritatem magna ex parte contingit : quod utique in libris hujus admirabilis viri locum non habet.

Porro, quod divinæ majestatis notitia hominem summe humiliet, hinc evidens est, quod sanctissimi illi Prophetæ, quum ad singularem aliquam visionem raperentur divinam, subito in facies suas cadentes, se ipsos facto ac verbis humiliabant. Sed et qui gustavit agnoscit, durante illa benignissima visitatione, illustratione, inflammatione, penetratione paracleti Spiritus Sancti, quam prompte, quam profunde tunc spiritus se ipsum humiliet, quotiesque toto ignito affectu proclamet : O Deus dulcissime, o Deus piissime, o Deus æterne, immense, adorande, quid facis? Cur propriæ dignitati injuriam facis? Cur mihi indignissimo ista impendis? Indignissimus enim sum. Cur me adspicis, cur me visitas, qui te toties sprevi, toties ingratissimus exstiti, et tam sordidissimus sum?

Etenim revera quo quis Deum clarius gratia radiante conspectat, eo se vehementius vilipendit atque humiliat. Unde amabilis ille Propheta, sacratissimus Isaias, in divinæ claritatis thesauros intromissus, et in divinæ lucis abyssum absorptus, divinam insuper incircumscriptibilem excellentiam intuens, non solum se ipsum, sed omnes insuper homines veraciter parvi pendens : Omnes (inquit) gentes quasi non sint, sic sunt coram eo, et tanquam nihilum et inane reputatæ sunt ei. Præterea superbissimus olim ille rex regum Nabuchodonosor, dum se usque ad sidera cœli extolleret, atque a mitissimo Deo paululum correptus, quum per septem tempora fœnum ut bos comedisset, atque tandem ad pristinum gradus sui principatum reductus fuisset, non tantum se, sed et omnes gentes, reges ac principes humiles esse debere contestans : Omnes (inquit) habitatores terræ apud ipsum in nihilum reputantur; et non est qui resistat manui ejus, et dicat, Quare sic fecisti?

Is. XL, 17.

Dan. IV, 15 et seq.

Ibid. 32.

ARTICULUS XI.

De superalta excellentia naturæ ac majestatis divinæ.

QUONIAM, juxta præhabita, perfecta humilitas non solum divinam notitiam, imo divinæ notitiæ arcem ac apicem

Digitized by Google

exigit, jam nunc de divinæ majestatis natura, proprietate et gloria pro viribus compendiosissime eloquendum est.

Agnoscendum igitur, quod Deus gloriosus et sanctus, est (ut Aristoteles ait) ens simpliciter perfectum. Ideoque omnis inest ei nobilitas; et quidquid ad excellentiam exsistendi plenitudinemque essendi pertinet, Deo eminentissime convenit. Præstantius autem est, in propria natura absque omni compositione omnem perfectionem complecti, quam per compositionem. Compositio namque imperfectionis atque indigentiæ indicium est. Componentium utique alterum altero indiget, neque est aliquod ipsorum in se ipso perfectum: imo unum ad minus habet se per modum perfectibilis atque potentiæ, et aliud per modum perficientis et actus. Hoc autem Deo, qui essentialiter simpliciterque perfectus est, et secundum Aristotelem, purus actus, competere nequit. Intelligendum est itaque, quod ipsum divinum esse sit in se ipso omnem perfectionem plenissime comprehendens, imo sit substantialiter quædam superessentialis perfectio omniformiter quomodolibetque perfecta. Unde secundum Damascenum, propriissimum Dei nomen dicitur Qui est, quoniam hoc nomen velut quædam infinita abyssus omnem essendi plenitudinem exprimit. Porro, quum infinita perfectio omni perfectione finita in infinitum sit præstantior, necesse omnino est divinam perfectionem intensive, formaliter materialiterque infinitam exsistere. Quum enim sit in te, o Deus supergloriose et revera superbeatissime, omnis nobilitas cum immensa plenitudine, constat quod beatitudo tua infinita sit: sic et cordis tui lætitia intensive immensa est. Sed et lucis tuæ claritas infinita est penitus, potentiæ tuæ nullus est finis, sapientiæ tuæ nullus est numerus, dulcedo tua, tranquillitas tua, libertas tua prorsus immensa est; tu solus æternus, incommutabilis universorum Creator et Dominus, tu naturaliter sanctus, verax et mundus.

Ps. CXLVI, 5.

Igitur, o anima mea, si hanc majestatem Dei immensam attenderes, te cito humiliares. Si divinæ lucis puritatem atque immensam sanctitatem consideras, omnes justitias tuas quantumcumque præclaras, velut quasdam immunditias tenebrasque contemnis; et clarissime vides quod tanto Domino cum omni reverentia servire oporteat, et nihilo minus totum tuum obsequium humillime vilipendes. Enimvero, quum honor sit exhibitio reverentiæ in signum virtutis, sicut divinæ naturæ virtus ac sanctitas omnino immensa est, sic Deus benedictus immenso honore dignus est. Nulla autem creatura quantumcumque excellens, infinitam reverentiam Deo exhibere potest, sed finitam dumtaxat. Quum ergo reverentia finita ab infinita infinite deficiat, palam est quod omnis honor quem Excelso exhibere valemus, in infinitum distet ac minor sit honore quo ipse ex se ipso dignissimus exsistit. Quid ergo putamus nos magnum aliquid agere? Prorsus cæcus est valde qui vitam suam velut alicujus eminentiæ reputat. Imo nullus angelicus spiritus Deum digne, quantum in se est, venerari potest; sed quo altior est angelus, ac Deum limpidius cernens, eo hoc ipsum clarius recognoscit, atque humiliori reverentia Creatori adsistit. Unde sacratissima illa Seraphim profundissima humilitate, summa reverentia Deo intendunt; potissime autem virgo Maria, et præ cunctis et singulis anima Christi sanctissima.

Is. LXIV, 6.

ARTICULUS XII.

De naturali perfectione hominis.

EST insuper utile valde, sui ipsius naturalem cognitionem habere, quatenus homo mensuram suam agnoscens, altiora se temerarie non attentet, nec subito perfectus et summus fieri velit, sed paulatim; ne dejiciatur, neque pusillanimis fiat aut quasi desperet, quum pro desiderio suo non proficit, neque ut cupit et nititur, in

Eccli. III, 22.

Digitized by Google

divinis devotus, in gratia stabilis, ac in fervore continuus est. Nempe si homo propriæ suæ naturæ conditionem, gradum ac ordinem sapientialiter penset, nec in prosperitate sui profectus donisque gratiæ extolletur, quoniam sciet hæc non suæ esse virtutis; neque in difficultate proficiendi sterilitateque gratiæ et conversationis suæ imperfectione opprimetur desolatione, sed propriam naturalem declivitatem recogitans, non cessabit conari : quod si ubertim ceciderit, studebit resurgere.

Expedit igitur intueri, quod secundum omnes philosophos atque theologos, rationalis anima est terminus et ultimum intellectualium substantiarum in ordinibus. Dicit enim Isaac in libro Definitionum, quod sit in umbra intelligentiæ facta. Ideoque intellectuale lumen debilissimum atque minutissimum in ea exsistit, in tantum ut creari non possit intellectualis essentia inferior ea. Nam secundum Aristotelem, intellectus humanus in exordio sui est tanquam tabula rasa, videlicet nec formis rerum neque scientiis adornatus; sed sicut Averroes fassus est, sic se habet in ordine intellectuum sicut materia prima in ordine entium. Materia autem prima secundum se nuda est, pura potentia, infimum entium; et secundum Augustinum, prope nihil creata. Sic prorsus rationalis anima est omnino possibilis, intellectualium infima, et prope irrationales formas atque sensibiles condita. Nam et corpori naturaliter unitur, quatenus per ministerium sensuum a corporeis rebus species entium atque notitiam sortiatur. In tantum quippe intellectuale obtenebratur in ea, ut naturalius ei sit per sensus corporeos scientias adipisci, quam per influxum substantiæ separatæ. Unde, quemadmodum in quibusdam vilissimis vermibus sensitiva perfectio minima et quasi nulla est, sic et in rationali anima intellectiva potentia prope nihil est.

Hoc enim ordo rerum exigit. Siquidem in omni genere entium est quidam ordo a summo usque ad ultimum per ordinatum descensum : quemadmodum in animalibus cernimus. Conformiter, in universitate intellectuum creatorum, a summo intellectu creato usque ad rationalem animam, quæ infima est, semper species seu natura unius intellectus est inferior alia. Et iste descensus terminatur in anima, sic ut declivior fieri nequeat. Si igitur poneremus cum S. Thoma quemlibet angelum a quolibet differre specifice, quum secundum Dionysium sint tam innumerabilia millia angelorum, tunc facile considerare possemus per quot gradus perfectionales ac specificos distet anima ab altiori ac suprema natura angelica. Unde nec mirum, si intellectus sit debilis, memoria vaga, voluntas fallibilis, mens ipsa instabilis, ac per hoc homo ad veram perfectionem stabilemque virtutem valde difficilis.

De Cœlest. hier. c. XIV.

ARTICULUS XIII.

De comparatione perfectionis divinæ, angelicæ atque humanæ.

QUEMADMODUM Dionysius docet, divina sapientia species rerum sic ordinat atque instituit, ut semper in eis sit quædam communis distinctio; nec procedit a distanti in distans nisi per medium, quod cum utroque extremorum communicat : et ob id, infimum ordinis superioris cum supremo ordinis inferioris maxime convenit. Quum ergo inter divinum intellectum et humanum medius sit intellectus angelicus, palam quod cum utroque extremorum in quibusdam participat. Maxima vero communio est inter infimi ordinis angelum rationalemque animam. Unde et secundum Dionysium, angeli qui singulis hominum ad custodiam dantur, de infimo choro sunt ultimæ hierarchiæ cœlestis. Sed et sacerdos in hierarchia ecclesiastica, propter communionem sui cum angelo, in Propheta angelus Domini exercituum appellatur.

Ibid. c. V.

Ibid. c. IX.

Malach. II. 7.

Digitized by Google

Porro, de divino intellectu ex præinductis innotescit, quod ipse essentialiter, sine omni compositione et accidentali additione, in omni sapientia omnique virtute simpliciter perfectus sit. Deo enim idem est esse, et sapientem esse, justum esse, sanctum, omnipotentem, clementem : quoniam divinum esse, quum in se ipso omnium perfectionum plenitudinem naturaliter comprehendat, non indiget perfici per operationem aut habitum ab essentia condistinctum, sed ipsa supersancta ac superessentialis Divinitas est purus actus, in quo esse, posse et agere penitus idem sunt.

Intellectus vero humanus omnino opposito modo se habet : quippe qui in exordio est pure possibilis, informis et nudus ; per temporales successus, laborem ac studium, virtutes atque scientias ceterasque perfectiones suas adipiscens. Estque insuper in rationali anima naturalium virium, proprietatum ac operationum summa maximaque diversitas, in tantum ut in nullo ente, neque in cœlo neque in terra, sint tot potentiæ naturales ut in homine. Ipse enim cum omnibus tam superioribus quam inferioribus communicat : unde et omnis creatura ac microcosmus vocatur ; et secundum philosophos, anima rationalis est quidam horizon ac ligamentum formarum separatarum, atque materiæ conjunctarum.

Marc. XVI, 15.

Intellectus autem angelicus in hoc cum intellectu humano communicat, quoniam non est essentialiter neque a se ipso perfectus, sed tam naturam quam naturæ perfectionem a Deo sortitur, neque unum in eo sunt essentia, potentia et operatio. In hoc vero ab intellectu distat humano communicatque divino, quod naturalem suam perfectionem, tam in scientia quam in virtutibus, ab initio concreatam connatamque habet, quoniam in libro Causarum scribitur : Intelligentia semper formis est plena. Unde nec corpori copulari eget, quoniam ex corporeis rebus nullum profectum conquirit.

ARTICULUS XIV.

Quod sola humilitas animæ Christi omnium simul creaturarum humilitatem excessit, et nunc quoque excedit, quia nunquam diminuta est, nec unquam minuetur.

IN præcedentibus assignatæ sunt pluri- art. IX.
mæ considerationes in quibus fundatur humilitas, utputa : considerare se secundum id quod est ex se, quod aliud non est quam considerare se secundum quod ex nihilo est, et de se nihil est ; secundo, considerare naturam creatam secundum naturalem suum gradum ac ordinem ; tertio, considerare se secundum mala quæ fecit ; quarto, considerare se per comparationem ad perfectiores, potissimum vero ad Deum ; quinto, considerare se secundum ea quæ non est, sed esset vel esse posset, nisi a Deo misericorditer præventus in gratia atque a malis præservatus consisteret : nullus equidem homo tam sanctus est, qui non in omnia mala prolabi potuisset in quæ sceleratissimus aliquis corruit, nisi a Deo custoditus fuisset. Omnes denique considerationes istæ sunt in Christo secundum quod homo est, et in Deifera Virgine, dempta tertia, quoniam culpa in eis locum non habet.

Advertendum est tamen, quia (ut theologi adstruunt) humanitatem Christi plus diligit Deus quam totum universum : majus enim ei bonum impendit, videlicet hypostaticam cum Verbo unionem. Hinc vero consequitur, quod sola anima Christi ardentius diligit Deum, clarius atque profundius videt eum, quam omnes simul electi homines angelique beati. Quo autem intellectus creatus in lumine gratiæ lucidius intuetur Deum, eo amplius parvi pendit se ipsum. Quum ergo anima Christi præ cunctis et singulis Deum clarius comprehendat, imo quasi incomparabiliter Dei immensitatem intimius noscat, sequitur quod ejus solius humilitas, qua se ipsam sub Deo parvi pendit, intensior sit omni

Digitized by Google

humilitate quam omnes simul electi habent aut unquam habituri sunt.

Præterea, nulla creatura tam clare tamque profunde intelligit se secundum quod ex nihilo est, et item secundum id quod ex naturali sua conditione est, secundum comparationem quoque ad excellentiam Creatoris, secundum ea quoque quæ sibi accidere poterant gratia divina subtracta, sicut anima Christi, et post eam Maria Christifera. Ideoque secundum omnes pene considerationes philosophicas constat, quod anima Christi incomparabilis est humilitatis et æternaliter erit, in tantum ut nec summus beatorum angelorum aut hominum, nec infimus, nec medius, nec omnes simul creaturæ, tantæ humilitatis consistant ut solus Christus secundum quod homo. Et post eum Virgo gloriosa omni intellectu creato verissime humilior fertur.

ARTICULUS XV.

Quod in divina natura humilitas locum non habet.

DENIQUE, quum humilitas in veritate fundetur, in nulla natura potest esse humilitas, in qua non potest esse propriæ parvitatis ac inferioritatis vera cognitio. Quum ergo Deus sublimis et benedictus, sit substantialiter quomodolibetque perfectus, nullatenus in eo esse potest aliqua propriæ imperfectionis vera cognitio, ergo nec humilitas : nisi forte aliquis instet, et dicat humilitatem exemplarem esse in mente divina. Quod utique certum est : nam et omnia in divina sapientia exemplariter continentur ac splendent. Sed hoc intentioni præsenti non obviat. Non enim omnia Deo insunt secundum propriam rationem ac speciem idemque nomen, sed ea dumtaxat quæ simpliciter ad perfectionem pertinere censentur. Porro, si tota authentica Scriptura percurratur, non recolo quod alicubi Deo adscribatur humilitas, sicut neque superbia ; quum tamen uberrime attribuatur ei ira, furor, odium, crapula, atque eorum opposita : quæ tamen proprie Deo non competunt, ut dicetur.

Si autem quis dicat, quia Apostolus de Unigenito Dei loquens : Exinanivit (inquit) semetipsum, formam servi accipiens. Ergo exinanitio seu humilitas Deo adscribitur, etiam in quantum est Deus. Respondeo, quod exinanitio ista non est aliqua actio seu proprietas in ipsa divinitate consistens, sed attribuitur Deo ratione termini seu naturæ assumptæ : quam assumens Filius Dei, per modum humiliantis se habuit, quum ipse Creator altissimus naturam quam condidit, sibi tam dignanter tamque amanter univit. Et quoad hoc per quamdam similitudinem attribui posset Deo humilitas, tamen valde improprie. Nunquam enim Deus se ipsum in quantum Deus est, creaturæ alicui vel inferiorem vel parem aut certe comparabilem censet, quum tamen proprius humilitatis effectus sit sui ipsius mentalis quædam parvipensio atque dejectio : quod (ut dixi) divinæ majestati nullatenus convenit. Enimvero, communicatio, applicatio et conjunctio, qua se Deus creaturis intellectualibus communicat, applicat et conjungit, in terris quidem per gratiam, in cœlis vero per gloriam, misericordiæ potius ac dilectioni quam humilitati adscribenda videtur : quemadmodum de Patre Apostolus, Propter nimiam (ait) caritatem, qua dilexit nos Deus Pater, Filium suum misit in similitudinem carnis peccati ; itemque de Filio, Qui dilexit me (inquit) et tradidit semetipsum pro me ; et Joannes, Videte (ait) qualem caritatem ostendit nobis Deus, ut filii Dei nominemur et simus.

Philipp. II, 7.

Ephes. II, 4 ; *Rom.* VIII, 3.

Galat. II, 20. I *Joann.* III, 1.

ARTICULUS XVI.

Quod licet omnis creaturæ perfectio sit assimilari Creatori, quædam tamen perfectiones Deo conveniunt, quas creaturæ licite desiderare non possunt neque imitari debent.

UNICUIQUE porro creaturæ convenit perfici secundum exigentiam proprii

Digitized by Google

status, conditionis ac ordinis. Nam ut Aristoteles docet, perfectio correspondet perfectibilibus. Creatura ergo Creatori suo assimilari laborans, conditionis suæ limites non excedat, neque ea quæ sibi proportionata non sunt, inordinate indiscreteque appetat.

Etenim, sicut ordinate Deo conformari optare, omnis boni est initium ; sic indiscrete assimilari velle eidem, omnis æque mali principium est. Nempe tam Lucifer quam angeli boni Deo assimilari optabant. Dixit enim primus ille apostata *Is.* XIV, 14. angelus : Similis ero Altissimo. Sed et qui *Ps.* LXXII, 28. manserunt, ipsi singuli dixerunt : Mihi autem Deo adhærere bonum est. Quod utique est assimilari eidem per contemplationem et amorem. Itaque angelus malus divinam assimilationem appetiit quæ creaturarum limites transcendit. Voluit enim præesse omnibus quos sibi allicere potuit : non quidem sub Deo atque secundum ordinem divinæ sapientiæ, sed tanquam principalis præceptor, et magis secundum proprium libitum quam divinum beneplacitum. Unde proprium honorem et gloriam quæsivit, et in se ipso, non in Deo, honorari volebat. Nempe naturæ suæ excellentiam considerans ac decorem, nec ea ad Creatoris gloriam referens, in propria pulchritudine delectatus, naturalibusque donis a Deo concessis nolens esse contentus, eis dominari inordinatissime cupiebat quibus secundum naturalem dignitatem eminentior erat. Ceteri vero angeli, qui se totos ad Deum referebant, et ad ejus gloriam quidquid habebant ordinaverunt, divinam assimilationem ut decuit optaverunt.

Multæ sunt ergo divinæ perfectiones quas vel propter præsentis vitæ statum, vel propter naturalem sub Deo ordinationem ac dependentiam, optare non possumus : quæ tamen perfectiones dignissimæ sunt, et eas sibi soli Deus servavit, videlicet velle honorari propter se ipsum, *Rom.* XI, 20; *Prov.* XXV, 27. velle præesse.

Denique, judicare, et altum sapere, seu majestatem perscrutari, prohibemur, non quia mala sunt hæc, sed quoniam non expediunt nobis propter præsentis vitæ imperfectionem ac statum. Quum enim cito fallamur, judicare nobis periculosum est, præsertim quum ipsi quoque adhuc judicandi simus. Sed et propter debilitatem nostri ingenii, divina velle scrutari illicitum est. Conformiter, quum in hoc mundo tanquam in exsilio, in loco pœnitentiæ, in valle lacrimarum positi simus, ideo ad patriam, felicitatis locum, non nisi per humilitatem proficisci valemus. Et ob id, nullatenus velle dominari aut præesse debemus, sed omnino subesse.

Porro, ob eamdem rationem dicitur singulis nobis, Noli esse nimium* justus : non quod possimus esse nimium justi aut boni, sed ne ultra naturalium virium capacitatem ac propriam speciem ad divinam perfectionem conemur pertingere, et ne nobis contingat quod ait Propheta : Quia plus fecisti quam potuisti, idcirco peristi. Unde et fervidissimus divinissimusque Apostolus : Rationabile (ait) sit obsequium vestrum. Deus quippe quum sit causa ordinis rerum, non exigit a nobis nisi prout conditionis nostræ qualitas sustinere potest atque admittere. Hæc autem humana est conditio, ut paulatim continuo proficere enitatur, non subito perfici ; nec in se, sed in divina ope semper confidat, et in his Deo assimilari laboret quæ sibi præcepta consultaque sunt, utputa quæ ad veram beatitudinem promovent, et divinæ fruitionis animam capacem efficiunt, nostroque statui congruunt.

* multum *Eccle.* VII, 17.

Jer. XLVIII, 26.

Rom. XII, 1.

Itaque constat id soli Deo esse proprium, quod proprium honorem suique ipsius gloriam juste requirat, et se propter se honorari justissime velit. Ipse equidem ait : Ego Dominus, et gloriam meam alteri non dabo ; et denuo : Mihi (inquit) curvabitur omne genu, et confitebitur omnis lingua Domino. Cui divinæ sanctissimæ voluntati atque justitiæ se conformans patriarcha David, ita precatur : Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da

Is. XLII, 8. *Ibid.* XLV, 23 ; *Rom.* XIV, 11.

Ps. CXIII, 1, sec. Hebr.

Digitized by Google

1 *Tim.* I, 17. gloriam ; et divinus Apostolus : Regi (inquit) sæculorum immortali, invisibili, soli Deo, honor et gloria.

Intelligendum est autem, quod huic Dei voluntati se conformare, atque solius Dei in omnibus gloriam toto corde intendere ac honorem optare, excellentissima perfectio est, et eximiæ caritatis effectus, justitiaque sublimis. Hoc namque humilitatem et caritatem complectitur, dum homo per sui ipsius veram notitiam ac ordinatum contemptum, a se ipso aversus, atque per dilectionem ardentem ad Deum, in ejus sincera contemplatione conversus, nil boni, nil laudis aut gloriæ sibi attribuendum conspiciens, se totum ad Dei magnificentiam vertit, ejusque in omnibus honorem et laudem cordialissime cupit. De talibus 1 *Reg.* II, 30. loquens Deus adorandus et sanctus : Ego (ait) glorificantes me glorifico. Ideoque ad hanc perfectionem omnem nostrum laborem ordinare debemus. Et scimus, quia quo Dei honorem et gloriam nunc affectuosius cupimus, eo in futuro a Deo sublimius glorificabimur ac honorabimur.

Verumtamen absit ut ideo Dei honorem gloriamque finaliter quæramus, ut ab eo vicissitudinem sortiamur, honoremur ac glorificemur. Hoc quippe non esset Dei honorem sincere requirere, sed proprium commodum instar mercenarii finaliter principaliterque intendere. Denique, nec 1 *Cor.* XIII, 5. ad perfectam caritatem non quæ sua sunt cogitantem, hoc ipsum pertineret, sed potius ad sui ipsius privatum amorem. Omnino igitur amemus Deum propter se ipsum, et pure propter immensam ejus superamabilissimam bonitatem, omni dilectione dignissimam. Pariformiter quoque honoremus glorificemusque eum pure ac mere propter propriam ipsius sanctitatem ac majestatem, omni prorsus honore et gloria superdignissimam ; mercedem vero et retributionem relinquamus committamusque Deo, et ipse abundanter retribuet ultra omnia vota ac merita.

Nihilo minus proprium præmium optare valemus, imo et debemus, sed ordinate itemque minus principaliter quam Dei honorem et gloriam. Quum enim cuncta quæ agimus, ad ultimum finem referenda sint, ultimus autem noster finis sit futura felicitas, quæ utique est visio Dei per speciem ; ideo ad Dei adipiscendam visionem universa ordinare debemus. Hæc *Joann.* XVII, 3. namque est vita æterna, ut agnoscamus Deum verum. Sed quoniam nec ipsam Dei fruitionem optare debemus nisi ad ejus honorem, quatenus Deo clare ac immediate conjuncti, nunquam ab ejus præconio atque honore cessemus ; ideo finaliter et ultimate cuncta propter Dei honorem, gloriam, imo propter divinam bonitatem cupere par est. Sicut enim Deus substantialiter bonus est, bonitas summa, omnisque boni origo fontana, sic omnia ad eum ejusque gloriam omnino atque omnimode referre justissimum est.

Circa quod intueri oportet, quoniam finis seu felicitas duplex est : objectalis videlicet, quæ est Deus benedictus, in quo vera consistit felicitas ; et formalis, quæ visio Dei per speciem nominatur, et est actio menti inhærens, per quam Deo absque medio unitur. Hæc vero formalis felicitas ad objectalem felicitatem reducenda est.

ARTICULUS XVII.

Quod multitudo virtutum ac perfectionum quibus egemus, signum sit imperfectionis declivitatisque nostræ.

PRÆTEREA, in rerum ordinibus quo creatura aliqua a Deo immediatius prodit, eo est ipsi vicinior atque in cunctis similior. Angelus autem, secundum Augustinum, prope Deum creatus est, materia prope nihil. Homo vero, uti paulo ante art. XIII. innotuit, est quasi omnium creaturarum ligamentum, horizon ac medium, quoniam omnium rerum perfectiones in ipso concurrunt, et ipse cum universis communicat : unde et omnis creatura ac minor mundus est dictus. Itaque, quum Deus

Digitized by Google

simplicissimus sit, puraque unitas, quo intellectus creatus fuerit ei vicinior, eo prorsus est ei similior atque simplicior. Porro rationalis anima, quum sit in umbra ultimi angeli condita, præ cunctis intellectibus creatis a divina simplicitate ac puritate maxime distat.

Denique, ipsa potentiarum operationumque ejus varietas, distantiam ejus a divino simplicissimoque intellectu evidenter insinuat. Quo autem in potentiis potentiarumque actibus multiplicior est, eo pluribus modis a rectitudine, rationis quoque censura, deficere potest. Nam secundum singulos exteriores interioresque sensus et item sensitivum appetitum peccat, nisi actus eorum rationi subdantur, atque secundum ejus moderamen omnium inferiorum operationes virium dirigantur. Ideoque secundum varias passiones quæ in parte sensitiva exsurgunt, multis egemus virtutibus quibus passiones frenentur, sensitivaque portio rationabiliter gubernetur. Et hæ virtutes, morales dicuntur. Denique, tam intellectus quam voluntas diversis egent virtutibus : sapientia, prudentia, fide, justitia, caritate, ac aliis. Quo enim (ut in libro de Cœlo et mundo Aristoteles docet) distat quid longius ab ultimo fine, eo pluribus motibus ad ipsum pertingit. Quum ergo rationalis anima sit omnino in regionem dissimilitudinis missa, videlicet corpori copulata, pluribus et pene innumerabilibus motibus, mediis atque virtutibus indiget, quatenus summo fini queat uniri. Hoc autem totum propter imperfectionem ejus distantiamque a Deo contingit : unde et difficulter ad eum pertingit.

Ex hac insuper consideratione pulchre ostenditur, cur angelus peccans, irreparabiliter lapsus sit, non autem homo. Quum enim angelica natura simplex sit, incorporea ac deiformis, ad quod se primo convertit, ad id se inavertibiliter totaliterque convertit. Sicut namque natura ejus est a corporis communione immunis, sic libertas sui arbitrii vicissitudinem affectionum non recipit, quemadmodum libertas rationalium animarum corporibus conjunctarum ; sed sicut natura ejus est simplex, ita et libertatis conversio. Nam et secundum philosophos, intelligentia propter suam simplicitatem est substantia inalterabilis. Rationalis vero animæ libertas non convertit se immobiliter, neque inavertibiliter, sed neque totaliter ad id ad quod se convertit : quoniam anima a divina simplicitate magis occumbit, eatenus ut materiæ intrinsece et tanquam substantialis entelechia seu actus naturaliter uniatur, imo et separata reuniri conetur. Denique, conversio ejus ad aliquid non est secundum se totam, sed est secundum aliquid sui, videlicet vel ex impressione inclinationeque corporis aut sensuum, aut certe ipsius rationis : ideoque quamdiu in corpore manet, et sensitivo appetitui perseverat unita, non terminatur, nec figitur, nec immobilitatur in aliquo, sed semper de bono in malum, de malo itemque in bonum se vertere potest. Quum vero anima a corpore separatur, in illa dispositione seu conversione ac affectione velut in termino immobilitatur, in qua a carne sejungitur, nec postea alterari mutarive potest illa ejus conversio. Unde si ipso separationis a corpore momento ad Deum convertitur, nunquam ab ejus amore avellitur ; si autem ad bonum caducum, nunquam ad Deum se convertit. Propterea Damascenus optime dixit : Quod est angelis casus, hoc hominibus est mors ; quoniam nec angelus post lapsum, nec homo post mortem resurgit.

Verumtamen præinductam rationem de irreparabilitate angelorum post primum peccatum, reparabilitateque hominum, S. Thomas super secundum Sententiarum dist. VII. improbare conatur, aliam rationem assignans et dicens, quod ideo angelus non resurgit, quia statim prima libertatis suæ electione constituitur in termino, post terminum autem non restat mutatio ; homo autem non sic mox in termino ponitur. Sed hæc ratio ejus videtur mihi petere id

Digitized by Google

quod quæritur, seu præsupponere quod investigatur. Hoc namque inquiritur, cur angelus prima sua aversione a Deo, potius inconvertibiliter avertatur a Deo quam homo : cujus utique (quantum pro præsenti videre prævaleo) idonea veraque causa inducta est. Hujus autem ipse causam non assignat, sed sic esse præsupponit : quo præsupposito, palam satis est, quod angelus peccans irreparabiliter peccet. Imo nil aliud est dicere, angelum prima sua conversione electiva in termino poni, quam dicere eum post lapsum non posse converti. Quum ergo utrumque æque obscurum sit, utriusque originalis ratio investiganda assignandaque erat.

ARTICULUS XVIII.

Quomodo in angelis sit humilitas.

PORRO, ut Bernardus testatur, duplex est humilitas : prima cognitionis, secunda affectionis. Primam habet quicumque se a Deo creatum cognoscit, et de se nihil esse atque divina manutenentia jugiter indigere perpendit. Hanc quoque humilitatem, quæ utique non est vera nec virtuosa humilitas, multi vanissimi habent, utputa qui in studiis quotidie clamant, quod omnis creatura constat *ex quo est* et *quod est*, et secundum id quod est ex se, nihil est, et indesinenti Dei conservatione est indigens.

Alia autem humilitas, quæ affectionis vocatur, vera virtus est, dum quis se ipsum parvi pendit, non solum informi notitia, sed mentali sapore ac cordiali affectu, seu in quantum omnem mentis elationem coercet, et in propriæ parvitatis vera consideratione consistit. Itaque hoc modo, quo angeli in cœlis divinam majestatem clarius vident, eo se ipsos vehementius parvi pendunt, atque solius Dei honorem et gloriam amplius optant. Unde licet hominibus et inferioribus angelis major sit ratio humiliandi se ipsos ex parte eorum, quoniam major est in eis declivitas, superiores tamen simpliciter humiliores sunt, quoniam quo Dei altitudinem plenius vident, eo propriam dignitatem comparative magis parvi pendunt. Et ob id in felici illo regno cœlorum aliud esse non potest nisi summa dilectio atque perfecta tranquillitas : ubi quo aliquorum est præstantior gloria et dignitas altior, eo profundior eorumdem consistit humilitas.

Ad ampliorem denique humilitatem non exigitur ut quis simpliciter se aliis minus humilibus inferiorem existimet (sic enim anima Christi non esset humillima), sed sufficit quod se in conspectu Dei magis dejiciat, et sui ipsius honorem cordialius spernat, omneque bonum divinæ bonitati sincerius tribuat.

ARTICULUS XIX.

Quomodo passiones actum virtutis impediant, et de fortitudine rationis contra easdem.

FECIT autem Deus hominem ab initio rectum, originalem ei concreando justitiam, per quam sine difficultate et pugna, caro spiritui, sensus rationi, ratio quoque in cunctis Deo parebant. Et hæc quidem originalis justitia supernaturale donum exstitit ; eratque ea in universam primorum parentum posteritatem transfundenda, si transgressus non fuisset homo protoplastus. Denique, tota virtus justitiæ hujus ex ordine dependebat rationis ad Deum ; ideoque ratione per inobedientiam a Deo aversa, facta est caro rebellis spiritui, pars quoque sensitiva rationi. Unde motus et affectiones quæ in appetitu sensitivo inferiorique parte hominis insurgunt, passiones vocantur : et virtutes ideo impedire dicuntur, quoniam rationis lumen judiciumque obtenebrant ; ratione autem obnubilata, actus virtutis, quæ ex directione rationis dependet, impeditur. Enimvero, quum operationem unius potentiæ vehemens occupatio circa alterius potentiæ operationem impediat, ideo im- *Eccle.* VII, 30.

Digitized by Google

petus passionis rationem obducit, ne debitum finem rectumque dictamen consideret; et quo fuerit vehementior passionis incursus, eo rationem magis a luce veritatis excæcat, bestialemque hominem efficit, ita ut instar bruti illuc feratur quo passio irrationabilis impellit.

Propterea, tam secundum philosophos quam theologos, ad hoc totum studium rationis est vertendum, ut passiones sibi subjiciat, ne inordinate insurgant; et si insurgunt, ne in actum irrefrenate procedant. Nempe, ut princeps philosophorum nos docet, passiones secundum se nec laudabiles nec vituperabiles sunt : quoniam a natura insunt, et propter ea quæ a natura habemus, non laudamur nec vituperamur. Et neque primi motus, qui pure naturales sunt, nec in nostra potestate consistunt, culpabiles sunt. Porro, si ratione moderentur, laudabiles fiunt; sin autem, culpabiles erunt : quemadmodum de motu iræ videmus. Potest namque ira bene ac male assumi.

Igitur ad hoc ut ratio passionibus dominetur, in primis quidem necessaria est magna prudentia, cauta cognitio, et inter bonum et malum vera discretio. Verumtamen sola cognitio non utique sufficit, sed et ipsæ insuper virtutes habituales extremitatibus passionum, videlicet excessui atque defectui, oppositæ exiguntur. Non enim ad refrenandam iram sufficit cognitio quomodo ira moderanda sit, sed mansuetudo quoque requiritur; cognitio autem præexigitur, ut per eam habitum virtutis sortiri conemur. Itaque in ipso exordio, antequam boni malique discretionem habemus, malo resistere non valemus; dum autem discretionem habemus, si malum non vitamus, transgredimur. Quum autem virtutibus adipiscendis studere incipimus, in principio sæpius inordinatos passionum impulsus sentimus; quo autem magis proficimus, eo rarius atque debilius talia patimur. Virtutibus vero adeptis, vel non insurgunt, aut si oriuntur, sine difficultate pelluntur.

Itaque, si lumen rationis in nobis forte est, insurgentium ortus passionum cito advertimus, easdem spernimus, dicentes intra nos : En inordinatissima motio, en prava affectio, en contemptibilis passio. Et qui sic agere potest, signum est quod lumen rationis in ipso forte est, passionibus dominans, virtutibus formatum. Si autem peccata passionesque dominantur capiti nostro, etsi in ipso passionum fervore ac impetu taliter eas advertere et reprobare nequimus, saltem præsenti tali cessante incursu, erubescamus, ad rationem redeamus, ejusque judicio acquiescentes, de præterito malo pœniteamus; et denuo ne in simile malum in futurum illabamur, providi circumspectique simus. Etenim sic agere, est virtutibus rite intendere, atque veraciter studiosum esse. Tale autem conamen unusquisque ad illarum passionum reformationem constantius laboriosiusque impendere egeret, ad quas vel ex harmonia naturæ, vel certe ex pessima consuetudine, proniorem se sentit. Nempe quo hujus sanctissimi studii major est labor, eo fructus erit copiosior, atque honor sublimior. Omnino enim magna violentia est necessaria, et in ipso conamine multa pœna; sed consideratio fructus et spes præmii horrorem tollit laboris, et vim flagelli diminuit.

Circa præinducta autem expedit scire, quod peccatum voluntatis contingit dupliciter, secundum Aristotelem in Ethicis: vel ex passionis inclinatione, ut jam explanatum est; vel ex certa malitia, quæ utique corruptiva est finis, ut qui propter habitum vitiosum quo infeliciter involutus est, ex electione pravi finis peccat : quemadmodum habituatus luxuriæ habitu, in ipsa delectatione venerea finem sibi constituit, eamque non propter passionis vigorem, sed propter se ipsam desiderat. Et taliter peccans, secundum Philosophum septimo Ethicorum, impœnitens dicitur; secundum theologos vero, induratus. Sed primo modo peccans, passione cessante, celeriter pœnitet.

Digitized by Google

ARTICULUS XX.

Quod licet Deo proprium sit ut proprium honorem et gloriam a creaturis requirat, vicissim tamen hominibus fas sit ut se ipsos collaudent, et impensum honorem æquanimiter ferant.

art. III. QUUM rectitudo virtutum in cognitione veritatis fundetur, secundum præhabita; sicut divinus intellectus vere agnoscit solum Deum a se ipso summe bonum et sanctum, sic divina quoque justitia exigit ut solus Deus diligatur et honoretur propter se ipsum. Nihilo minus nec veritate nec humilitate obstante, potest interdum homo se ipsum honorabilem esse tam verbo quam facto ostendere, debitumque honorem exigere.

Et hujus quidem exemplum in Christo, cujus tota vita est nostra doctrina, præcessit. Nempe, quum quemdam curasset, *Matth.* VIII, 4. eidem præcepit : Vide nemini dixeris. *Luc.* VIII, 39. Alteri vero quem sanaverat, Vade (ait) et narra quanta tibi fecerit Deus. Conformi- *Joann.* VI, 15. ter, quandoque in regem a populo eligendus, clam fugit. Opportuno autem tempore, principibus Judæorum populo ipsum regem esse clamanti indignantibus respon- *Luc.* XIX, 40. dens : Sinite (inquit) eos; dico enim vobis, quia si hi tacuerint, saxa clamabunt. Sic quoque quemadmodum dixit per Pro- *Ps.* XXI, 7. phetam, Ego autem sum vermis, et non *Matth.* VIII, 20. homo; atque per se ipsum, Filius hominis non habet ubi caput suum reclinet : sic etiam de se per Prophetam locutus est, *Ps.* LXXI, 11. Et adorabunt eum omnes reges, omnes *Joann.* X, 30. gentes servient ei; et per se ipsum, Ego (inquit) et Pater unum sumus; et Pilato, *Ibid.* XVIII, 36. Regnum meum (ait) non est de hoc mun- *Ibid.* VIII, 12. do. Et denuo asserit, Ego sum lux mundi; pluraque alia.

Advertendum est itaque, quod secundum superioris exigentiam atque imperium inferiora operari moverique debent. Quum ergo caritas sit omnium virtutum regina et finis, ideo secundum caritatis exigentiam, ceterarum virtutum operationes exercendæ exhibendæque sunt. Porro, quum eadem caritate gratuita diligamus Deum et proximos, sicut divina caritate exigimur Deum super omnia diligere, sic caritas fraterna requirit ut proximos amemus tanquam nos ipsos. Qui autem alium diligit sicut se ipsum, illius quoque profectum sicut et proprium optare procurareque debet, ut potest. Quum ergo absque divini honoris injuria et item propriæ detrimento salutis, confratri succurrere valeo, exigit caritas ut sic agam. Quumque opera et exempla simul juncta magis audienti prosint quam nuda verba, potest pius exhortator, imo debet, confratri gratiam atque misericordiam bonaque opera quæ a Deo sortitus est, aliquando ad Dei gloriam humiliter pandere, quatenus in audiente fidem adaugeat, spemque confortet, et ipse ad similia moveatur. Hoc enim sanctissimi viri, et ipse divinissimus Paulus, ubertim (ut scripturæ eorum testantur) fecerunt. Verumtamen hæc pro- II *Cor.* XI, XII. priæ gratiæ publicatio circumspecta esse debet, et ab omni vanitate immunis.

Denique, tria (ni fallor) in ea pensanda sunt, videlicet : qualitas propriam excellentiam (id est gratiam) manifestantis, conditio ejus cui aperitur, et intentio finis. Si enim ipse manifestans nondum inanis gloriæ proclivitatem evasit, laqueum sibi tendit, dum se commendabilem reserat. Rursus considerare oportet, an is qui audit, ex tali gratiæ publicatione proficiet. Forsitan enim non credendo irridebit. Finis quoque est intuenda intentio, quatenus homo propriam gloriam nullatenus finaliter quærat, nec sibi quidpiam attribui velit, sed ad divinæ laudem clementiæ omnia fiant. Verumtamen prælatus et doctor, et qui audienti affectuose optat prodesse, debitum potest honorem licite exigere, non propter se ipsum, sed ne si ipse spernatur, instructio sua sit audienti inanis. Nempe dum persona vilipenditur, doctrina quoque ubertim contemnitur. Et ob id, qui alium docere præsumit, se omnino exemplarem hono-

Digitized by Google

rabilemque exhibere tenetur : alioqui, quantum in se est, finem sacræ Scripturæ, videlicet utilitatem audientis, evacuat ; et secundum Thomam, eo ipso quo non implet quod docet, mortaliter peccat.

ARTICULUS XXI.

Quæ virtutes Deo proprie insint, et quæ non.

QUONIAM præsentis editionis intentio est, inter perfectionem divinam atque humanam distinctiones ostendere, congruit intueri quæ virtutes proprie Deo conveniant, et quæ nobis.

Contemplandum ergo, quod virtutes quæ simpliciter ad perfectionem pertinent, Deo proprie atque naturaliter insunt, ut sapientia, caritas, justitia ; quæ autem imperfectionem quamdam circa subjecta sua insinuant, quemadmodum virtutes morales quæ passiones directe refrenant, Deo proprie non conveniunt secundum veritatem affectus, sed secundum conformitatem effectus. Hæ quippe virtutes præsupponunt eos quibus proprie insunt, passionibus affici posse, atque earum reformatione egere. Passiones vero sensitivo appetitui dumtaxat conveniunt : nam cum corporali quadam transmutatione nascuntur, secundum Philosophum. Ideo virtutes quæ eas ordinant, non nisi improprie Deo conveniunt.

Mansuetudo enim et misericordia non sic Deo conveniunt, quasi in ipso ira quam mansuetudo refrenet, vel compassio quam misericordia dirigat, esse possint. Sed quoniam ira est appetitus vindictæ, cujus vindictæ illationem mansuetudo relaxat, ideo dum Deus justam ultionem indulget, mansuetus seu mitis perhibetur. Denique, quum misericordia secundum quod virtus est, alienæ miseriæ tanquam propriæ succurrere studeat, propterea dum Deus nostris miseriis subvenit easque relevat, et opem impendit nobis, compati itemque misericors dicitur : non quod ei compassio competat, qui substantialiter gloriosus est et totaliter felix, sed quoniam sic miseris subvenit uti et nos eis quibus compatimur. Sic quoque pœnitentia Deo adscribitur, sicuti scriptum est, Pœnitet me fecisse hominem ; et, Pœnitet me quod constituerim Saul regem super Israel : non quod Deo dolor conveniat, sed quoniam instar pœnitentis se habet, dum effectus ejus non pertingit ad id ad quod ipse eum instituit. *Gen.* vi, 7. *I Reg.* xv, 11.

Præterea, virtutes quæ proprie Deo conveniunt, nobis non nisi secundum quamdam participationem debilem competunt : sicut sapientia quam in præsenti habemus, et secundum Aristotelem, minima est, et secundum Apostolum, non nisi ex fide est Jesu Christi. Sed et caritatis præceptum in præsenti exsilio perfecte implere nequimus, ideoque nec perfectam justitiam exhibere Deo valemus. Hæ namque virtutes nunc quidem in nobis inchoantur, in patria vero perficientur. Fides enim veræ sapientiæ inchoatio est : quæ utique in patria non aufertur, sed visione perficitur. Nam et Maria optimam partem quæ non auferetur elegit. *Philipp.* III, 8, 9 ; II *Tim.* III, 15. *Luc.* x, 42.

Itaque, quoniam in præsenti hujus vitæ statu Deum sicuti est nec cognoscere, nec tenere, neque amare valemus, nolens tamen clementissimus Deus, veræ sapientiæ, firmæ tentionis ac perfectæ dilectionis nos jam esse prorsus expertes, tres nobis theologicas nunc præstat virtutes, fidem, spem, caritatem : quibus divinæ beatitudini nunc pro viribus conformemur, atque ad eamdem in futuro sortiendam efficaciter disponamur. Fidei namque succedit visio, spei tentio, caritati fruitio. Enimvero, quum vita Dei aliud non sit, nisi suæ æternæ veritatis contemplatio, atque immensæ bonitatis dilectio, huic vitæ nunc utcumque conformari satagimus, dum eum ex fide speculamur, et per caritatem secundum peregrinationis possibilitatem istius vitæ diligimus, præstolantes in spe consummationem finalem.

Digitized by Google

ARTICULUS XXII.

De numero et subjecto ac distinctione passionum, et qualiter rationi subdendæ sint atque ad Deum ordinandæ.

PRÆTEREA nobilior sensus interior, qui in hominibus quædam virtus cogitativa, in brutis vero æstimativa vocatur, hoc habet officium, ut ex speciebus sensatis species insensatas eliciat : quemadmodum agnus viso lupo, mox per vim æstimativam, ex forma lupi quam videt, speciem inimicitiæ elicit, et protinus fugit ; matre vero conspecta, speciem amicitiæ concipit, atque ad eam concurrit. Conformiter quoque, in homine virtus cogitativa apprehendit sensibilia sensuum exteriorum sub proprietate convenientiæ vel disconvenientiæ, seu boni aut mali. Appetitus autem sensitivus, quum ex cognitione sensitiva procedat, statim quum aliquid sub ratione boni vel convenientis ei proponitur, inclinatur atque afficitur ut illi conjungatur : sicut delectabili secundum gustum vel tactum sibi proposito, appetit illud. Quum autem proponitur ei aliquid sub ratione mali atque nocivi, abhorret id et fugit. Hæ ergo inclinationes seu affectiones quæ hoc modo in appetitu sensitivo insurgunt, passiones dicuntur. Unde secundum Eustratium, passio est motus appetitus sensitivi sub phantasia boni vel mali. Omnes equidem passiones in appetitu sensitivo subjective consistunt : quarum numerus atque distinctio sumitur secundum quod appetitus sensitivus ad aliquid fugiendum vel prosequendum diversimode inclinatur.

Porro appetitus sensitivus duplex est, concupiscibilis et irascibilis. Per concupiscibilem inclinatur homo ad bonum sensibile secundum se absolute acceptum ; per irascibilem autem movetur ad bonum sensibile arduum, ea aggrediendo quæ concupiscibilem a re concupita impediunt.

Sex vero passiones sunt in concupiscibili : quarum tres, videlicet amor, desiderium, et delectatio seu gaudium, sunt circa bonum. Amor enim ex apprehensione boni sensibilis, id est convenientis, nascitur, in quantum appetitus concupiscibilis movetur in rem sub ratione boni conceptam : sicut quis amat pecuniam vel mulierem. Desiderium autem est respectu futuri boni, dum scilicet appetitus inclinatur in appetibile secundum sensitivum quod non habet : sicut esuriens appetit escam ad quam festinat. Gaudium vero seu delectatio, aliud non est nisi quædam quietatio in re concupita, et oritur ex unione ipsius appetitus ad appetibile. Porro aliæ tres passiones quæ concupiscibili insunt, odium, fuga et tristitia, sunt respectu mali, et opposito modo sumuntur. Odium enim nascitur ex apprehensione mali ad appetitum concupiscibilem, sicut et amor ex apprehensione boni. Fuga quoque est prout appetitus a malo futuro fugit. Tristitia autem ex mali inconvenientis conjunctione cum ipso appetitu procedit, et opponitur gaudio.

Pariformiter sex sunt passiones in appetitu irascibili : quarum duæ, videlicet spes et desperatio, sunt respectu ardui boni absentis. Spes enim est, dum appetitus manet stans infractus, reputans sibi esse possibile arduum bonum ad quod inclinatur, unde et terribilia aggreditur ; dum autem cadit et frangitur, desperatio oritur. Sic ergo appetitus irascibilis non nisi in bonum absens movetur, quoniam dum jam adeptum est, desinit esse difficile. Aliæ vero quatuor passiones, videlicet audacia, timor, mansuetudo et ira, sunt respectu mali ardui. Audacia namque est per quam mala futura aggredimur ; timor, quo ab eorum aggressu deficimus. Mansuetudo quoque et ira, sunt respectu mali præsentis : mansuetudo quippe est, quum appetitus ab ultione contra malum præsens prorsus consternitur omninoque deficit ; ira autem est, dum appetitus ex ipsa passione ad vindictam ardescit, et velut ignitur.

Digitized by Google

Sic itaque duodecim sunt passiones in genere. Verecundia quoque passio est, et ad timorem reducitur. Est enim verecundia timor de re mala seu turpi. Superbia etiam non est passio solum, sed passionis excessus et vitium, quoniam est appetitus inordinatus.

Passiones autem secundum se nec bonæ nec vitiosæ sunt, sed naturales motus; quum vero ratione ordinantur, tunc homo virtuosus efficitur. Enimvero, quoniam universa quæ in homine sunt, ad Deum veramque beatitudinem ordinanda sunt, tunc passiones istæ rationi subduntur, quum secundum exigentiam ultimi finis regulantur, quum videlicet nihil amamus, nihil desideramus de sensibilibus bonis, nec gaudemus in eis, nisi in quantum ad Deum nos adjuvant. Possumus enim et cibum et potum et multa sensibilia licito appetere, dummodo ad rationis profectum ordinate optentur. Denique, de nullo sensibili malo dolendum est neque tristandum, nisi in quantum per ipsum a Deo abducimur. Hoc igitur modo omnes passiones rationi subduntur, dum virtutibus moralibus moderantur. Nam et ipse appetitus inferior sensitivus, appetitui intellectivo naturaliter subditur, ejusque imperio parere tenetur.

Advertendum autem est, quod in nominatione passionum virtutumque moralium, propria nobis nomina crebro deficiunt; ideo multa passionum nomina jam assignata frequenter nomine virtutum dicuntur, illarum præsertim quæ cum passionibus magis conveniunt : quemadmodum mansuetudo nunc passio dicta est, et tamen sæpe mansuetudo virtus vocatur iram refrenans et ordinans. Sic quoque spes, amor et gaudium, interdum accipiuntur in bono atque pro ipsis virtutibus; sed et tristitia quæ secundum Deum est, magna perfectio jure censetur.

Vehementer ergo incessanterque conemur passiones prætactas ratione dirigere, virtutibusque formare. Temperet mititas iram; nec irascamur de alio, nisi quo Deum offendimus atque ab eo elongamur. Nil vero nos a Deo elongat, nisi propria nostra voluntas consentiat : omne enim peccatum ab ea dependet; et ob id propriæ voluntatis aversioni ac nostris peccatis potissime irascamur. Injurians autem, extrinsecusque repugnans, nil potest menti nocere, si voluntas consensum suum a malo voluerit prohibere. De nullo sensibili temporalique bono gaudeamus, nisi ad Deum proficiat; neque de adversis aut injuriis contristemur, quoniam per patientiam animi non solum non nocent, sed potius occasionaliter prosunt. Affectiones quæ circa cibos potumque consistunt, temperantia ordinet, carnisque pruritum continentia frenet. Contemptum nostri humilitas vincat; illata autem convitia ferat patientia. Et ad hoc jugiter vigilemus, ut omnes affectiones sensitivas secundum divinam legem dilectionemque sinceram regamus, nulli optantes placere nisi Deo, nullum quærentes honorem nisi in eo, nullum laborem fugientes pro ipso, omnem quietem spernentes non exsistentem in eo.

Ad hoc laborare, incipientium est; in hoc procedere, proficientium; hoc autem implere, perfectorum est : quod secundum Aristotelem, pertinet ad virtutem heroicam; secundum Macrobium vero, ad animum purgatum. Profectus autem secundum Macrobium, ad virtutes purgatorias pertinet; initium quoque, ad virtutes politicas.

ARTICULUS XXIII.

De vita contemplativa atque divina.

IGITUR dum pars hominis inferior sic passionibus pulsis reformata est, ipsa pars hominis superior, in qua superbenedictæ Trinitatis imago resplendet, omnium divinarum illuminationum capax exsistit. Tunc nempe intellectus seu ratio, sapientiæ sedes efficitur, voluntas divino amore ignitur, memoria quoque intelle-

Digitized by Google

ctualis (quæ secundum Aristotelem, est locus intelligibilium specierum) formas intelligibiles stabiliter retinet, atque intellectum prompte et velut continue format et actuat. Propter quod intellectus in divinorum speculatione stabilitur, et nec ipsa voluntas a spiritualium dilectione propter sensuum affectum inordinatum ac immundum avertitur, sed tota mens hominis fortis constansque efficitur.

Denique, secundum Platonem et Aristotelem, anima quiescendo fit prudens, mitigatis videlicet itemque cessantibus sensitivis passionibus, motibus et actibus : ideoque eo purius, stabilius ac excellentius divina contemplatur, diligit et revolvit, quo a passionum tumultu exteriorumque impetu amplius segregatur. Et hæc est vita contemplativa, dum se homo, quantum præsentis vitæ status permittit, ab omnibus rebus mundanis atque carnalibus toto affectu sejungit, neque de his quæ ad corpus sensumque pertinent, amplius curat quam necessitas exigit, et ad spiritualia exercitia continuanda proficuum fore ratio censet, ipsum quoque intellectum ac superiorem affectum divinis totaliter mancipat, immiscet et occupat, prout humanæ fragilitati possibile est. Porro vita talis dignissime utique perhibetur divina : est enim divinæ vitæ simillima. Dei enim vita non nisi sui ipsius contemplatio est atque dilectio. Quumque vita Dei stabilis sit, incommutabilis et æterna, quo homo in vita hac contemplativæ vitæ stabilius valet insistere, eo constat eum diviniorem esse, Deo amabiliorem, et futuræ beatitudinis copiosius gloria munerandum, atque ad altiorem chorum angelicum transferendum.

Insuper, quum in Deo sit æterni Verbi productio et amoris spiratio, tunc mens nostra Deo gignenti spirantique conformatur, quum in se ipsa verbum quoddam mentale ac internum conceptum de Divinitate intellectualiter format, apprehendit seu concipit, atque in ejus quem intelligit dilectione flammescit. Hoc autem necesse est fieri, dum anima Deum contemplatur et amat. Concipit enim de Deo rationem Dei, scilicet quod sit summa quædam essentia, æterna omnino et immensa. Porro, quam libenter sit Deus cum tali anima, constat, si credimus ei qui dicit : Deliciæ meæ esse cum filiis hominum. Et denuo : Ego (inquit) sto ad ostium et pulso; si quis mihi aperuerit, intrabo ad illum, et cœnabo cum eo. *Prov.* VIII, 31. *Apoc.* III, 20.

Beati qui manducant panem in regno Dei : siquidem beati qui ad cœnam Agni vocati sunt. Sed et beati quos tu, bone Jesu, inhabitas, in quorum præcordiis cœnas, cum quibus tam deliciose quiescis. Quid Christiano felicius, cui non solum promittuntur regna cœlorum in futuro, sed cum quo esse, habitare atque cœnare, sunt deliciæ Dei cœli in præsenti hoc sæculo? Anima equidem quæ hanc divinam cœliformemque vitam ducere in teris satagit, instar speculi clarissimi, tersi et pervii, divinæ lucis et gratiæ susceptiva est, et purissimis meditationibus, ignitis ardoribus, sacrosanctis gemitibus, atque copiosissimis gratiarum augmentis et donis a benignissimo Creatore adornatur, impletur et perficitur. Etenim quo se homo magis disponit, eo Deus munificentius tribuit. *Luc.* XIV, 15. *Apoc.* XIX, 9.

ARTICULUS XXIV.

De excellentia quorumdam emeritorum hominum.

QUO autem divinas omnipotentis Dei proprietates creatura eminentius participat, eo deiformior est atque præstantior. Propriissimæ vero Dei proprietates quæ ei conveniunt in ordine ad creata, sunt universalis rerum causalitas ac providentialis dispositio. Hoc nempe quod omnium entium principium est, et providens cunctis, seu universa disponens,

Digitized by Google

ipsi quoque Barbari Deum appellant. Deus ergo benedictus et sanctus, qui ideo universum mundum molitus est, ut in diversis rerum naturis atque ordinibus divinæ bonitatis perfectio multiformiter atque ordinatissime reluceret, non solum rebus creatis communicavit esse, vivere, sentire, intelligere, et cetera dona quibus singulæ in se ipsis perfectæ sunt, et secundum proprias species competenter ornatæ, sed et vim causalem providentiamque gubernativam quibusdam largitus est. De Cœlest. hier. c. VIII. Nam, ut Dionysius ait, hoc divinæ legis immutabile decretum est, ut inferiora regantur a Deo per superiora. Videmus namque quod corpora inferiora a corporibus cœlestibus disponuntur. Similiter in hierarchiis cœlestibus angeli inferiorum ordinum a spiritibus altiorum ordinum purgantur, illuminantur, perficiuntur, reguntur, mittuntur. Pariformiter decet ut homines declivioris gradus a superioribus gubernentur hominibus, et omnino secundum naturalem ordinem jusque naturæ, sapientiores ceteris et virtuosiores præesse deberent.

Verumtamen, non obstante sapientissima providentia Dei, frequenter præsunt qui omni prælatione prorsus indigni sunt; qui autem ad aliorum regimen apti essent, non præferuntur : quod quare contingat, non semper innotescit; tantum autem scimus, quoniam teste Scriptura, *Job* XXXIV, 30. propter peccata populi facit Deus regnare hypocritam. Denique, non vocati a Deo se ipsos periculosissime ac superbissime ingerunt aliqui, et ubertim, exigentibus culpis suis, ad damnationis suæ ampliorem perniciem sinuntur a Deo adipisci quod cupiunt.

Nihilo minus aliqui sunt viri, animi vigore florentes, omni humilitate fundati, et emeriti, id est excellentis meriti, rite *Hebr.* V, 4. vocati, qui sibi ipsis non assumunt honorem, sed Deo providente ac inspirante, ad prælationem vocantur. Et quemadmodum se ipsos ante rationabiliter ordinabant atque regebant, sic nunc commissum sibi gregem sollicite instruunt, regunt et custodiunt. Hi igitur ceteris diviniores censendi sunt : quoniam (ut Dionysius ait) De Cœlest. hier. c. III. omnium divinissimum est esse Dei cooperatorem, reducendo videlicet proximos ad ultimum finem veramque beatitudinem, orando, exhortando, increpando, et quod commodius est, virtuose exemplariterque vivendo.

Porro, si principe Apostolorum jubente, non jam dumtaxat probis, sed dyscolis *I Petr.* II, 18. quoque dominis obedire tenemur, dum tamen veræ saluti divinæque legi adversa non jubeant : quanto magis fidelibus ac modestis prælatis tanquam summi Dei vicariis, nos obedire oportet? Prorsus, qui *Rom.* XIII, 2. potestati resistit, Dei se ordinationi opponit. Et utique omnis mali origo, superiori resistere. Sed nec facile a subditis prælatus judicandus est : imo, si ratio aliquo modo admittit, facta ejus pie interpretanda sunt. Si vero facta ejus excusationem non habent, agendum est quemadmodum in epistola ad Demophi- Epist. VIII. lum monachum Dionysius ait. Nempe dum opportunitas adest, insinuanda sunt opera ejus superiori prælato, illique causa atque judicium committenda sunt. Interim vero prælato quamvis iniquo reverentia exhibenda est, non propter virtutem personæ, sed ob dignitatem prælaturæ, imo propter eum a quo omnis prælatio atque potestas descendunt.

Ex his sequi videtur, quod qui spiritualem prælationem sortiti sunt, et in spirituali aliorum ductione præsunt, in altiori statu consistant, quam qui sibi solis provident per vitam contemplativam; non tamen sequitur, quod vita activa sit inde nobilior contemplativa vita : quoniam actus et opera quæ ad spiritualem prælationem respiciunt, in contemplatione fundantur, nec aliud sunt nisi quædam extensio contemplativæ vitæ ad opus. Porro activa vita cujus Martha speciem *Luc.* X, 38-42. gessit, et a Christo contemplativa vita ignobilior fertur, ad ea præsertim exercitia pertinet quæ præsenti vitæ corporali-

Digitized by Google

busque necessitatibus necessaria administrant, quemadmodum Martha illa satagebat.

ARTICULUS XXV.

Quibus virtutibus assimilemur Christo ut homini.

CONTEMPLANDUM est insuper, quod Christus in quantum homo, a primo maternæ conceptionis instanti, erat verus comprehensor et nunquam viator quantum ad supremam animæ partem, et hoc propter hypostaticam seu personalem humanitatis cum Verbo unionem : ideoque nunquam erat in Christo fides et spes, sed perfectissima caritas. Sed loco fidei habuit visionem per speciem, et talem atque tam claram ut modo : nunquam enim in præmio essentiali profecit, nec sibi quidquam in eo meruit. Loco autem spei habuit tentionem perfectam. Caritatem vero habuit etiam creatam, non talem qualem habent viatores, sed talem ac tantam ut modo, utputa quæ non procedat quoad actum ex fide, sed ex specie. Præterea, secundum Damascenum libro tertio, non erant in Christo, etiam secundum quod homo est, consilium et electio. Consilium namque est appetitus inquisitivus de his quæ in nobis sunt : unde consiliari, ignorantis est. Electio quoque ex consilio manat : est enim eligere, duobus propositis aliud præacceptare. Nihilo minus consilium atque electio etiam Deo interdum attribuuntur, ideoque et Christo ut homini, sed minus proprie, scilicet relinquendo quod in ratione consilii et electionis de imperfectione consistit. Denique gratia in Christo aucta non est; neque virtutes per acquisitionem et studium est adeptus : tota enim natura humana in eo perfecta erat omni virtute et gratia, in his quæ ad interiorem animæ pertinent perfectionem, a primo conceptionis maternæ momento. Secundum corporales vero indetrahibiles defectus, erat viator : sitivit enim atque esuriit.

Joann. IV, 7; XIX, 28; *Matth.* IV, 2; XXI, 18.

Ex his patet utcumque, quemadmodum ceteri omnes a Christo adhuc in mundo versante distincti sunt. Omnes namque eo excepto viatores sunt, et in virtutibus et gratia indesinenter proficere possunt; et quo in conversatione sua caput suum Christum eminentius assequuntur, eo nunc Christo amplius conformantur per gratiam, et postremo similiores ei erunt per gloriam. Ipse namque est via per quam, veritas in qua, et vita ad quam tota nostra tendit (si non erramus) intentio. *Joann.* XIV, 6.

Interim ipse Christus ut homo, plenus est gratiæ et veritatis, et de plenitudine ejus accepimus omnes, gratiam pro gratia, id est præmium pro merito : quum tamen tam meritum quam præmium gratia Dei sit, quoniam utrumque donum ejus est. Lex quippe per Moysen data est, veritas autem et gratia per Jesum Christum facta est : veritas quidem, quia ipse in se ipso omnes Prophetas verificat; gratia autem, quoniam ipse Christus, qui novi Testamenti institutor est, Dei hominumque mediator exsistit, et per eum omnis Dei misericordia et gratia in nos abundantissime fluxit et fluit. Ideoque tempus novæ legis, tempus gratiæ jure vocatur. *Ibid.* I, 14, 16. *Ibid.* 17. *Hebr.* IX, 15; I *Tim.* II, 5.

ARTICULUS XXVI.

Quemadmodum per misericordiam et justitiam assimilemur Deo.

FREQUENTER omnia opera Dei quæ circa creaturas exercet, vel misericordiæ attribuuntur, aut certe justitiæ. Nempe universæ viæ Domini misericordia et veritas, id est clementia et æquitas. Quod enim quosdam indurat, justitiæ est; quod autem nonnullos illustrat et salvat, ad misericordiam spectat. Vide ergo severitatem et bonitatem Dei. Circa quod advertere expedit, quod (ut Anselmus testatur) omne opus Dei ad justitiam ejus potest reduci. Nam licet misericordiæ adscribamus quod quibusdam miseretur præ *Ps.* XXIV, 10. *Rom.* XI, 22.

Digitized by Google

aliis ex parte eorum quibus miseretur, tamen ex parte Dei miserentis hoc ipsum ad justitiam pertinet, quoniam tam bonus
Rom. IX, 14 et seq. est Deus, ut justum sit ei his misereri qui non merentur. Verumtamen cur potius miseretur uni quam alteri, isti quam illi, noli sciscitari, si non vis judicari. Voluntas Dei prima rerum causa est : primæ causæ non est causa. Rursus quoque tam sanctus et æquus est Deus, ut justum sit eum quibusdam malignis damnationem rependere. Quum ergo creationem mundi merita nulla præcesserint, Deus tamen liberrimus et gloriosus in inscrutabili æternæ suæ sapientiæ fonte disposuit, quibus misereretur, quos item relinqueret : quatenus in quibusdam sua benignitas, in ceteris vero æquitas sua luceret.

Denique prima gratiæ Dei infusio et justificatio impii, ex parte recipientium omnino ad misericordiam pertinent : nulla enim merita præcesserunt. Remuneratio autem, gratiæ quoque adauctio, tam ex parte Dei quam nostri, ad misericordiam itemque justitiam spectant. Justum quippe est ut Deus bonis et rectis corde felicitatis mercedem impendat, tam propter æquitatem divinam quam meritorum nostrorum exigentiam. Et rursus, quum Deus semper ultra condignum retribuat, constat quod remuneratio nostræ sanctimoniæ ad misericordiam quoque pertineat. Porro induratio seu derelictio qua reprobos deserit, damnatio quoque qua eos æternaliter torquet, non solum ad justitiam, sed ad pietatem quoque reducitur. Semper enim citra demerita punit, etiam in inferno. Non enim oblivi-
Ps. LXXVI, 10. scetur misereri Deus, nec continebit in
Ps. CXLIV, 9. ira sua misericordias suas : quoniam miserationes ejus super omnia opera ejus. Et rursum, in præsenti nullum in tantum relinquit quantum meretur. Nam sicut su-
dist. XI. per secundum Sententiarum Thomas fatetur, hoc ad minus obtinet in quolibet quantumcumque magno peccatore custodia proprii angeli, quod eum a malis plurimis retrahit : quia et in Antichristo, in homine peccati, in filio perditionis, in familiari illo vase Luciferi, in inimico Dei, in prole diaboli ita erit, quod angelus bonus qui ei deputabitur, a malis eum aliquibus retrahet. Omnino ergo in omni opere Dei misericordia justitiaque miscentur. Et quoniam in quibusdam misericordia, in aliquibus vero justitia evidentius splendet, ideo quædam opera misericordiæ, quædam autem justitiæ merito adscribuntur. *II Thess.* II, 3.

In his autem misericordiæ atque justitiæ actibus Deo potissime conformari studere debemus, quoniam in hoc salus nostra tota consistit, quemadmodum multa Scripturæ loca nos erudiunt. Beati enim misericordes; sed et beati qui esuriunt justitiam. Et David : Misericordiam (inquit) et judicium cantabo tibi, Domine. Quare? Quia misericordiam et veritatem diligit Deus. Justus namque Dominus, et justitias dilexit. Unumquodque enim diligit suum simile. Omnis itaque actio nostra in misericordia aut justitia est fundanda. *Matth.* V, 7. *Ibid.* 6. *Ps.* C, 1. *Ps.* LXXXIII, 12. *Ps.* X, 8.

Denique, in omni quod agimus misericordiæ et justitiæ operationes commiscendæ sunt : quandoque tamen misericordiæ, vicissim vero justitiæ vehementius insistendum innitendumque est. Ad cujus commixtionis moderamen servandum discretio necessaria est. Quod sanctus Propheta ait, Bonitatem et disciplinam et scientiam doce me : bonitatem, id est pietatem ; et disciplinam, hoc est justitiæ rigorem ; scientiam, id est discretionem unumquodque ordinate agendi. Enimvero justitiam circa nos ipsos, misericordiam autem circa proximos potissime exhibere, atque ubilibet prætactam misericordiæ justitiæque mixturam observare debemus. Justitia autem circa nos ipsos in hoc consistit, ut sicut totum quod habemus et sumus, ab adorando ac æterno Deo suscepimus, sic in ejus obsequium id ipsum totaliter ad laudem ipsius et gloriam expendamus; interim quoque, ut corpus *Ps.* CXVIII, 66.

Digitized by Google

animæ, sensumque rationi subdamus. Misericordia vero circa proximos, est eorum defectibus sive in anima sive in corpore compati, et eosdem sicut proprios pro viribus relevare, nec in hoc inter amicum inimicumque distinguere, propter eum qui pro nobis, quum adhuc inimici essemus, mori dignatus est, ut simus filii Patris cœlestis, qui solem expandit super bonos et impios, atque dona naturæ et bona fortunæ largitur universis.

Rom. v, 9, 10.

Matth. v, 45.

Verumtamen, quatenus in omnibus his misericordia et justitia temperatissime miscentur, contuendum quemadmodum nobis ipsis misericordes et proximis quoque justi esse debemus. Erit enim in primis rationabile obsequium nostrum : et quoad hoc nobis ipsis jubemur vicissim esse propitii. Scriptum quippe est : Miserere animæ tuæ, placens Deo. Ille enim animæ suæ salubriter miseretur, qui de propriis suis defectibus contristatur, et ne propter eos in gehennæ tormenta mergatur, in præsenti eos deplangit atque castigat. Erit itaque unusquisque sibi in primis justus atque misericors. Justus, ut pro peccatis suis digne satisfaciat, seque divino cultui secundum omnia quæ in ipso sunt, mancipet; non corporali quieti, nec sensuali appetitui amplius quam natura requirit indulgeat. Istud ad rigorem pertinere videtur, sed veraciter ad misericordiam pertinet, dum utique anima sibi ipsi compatiens, pro vitandis pœnis æternis sponte se nunc subdit temporali afflictioni et veræ pœnitentiæ : nam et hoc ex sincera caritate procedit. Qui autem diligit iniquitatem, qui Deum sine ullo timore offendit, qui pœnitentiam spernit, qui nunc momentaneam satisfactionem devitat, is plane odit animam suam, quoniam æternæ mortis discrimini subdit eamdem.

Rom. xii, 1.

Eccli. xxx, 24.

Ps. x, 6.

Porro aliis etiam esse debemus misericordes et justi, maxime tamen misericordes, quatenus Deum imitemur, cujus miserationes sunt super omnia opera ejus. Non enim debemus proximos judicare, damnare, contemnere, sed nos ipsos. Si vero præoccupatus fuerit frater in aliquo delicto, qui veraciter pius et caritativus spiritualisque est, hujusmodi in spiritu benignitatis corripere debet et orare pro ipso, omnique in quacumque necessitate posito pro viribus consilium auxiliumque præstare. Et hic viscera misericordiæ induit, qui peccanti in se non jam indignatur, sed compatitur; et quidquid in fratre imperfectionis cernitur, ad fragilitatem refert humanam, atque ut valet excusat. Nihilo minus et justi esse debemus ad proximos. Quum enim sciamus nullum malum manere posse inultum, quoad hoc debemus affectum nostrum divinæ conformare justitiæ, desiderando ut frater in præsenti conteratur et doleat, ac pœnitentiæ fructus exsolvat, et ut Deus, qui quos amat, arguit et castigat, sic eum in hac vita emendet, ne eum postmodum sua judicialis sententia damnet. Hæc quoque justitiæ exhibitio ad pastores præcipue respicit.

Galat. vi, 1.

Coloss. iii, 12.

Job xxiv, 12.

Apoc. iii, 19.

ARTICULUS XXVII.

De deiformi assimilatione per gratiam.

PRÆTEREA intelligere congruit, quod gratia gratum faciens, de qua modo est sermo, est quædam supernaturalis perfectio animæ, quæ ei a solo Deo per creationem infunditur, cujus primam infusionem nullus meretur. Est namque gratia inchoatio luminis gloriæ, atque similitudo quædam divinæ naturæ, infinitæ quodammodo exsistens efficaciæ. Per eam etenim constituitur homo in quodam supernaturali divinoque esse, per quod ad omnes operationes æternæ vitæ meritorias efficax et idoneus efficitur. Quum equidem ultimus finis ac vera felicitas hominis sit Dei per speciem visio, et summæ Divinitatis superdulcis fruitio, quæ utique finis infinitæ quodammodo dignitatis est, atque omnem creati intellectus naturalem facultatem transcendens; ideo ex puris

Digitized by Google

naturalibus nullus eam adipisci potest, A sed per operationes ex dono gratiæ, quæ supernaturale est donum, procedentes, eam meretur.

Enimvero agere præsupponit esse: quod enim non est, agere nequit. Itaque, ad hoc quod aliquid operetur actus alicujus perfectionis aut ordinis, requiritur ut proportionaliter ad hoc dispositum sit. Non enim potest res aliqua esse discursiva et admirativa, nisi rationalis exsistat. Sic nec homo, nec angelus aliquid supernaturalis beatitudinis meritorium facere potest, nisi primo in quodam supernaturali constitutus sit esse. Hoc autem hominem in tali supernaturali esse formaliter constituens, est gratia : quoniam, secundum Dionysium, sicut res per formam naturalem sortitur esse naturale atque specificum, sic per gratiam collocatur in esse divino et ad promerendum idoneo. Ideoque, sicut unius entis non est nisi una substantialis forma, sic gratia secundum essentiam quidem est una, estque subjective in essentia animæ, et est vita ejusdem. Nam sicut ab anima procedunt naturales potentiæ connaturalesque actus, sic a gratia sicut a radice profluunt omnes virtutes ac meritorii actus.

De Eccl. hier. c. II.

Sic ergo, quoniam ad supernaturalem Dei contemplationem non pervenitur nisi per supernaturalia proportionataque media, necessaria est homini gratia, per quam Deo supernaturaliter conformatur, et quodammodo infinitæ dignitatis efficitur, quoniam per eam infinitæ excellentiæ præmium promeretur. Propterea dona gratiæ D lumenque gloriæ, totius naturalis perfectionis conditionem, dignitatem ordinemque excedunt. Neque alicujus creaturæ seu mentis creatæ supernaturales perfectiones consistere queunt.

Quum denique per mortale peccatum gratia ista exstinguitur, tota protinus spiritualis vita mentis corrumpitur : unde omnes virtutes gratuitæ simul perduntur, unaque omnes actus meritorii perimuntur.

ARTICULUS XXVIII.

De transformatione mentis in Deum per caritatem.

TANTA est proinde sapientiæ itemque caritatis nobilitas, ut inter magnos theologos non mediocris contentio sit, an potius in actu sapientiæ quam caritatis, beatitudo essentialiter principaliterque consistat. De actu enim sapientiæ Christus ad Patrem : Hæc est (inquit) vita æterna, *Joann.* XVII, 3. B ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum. Verumtamen de caritate nihilo minus idem ipse testatur, quoniam in ea tota lex pendet *Matth.* XXII, 40. et Prophetæ. Denique, tanta est sapientiæ et caritatis perfectio, ut Filio Dei approprietur sapientia, Spiritui Sancto dilectio. Unde in nobis præstantissima intellectus perfectio est sapientia, voluntatisque caritas. Caritas namque omnium virtutum prima atque novissima est : ipsa quippe ex gratia procedit absque medio, et sine C ea nulla virtus meritoria est, eo quod ipsius sit ceterarum virtutum operationes imperare, formare et ordinare. Et ideo quoque omnium virtutum finis censetur, quoniam ad eam tanquam ad dominam singulæ referuntur. Tribus igitur exsistentibus virtutibus theologicis, fide, spe *I Cor.* XIII, 13. et caritate, major horum est caritas, quoniam ipsa sine gratia esse non valet, et Deo nos intimius ac inseparabilius nectit. Ipsa quoque omnium actuum ceterarum virtutum causa ab Apostolo dicitur. Est *Ibid.* 4, 5. enim patiens, benigna, non inflatur, non D quærit quæ sua sunt.

Denique, primus ejus effectus est, affectum Deo unire; secundus, in Deum transponere; tertius, cum Deo indissolubiliter colligare. Quo enim amor divinus in nobis fortius crescit, eo anima in Deum sincerius transformatur et figitur : nam ab aliis cunctis magis avertitur, et in illo uno quod solum necessarium est, deiformius simplificatur. Universa insuper divinæ voluntatis mandata delecta-

Digitized by Google

bilius operatur : omni enim virtute et forma caritas jucundius operatur et pronius. Ipsa quoque duras vias omnesque tribulationes pro Christo facit esse jugum suave et onus leve : nam si veraciter æstuans fuerit, nil ei pœnalius erit, quam propter miserrimi corporis hujus necessitudines varias, toties a Dei vacatione atque præconio oportere avelli. Sed et propter amorem Domini nostri Jesu Christi, faciet nos tam caritativos ad proximos sicut ad nos ipsos. Quo enim Christum magis diligimus, eo honorem et fructum passionis et sanguinis ejus ardentius optare debemus. Quoniam ergo ille pro omnibus nobis animam posuit, ac superpretiosissimum sanguinem largissime et affectuosissime fudit, ideo fructum ejus in omnibus desiderare debemus, et pro viribus ad hoc cooperari, ac summo præcavere conamine ne nostro demerito salus alterius vel impediatur vel minuatur : imo eatenus vitare conabimur scandalum dispendiumque confratrum uti et proprium; sin autem, non perfecte amamus Christum, nec ejus desideramus, ut decet, honorem, proximorumque salutem.

Matth. xi, 30.

I *Joann.* iii, 16.

ARTICULUS XXIX.

De consummata et plena assimilatione divina.

Ibid. 2. NUNC filii Dei sumus, et nondum apparuit quid erimus; scimus autem, quoniam quum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. Nunc equidem non videmus eum sicuti est, quia non videmus eum in se ipso, II *Cor.* v, 7. sed in creaturis dumtaxat : per fidem namque ambulamus, non per speciem. Quum vero Deum per speciem videbimus, tunc ipsum lumen divinum, seu divinam essentiam in se ipsa, clara felicique acie atque irrepercusso atque immediato prospectu cernemus, cernendo amabimus, amando fruemur, fruendo vere beati et in affectu totaliter quieti contentatique erimus.

Hæc nempe est mensa quam Christus dilectis et electis suis, qui tempore tentationis constantes persistunt, disposuit : Ut edatis (inquit) et bibatis super mensam meam in regno meo. Et alibi : Comedite (ait), amici, et bibite; et inebriamini, carissimi. Et utique rite omnino amicos appellat, quos ad mensam talem invitat. Hoc quippe ad dilectionem amicitiæ pertinet, ut quis alium ad propriæ felicitatis et gloriæ participationem assumat. Quum ergo Deus superessentialis et bonus, electas suas creaturas ad æternæ suæ beatitudinis communionem admittit, quum se ipsum eis ad fruendum impendit, quum omnia bona sua eis sine velamento ostendit, omnemque voluntatem earum adimplet, quum id quod est ipse per naturam, sunt ipsæ per gratiam; dum immensa sua dulcedine atque lætitia sic tota earum corda afficit, adspergit et satiat, ut undique omni jucunditate sic supereffluant, quod se ipsas præ suavitate et gloria quibus prorsus intus forisque occupatæ sunt, vix capere queant : tunc utique recte amici dicuntur, et divinæ amicitiæ communionem feliciter experiuntur.

Luc. xxii, 29, 30.

Cant. v, 1.

Joann. xv, 15.

Enimvero tunc perfecte et plene ei similes erimus. Tunc namque, et non ante, perfecte adimplebimus illud caritatis præceptum : Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et in tota mente tua, et ex omni fortitudine tua. Tunc equidem, præsertimque post resurrectionem beatam, totaliter et semper in actu inavertibiliter Deo erimus couniti. Ipsa enim voluntas divinam bonitatem æstuantissima ac incessabili dilectione amabit, amplectetur et desiderabit; intellectus in divinæ veritatis claritatem mergetur, et divinæ lucis immediato contuitu æternaliter in Deo figetur; appetitus vero inferior, sensitivus quoque, et caro, in nullo penitus mentem a divina contemplatione impedient, sed ei perfecte ad nutum obedient, atque inenarrabili acciden-

Deut. vi, 5; *Matth.* xxii, 37.

Digitized by Google

tali præmio venusta repletaque erunt. Id- A eoque in Deum prorsus transformabimur, et quasi in divinæ pulchritudinis incircumscriptibilem abyssum absorpti, in Deo stabiliemur, mergemur, unumque efficiemur, ut sit omnino Deus omnia in omnibus. Ad cujus beatitudinis gloriam dignetur nos nunc quidem per cordis munditiam sanctamque conversationem disponere, atque post præsens exsilium sine dilatione transferre Deus sublimis et benedictus. Amen.

I *Cor.* xv, 28.

FINIS TRACTATULI DE DISTANTIA PERFECTIONIS DIVINÆ ET HUMANÆ.

Digitized by Google

Digitized by Google

DE MUNIFICENTIA

ET BENEFICIIS DEI

Digitized by Google

Digitized by Google

PROŒMIUM

ANIMA mea desideravit te in nocte, o Unigenite Patris æterni, *sed et spiritus meus in præcordiis meis* sitivit in te. Is. XXVI, 9.

O pulchritudo quæ cuncta pulchrificas, exemplar ad cujus æmulationem condita sunt universa, lux vera quæ illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum, dulcis et benedicte Jesu, illustra faciem tuam super servum tuum. Hæc est enim vita æterna, ut cognoscam te, ut diligam te, ut transformer in te. O splendor paternæ gloriæ, o candor lucis æternæ, concupiscit anima mea in te, sciens quoniam bonitas præstantissima tu es; sed deficit, quoniam inaccessibilem lucem inhabitas: nequit tenuis visus sincerum solis radium speculari. O fons sapientiæ, vitæ origo, et lumen luminum, sancte Jesu, qui es in sinu, imo qui es in corde Patris, signatum est super me lumen vultus tui; capax est cognitionis tuæ anima mea. Denique, quemadmodum dilectus tuus divinus Dionysius fassus est, ut sol iste sensibilis omni quod suæ lucis susceptivum est, radios impertit, sic omnem tu mentem irradias. Non se contineat, quæso, super me multitudo viscerum misericordiæ tuæ. Accende cor meum, resolve me et converte me in te, erudi me, lux mundi, Deus salutis meæ, ut ea quæ te mihi amabilem efficiunt, et item me te amare obligant, sincera stabilique mente contempler. Da quoque cordi robur quo te pro viribus sic diligam atque honorem, quemadmodum id ipsum dignum fore, æquum itemque idoneum mens propria illustrata censet.

Joann. I, 9. *Ps.* XXX, 17. *Joann.* XVII, 3. *Hebr.* I, 3; *Sap.* VII, 26. *Ps.* LXXXIII, 3. I *Tim.* VI, 16. *Joann.* I, 18. *Ps.* IV, 7. De Divin. nom. c. IV. *Is.* LXIII, 15.

Digitized by Google

Digitized by Google

DE MUNIFICENTIA

ET

BENEFICIIS DEI

ARTICULUS PRIMUS.

Excitatio mentis in amorem Unigeniti.

Ps. LXI, 8. IN *Deo salutare meum et gloria mea; Deus auxilii mei, et spes mea in Deo est.* Segregare jam nunc paulisper, anima mea, a multitudine rerum creatarum; relinque quod omnium desiderabilium Zach. IX, 17. summam non complectitur. Quid nempe omnis boni, omnis pulchri universique desiderabilis plenitudinem sortitum est, nisi præstantissima illa fontanaque et item B increata bonitas Unigeniti? Quidquid enim in creaturis sparsim atque per modum incompletum effusum est, in ea supersimplici perfectoque modo continetur. Fortitudinem cupis, fortemque diligis? En I Cor. I, 24. Dei virtus est Unigenitus. Optas sapien- Coloss. II, 3. tiam? In Christo sunt omnes sapientiæ Eccli. I, 5. atque scientiæ thesauri absconditi. Fons quippe sapientiæ Verbum Dei in excelsis. Ps. XLIV, 3. Pulchritudinem desideras? Speciosus forma præ filiis hominum est Patris Unigenitus. Porro, omnis decor omnisque pulC chritudo, ex splendidissimo ejus claritatis Joann. XVI, 15. fonte profluxit. Divitias concupiscis? Omnia quæ habet Pater, habet Unigenitus. Gloriam sublimitatemque efflagitas? En Rex gloriæ Patrique per omnia coæqualis A est Unigenitus ejus. In eo igitur salutare Ps. LXI, 8. tuum, quoniam perfectum bonum ipse est. In eo gloria tua, quia ei soli debetur I Tim. I, 17. omnis honor et gloria, quippe a quo bona cuncta fluxerunt. Denique Unigenitus, Deus auxilii tui, quoniam sine ipso nihil vales efficere. Sitque in eo spes tua: benedictus namque vir qui confidit in Do- Jer. XVII, 7. mino.

Jam ergo, Domine Deus virtutum, con- Ps. LXXIX, verte me, ne creatarum commutabilium- 20. que rerum amor a te me separet, ne tui in me dilectionem minuat, ne a tui contemplatione me præpediat. Etenim, quemadmodum omnis natura quæ tu non es, a te, o Unigenite, processit; sic utique omnis amor et item cognitio illius, ad te ordinanda consistunt. Nil ergo extra te amare par est. O igitur adorande et superbenedicte Jesu, hoc animæ meæ præsta, ut sicut quidquid sum et habeo, a superdignissima tui munificentia manavit, sic in ipsius honorem et gloriam hæc ipsa indeficienter exhibeam: tibi equidem debeo me totum. Tibi pareant teque cognoscant et diligant omnia intima mea; stet in te fixa, incalescens et suspensa, omnis virtus mea. Nil enim præter te beatificare, nil quietum, nil contentum valet constituere.

Digitized by Google

Digitized by Google

DE MUNIFICENTIA

ET

BENEFICIIS DEI

ARTICULUS PRIMUS.

Excitatio mentis in amorem Unigeniti.

Ps. LXI, 8. *IN Deo salutare meum et gloria mea; Deus auxilii mei, et spes mea in Deo est.* Segregare jam nunc paulisper, anima mea, a multitudine rerum creatarum; relinque quod omnium desiderabilium *Zach.* IX, 17. summam non complectitur. Quid nempe omnis boni, omnis pulchri universique desiderabilis plenitudinem sortitum est, nisi præstantissima illa fontanaque et item B increata bonitas Unigeniti? Quidquid enim in creaturis sparsim atque per modum incompletum effusum est, in ea supersimplici perfectoque modo continetur. Fortitudinem cupis, fortemque diligis? En *I Cor.* I, 24. Dei virtus est Unigenitus. Optas sapien- *Coloss.* II, 3. tiam? In Christo sunt omnes sapientiæ *Eccli.* I, 5. atque scientiæ thesauri absconditi. Fons quippe sapientiæ Verbum Dei in excelsis. *Ps.* XLIV, 3. Pulchritudinem desideras? Speciosus forma præ filiis hominum est Patris Unigenitus. Porro, omnis decor omnisque pul- C chritudo, ex splendidissimo ejus claritatis *Joann.* XVI, 15. fonte profluxit. Divitias concupiscis? Omnia quæ habet Pater, habet Unigenitus. Gloriam sublimitatemque efflagitas? En Rex gloriæ Patrique per omnia coæqualis A est Unigenitus ejus. In eo igitur salutare *Ps.* LXI, 8. tuum, quoniam perfectum bonum ipse est. In eo gloria tua, quia ei soli debetur *I Tim.* I, 17. omnis honor et gloria, quippe a quo bona cuncta fluxerunt. Denique Unigenitus, Deus auxilii tui, quoniam sine ipso nihil vales efficere. Sitque in eo spes tua: benedictus namque vir qui confidit in Do- *Jer.* XVII, 7. mino.

Jam ergo, Domine Deus virtutum, con- *Ps.* LXXIX, 20. verte me, ne creatarum commutabiliumque rerum amor a te me separet, ne tui in me dilectionem minuat, ne a tui contemplatione me præpediat. Etenim, quemadmodum omnis natura quæ tu non es, a te, o Unigenite, processit; sic utique omnis amor et item cognitio illius, ad te ordinanda consistunt. Nil ergo extra te amare par est. O igitur adorande et superbenedicte Jesu, hoc animæ meæ præsta, ut sicut quidquid sum et habeo, a superdignissima tui munificentia manavit, sic in ipsius honorem et gloriam hæc ipsa indeficienter exhibeam: tibi equidem debeo me totum. Tibi pareant teque cognoscant et diligant omnia intima mea; stet in te fixa, incalescens et suspensa, omnis virtus mea. Nil enim præter te beatificare, nil quietum, nil contentum valet constituere.

Digitized by Google

ARTICULUS II.

Quemadmodum Christi humanitas ad Deitatis contemplationem atque amorem via sit.

I *Joann.* IV, 9. *IN hoc apparuit caritas Dei in nobis, quoniam Filium suum unigenitum misit in mundum.* Divinæ igitur dilectionis evidens argumentum est missio Unigeniti. Denique missio Filii, incarnatio ejus est. In assumpta itaque humanitate Filii paterna dilectio elucescit. Nunc ergo, si quod est in te sapientiæ lumen, si qua gratitudo, si nobilitas aliqua, intuere et considera, o anima, quænam sint in humanitate Christi, divini amoris signa, paternæ caritatis indicia, et æternæ clementiæ argumenta.

Verus (ni fallor) amator censendus est, is qui alteri propter semetipsum propriamque bonitatem providet, succurrit, et proprias divitias communicat atque impendit. Porro, quo id liberalius magnificentiusque effecerit, eo ardentior est appellandus amator. Intende ergo, o deiformis anima, si et qualiter hæc in Unigenito Dei splendeant, tibique ab ipso exhibita sint.

Multis quippe hæc amoris insignia exhibendi exsistentibus modis, nullus utique tam idoneus tamque præclarus esse poterit, quam ut se ipsum quoque pro alterius quispiam salute et bono impendat. Quid nempe semetipso carius ampliusque impertiri quibit? Ideoque Unigenitus Dei: *Joann.* XV, 13. Majorem (inquit) caritatem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis. Eras, o anima, olim exsul et egena, criminis consors, et æternæ mortis obnoxia. Clausa erat patriæ janua; non exstitit qui eam reserare foret idoneus; descenderunt ad inferos universi. Ad æternæ beatitudinis adeptionem condita fueras, sed æquissima summæ rationis censura hac te destituit; hanc tibi abstulit originalis culpa. Videns hoc Unigenitus, figmenti sui miseria tactus intrinsecus, graviter quoque tantum paternæ majestatis honorem auferri ferens, a regalibus sedibus descendit; et humanæ naturæ languoribus mederi festinans, formam servi accepit, qua nobis connaturalius aptiusque applicari, et item salutis remedia justius posset impertiri. *Sap.* XVIII, 15. *Philipp.* II, 7.

Etenim liberanda natura erat assumenda, quatenus quod offendit, satisfaceret. Homo autem offendit: hincque hominem Deus assumpsit. Sed quum ob indefectibilem infinitamque sui incommutabilitatem, immensitatis cujusdam rationem ipsa contineat specifica natura; ipsum quoque hominis peccatum, si ad divinæ sanctitatis immensam majestatem comparetur, infinitam quamdam injuriæ offensæque exhibitionem comprehendat: quomodo utique ad totius naturæ reæ liberationem pura satisfaceret creatura? In eamdem ergo personam, Creatorem atque creaturam coire necesse exstitit, si rea creatura redimi debebat: quatenus creaturæ declivitas superiori Deitati pro viribus satisfaceret, ipsa vero Creatoris sublimitas satisfactioni idoneitatem efficaciamque præberet. Enimvero, quum non aliter nobis supersplendens divinus radius, quam variis sensibilium formarum obtectus velaminibus, lucere queat: quam omnino naturam liberando homini tam congeneam tamque connaturalem et aptam assumere valuit Unigenitus Patris, quam humanitatem ipsam?

ARTICULUS III.

Quemadmodum in incarnatione Unigeniti, paternæ caritatis ardor et item clementiæ immensitas elucescant.

HIC est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. In eo paternæ tuæ fecunditatis dignitas præstantissima omnipotensque comprobatur, o adorande et æterne Genitor, quoniam Filium tibi per omnia coæqualem genuisti. Nempe gloria patris est filius: imperfectio quippe *Matth.* III, 17; XVII, 5. *Prov.* X, 1.

Digitized by Google

filii paternæ dignitati gloriæque paternali derogat. Est igitur tibi, o superfelix Pater, in te ipso infinita jucunditas, atque in omni creata illuminataque mente honor immensus, in eo quod tibi coæternum, coimmensum et æque perfectum Filium giguere et poteras et (scilicet concomitanter) volebas. Laudat et glorificat omnis supermundanus spiritus, quoniam verum Deum Deus verus genuit, perfectus perfectum, incommutabilis incommutabilem, simplicissimus simplicissimum, adorandus adorandum; et is cui inest omnis nobilitas, origo vitæ, lucis plenitudo, fontana sapientia, et omnis felicitatis incircumscriptio, eum cui hæc cuncta supereminentissime conveniunt, cui nulla deest sublimitas.

Quomodo ergo, o Pater immensæ majestatis, paternam tuam superexaltatam magnificentiam eatenus inclinasti, tam dignanter (si sic loqui oporteat) humiliasti, sicque vehementer exinanisti, ut velles dilectissimum Filium tuum tam excellentem et præstantem, tam humilia atque abjecta assumere, et tam ima ac defectuosa de ipso tuo Unigenito enuntiari sustineres? Etenim si honor tibi est et infinita gloria, quoniam Unigenitus tuus per omnia perfectus est, incommutabilis, adorandus, æternus, ac verus Deus : quomodo non visum est præstantissimæ tuæ paternitati incongruere ac derogare, ut unicus summusque tuus Filius, mortalis et indigens, temporalis et finitus, imo creatura, quia homo, et demum crucifixus appelletur? *Marc.* xvi, 6.

Denique, quemadmodum non vile tibi visum est cum muliere, humili utique pauperculaque Virgine, communem habere natum : quid te, o sapientissime et supersancte Pater, ad hæc induxit? Numquid hæc frustra et absque ratione egisti? Numquid creatura meruit? Eguit equidem, sed paterna tua amorosaque benignitas, nostræ per hunc modum indigentiæ auxiliari, sola tua bonitate instigante, dignata est atque decrevit. Amoris est ista proprietas, ut amato amantis bona communicet. Tu autem, o superamande, supersublimis ac superdives Pater, Filium tuum et nobis et pro nobis donasti et misisti, quatenus per eum et cum eo et in eo filii tui nominemur et simus : nos utique qui eramus natura filii maledictionis et iræ. Eia! benedictio, et claritas, et sapientia, et gratiarum actio, honor et virtus et fortitudo sit tibi, benedicte Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis. *I Joann.* III, 1. *Ephes.* II, 3. *Apoc.* VII, 12. *II Cor.* I, 3.

ARTICULUS IV.

Qualiter in incarnatione Filii Dei incomprehensibilis dignatio Spiritus Sancti refulgeat.

INTER universa humanæ arrogantiæ mendacia nefandaque scelera, nil eatenus grave opinor ut est blasphemia, dum sibi divinum aliquid homo impudenter attribuit. Maledictus plane infelix ille Manichæus, qui se Spiritu Sancto in tantum repletum disseruit, ut jam non aliud esset ipse Manichæus quam Spiritus. Te autem, o alme Paraclete Sancteque Spiritus, qui divinarum Scripturarum testimonio verus Deus diceris ac crederis, nedum a Patre, sed a Filio quoque emanare certissime agnoscimus. Porro quidquid es et habes, ab Unigenito tibi concessum est. Quumque verus perfectusque Deus exsistas, quemadmodum, precor, ab homine te procedere itemque mitti ac donari, dici suffers atque dignaris? Ait equidem amor noster crucifixus Jesus : Quum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis a Patre. Et denuo de te loquens : Ille (inquit) de meo accipiet. *Joann.* XV, 26. *Ibid.* XVI, 14.

Jam nunc, o fons gratiarum, o Spiritus veritatis et humani cordis lumen, o desiderata benignaque bonitas, ostende cur tam vehementer tamque indicibiliter veram tuam deitatem inclinasti, et, si ita fari fas est, exinanisti. Enimvero a majore quidpiam sortiri minorem, magnificentia

Digitized by Google

est; ab æquali autem, in nullo dedecus A censetur; sed a minore pendere et suscipere, vile et sine laude videtur. Universaliter namque passo honorabilius est agens. Distat autem a Deitate humana species distantia infinita. Tuæ igitur æternæ est id dilectionis atque clementiæ, ut ad ejus a quo profluis incarnationem nedum consentire sed et cooperari adjiceres, sicque a vero homine, non utique ab humanitate, te manare, totumque quod es itemque habes, suscepisse profiteri non vilipenderes. Tu pudicissimæ Virginis ca- B stissimum uterum imprægnasti. Tu illustrissimæ mundissimæque puellæ virgineam cellulam corpore Unigeniti occupasti. Tu ex purissimis sanctissimisque deiformis Mariæ, dulcis ac præstantis columbæ, sanguinibus, æterno Verbo humanæ formæ corpus parasti : sicque actum asserimus, ut a quo æternaliter spiraris, verus sit homo et mulieris filius. Sed nec inde erubescis, non id spernis.

O misericordissime consolator, perfecte ac desideratissime Deus, ingens foret (ni C fallor) humilitas, si ab angelorum imo summus se doceri Seraphim contestari dignaretur, aut ab homine angelus, seu ab idiota præclarus philosophus vel eruditus theologus. Denique Seraph altissimi super angelorum imum, angeli quoque super hominem, et hominis peritissimi super quempiam ignarum excellentia finita est, et in ordine ad Deitatis super creaturam eminentiam, nulla : et nihilo minus ab homine nedum sapere sed etiam esse, te suscipere, o adorande ardensque D Paraclete, dici sustinuisti.

ARTICULUS V.

Quod in incarnatione Unigeniti, indicibilis ipsius exinanitio, clementia atque dilectio eluceant.

AMORIS est hæc virtus atque proprietas, ut amato amantem uniat. Porro, quo amor ipse vehementior ardentiorque fuerit, eo intimiorem magisque inseparabilem conjunctionem efficit. Denique, perfecta caritas triformem operationem sortita est. Est nempe ejus, ut amantem amato uniat, unita quoque in se mutuo transponat, demum unita et item transposita, indissolubiliter colliget, inseparabilique concordiæ vinculo cohærere faciat. Ex modo igitur ac qualitate unionis, amoris est censendus ardor metiendaque quantitas. Præterea, omnium unionum intima ac vicinissima, personalis exsistit conjunctio. Te autem, o æterne Unigenite, homini eatenus unitum fatemur, ut ex divina humanaque natura una subsistat persona, quæ perfectus Deus et perfectus homo creditur, ita ut et divina homini et Deo humana verissime competant. Non poteras, o sancte Fili Dei, te homini vicinius copulare, quam ut te ipsum hominem faceres, humanamque naturam sic tibi assumeres, atque nedum indissolubiliter sed et suppositaliter nostram tuæ colligares naturam deitati, quatenus in eodem esse eademque personali subsistentia qua tu æternaliter subsistis, assumpta a te nostra natura suppositaretur itemque subsisteret. Unde scimus incomprehensibilem tuæ caritatis ardorem.

Nimium honorasti creaturam tuam, Domine. O gloriose et superfelix Dei Unigenite, quantum te amare obligamur, qui nostræ naturæ humilitatem sic divinitatis tuæ consortem statuisti, qui super omnem supermundanorum illorum felicium animorum præclaram splendidamque altitudinem, eam tam incomparabiliter sublimasti! Similitudo quippe, amoris causa censetur : ideoque inter multum distantia, minor viget dilectio. Tu autem, o summe Christe, nondum nostra assumpta specie, in splendidissimo illo superpulchroque paternæ lucis fonte latitabas, nec a mundana mente facile agnosci quibas, ideoque nec amari : quoniam ignota diligi nequeunt. Sed dum nostra indutus forma in mundum visibiliter prodis, tanquam ex abdito Patris sinu descendis, atque quo-

Digitized by Google

modo nos dilexeris, experimentaliter pandis et insinuas. Itaque, quo per incarnationem similior, eo et amabilior utique nobis factus es : nempe quem ut verum Deum adorabamus et verebamur, jam ut fratrem diligimus, ut redemptorem amplectimur, ut beatitudinis amissæ redditorem amamus.

ARTICULUS VI.

Et est inflammatio cordis ad imitandam Christi humilitatem.

Joann. XIII, 16. *NON est servus major domino suo, neque apostolus major est eo qui misit illum.* Respice et intuere, o anima mea, intende a quo appellationem sortita sis : a Christo nempe (ut opinor) te christianam censeri gaudes atque fateris. Te igitur Christum imitari par est. Aut ergo te Domino tuo profundius humilies, quoniam minor eo es; aut eatenus ut ille, quia major eo esse nequis; aut certe, si horum nullum vales, ejus pro viribus humiliationes assequi enitaris. Perfecta namque consistes, si illius (ut tibi possibile est) exinanitionem ubilibet complecti sectari- Luc. VI, 40. que satagas. Perfectus est enim discipulus, si sit sicut magister ejus; et fideli quoque servo magnificum perhibetur, si sit quemadmodum dominus suus. Porro, quid tam salubre tamque præclarum plasmatæ, redemptæ atque fragili creaturæ asseri valebit, quam ut Conditori itemque Salvatori suo juxta virium vigorem assimiletur?

Nunc igitur, o anima, si vere Christianismi fide tripudias, si Christi veraciter caritate langues, si illius sic rei quemadmodum nominis parilitatem adepta es, aut utique adipisci moliris, sincero circumspectoque mentis contemplatu unigeniti Filii Dei exinanitiones indesinenter consideres. Humilitas denique eo vehementior exsistit, quo qui se humiliat sublimior, idque ad quod se inclinat declivius exstiterit. Igitur si humilitatem A benedicti et beati Jesu intueri sequique concupiscis, humiliantis se majestatem, et ejus ad quod superexaltatam suam deflexit altitudinem, declivitatem conspecta.

Et quidem præfulgidam Domini Jesu majestatem Evangelista ille deiformis insinuans, atque de Unigenito fari orsus : Ut simus (inquit) in vero Filio ejus; hic I Joann. V, est Deus verus et vita æterna. Denique, 20. quum in forma Dei esset, non utique ra- Philipp. II, pinam arbitratus est esse se æqualem 6. B Deo : ipse quidem et Pater unum sunt. Joann. X, Et ad Patrem loquens Unigenitus : Omnia 30. (ait) mea, tua sunt; et omnia tua, mea Ibid. XVII, sunt. Palam igitur quod tota deitatis ple- 10. nitudo sit Filii atque in Filio : sicut enim Coloss. II, Pater habet vitam in semetipso, sic dedit 9. et Filio vitam habere in semetipso. Agnoscis itaque jam nunc, ut opinor, o nobilis anima, exinanientis se Unigeniti majestatem, quam ante ipsius quoque mundi constitutionem habuit : est quippe lux pura a pura luce, actus ab actu, Deus C a Deo æternaliter proficiscens. Joann. V, 26.

Demum, assumptæ paulisper speculare declivitatem naturæ. Et quidem quid utique lucidius, quid prorsus verius, quam quod Verbum caro factum est; quod post Ibid. I, 14. hæc, in terris visus et cum hominibus Baruch III, conversatus est Deus; quod dum temporis 38. adfuit plenitudo, misit Deus Filium suum, Galat. IV, natum ex supermunda Virgine, factum- 4. que sub lege? Porro, in cunctis intellectualium substantiarum ordinibus, humana specie, præsertim vero humana carne, D quid omnino declivius, deitate autem quid penitus cogitari quibit præstantius? Quumque veram deitatem veræ humanitati, quarum altera summa, ima est altera, in se ipso in personali unitate copulaverit Unigenitus, incomparabilem ejus esse exinanitionem innotescit. Verbi itaque exinanitio, tam propter assumentem Deum, cujus digne profari nequit sublimitas, quam ob assumptum hominem, cujus species in intellectualibus ima est ac multiformiter egena, incomprehensibilis prorsusque in-

Digitized by Google

comparabilis censenda est. Enimvero pau- A lo minus ab angelis se minoravit angelorum Dominus, qui utique facit angelos suos spiritus; universorum Creator creatura, manens tamen quod semper est, effici dignatur; et cui millia millium ministrant, deciesque centena millia millium adsistunt, in medio pauperum suorum non jam tanquam cui ministratur, sed instar ministrantis conversari acquievit, vel potius concupivit : nempe exsultavit ut gigas ad currendam viam, et amantissimæ quoque suæ filiæ decorem præoptavit. Quid superbis, terra et cinis? cur humiliari, cur sperni, cur inferioribus erubescis uniri? Præesse dominarique gliscis; et ille ministrare venit.

Ps. VIII, 6; *Hebr.* II, 9. *Ps.* CIII, 4. *Dan.* VII, 10. *Luc.* XXII, 27. *Ps.* XVIII, 6. *Ps.* XLIV, 11, 12. *Eccli.* X, 9. *Matth.* XX, 28.

Denuo non suam sed Patris venit voluntatem perficere, factusque est ei obediens usque ad mortem, is utique cui ventus et mare obediunt, cui omnis paret natura, quippe quo dicente atque mandante facta est et condita : et tu miser et miserabilis, qui velut flos egrederis et contereris, ut fœnum decidis, qui si amore dignus sis an odio ignoras, Deum et Dominum tuum sequi non vis, parere renuis, in oculis tuis fore humilis aspernaris. Præterea, quum nil quod non receperis habeas, nilque boni ex te possis, alteri te tam impudenter præfers, et non potius omnium bonorum fonti gratiarum actionem confessionemque impendis.

Joann. VI, 38. *Philipp.* II, 8. *Matth.* VIII, 27. *Ps.* CXLVIII, 5. *Job* XIV, 2. *Is.* XL, 6-8. *Eccle.* IX, 1. *I Cor.* IV, 7.

ARTICULUS VII.

Et est plenior mentis instructio ad contemplandum itemque sectandum exinanitionem Unigeniti.

DISCITE a me quia mitis sum et humilis corde. O dulce verbum! sed miti, sed humili, sed et mititatis humilitatisque amatori. O fons sapientiæ, o lux mundi, o Unigenite Dei, qui utique in hoc natus es, et ad hoc venisti in mundum, ut testimonium perhiberes veritati, ut illuminares omnem hominem venientem in

Matth. XI, 29. *Joann.* XVIII, 37. *Ibid.* I, 9.

hunc mundum : cur non tuos discipulos, tuos electos, tuos amantissimos, Trinitatis arcana rimari, supermundanos cœlestium hierarchiarum ordines scrutari, rerumque naturam et item proprietatem investigare hortatus es? Cur, o amator hominum, præamande ac supersuavis Jesu, qui certissime maxima nobis bona faves, quod saluberrimum est consulis, quod optimum edoces, cur, dulcis ac supermelliflue dominator, a discendi hortatu exorsus, Discite (inquis) a me quia mitis sum et humilis corde? *Matth.* XI, 29.

Porro ante diem festum Paschæ, sciens, bone Jesu, quoniam venit hora ut transires ex hoc mundo ad Patrem, instar benignissimi parentis ardentissimique amatoris, itemque sapientissimi consulis, ipsis tuis filiis, discipulis ac præelectis, singulare, saluberrimum finaleque dogma relinquens, jam nunc præinductum verbum, nedum sermone sed actu quoque commendasti. Nempe, dum Apostolorum pedes linteo præcinctus lavisses atque terSisses, demumque resedisses, eisdem contestatus es : Vos (inquiens) vocatis me Magister et Domine; et bene dicitis : sum etenim. Si ergo ego lavi pedes vestros magister vester et Dominus, et vos debetis alter alterius pedes lavare. Cur hoc egisti, o Sapientia Dei, o virtus Patris, o Verbum veritasque paternæ mentis? Non utique aliunde (ut reor), non ob aliud (ni fallor), nisi quoniam unica beatitudinis æternæ via ac janua humilitas exstat. Tu equidem, ut idem ipse fassus es, via, veritas vitaque consistis. Quid itaque est quod humilitatem eatenus commendasti, nisi quoniam illuc nequit nisi per sui exinanitionem homo ascendere, unde per elationem angelus ipse prolapsus est? Contrariis quippe curantur contraria, et ad oppositos terminos distinctis contrariisque viis ac motibus proficiscitur. Quumque ad ima a summis, a cœlis ad inferos per superbiam Satan deciderit, non utique nisi per sui exinanitionem ad supermundana contubernia, sidereasque et item an-

Joann. XIII, 1. *Ibid.* 4 et seq. *Ibid.* 13, 14. *Ibid.* XIV, 6. *Is.* XIV, 12-15.

Digitized by Google

gelicas mansiones ascendere quibit homo. Jam nunc, o præcara anima, si veraciter sapiens effici cupis, æternæ fias discipula Sapientiæ; si recte progredi gliscis, Christum viam sequere, non te Domino Salvatorique tuo præferas. Disce quia mitis est et humilis corde : quod si non didiceris, quidquid amplius agnoveris, quidquid studueris, nedum non proficiet, sed efferet atque damnabit. Enimvero, quo Christo conformior efficieris, eo divinior, eo nobilior eoque felicior fies. Quo autem vitæ ejus vehementius imitaris vestigia, eo illi intensius assimilaris. Quod si sanctissimum evangelicæ annuntiationis dogma revolveris, non aliud (ut opinor) tibi clarebit, quam quod ab exordio et usque in finem vita Jesu Christi, nedum humillima, sed et perfectæ quoque ac totius humilitatis exemplar exstiterit. Nascitur in stabulo, moritur in patibulo, in Ægyptum fugit, et parentibus se subjicit. Denique, ubi caput reclinaret non habuit, et cum sceleratis reputatus est. Sed et in divinitatis suæ insignibus præclarisque miraculis, non suam sed Patris quærit gloriam; non se honorificat, sed salutem nostram efflagitat.

Matth. xi, 29.

Luc. ii, 7; *Joann.* xix, 18; *Matth.* ii, 14; *Luc.* ii, 51; ix, 58; *Is.* liii, 12.

Joann. viii, 50.

ARTICULUS VIII.

De investigabili divinæ mentis consilio, ac incomprehensibili censuræ ejus altitudine.

Rom. xi, 33. O *ALTITUDO divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei! quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus!* Jam nunc, o angele magni consilii, o paternæ mentis splendor, Verbum atque consilium, o lux animæ meæ, Jesu, Dei Unigenite, qui omnem supercœlestem mentem sincero intelligibilique lumine imples, mentem meam et vim ejus omnem tu irradia, affice et inhabita; tu muni, doce et guberna, sicque ob ipsam tui amabilem ac venerandam incarnationem, spiritum meum deifica, tibique conforma, ut quantum fas est atque possibile, cognoscam sensum Domini et ineffabilem illam superalmæ superbenedictæque Trinitatis censuram; æternæ sapientiæ decretum, et summæ rationis dictamen super humanæ salutis reparatione sapiam, et item sincere stabiliterque contempler.

Is. ix, 6, juxta LXX. *Hebr.* i, 3.

Enimvero, nedum omnes homines, sed et angelos quoque universos ab æterno salvos effici voluisti. Verumtamen quos elegeras, agnoscebas : casuros præscisti, et hos quidem irrecuperabiliter, illos vero recuperabiliter novisti lapsuros. Porro, quemadmodum hæc cuncta in ipso æternitatis supersimplici nunc invariabilique momento, æternaliter prævidisti; sic in eodem nunc atque momento, cadenti homini mederi, redemptionisque maneriem statuisti, labentem censens deserendum angelum.

Joann. xiii, 18.

Denique, electorum ac reproborum omnium, angelorum et hominum, non jam dumtaxat beatitudines et pœnas, sed ipsorum quoque præmiorum ac cruciatuum distinctiones, gradus ac ordines ordinasti ac præscisti. Sed quis cognosceret sensum tuum, Domine, si non per Unigenitum tuum hæc nobis essent reserata? Eos equidem quos, o superpræstantissime et æterne Pater, salvare decrevisti, redemptionis, ne ingrati incredulique forent, latere modum noluisti. Igitur unigenitus tuus Filius qui est in corde tuo, sui dilecti Genitoris decretum ipse revelavit per Prophetas atque Apostolos. Etenim Verbum caro factum est, secundum Apostolum. Sed et Christus Dominus captus est in iniquitatibus nostris, juxta Prophetæ vaticinium. Redemptionis igitur humanæ exordium, est Verbi incarnatio; passio vero ipsius, salutis consummatio est. Hinc igitur palam (ni fallor) elucescit, quoniam quemadmodum ab æterno statuisti hominem producere, sic utique pro casuro ab æterno incarnari decrevisti.

Sap. ix, 17.

Joann. i, 18; *Ephes.* iii, 5.

Joann. i, 14.

Thren. iv, 20.

O Patris Unigenite! O sapientiale et benignissimum, et humana sed et angelica quoque ratione impenetrabile æternæ ado-

Digitized by Google

randæque Trinitatis decretum! O abyssus judiciorum Dei, qui sic homini, relicto angelo, auxiliari voluit! O infinita Dei bonitas et caritas immensa! Etenim propter nimiam caritatem suam qua dilexit nos, Deus suum Filium misit in mundum, non utique nisi ut salvetur mundus per ipsum. Elegit nos namque in ipso, dum mundi hujus nondum esset instituta molitio.

Ps. xxxv,7. *Ephes.* II,4; I *Joann.* IV, 9. *Joann.* III, 17. *Ephes.* I,4.

ARTICULUS IX.

Quemadmodum salvis Dei benedicti æquitate atque clementia, per temporalem particularemque Christi mortem mors mundi universalis ac æterna ablata sit.

ERO *mors tua, o mors; morsus tuus ero, inferne.* Quoniam ipsa tua supersancta dictante justitia, o sublimis ac supersubstantialis Deus, malum nullum impunitum relinquitur; et denuo sic exigente tui ipsius clementia, corporeæ aliundeque deceptæ atque per alterius culpam damnatæ, erat succurrendum creaturæ : quid utique tam idoneum tamque rationabile exstitit, quam ut hujuscemodi in mundum procederet Salvator, qui pro alienis sustinendo clementer eriperet, et ipsa sui passione juste satisfaceret? Non utique quod ipse puniri meruerit aut juste punitus sit, quippe qui culpam, quæ mortis passionisque causa consistit, sortitus non est; sed in eo quod ob ipsam suam bonitatem, caritatem atque clementiam se pro aliis sponte obtulit, misericordiam liberatis exhibuit. Porro in eo quod pro alienis tanquam propriis passus est delictis, justitiæ Dei satisfecit, quoniam malum impunitum non remansit naturæ : quippe identitas in Salvatore et salvatis, et ipsa quoque caritatis virtus cuncta fecit communia, ut quia homo prævaricatus est, homine patiente, non tamen peccatore, peccantibus ignoscatur, quoniam caritas plura velut unum efficit, et aliis propria impendit.

Osee XIII, 14. *Job* XXIV,12.

Quod si dixeris, Justum cernitur ut qui delinquit puniatur atque emendet, qualiter ergo is qui peccatum non edidit, neque inventus est dolus in ore ejus, pro illis qui natura filii iræ erant juste satisfecit? Sed jam satis (ut reor) claruit, in humani redemptione generis æquitatis pietatisque commixta fore opera. Verumtamen non sic pro homine Unigenitus Dei satisfecit, ut nullam originalis culpæ sentiat Protoplasti pœnam posteritas (est enim mors hæc quam patimur culpæ pœna, quemadmodum lex peccati quæ in carne sensualitateque consistit); sed gratiam ac beatitudinem mors Christi recuperavit, et id quod homo peccato obnoxius nequibat, effecit. Enimvero, propter unitum humanitati Verbum, Christi passio infinitam quamdam efficaciam sortita est, atque ob id totam naturam redimere fuit idonea, etiam temporalis exsistens. Purus namque homo pro ipsa natura satisfacere non valuit, quoniam in infinitum natura communicabilis est et infinitatis cujusdam rationem habet, quoniam secundum se indeterminata est et illimitata. Denique gratiam ablatam reddere, puro homini aut etiam creaturæ meræ non suppetit : nil enim sine præinexsistente gratia meritorium censendum est. Lapsus igitur homo propria nequibat potestate resurgere.

Is. LIII, 9; I *Petr.* II, 22. *Ephes.* II, 3.

Quod si peccati quoque magnitudo efficaciter pensetur, innotescet utique cur ad reparandum lapsum hominem Dei necessaria consistebat incarnatio. Nempe, si digniorem offendere, gravioris perhibetur delicti : quomodo præstantissimam Divinitatis sanctitatem et immensam Dei majestatem offendere, non infinitæ enormitatis est? Et ad tantum diluendum scelus is erat opportunus, qui interminabilis efficaciæ dignitatisque esset. Sed Deo secundum divinitatis subsistentiam atque naturam satisfacere non competit, quum majorem non habeat. Porro homo purus infinitæ dignitatis satisfaciendo nequit exsistere. Quid igitur restabat, nisi in eamdem Deum hominemque convenire perso-

Digitized by Google

nam? Ideoque nedum pro originali culpa, A
1 *Cor.* xv, 3. sed pro ceteris quoque peccatis Christus mortuus est; nec peccatum aliquod nisi in virtute meriti dominicæ passionis remitti, fateri par est.

ARTICULUS X.

De unitate Dei et humanitatis in Christo.

TE denique, o altissime Dei Unigenite, verum Deum hominemque verum, non utique in una natura, sed in persona B una, confitemur : neque Patrem neque Spiritum Sanctum incarnatum asserentes, quanquam tu cum Patre et Spiritu Sancto unus sis Deus, una natura, et ut ad omne dicam, una quædam res summa. Humanitatis namque assumptio personam in divinis, non naturam, directe respicit. Et licet tota cooperante Trinitate sit facta incarnatio, sicut ab efficiente principio, in solo nihilo minus Filio terminata creditur. Enimvero quorum est una personalitas, unum utique est esse atque subsistere. C Unde elucescit, sic a Verbo assumptum hominem, ut in ipso Verbi suppositali esse personalizatus sit. Neque itaque ex rationalis animæ et humanæ carnis unione in Christo resultat hypostasis alia ab hypostasi Verbi; sed in ipsa carnis ac animæ copula, perfecta est et constituta natura, simulque ad esse Verbi assumpta.

Verumtamen in Christo salva manet ac integra utraque natura, proprias sibi sortiens unaquæque operationes, ut idem Christus propter humanitatem humana, et D item ob divinitatem sit operatus divina. Nam etsi suppositum sit quod patitur et agit, natura tamen agendi patiendique ratio est atque principium. Unde etsi de eodem Christo secundum differentiam quamdam divina ac humana prædicentur, nihilo minus quid secundum quid dicatur,
Joann. x, 30. solerter contemplari par est. Ipse equidem et Pater propter divinitatem unum sunt, et propter humanitatem Pater eo major
Ps. cxxxv, 16. est. Denique, Jesus traduxit populum suum per desertum, et quidem in deserto *Ps.* xciv, 9. tentaverunt Christum : quæ ratione deitatis enuntiari de Jesu Christo palam (ni fallor) exsistit : necdum quippe erat tunc homo. Sic quoque ob Verbo unitam humanam naturam Deus de Virgine nascitur, occiditur, et sepelitur.

In hac tui unitate, et circa harum in te veritatem naturarum, multiformiter a veritatis tramite sanaque fide defluxerunt atque decepti sunt inimici tui, Domine Deus salutis meæ, o summe Christe, Patris adorande Fili. Hostis quippe tuus, superbus ille Arius, veram tibi deitatem ac rationalem abstulit animam, quemadmodum et Eunomius. Photinus te purum hominem suspicatus est, sicut et Ebion atque Cerinthus. At vero immundissimus totiusque falsitatis exemplar Manichæus, humanæ in te non credidit veritatem carnis. Valentinus tibi non humanum sed cœleste corpus attribuit. Sabellius te verum Deum fassus, te cum Patre unam personam disseruit : sicque Patrem sensit incarnatum. Porro reprobus ille Apollinaris non jam ex Mariæ sanguinibus te corpus suscepisse, sed (quod solo quoque auditu horribile est) Verbi aliquid in carnem transmutatum opinatus est. Nestorius ille maledictus duas dixit Verbi et hominis personas, et infelix falsitatis collega Eutyches unam tibi dumtaxat naturam largitus est, o æterne et excelse Dei Unigenite.

ARTICULUS XI.

De donis naturæ homini a Deo donatis.

OMNE datum optimum et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum. Amissio (ni fallor) rei possessæ erudit quantum res ipsa possessa cara sit, pretiosa et appetita. Si igitur naturalium donorum dignitatem dilectionemque quis noscere appetit, quantum de illorum carentia et item amissione doleat sapienter consideret. Non- *Jacob.* i, 17.

Digitized by Google

ne ipsum esse cunctis naturaliter appetibile est, et ob ejus conservationem cetera colliguntur et expenduntur? Quis præterea sanæ mentis, non actualia ac exteriora bona omnia pro ipsis suis interioribus essentialibusque seu naturalibus bonis impendat? Quis non vehementius esse, vivere et intelligere, ac ceteras naturæ donationes, quam divitias et honores, famam et laudem, diligit atque complectitur? Denique, quis manum aut visum, quis pedem vel auditum pro omni alieno bono relinquit? Quis pro toto universo intellectum seu (quod minus est) sensum amitteret, aut etiam monstruosum corpus sortiri dignaretur? Denique, si cuiquam sensu seu lingua aliove orbato naturæ munere, is ipse ab aliquo defectus reparetur, atque quod deest impertiatur : quo utique ardore reparantem sanatus diligit? quomodo ei fore gratus molitur et satagit?

Jam autem, o bone Creator, o benigne Deus, omne quod habeo naturæ bonum, a te mihi impertitum est; a tua munificentissima præstantissimaque bonitate esse, vivere et intelligere sortitus sum; a te sensus omnis, et corporis decor atque perfectio; a te sapientia et prudentia, libera quoque voluntas, itemque sensitivus appetitus. Quantum te pro universis his amare obligor, o benedicte Creator? Amplius autem, quid hoc, quod hominem naturaliter omnium terrenorum dominum statuisti, et sub pedibus ejus cuncta subjecisti; quod in ejus ministerium elementa cœlorumque corpora, planetas et sidera operatus es, et ad tui imaginem et similitudinem eumdem produxisti; quod rationalem ei immortalemque animam, tuæ veritatis contemplativam, et item tuæ bonitatis dilectivam, atque per hoc perpetuæ felicitatis capacem, præstare sola tua bonitate dignatus es?

Ps. VIII, 8; *Hebr.* II, 8.

Porro, altero alterum in multis naturæ perfectionibus ac fulcimentis multiformiter prætulisti : et hunc quidem corporis pulchritudine, hunc mentis ingenio, illum nobilitate et divitiis, istum complexionis æqualitate naturalique mititate præornasti, aliis hæc omnia, aliis quædam impertiens; hunc fecisti naturaliter amabilem, illum eloquentem, istum robore fortem et agilem, statura quoque elegantem cordeque providum constituisti. Hæc cuncta bonitatis tuæ munera sunt, o fontana omnis boni origo, o dives et supersplendens Divinitas. Et qui horum plura adeptus est, amplius omnino regratiari, non vero inflari habet.

ARTICULUS XII.

Admiratio divinæ munificentiæ in donis gratiæ et supernaturalibus donationibus.

BONI est hæc proprietas, ut se diffundat atque communicet. Quumque, o superbenedicte et supersancte Deus, naturaliter bonus sis, cujus utique natura est bonitas, et non nisi pura, nisi incircumscriptibilis quomodolibetque perfecta : quid omnino tibi proprium est, quid connaturale, quid ex temetipso agere nosti, nisi divitias bonitatis tuæ impertiri ceteris, nisi tuam aliis communicare beatitudinem, et demum nil prorsus tuæ munificentiæ expers relinquere? Nempe, ut Plato disseruit, optimus eras. Ab optimo porro longe omnis est relegata invidia, et ob id nil sibi proprium reservat.

Enimvero, non tuæ superbonæ deitati et item præstantissimæ bonitati suffecit, o fons vitæ et luminum lumen, superexaltate Creator, universorum naturales capacitates replere, omnique enti secundum propriæ suæ speciei naturam et item naturalem potestatem, bonitatis tuæ dona influere; sed ea quoque quæ omnem creatæ mentis et essentiæ dignitatem, perfectionem et ordinem supergrediuntur, homini et præstitisti, et pollicitus es atque præstabis. Nempe quid hoc, quod ad supercœlestem æternamque beatitudinem hominem produxisti, quod cum angelis ei

Digitized by Google

beatitudinis æqualitatem spopondisti, quod insuper te ei facie ad faciem manifestare decrevisti, ut sit homo per gratiam quod tu es per naturam?

Job VII, 17; *Ps.* VIII, 5; CXLIII, 3. Denique, o hominum amator, Patris Unigenite, quid est homo quia magnificas eum, quia visitas eum, quia innotuisti ei? Etenim ipsi tuo amatori, de te itemque tuo Patre profari orsus, promisisti : Ad eum (inquiens) veniemus, et mansionem apud eum faciemus. O sancta Divinitas, o sublimis indivisaque Trinitas, o incircumscripta majestas, quæ excelsos insides Thronos, quæ sedes super Cherubim, quæ præterea inaccessibilem lucem inhabitas, quid est homo quia reputas eum, quia dignum ducis super hujuscemodi aperire oculos tuos, quia ipsum deitatis tuæ templum efficere dignatus es, quia delicias tuas esse cum filiis hominum contestatus es, quia tibi cura est de nobis?

Joann. XIV, 23.

Dan. III, 55.

1 *Tim.* VI, 16.

Ps. CXLIII, 3.

Job XIV, 3.

1 *Cor.* III, 16.

Prov. VIII, 31.

1 *Petr.* V, 7.

Te igitur, o æterne et supersimplex Deus, infinitam bonitatem confiteor; te omnis boni fontanam originem complector; te universorum provisorem conservatoremque reor, colo et adoro. Tu instar liquidi elementi cunctis supereffluis, velut indefectibile lumen singula venustas, tanquam inexhauribilis fons omnia diffundis. Te universæ beatitudinis objectum fateor; te cunctorum desideriorum finem intueor. Tu virtus virtutum, sine qua nil agere idoneum est; ens entium, sine cujus participatione ac manutenentia res nulla subsistere valet. Tibi omnis honor et gloria.

ARTICULUS XIII.

De supernaturali fidei dono.

Joann. I, 9. *ERAT lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Nempe ad Patrem loqui exorsus Unigenitus : Pater (inquit), manifestavi nomen tuum hominibus quos dedisti mihi de mundo. Et denuo : Ego te (ait) clarificavi super terram. Rursusque : Ego (asserit Unigenitus) in hoc natus sum, et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati.

Ibid. XVII, 6.

Ibid. 4.

Ibid. XVIII, 37.

Multifarie multisque modis docuisti et illuminasti mundum hunc, o lux mundi, fons utique sapientiæ, Verbum Dei in excelsis. Etenim per philosophos naturalis theoriæ amatores, ceteros illustrasti. Quod enim notum est Dei, manifestatum est in illis. Invisibilia namque Dei per sensibilium notionem ab illis agnita sunt : datum quippe est illis philosophari propter nos. Insuper altiori nos diviniorique sapientia per sanctos tuos vates imbuisti. Nempe horum primus Moyses mundi originem edocuit, et ceteri de tui incarnatione itemque adventu et hominis reparatione profati sunt.

Hebr. I, 1. *Joann.* VIII, 12. *Eccli.* I, 5. *Rom.* I, 19, 20.

Sed temporis jam instante plenitudine, et ipso Patris incarnato Filio, vere altissimam edocti sumus theosophiam, quam nos Unigenitus Dei per se, suosque, præsertim vero Apostolos ac Evangelistas, erudivit. Hæc equidem divina scientia in philosophis prorsus ignorata, in Prophetis quoque etsi quodammodo, admodum tamen obscure elucescens, a Christo universo est orbi evidenter patefacta. Ipsa est summæ benedictæque Trinitatis confessio, Verbi incarnatio, divinæque Eucharistiæ cognitio admirabilis atque salubris. Hinc sancta et ineffabilia verba didicimus. Hinc panem filiorum, non utique canibus communicandum, sortiti sumus.

Galat. IV, 4.

Matth. XV, 26.

Hæc est tuæ superbonæ deitatis donatio, o adorande Dominator, qua nos tuæ (ut fas est atque possibile) voluisti naturæ consortes effici, mentes nostras deificans, et ad tuæ vitæ ac operationis deiformem assimilationem sublimans. Quemadmodum enim in futuro similes tibi erimus, quoniam videbimus te sicuti es, cognoscentes sicut et cogniti sumus, atque in eamdem imaginem transformati; sic in præsenti quoque nos tibi deiformiter conformari voluisti, sed tunc per speciem, nunc vero per fidem.

II *Petr.* I, 4.

1 *Joann.* III, 2. 1 *Cor.* XIII, 12. II *Cor.* III, 18.

Enimvero, quæ est ipsa tua vita et actio, o superfelix omnium princeps, ma-

Digitized by Google

gne et beatissime Deus, nisi splendidissimæ tuæ increatæque veritatis æterna contemplatio, et item supersubstantialis ac interminabilis tuæ bonitatis incessabilis dilectio, nisi æterni Verbi productio, Sanctique Spiritus profluxio? Hujus nos vitæ
II *Petr.* I,4. et actus participes, ac per hoc naturæ tuæ consortes, o admirabilis et incomprehensibilis Domine, statuisti, ea quæ in te ipso sunt pandens, et unde tu ipse gaudes,
Joann. XV, 15. nobis insinuans atque communicans. Omnia quæcumque audisti a Patre, nota nobis
Ibid. V, 20. fecisti, o Dei Unigenite. Pater nempe te diligit, omnia tibi ostendit et docet. Porro nec tu illa abscondis, sed angelicæ humanæque menti revelas. Etenim thesaurus
Eccli. XX, 32. absconditus et sapientia occultata, quæ
I *Cor.* II, 9, 10. utilitas in utrisque? Ea igitur quæ diligentibus te præparasti, nos latere noluisti, ne sine spe ac caritate exsistentes, sensibilibus prorsus essemus intenti. Verumtamen, quum ea nec oculus vidit, nec auris audivit, nec corde comprehendi queunt, par exstitit eadem credi. Fides enim, unionis ad Deum principium est. Incognita namque amare quis valet? Ob hanc nobis a te impertitam sapientiam, tibi præcordialiter gratias exhibere vehementer obligamur, Domine Jesu, Magister bone.

ARTICULUS XIV.

De spe.

DENIQUE, ne legis tuæ ardua atque difficilia mentem avertant, fidei spem conjunxisti, legifer sapientissime. Spes enim præmii minuit vim flagelli. Quomodo equidem immortalis vitæ et beatitudinis futuræ fides, præsentia relinquere et divinæ legi parere faceret, si spes nulla illam adipiscendi consisteret? Amplius autem, quis sine spe longanimis et item usque in finem perseverans manebit?

Et quidem sine caritate fidem (non
Jacob. II, 19. spem formatam) fore palam est. Dæmones namque credunt, verumtamen non sperant, sed contremiscunt. Qui autem in caritate non est, non utique sperat spe formata, quemadmodum in Enchiridio Augustinus edisserit de spe formata, quæ definitur, certa exspectatio futurorum bonorum, ex gratia Dei et meritis proveniens.

ARTICULUS XV.

De caritate.

PORRO spem fidemque caritas ipsa complectitur. Sed est naturalis caritas : qua omnia, et non dumtaxat intellectuales essentiæ rationalesque animi, divinum esse amant et appetunt, quippe sine quo ne in momento quidem subsistere queunt. Denique, proximi amor est, sed non in Deo : dum videlicet non ob eum finem ob quem creatus est, diligitur. Sed harum dilectionum nulla est gratum faciens. Quidquid enim ex fide non est, meriti est expers. Est igitur caritas quoad actum ex fide et spe proficiscens, qua Deus ipse amatur, et ob æternam felicitatem proximus. Hæc omnium virtutum prima est atque altissima, sine qua nulla est actio meritoria. Ad ipsam quoque cuncta sunt ordinanda; et ipsi essentiale præmium, quod utique Dei visio est, correspondet.

Sunt proinde caritatis tres gradus seu species. Prima communi appellatione amor dicitur, cujus est ut amato amantem uniat. Secunda autem, ecstasis est, quæ amantem in amatum transponit. Divinus enim amor, ut ait Dionysius, ecstasim facit. Nempe amantem sic in amatum transformat, ut extra se poni videatur. Tertia vero, zelus dicitur, cujus est unita atque transposita indissolubiliter colligare. Hæc eminentissima est rationalis mentis perfectio. De Divin. nom. c. IV.

Tu autem, o desiderande Deus, o superexaltata mens, o honoratissime intellectus, qui naturaliter amor es, qui substantialiter caritas es, te a nobis diligi voluisti I *Joann.* IV, 8. *Deut.* VI, 5.

Digitized by Google

atque jussisti, sed numquid ob tui indigentiam? Non utique. Quid enim afferet, quid tibi præstabit amor et laus, servitus et contemplatio procedentium a te animorum, sive supercœlestium sive mundanorum, qui incommutabilis es, qui perfectus es, qui æternis infinitisque et item propriis divitiis semper exsultas? Sed propter nosmetipsos nos te voluisti diligere, *Deut.* IV, 24. o æterne et superessentialis ardor. Non enim aliter, sic sanctissimæ tuæ æquitatis exigente censura, te frui potest mens creata.

Denique, nil justius quam ut ob temetipsum propriamque bonitatem, nullo adhuc dilectionis sperato præmio, diligaris. Etenim quidquid bonitatis habet omnis natura quæ tu non es, a te sortita est. Tu quoque naturaliter bonus es, ideoque naturaliter amabilis.

Præterea, unumquodque taliter et ad id conversivum est, quemadmodum et a quo processit. A tua autem superadoranda bonitate, sapientia caritateque formata, universa, o benedicte opifex Deus, profluxisse constat. Omnia quippe in sapientia *Ps.* CIII, 24. fecisti. Denique nihil eorum odisti quæ *Sap.* XI, 25. fecisti. Nil ergo ad te converti nisi per sapientiam et caritatem idoneum est, quod intellectualiter emanavit. Nostra autem sapientia, fides est orthodoxa, in increatæ veritatis lumine stabilita, æternæ sapientiæ radius et divinæ mentis exsistens rivulus. Porro amor, fidei forma est atque perfectio.

ARTICULUS XVI.

De amabilitate bonitatis divinæ.

IN quo autem omnium pulchrorum atque bonorum perfecta possessio sita est, hoc utique summe amabile est. Bonum equidem est quod omnia appetunt; et appetitus objectum, bonum est. Denique, eatenus est ens omne amabile, quantum de bonitate sortitum fuerit; quantum vero defectibilitatis possederit, tantum (ni fallor) vel de odibilitate aut certe non amabilitate adeptum est. Etenim si bonitas limitata est atque finita, secundum mensuram diligibilis exstat.

In te autem, o superfelix Deus, o præpotens Dominator, o Rex inclyte, omnium pulchrorum et bonorum perfecta exstat possessio. Tuæ namque perfectionis finis nullus exsistit. Es enim ens per essentiam, in quo quidquid ad plenitudinem, nobilitatem ac perfectionem ipsius esse pertinet, eminentissime comprehenditur. Non est in te materia determinans, non potentia contrahens, non denique differentia coarctans; sed es actus purus, cujus esse liberrimum et simplicissimum exsistit.

Enimvero lux es, cuncta illuminans, *Joann.* I, 9; VIII, 12; I *Joann.* I, 5. universa decorans, omnemque universorum speciem ac pulchritudinem instituens. Et quemadmodum sine solis præsentia, diurnum mox jubar evanescit: sic utique tuo paulisper a rebus subtracto lumine, omnis prorsus totius universi ornatus ac dispositio, splendor et actualitas labescit atque tabescit; discoloratur repente vultus naturæ, et lumen omne obtenebrescit; nil amplius amabile, nil desiderabile perseverat. Pulcher igitur es, o sancte Deus, et pulcherrimus ipse, cujus pulchritudinis non est finis. At vero omnem supercœlestem tu mentem, angelicum omnem animum intellectuali luce venustas, intelligibilique veritate fulcis. Tuæ mentis splendor, tuæ lucis quidam candor omnis creatus exstat intellectus. Si in momento, si in ictu oculi tuæ destitueretur claritatis manutenentia, in ipsam nihili tenebrosam confestim prolaberetur odibilemque caliginem. Sine tuæ perfusione lucis, veritas nulla elucescit.

Adhuc, naturaliter lux es, et non utique nisi æterna, quæ aliunde illustrationem non suscipis. Nullius autem entis natura, in ipso minorata a sui perfectione perfectaque plenitudine esse valet. Lux ergo tua, o vere beate Conditor, omnino splendidissima est, purissima penitusque incircumscripta; denique invariabilis est, et

Digitized by Google

minui nequit. Ideoque a tuæ claritatis supersublimi sinceritate lux omnis creata infinite occumbit, incomparabiliter deficit, potiusque caligo apparet quam lumen. Sol et luna, cunctaque cœli sidera et omnis ornatus eorum, tui comparatione obnubilari videntur, et in conspectu tuo munda non sunt. Porro, supermundanorum illorum animorum Cherubim, Seraphim atque Thronorum, omnium quoque tui supercœlestis uranicique templi sacrarum phalangarum universus decor et lumen omne, si ad tuæ lucis plenitudinem referuntur, potius nil et tenebræ quam aliud videbuntur.

Job xv, 15; xxv, 5.

Præterea, a quo præstantissima nobis bona impertita sunt, ardentissime diligi par est. Omnium vero naturæ et item gratiæ donorum fons atque principium Deus est. Ab hoc enim ente dependent cœlum et terra, et tota universi natura : ab ipso siquidem omnibus datum est esse et vivere, secundum nobilem Aristotelem. Denique, universorum ultimus finis, divina exsistit bonitas : qua non exsistente seque subtrahente, nil secundorum desiderabile remanet, imo nec sibi ipsi amabile censendum est. Cunctis igitur vehementissime amabilis est, tam utique ob se ipsam, quam propter ipsius communicationem. Est nempe Deus sublimis et benedictus, esse tantum, esse purum, esse in se subsistens ac separatum.

ARTICULUS XVII.

De supernaturali felicitate, ob quam hominem Deus ipse instituit.

1 *Joann.* III, 2. NUNC *filii Dei sumus, et nondum apparuit quid erimus; scimus* autem *quoniam quum apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est.* Est hoc omnis creatæ mentis perfectio summa, ut divinæ illi increatæque menti maxime (ut fas est) assimiletur. Deus autem cognoscit se sicuti est. Nos igitur tunc ei vere similes erimus, dum ipsum sicuti est viderimus. Non potest autem id in præsenti vita contingere. Non enim videbit eum homo et vivet. Jam quippe per fidem proficiscimur, atque per speculum in ænigmate contuemur; ex parte quoque cognoscimus. Porro, dum venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est : quod tunc utique accidet, dum cognoscemus quemadmodum et cogniti sumus, contemplantes eum facie ad faciem. Hoc vero quid est, nisi Deum per speciem speculari, ipsamque Divinitatis essentiam clare et sicuti in semetipsa est intelligere?

Exod. xxxiii, 20. 1 *Cor.* xiii, 12, 10.

Hæc est vita æterna totaque nostra felicitas ac ultimus finis, ut te taliter videamus, o Deitas trina, o Trinitas simplex et una, unum verum Deum, ex quo, in quo et per quem omnia. Hoc tuæ munificentiæ donum est, o larga Divinitas, ut nobis nedum cum angelis beatitudinis æqualitatem promitteres, Erunt (inquiens) sicut angeli Dei; sed cum superexaltata quoque tua deitate, visionis similitudinem spondere præstareque dignareris, ut jam sit homo per gratiam quod tu es per naturam.

Joann. xvii, 3. *Rom.* xi, 36. *Matth.* xxii, 30.

Quæ est, o supersublimis Deus, nostra substantia, quæ dignitas nostra, ut tam intime, tam vicine tamque immediate, æternæ tuæ luci et essentiæ incomprehensibili humanam mentem unire non despiceres, ut te per speciem videat, per essentiam intelligat, et sicuti es clare concipiat? Non est equidem (ni fallor) in hac visione beatifica, inter mentem contemplantem et te Deum contemplatum, forma media, a te atque a mente cognoscente distincta. Etenim per speciem creatam nequaquam (ut opinor) per essentiam videri vales. Infinite nempe ab altitudine et sinceritate superviventis tuæ substantiæ, creata omnis forma occumbit, distat et deficit; hincque adæquata similitudo, idoneum exemplar et ratio sufficiens ipsam tuam essentiam sicuti est agnoscendi esse nequit : non enim eam repræsentare efficax est. Per increatam igitur id speciem contingere restat : quæ altera quam ipsa tua essentia consistere nequit.

Digitized by Google

O fontana sanctitas, fons omnis sanctitatis, et universæ æquitatis mensura atque principium! O divinæ naturæ largitas et amor, quæ se sic totaliter electis intellectibus contemplandam, diligendam, possidendam atque fruendam præstat, itemque sibi creatos animos sic indissolubiliter conjungit, ut per eamdem speciem qua Deus ipse se conspicit, mens quoque creata Deum benedictum agnoscat! O infinita et inexcogitabilis æternæ majestatis dignatio! dum tam propinque, imo sic immediate Creatori creatura conjungitur, quorum utique natura, dignitas et ordo incomparabiliter prorsus distant, bonitas se communicat, amor vero conjungit.

Denique, felicitas hæc supernaturalis omnino est, omnem virtutem creatam transgrediens : ad quam per supernaturalia Dei dona pervenire mens valet.

Ps. LXXXIII, 5. Beati qui habitant in domo tua, Domine.
Ps. LXIV, 5. Beatus utique, et beatus nimis, quem elegisti. O infinita reprobæ mentis miseria! o reproborum et te Deum inhonorantium horrenda infelicitas, negligentia deplangenda, ac abominanda ignobilitas, dum ob inanem transeuntemque præsentium dilectionem atque libidinem, hæc æterna et præstantissima, hæc supernaturalia et divina bona deserunt, dum tantæ Dei largitati et caritati ingrati sunt! Ab horum me secerne collegio, o Deus æterne, o hominum salus atque amator, o admirabilis princeps et dominator omnipotens. Illustra et conforta me, o virtus et Sapientia Dei, ut in te sapiens stabilisque exsistens, tantam hominum dignitatem, tuamque clementiam et amorosam largitatem indesinenter attendam, et digne secundum hoc coram vultu tuo ambulem.

ARTICULUS XVIII.

Quod vita Christi sanctitatis mensura sit et perfectionis exemplar.

Joann. XIV, 6. *Coloss.* I, 15; *Hebr.* I, 3. EGO *sum via, veritas et vita.* Tu utique, o pulcher Dei Unigenite, Patris imago et figura substantiæ es; via es per quam, veritas in qua, et vita ad quam gradimur. Tu ostium per quod si quis introierit, salvabitur. Denique, tu veritas, et qui ex Deo est, te audit. Propterea nempe te mundus non audit, quoniam ex Deo non est. Tu quippe lux mundi es; et qui sequitur te, non ambulat in tenebris. Sed mundus te non cognoscit, quoniam in propria venisti, et tui te non receperunt. Nam lux in tenebris lucet, et tenebræ eam non comprehenderunt. Es insuper, o sempiterne Patris Fili, vita. Sicut enim Pater habet vitam in semetipso, sic dedit et Filio vitam habere in semetipso. Præterea, qui verbum tuum audit, et credit ei qui misit te, habet vitam æternam. Hæc est autem vita æterna, ut cognoscamus Patrem, in parenteque prolem, et item in utroque supersanctum utriusque commune profluvium Spiritum Sanctum, unum solum verum, vivum et omnipotentem Deum.

Joann. X, 9. *Ibid.* VIII, 47. *Ibid.* 12. *Ibid.* I, 10, 11, 5. *Ibid.* V, 26. *Ibid.* 24. *Ibid.* XVII, 3.

Nunc igitur, o anima, o Dei imago, o rationalis mens, si Christi discipula, si ejus imitatrix vitæ effici satagis, eam quam in carne conversationem duxerit, infatigabiliter speculare, atque pro viribus sequere. Ipsius equidem vita in christiana religione prima est. In omni vero ordine primum, metrum est ac mensura posteriorum; et quanto primo illi vicinius quid exstiterit, tanto omnino perfectius censendum est. Ideoque quo vitæ sancti et benedicti, dulcis et amandi Jesu, cujuspiam fuerit vita similior, eo sanctiorem et item nobiliorem eam fateri par est. Reminiscere igitur vitæ Domini tui, Dei tui, Salvatoris tui, Conditoris tui, et ejus in quo tota tua salus locata est.

Et quidem de ipso tuo crucifixo Jesu id (ni fallor) in primis innotescit, quoniam ipse qui de æterno superdiviteque Patre æternaliter profluxit, ex mortali paupereque est in sæculo matre editus; processit ex utero mulieris, qui ex corde manavit Dei Patris. Denique, natus pannis involvitur, atque in præsepio Rex gloriæ princepsque universorum reclinatur. Circum-

Luc. II, 7. *Ibid.* 21.

Digitized by Google

ciditur quoque, qui totius est fontana sanctitatis origo, qui culpæ nescius est, et naturaliter sanctus exstat. Sed et immolatur in templo, quem sacrificium laudis honorat, qui vere adorandus est, quem omnis decet honor et gloria. Porro tyranni declinat vesaniam, in cujus conspectu cœlum et terra contremiscunt, pro quo contra insensatos orbis terrarum pugnaturus est, a cujus utique ira virtutes cœlorum movendæ sunt. Demum, parentibus subditur, qui vocat ea quæ non sunt, et obediunt ei, tanquam quæ exsistunt, cui universa paret natura, quem omnis quoque supercœlestis altitudo veneratur; matri subjicitur, qui Deo Patri æqualis est, quem Dominationes adorant, tremunt Potestates.

I Petr. II, 22. *Luc.* II, 22. *Ps.* XLIX, 23. *I Tim.* I, 17. *Matth.* II, 14. *Joel* II, 10. *Sap.* V, 21. *Luc.* XXI, 26. *Ibid.* II, 51. *Rom.* IV, 17.

Præterea prædicans, qui sui visione angelicas mentes felicitat, ab impiis calumniatur, ab insensatis deridetur. Propter nos lassatur et sitit, tentatur et esurit; sudat, dormit, atque contremiscit. Dæmoniacus perhibetur, a quo verissime Spiritus Sanctus emanat; fertur gulosus, qui vetitum Protoplasto cibum inhibuit; iniquitatis fautor censetur, qui justus est Dominus et justitias dilexit. Verum, dum temporis exstitit disposita hora, turpissima amarissimaque morte Dominus virtutum et item Sanctus Sanctorum interemptus est; qui verus est Dei Filius, itemque verus Deus, blasphemans damnatur. Avibus denuo cœli nidos, vulpibusque terræ habentibus foveas, non habet Unigenitus Dei ubi caput reclinet. Sed et visus est non habens speciem neque decorem, qui eam quam habet Pater pulchritudinem, ab eodem æternaliter sortitus est. Etenim, secundum illustrem Hilarium, species est in imagine.

Joann. X, 20. *Matth.* XI, 19. *Luc.* XXIII, 2; *Ps.* X, 8. *Matth.* XXVI, 65, 66; VIII, 20. *Is.* LIII, 2.

Jam nunc quid in cunctis his, o divina anima, nisi exinanitionem et paupertatem, nisi obedientiam patientiamque Dei et Domini tui comperis? Hæc tibi sectanda deseruit, hæc verbo actuque edocuit. Enimvero quo illi in his conformiorem effici te contigerit, eo certissime sanctior præstantiorque statueris; quo autem ab illis vehementius declinaveris, eo vilior efficeris, et a vero rectoque beatitudinis calle gressus amplius deflectis.

ARTICULUS XIX.

De passione Unigeniti, et cur talem prælegerit.

OBLATUS est quia ipse voluit. Unigenitus namque, Nemo (inquit) tollit animam meam, sed ego pono eam. Sed quum ob infinitam præstantissimamque tui dignitatem, o altissime Christe, unius utique minimi stillicidii sacri tui sanguinis effusio, totius erat mundi solvere delicta prorsus efficax, omninoque idonea; cur utique turpissimam atque amarissimam mortis speciem subire maluisti? His (ut reor) ex causis. Primo quidem, ut quam sit gravis peccati transgressio insinuetur, ob cujus remissionem, tantam sensit Sanctus Sanctorum pœnalitatem. Secundo, ut divinæ Christi caritatis nobis ardor pateret, dum propter nos semet taliter impendit, ut nil sibi quod non pro nobis posuerit, reservaret. Tertio, ut nostræ insufficientiæ auxiliaretur, passionis suæ tantæ nobis merita augens et communicans : nobis quippe, non sibi meruit. Quarto, ut patientiæ fortitudinisque reseraret exempla, quibus ob futuræ felicitatis amorem prospera mundi despicere, atque nulla ejus adversa formidare animemur. Quinto, ut obedientiam commendet, factus obediens Patri usque ad tam horribile passionis genus.

Is. LIII, 7. *Joann.* X, 18. *Philipp.* II, 8.

Verumtamen, quum majorem hac dilectionem nemo sortitus sit, ut animam suam quis pro alio donet; rursusque eo vehementius (ni fallor) comprobetur diligere, quo pœnaliorem mortis maneriem subire non renuit : intente pro viribus intuere, o anima, quæ utique pro te Unigenitus Dei pertulerit.

Joann. XV, 13.

Et quidem id in primis elucescit, quod quum optimæ harmoniæ et item pro-

Digitized by Google

portionatissimæ complexionis exstiterit, quippe qui ex purissimis sacræ Virginis sanguinibus natus, atque virgineo castissimorum ipsius uberum lacte fuerat enutritus ; et dirissima plurimaque quibat perpeti, et nihilo minus minima illi læsio pœnalissima erat : quemadmodum equidem fortissimæ, sic utique et tenerrimæ quoque naturæ subsistebat. Igitur memoria memor sum, et tabescit in me anima mea, o bone Jesu, o summe Christe, o naturalis æterneque Dei Unigenite, dum mortis tuæ circumstantias ac ambitum contemplor.

Thren. III, 20.

Joann. XIII, 1.

Nempe ante diem festum Paschæ sciens tu, o sancte Salvator, quia instaret præordinata ab æterno hora, qua Filius hominis esset in manus peccatorum tradendus,

Luc. XXII, 41.

a discipulis paulisper elongatus, omnemque tibi instantis passionis amaritudinem qualitatemque lucidissime sciens atque contemplans, sed et propriæ teneritudinem naturæ attendens, factus in agonia,

Ibid. 43, 44.

prolixius orabas ; in ipsam quoque terram te procidente, factus mox est sudor tuus sicut guttæ sanguinis decurrentis in solum. Per hanc te, o amande Jesu, sanctæ tuæ animæ angustiam atque timorem pre-

Job XIII, 21.

cor, ut formido tua non me terreat, neque sempiternus me horror comprehendat, omnisque procul a me inordinatus mœror abeat, et tui quoque nominis sanctus ac filialis me amor possideat.

Luc. XXII, 43.

Denique, ab angelo confortatus, a ministro, inquam, itemque tua creatura, con-

Joann. XVIII, 4.

solamen sortiri non abominans, hostibus tuis (pro quorum etiam salute pati voluisti atque venisti) obviam profectus es ;

Ibid. 12 ; *Marc.* XIV, 44 ; *Job* XVI, 11.

confestimque velut latronem te ligant et circumdant, cauteque ducunt, et se pœnis tuis in hora illa tenebrarum fatigant et satiant. Ipsas quippe illas tuas sanctas ac venerabiles manus dire contemptibiliter-

Gen. XLIX, 12 ; *Eccli.* XXIII, 28 ; *Marc.* XIV, 65 ; *Luc* XXII, 63-65.

que vinciunt ; oculos insuper tuos vino pulchriores, et nunc certe sole splendidiores, scelerati velarunt, illudentes tibi, et conspuentes in te, venerandam (ut opinor) barbam evellentes, et honorabiles capillos violentissime incestis reprobisque manibus educentes. Denique, percutiunt te atque blasphemant, et amplius quam æstimari valet, totis suis præcordiis vilipendunt. Verumtamen faciem tuam non avertis ab increpantibus et conspuentibus in te ; dedisti maxillam percutienti te, et opprobriis saturatus es. Porro, veritatem fassus, te Dei Filium mundique judicem profans, reus ab universis mortis proclamaris, tu utique qui claves habes vitæ et mortis, qui occidis et vivificas, et in cujus ore dolus inventus non est, quippe qui substantialiter sanctus es.

Is. L, 6.

Thren. III, 30.

Marc. XIV, 62-64.

Apoc. I, 18 ; I *Reg.* II, 6 ; *Is.* LIII, 9.

Demum, præsidi ligatum consputumque te præsentant. Irridet te, albam te induens vestem rex sceleratus, qui utique es sapientia Patris, qui universorum ordinem instituisti, et in quo sunt omnes sapientiæ itemque scientiæ thesauri absconditi. Præses insuper, o sancte Domine, te nudat, ligat atque flagellat, qui diem lumine suo vestis, qui lumine velut vestimento amictus es, et qui propriis cuncta perfectionibus adornas. Nudaris propter me, Domine mi et Deus meus, qui angelicas mentes immortalitatis stolam in ipso sæculorum exordio induisti, universosque supersplendentis tuæ mansionis felices incolas, beatitudinis splendore vestis, gloria eos et honore coronans.

Matth. XXVII, 2 ; *Luc.* XXIII, 11.

I *Cor.* I, 24.

Coloss. II, 3.

Joann. XIX, 1.

Ps. CIII, 2.

Confestim autem facinoris ministri ipsam tuam virgineam et tenerrimam, nobilissimam ac vivacissimam carnem sic diris flagellis vulnerant atque dilaniant, sic laceram cruentamque efficiunt, ut jam non sit in ea nisi tumens livor, nisi vulnus et vulnus, nullaque prorsus sanitas, sed defluens undique rubicundus ille tuus pretiosissimus sanguis, sanctum tuum corpus a planta pedis usque ad verticem capitis cruore perfundens. Denique, universa spectante cohorte, te summo cum contemptu regem formant, longas acutissimasque et item multas adorando tuo capiti spinas violentis ictibus profundissime imprimunt, purpuram induunt, sceptrum apponunt, teque, o superbenedicte Dei Unigenite,

Is. I, 6.

Matth. XXVII, 27-30 ; *Marc.* XV, 16-19.

Digitized by Google

vilissimi illi canes cum illusione adorant, conspuunt atque percutiunt. Continuo autem ex sacro capite sanguinei rivi emanant, oculos vultumque sanguinolenta rubedine humectantes. Jam vero, Jesu bone, decorus tuus vultus pallore et mœrore, sputo et sanguine, percussione et angustia, sic deformis et a propria specie alienatus est, ut agnosci vix queas.

Joann. XIX, 5. Egrederis igitur denuo e prætorio, portans spineam coronam et purpureum vestimentum; statimque te conspicit amantissima tua virginea et dulcis Genitrix, cujus præ amaritudine cor pene scissum est, sed et præ dolore defecit atque in semetipso contabuit. Viderunt quoque te *Ibid.* 6, 15. iniqui, Tolle et crucifige insonantes. Tan- *Ibid.* 16 et seq. dem igitur bajulans tibi crucem, cum latronibus eductus es; transfixisque manibus et perfossis pedibus crucifigeris, et *Is.* LIII, 12. cum sceleratis reputatus es, atque in illorum medio erectus. Felle quoque potatus, inclinato capite spiritum emittis, mox carni rursus copulandum.

ARTICULUS XX.

I Cor. I, 20. *Quod stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi.*

Ibid. 27. *QUÆ stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes.* Denique mundi sapientia biformiter (ni fallor) intelligi valet, utputa mundane carnaliterque viventium, et item philosophica illa naturalisque philosophorum theoria. Utramque autem stultam fecit Deus. Prima equidem non nisi præsentia cogitat, neque ea quæ spiritus sunt sapit : ideoque dominica ei non sapit passio, neque cruciformiter Christum assequi molitur.

Porro naturalis philosophorum theoria seu scientia, neque originem neque finem humanæ novit propaginis : imo nec institutionis hujus ei maneries innotescit. Unde consequens factum est, ut humanæ quoque beatitudinis media quibus illam sortiri accidit, ignoret. Quis namque eorum quemadmodum Protoplastorum sit instituta molitio speculatus est? Quis naturalis in illis concreationem justitiæ, quis divinæ prævaricationem jussionis intueri quivit? Cui hoc innotuit, quod Divinitatis per speciem visio, hominis finis felicitasque consisteret? Mundum ab æterno fuisse, a primo tamen processisse principio, Plato et Aristoteles opinati sunt. Deum quoque per essentiam a creatis posse contemplari intellectibus, omnis illa philosophorum catena penitus sensit impossibile. Quumque Christi incarnatio et mors ad amissæ ordinetur reparationem illis ignotæ beatitudinis, non utique mirum, si Deum incarnatum passumque fateri, eximiæ arbitrentur dementiæ. Nempe ad naturalem quam ipsi dumtaxat asserunt felicitatem, ex puris suis naturalibus hominem adstruunt pertingere posse.

Horum itaque sapientiam Deus stultitiam reputat : non quasi id quod scientiæ veritatis est, et illorum diligentia complexa est, stultitiam aut vanitatem simpliciter et absolute existimet (omnis namque scientia, de numero bonorum honorabilium censenda est; philosophica quoque theoria, divini esse æternitatem, simplicitatem perfectionemque, et plurima vera atque subtilia scrutata est et intuita); sed quoniam dum Deum agnovissent, non *Rom.* I, 21. tanquam Deum honorificaverunt, neque sua recte usi sunt sapientia, sed quam fidei subdere debebant, per hanc se illi objecerunt : supernaturali quippe theosophiæ naturalem omnem parere notitiam par est; rerum quoque creatarum notionem ad Divinitatis contemplationem congruit reducere.

Rursus, stultam fecit Deus mundanam sapientiam, dum id quod illa tam impossibile edisserit, per simplices humilesque sui ministros tam multiformiter egit. Divinam enim virtutem nil supra rerum naturam ordinemque posse, fassi sunt : quod tunc omnipotens et immensus Deus reprobavit, dum omnem rerum naturam suis subjecit, atque per hoc per abjectos

Digitized by Google

mundi, orbem sibi suæque fidei tam incomprehensibiliter substravit, credulumque constituit. Hoc (ut reor) est quod
1 Cor. i, 23. divinus inducit Apostolus : Nos (inquiens) prædicamus Jesum crucifixum, Judæis quidem scandalum, gentibus vero stultitiam.

ARTICULUS XXI.

De congruentia modi passionis Christi.

Ps. xci. 6. QUAM *magnificata sunt opera tua, Domine! nimis profundæ factæ sunt*
Ps. ciii 24. *cogitationes tuæ. Omnia* quippe *in sa-*
Ps. xci, 7. *pientia fecisti.* Verumtamen *vir insipiens non cognoscet, et stultus non intelliget hæc.* Si igitur, o sapientissime Deus, o provide Creator, o infallibilis Domine, nihil omnino ortum est in universo, cujus non apud te legitima ratio prævisa est;
Sap. xi, 21. si omnia in numero, pondere et mensura constituisti; si cœlum terramque sapientialiter suaviterque gubernas; si insuper de ipso quoque malo bonum provenire facis, atque per hoc ea quæ bona sunt, vehementius splendidiusque venustas : numquid eorum quæ in te ipso assumpsisti, fecisti et item sustinuisti, quidpiam sine idonea efficacique ratione peregisti?
Rom xi 34. Nefas est id, opinor, suspicari. Sed quis novit sensum Domini? aut quis consiliarius ejus fuit? Verumtamen, quoniam
Ps. iv. 7. signatum est super me lumen vultus tui, Domine, atque de ipsa tua lege utcumque docuisti me, quod illustrans dederis, non utique abscondam.

Es equidem, o hominibus amande, amplectende semperque contemplande Dei Unigenite, incarnatus, ut nos bestiis comparatos deificares, ac angelis coæquares.
Baruch iii, 38. Post hæc in terris visus es, et cum hominibus conversatus, ut supermundani nos tui contubernii incolas in æternum efficeres. Porro, ut universalem perpetuamque mortem destrueres, temporalem sortitus es interitum. Sed quod tam multiplex tormentorum genus subisti, hinc (ni fallor) contigit, quatenus omne illud diversumque infernalium a nobis agmen suppliciorum tolleres. Ibunt quippe ab
Job xxiv, 19. aquis nivium ad calorem nimium. Ignis
Ps. x, 7. quoque, sulfur et spiritus procellarum, pars calicis eorum. Est enim illic terra
Job x, 21, 22. tenebrosa et operta mortis caligine, terra miseriæ et tenebrarum, ubi umbra mortis et nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat.

Denique, Jesu Christe, pavore et formidine contabuisti, ne nos judicii æterni timor opprimeret, ne inferorum horror deglutiret. Ligatus quoque es, ut nos vinculis facinorum vincturaque dæmonum absolveres, ut vinctos educeres, ut in com-
Is. xlii, 7. Ps. cxlix, 8. pedibus manicisque ferreis alligandos liberares, ut ligatis manibus et pedibus
Matth. xxii, 13. in exteriores projiciendos tenebras redimeres. Proinde vinctus duci voluisti, quatenus a gehennali nos itinere abstraheres. Illudi, cædi et conspui dignatus es, ut a dæmoniorum nos improperio subsannationeque eriperes; velari autem in oculis carnis, ut mentis nostræ revelares oculos. Blasphemiam quoque ferre placuit, quatenus ab æterna illa barathri erepti blasphemia, veri summæ Deitatis confessores veneratoresque efficeremur.

Insuper, præsidi tam inhoneste præsentari tulisti, ut tuo nos tribunali offeramur placentes itemque honesti; et ne nos judicialiter damnaremur, morti, instar iniqui, o Sancte Sanctorum, adjudicari non abnuisti. Atque ut nos qui prorsus stolidi exstitimus, insipientibus utique jumentis
Ps. xlviii, 13, 21. comparati, veri tuæ constitueremur consortes sapientiæ, irrisus es; et alba veste indutus es, ut honoris et gloriæ nos operiamur indumento. Porro toto corpore flagellari lacerarique tolerasti, quatenus caro nostra, quæ totaliter infecta erat, a dignis redimeretur verberibus.

Illusorie quoque te regem statuunt, et spinis sacrum caput coronant atque transfigunt, quatenus æterni nos Regis filii constituti, æternaliter regnemus, diade-
Sap. v, 17. maque regni de manu Dei sortiamur. Sed

Digitized by Google

et sic populo præsentari sustinuisti, ne utique nos æterno Judici cum confusione atque rubore præsentaremur.

Demum, bajulans tibi crucem existi, *Ps.* XXXVII, 5. quatenus onus peccatorum super nos graviter gravatum, ne nos in tartarea loca projiceret, combustionisque materiam præberet, a nostris humeris tolleres tuisque ferres, ac tecum crucifigeres. Ligno proinde affigeris, manibus pedibusque transfixis, ut qui in ligno vincebat, in ligno quoque vinceretur; itemque ut culpam quam Protoplastus pedibus properando *Gen.* III, 6. manusque ad prohibitum cibum expandendo ipse meruit, tu, sancte innocensque Agne Dei, lueres atque deleres. Amplius *Galat.* III, 13. autem, factus es pro nobis patibulum subiens maledictus, quatenus maledictis be- *Is.* LIII, 12. nediceres. Cum facinorosis quoque com- *Ps.* CXLI, 6. putatus es, ut sors nostra in cœlis portioque in terra viventium consistat.

Ps. LXVIII, 22. Dederunt præterea in escam tuam fel, et in siti tua potarunt te aceto : quod hinc tolerasti, ut cœlestis tuæ mensæ nos participes constitueres, atque a tartareo felle absinthioque liberares; per dignissimam quoque tuam passionem, et ejus præstantissimam sanctitatem, universum mundum vivificares, sanguineque tuo lavares atque mundares.

ARTICULUS XXII.

De quibusdam supernaturalibus divinæ munificentiæ donis quibus homines vehementer deificati sunt.

Ps. CXV, 12. *Ps.* CXXXVIII, 17. *QUID retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* Vehementer nimis, ut cerno, honorasti sublimastique nos, o summe Dei Unigenite, o Jesu bone atque excelse. Nempe, quod uni humanæ speciei personæ contulisti, omnibus quodammodo, ob eam quam in specifica natura unitatem sortiti sunt, communicasse videris. Unde, quemadmo- *Rom.* V, 12, 15-19. dum uno cadente cuncti cecidimus, et item uno satisfaciente redimimur universi; sic (ni fallor) uno a te supernaturaliter sublimato, ipsam utique naturam ac ejus omnia supposita, honorationem dignitatemque quamdam adipisci constat.

Denique, quid tam naturale quam in bonis consorti naturæ congaudere, atque in nocentibus contristari? Rursusque, quum ex similitudine proficiscatur dilectio, naturæ participem specieique consortem diligere par est. Similitudo autem unit, dilectio quoque communia efficit cuncta. Elucescit ergo, ea quæ uni hominum impertita sunt, universis quodammodo fore communia. Ideoque non dumtaxat, o supersancte Deus, super his gratiarum infusionibus quas ipse a te sortitus sum, gratias exhibere obligor, sed de omnibus quoque tuis donis, meæ naturæ participibus a tua superlarga bonitate communicatis, id ipsum æquum est efficere.

Et quidem in primis ab origine ordiri congruit. Hoc nempe quid est quod Protoplastos cum originali justitia creasti, in paradiso locasti, atque immortales et ab hac vita ad æternitatis beatitudinem profecturos si non transgrederentur, eosdem molitus es? Supernaturalia sunt hæc, in omnemque transferenda sobolem exstiterant, nisi culpa intercessisset. Quid autem quod ea Protoplastus perdidit, nosque illis destituit? Non enim ex te, sed ex ipsa nostræ libertatis adhæsione atque voluntatis consensu processit perditio. Numquid vero ob nostram negligentiam ipsi tuæ munificentissimæ præstantissimæque bonitati est exhibenda ingratitudo? *Gen.* II, 7, 8.

Denique, omnia subjecisti sub pedibus nostris : Dominamini (inquiens) volucribus cœli, bestiis terræ et piscibus maris. Insuper cœlum et sidera in ministerium cunctis gentibus condidisti. Sed his utique sublimius valde censendum est, quod ipsas etiam angelicas mentes ac supercœlestes intellectus in hominum custodiam ministeriumque operatus es. Annon omnes administratorii spiritus sunt? Nonne uni ex nostris dictum est, Conservus tuus sum atque confrater, et illorum qui in Christo sunt? *Ps.* VIII, 8. *Gen.* I, 28. *Deut.* IV, 19. *Hebr.* I, 14. *Apoc.* XX, 10.

Digitized by Google

Demum, Patriarchas Prophetasque statuisti, ex quibus et per quos te fore incarnandum pollicitus es. His tua secreta et quæ naturaliter patere nequeunt, revelasti. Hunc puerum, hunc amicum, hunc electum, hunc servum, hunc aliorum deum (Moysen loquor) appellare, o superexaltate et superadorande Dominator, dignatus es. O mira inexcogitabilisque Dei clementia! Quid equidem est homo, quid hæc mortalis natura corporalisque substantia, ut sancti, immortalis, simplicissimi Creatoris puer et filius, amicus et electus nominetur? Verumtamen de uno ex nostris scriptum est : Et obedivit Deus voci hominis; itemque de altero : Ecce constitui te deum Pharaonis; sed et de omnibus nobis : Dedit eis potestatem filios Dei fieri. Ideoque Altissimum precari orsi, cum fiducia depromimus, Pater noster qui es in cœlis : Deum et judicem nostrumque Creatorem, patrem appellantes.

Josue x, 14. *Exod.* vii, 1. *Joann.* i, 12. *Matth.* vi, 9.

Demum, o superadmirande Deus, o omnium sapientissime gubernator, supersublimis tuæ bonitatis dona eatenus largiter tamque supereffluenter hominibus impertitus es, ut de ipso omnium gratiarum fonte, Sancto utique Spiritu, Scriptura perhibeat : Spiritus (inquiens) nondum erat datus, quia Jesus necdum erat glorificatus. Nempe dudum certe datus (ni fallor) extitit, qui locutus est per Prophetas, qui Moysen erudivit, qui beatissimum David induit suumque organum effecit, qui ipsum quoque Jeremiam in utero sanctificavit. Verumtamen in ea nondum plenitudine ab hominibus gratia ipsius participata fuit, ut adveniente et item incarnato Dei Unigenito; nondum tam visibiliter, nondum tam exuberanter communicari dignatus est almus ille vereque adorandus Paracletus. Deinceps igitur Apostolos operatus es, quorum te mentibus [indidisti] ad instar soni vehementis impetusque flaminis, omnem eos linguam sanctamque sapientiam erudiens. Amplius vero, fidelium corda tanta fidei flamma, tantoque tuæ, o vere superaltissime universorum plasmator atque conservator, caritatis ardore vulnerasti, ut pro Deo nedum sua, sed et se quoque, in omnem cruciatum sponte impenderent.

Joann. vii, 39. *II Petr.* i, 21. *II Reg.* xxiii, 1, 2. *Jer.* i, 5. *Act.* ii, 2 et seq.

Electis tuis multiformem gratiam elargitus es : huic virginitatis castimoniam, illi anachoreseos perfectionem tribuens; hunc confessione, illum sacerdotio adornans. Porro, alteri sermonem sapientiæ, alteri vero scientiæ, et item signorum ac prodigiorum alteri potestatem præstitisti; hunc spiritu vaticinandi implere, illi autem cordium arcana revelare dignatus es; hunc fidei fortitudine ac zelo, hunc spei longanimitate et certitudine vehementer roborasti. Vulnerasti hunc caritate tua sanctissima; et omnium præsentium temporaliumque contemptum ac derelictionem alii donasti. Illum mititate atque clementia, istum humilitate atque patientia, et item stabilitate ac obedientia hunc tam singulariter splendere fecisti; devotione hunc præcipuum, hunc contemplatione profundum, hunc morum honestate compositum lucentemque statuisti. Præterea, ceteris hunc prætulisti, ut alios quoque erudiat atque ad te reducat; alium sinceritate cordis paceque mentis, et in sancto exercitio tuoque ministerio ferventem fecisti; alterum præ reliquis discretum, et alium ceteris eminenter exemplarem operatus es. Zelo insuper salutis proximorum ac religionis augmenti, quosdam tam mirabiliter constituisti accensos.

I Cor. xii, 8-10.

Hæc omnia, o bone Jesu, o inscrutabilis veritas, o incircumscriptibilis splendor, tuus Spiritus efficit et præstat, quum tamen ipse idem utique et simplex incommutabilisque perseveret.

Ibid 11.

ARTICULUS XXIII.

De ineffabili dignatione Spiritus Sancti in eo quod tam supereffluenter humanis dignatus est mentibus dari atque infundi.

QUUM *venerit Paracletus* (ait Unigenitus) *quem ego mittam vobis a Pa-*

Joann. xv, 26; xiv, 26.

Digitized by Google

tre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille vos docebit omnia. O missionem dignissimam, o præstantissimum missum, dum is mittitur qui cum Patre et Filio simul adoratur, quippe qui cum utroque unus est Deus, unus est Dominus! Deni-
Rom. v, 5. que, caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis. O nobile donum! o munus desiderabile atque præclarum! O vere felix præcordialiterque amplectenda infusio, dum is donatur quo omnis cœlorum virtus subsistit, quo Pater Filium, et item Patrem Filius æternaliter complectitur et diligit, osculatur atque connectit!

Quid est homo, o alme Paraclete, o Spiritus Sancte, o desiderabilissima benignissimaque bonitas, ut ei mitti, ut illi infundi, ut ipsi donari digneris et velles? Neque enim nisi velles, hæc fierent : una nempe tui et Patris ac Filii exstat voluntas, impartita essentia comparque potestas. Non te donat Pater, non mittit Filius tanquam minorem atque ministrum, quemadmodum Eunomius Ariusque mentiti sunt. Non te, o superalme Consolator, creavit in virtute Patris Unigenitus, uti infelix ille tuus hostis Macedonius disseruisse invenitur.

Porro, dum te donari mittique perhibes atque fateris, tam ex parte termini a quo quam ex parte termini ad quem, exinanitio quædam (nisi fallor) tui insinuari videtur. Demum, dum ad decliviorem sublimior mittitur, dignatio quædam vel exinanitio missi censenda est. Ideoque quod nobis mitti vis atque præstari, meræ tuæ bonitatis dignatio est, et immensæ opus clementiæ. Verumtamen, quoniam in Patre Filioque auctoritas consistit originis, ab illis te infundi ac dari par est : nempe
Galat. IV, 4. et a Patre ipse quoque Unigenitus missus
Joann. XVI, 15. est ac datus, quum tamen omnia quæ habet Pater, habeat utique et Filius, sitque
Ibid. X, 30. cum Patre unum.

Verumtamen unum ex his ad quæ missus quibusque datus est, Filius est cer-
Is. IX, 6. tissime et factus. Parvulus namque natus est nobis, et filius datus est nobis. Sed et Verbum caro factum est, et Filius in- *Joann.* I, carnatus est : quod tibi, o superbenedicte 14. superessentialisque Paraclete, nequaquam adscribi valet. Apparuisti in columba igne- *Luc.* III, 22; *Act.* II, 3. isque linguis, nobis quoque te Pater Filiusque impertit. Sed numquid horum quidpiam factus es?

Vehementissima, ut cerno, prorsusque inexplicabilis est dignatio tua : munificentia benignitatis tuæ credi potest, comprehendi nequit, o superbone Paraclete, o lux sincera et æterna, o naturaliter clemens Consolator, o Deus sublimis et benedicte. Etenim tu Patris Filiique amor es et osculum, pax atque communio, nexus itemque dulcedo; denique, tu flumen pacis, tu divinorum et angelicorum impletor animorum, nihilo minus ad hominem descendis, nosque tuæ deitatis templum efficis, nos Patri ac Filio tibique connectis. Porro, eatenus te nostris familiarem exhibere aspernatus non es, sic intime illis conjungi dignatus es, ut de te velut de consorte familiarissimoque amico principis nostri, Visum est (inquiant) *Act.* XV, 28 Spiritui Sancto et nobis.

Tu, o superamabilis Deus, o superclemens Paraclete, spiritus es sapientiæ et *Is.* XI, 2, 3. intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis, sanctique timoris; hacque septiformi gratia tam incomparabiliter Christi animam demumque suorum replesti. Tu præstantissimam illam mundissimamque puellam fecundam fe- *Luc.* I, 35. cisti atque puerperam. Apostolorum tu *Act.* II, 1 et inebriasti mentes. In catholica quoque *seq.* Ecclesia vates et doctores, Evangelistas *Ephes.* IV, sacerdotesque operatus es; omnem tuæ 11. clementiæ supereffluentiam gratiæque plenitudinem in ea effudisti. Per te et ex te angelicam et deiformem in hoc mundo patres nostri conversationem adepti sunt, angelicæ puritatis similitudinem sortiti sunt, deificati sunt, depurati sunt, et visibilia supergressi, æternis dumtaxat omni mente atque virtute inhæserunt : quorum nos utique vestigia sequi par est.

Digitized by Google

ARTICULUS XXIV.

De mirabili divinæ potestatis communicatione, dum hominibus Omnipotens signorum miraculorumque efficientiam præstat.

Ps. LXXI, 18. BENEDICTUS *Dominus Deus Israel, qui facit mirabilia solus :* nempe cujus ubique imperio, uti solius Creatoris, rerum paret ordo obeditque natura. Ipse equidem solus est qui universorum legem et ordinem cursumque instituit; et sub ejus institutione ordinis, omnis natura creata comprehensa est, nec propria valet efficacia supra naturalem entium agere legem, sub qua ipsa quoque ordinata est atque locata.

Exod. XV, 11. Quis similis tui in fortibus, Domine? quis similis tui, magnificus in sanctitate, terribilis atque laudabilis, et faciens mirabilia? Verumtamen, o superfelix Trinitas, quæ temetipsam nobis tam exuberanter tamque totaliter tribuisti, ut utique te cognoscamus, diligamus et possideamus, itemque te fruamur, denique ut sit nobis summus Genitor in patrem, in fratrem Unigenitus, et in hospitem mentisque inhabitatorem Spiritus Sanctus : id ipsum quod tibi tam proprium est, hominibus quoque impertitus es; subjecisti ipsis tuis fidelibus atque electis rerum ordinem, entium naturas cursumque mundi.

Ps. VIII, 8, 9.

Magnum est hoc, o sancte et excelse, o vere bone munificentissimeque Deus, ut tam admirabilem tamque supernaturalem ac divinam hominibus tribueres potestatem, ut qui ex se nil queunt, per te ultra ac supra omnia potentes exsistant. Quid non subdidisti hominibus, o altissime Princeps? Sed quid miror quod eis cuncta subjecisti, quibus te ipsum quoque subdere decrevisti? Eras nempe, o Unigenite Dei, subditus illis. Insuper, in illorum ministerium supermundanos illos intellectus supercœlestesque animos ab alto emittis : et illorum plurimis, nostrorum plures gloria et honore sublimio-

Luc. II, 51.

A res efficis; quosdam vero ex nostris, cunctis angelicarum phalangarum mentibus vehementer prætulisti.

Josue X, 12-14. Denique, non tam precante quam præcipiente Josue, solis latio, solito relicto itinere, mirabiliter cessavit. Ipso quoque sancto Israelitarum olim rege efflagitante Ezechia, decem sol gradibus reversus est. Is. XXXVIII, 8. O mira fidei virtus, quæ mortuos vivificat, cæcos illuminat, naturam vincit, cœlis imperat, dæmones ejicit, mortiferum Marc. XVI, 17, 18. omne innocuum efficit, serpentes calcat,

B elementis prævalet; quæ quidquid a fi- Joann. XIV, 13, 14. deli veracique Domino postulat, sortitur; qua reprobi quoque mirabilia agunt! Enimvero quidam tuorum, o incircumscriptæ potestatis Deus imperatorque omnipotens, ne in igne quidem læsi sunt : quod in veteri interdum lege factum scimus, sed in nova frequenter nimis. Nec enim earum necessarium reor exempla rerum adducere, quarum vix numerus exstat. In fluctibus alii submersi, illæsi egressi sunt; aquarumque undas velut

C solidam terræ planitiem calcarunt plurimi. Porro, truncati aliqui, etiam caput ineffabiliter erigentes, usque ad electa id loca tulerunt. Sanat ægros umbra Petri, Act. V, 15. sudariumque Pauli. Tres legitur Christus Ibid. XIX, 12. mortuos suscitasse; sed majora his operati sunt sui. Cordium patent aliquibus Matth. IX, 25; Luc. VII, 12-15; Joann. XI, 43, 44. arcana; et irrationalia quoque animantia instar intellectualium naturarum, Sanctis tuis, Domine, parent, eosque velut audire videntur.

D His, Domine, sigillis, testimoniis istis fidem sacram divinamque signasti atque firmasti. Alioqui quomodo a paucis atque simplicibus, ab idiotis et ignobilibus, ab humilibus pauperibusque hominibus, sine armorum violentia, sine dialecticæ astutia, sine Tulliana eloquentia, sine libidinis voluptatumque sponsione, ad tam arduam legem tamque inscrutabilem fidem universus quivit orbis converti?

Ps. CXXXVIII, 17. Mihi autem nimis honorati sunt amici tui, Deus; nimis confortatus est principatus eorum. Vehementer mirificasti eos,

Digitized by Google

Domine. Mirificasti eos nempe in vita, in morte, itemque post mortem. Sed quomodo illorum immortales mentes in sublimi tuæ habitationis uranico supersplendentique throno glorificas, quorum cadavera quoque jam vitæ expertia et animarum præsentia destituta, tot signis tantisque prodigiis honoras?

ARTICULUS XXV.

De eminentissimo sacerdotalis dignitatis munere.

Matth. XXVI, 26; I *Cor.* XI, 23, 24. CŒNANTIBUS *autem illis, accepit Jesus panem, et gratias agens, benedixit ac fregit, deditque discipulis suis, et ait : Accipite et comedite, hoc est corpus meum ; hoc facite in meam commemorationem.* Inquieta est ardens dilectio, donec amanti perfecte copuletur amatum ; fervens quoque amator, caritatis suæ exhibere indicia dilectis satagit : sic et tu quoque, o bone Jesu, idoneum et plenum perfectumque nobis tuæ dilectionis memoriale ac pignus relinquere dignatus, id nobis deseruisti, quod pro nobis ex Virgine suscepisti, in mortem tradidisti, et item in cruce effudisti.

Ps. CII, 1. Benedic, anima mea, Domino, et omnia quæ intra me sunt, nomini sancto ejus. Ecce enim quem colis atque adoras, in quo summam finalemque tuam beatitudinem fateris, quem amas et appetis, et ob cujus unionem nocte dieque laboras, præsto est, prope est, substantialiter adest, a te contrectari sumique concupiscit, se ipsum tibi tradit. Porro, quoniam ipse *Joann.* VI, 41, 56. est panis vivus, ejusque caro verus est cibus ; cibato autem essentialiter conjungi oportere cibum, satis (ut opinor) elucescit : hinc se Christus per carnem suam et sanguinem sub panis vinique speciebus, fideli animæ substantialiter unit, quatenus mentem cibet atque in se resolvat, ac per hoc immensus nobis suæ caritatis ardor plenissime innotescat. O nobile convivium, in quo Christus sumitur ! Jam vero benedic, anima mea, Domino, et noli oblivisci omnes retributiones ejus. Non enim modicum quid, aut munera tibi dumtaxat sua, sed se ipsum impertit, carnem sanguinemque proponit. *Ps.* CII. 2.

Denique, quoniam, o Unigenite, humanam naturam, non angelicam, assumpsisti, nos qui assumptæ a te naturæ consortes exsistimus, ipsis quoque angelicis Potestatibus atque Virtutibus in quodam potentiores operatus es. Cui enim angelorum aliquando vis consecrandi communicata est ? Quis eorum taliter ut homo, præsentem sibi valet Deum Creatoremque suum efficere ? Sed acutius intuere, o homo qui sacerdotio fungeris, qua utique reverentia ac devotione, qua humilitate ac dilectione te Dominum tuum in ipsa sacra hostia suscipere et amplecti, tractare contemplarique oporteat. Ipse equidem est, ante cujus te tribunal mox necesse est adstare : qui judicaturus est vivos et mortuos et sæculum per ignem. In manu illius universa tua salus sita est ; eum Cherubim Seraphimque adorant, Throni ei sedes sunt. *Hebr.* II, 16. II *Cor.* V, 10. II *Tim.* IV, 1.

Sed jam, o metuende Dei Fili, o adorande Christe, o virtus et Sapientia Patris, fac me in te sapientem et fortem stabiliterque conversum. Præsertim autem tunc me, o beate Salvator, tunc cor meum munias, mentemque in te afficias, erigas atque convertas, dum ipsa tua divina sacerrimaque mysteria celebro, sacramenta contingo, ac dilectionis tuæ pignus passionisque memoriale accipio. Tunc, o omnipotens Dominator, præ majestatis tuæ contemplatione, reverentiali timore concutiar, caritatis tuæ contuitu inexstinguibiliter accendar, totusque in te resolvar et configar. Tunc te, Deus meus, splendida fide contempler ; tunc te sapiam affectuosissimeque complectar. Anima mea, Domine, tua ex præsentia excitetur ac liquefiat. Utinam te, Deus meus, amator actorque salutis meæ, qui te mihi tam multipliciter præstitisti, qui ex ipso tuæ benignissimæ mentis ardore sic nobis I *Cor.* I, 24.

Digitized by Google

ubilibet conjungi dignaris, anima mea semper coram se, et item se coram te constituat; utinam tibi grata, utinam in te sic custodita consistat, ut ad tui participationem, celebrationemque tuorum, magis incessanter idonea, purior ardentiorque reddatur.

ARTICULUS XXVI.

De singularibus quibusdam divinæ munificentiæ donis atque beneficiis.

I Cor. IV, 7. Rom. XI, 36. QUID denique *habes quod non accepisti? Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia.* Da mihi intellectum, o fontana omnis intelligentiæ origo, Verbum æternæ mentis, Unigenite Dei, quo dona tua intelligam. Nempe si non intelligo, non utique gratias ago. Igitur ab exordio beneficia tua retexam ac reminiscar, ut gratus sim et te diligam, quoniam tu prior dilexisti me. I Joann. IV, 10, 19.

Quidquid, fateor, o sempiterne incommutabilisque Deus, in tempore hoc subsistentiæ meæ mihi impertis, ab æterno utique, et dum nondum mundi hujus esset instituta molitio, præstare decrevisti. Non exsistentem, vitalem intellectualemque produxisti. Sed quid nasci profuisset, si non ex aqua et Spiritu renasci donasses? Porro, renatum ab infantia custodisti. Quot, o sapientissime Christe, o superclementissime Jesu, in ignorantiæ tenebris, in carnis concupiscentiis reliquisti, de quorum sanguine ortus sum, quique mihi cognatione propinqui consistunt? E medio illorum eduxisti me. Infantulum pene adhuc, nondumque discretionis tempora sortitum, litteris me applicuisti et erudisti. Puer autem eram ingeniosus, capacemque mihi mentem elargitus es. Joann. III, 5. Sap. VIII, 19.

Verumtamen, quod nunc quoque vicissim miror atque revolvo, tibi, o desiderabilis, et nedum præ filiis hominum sed præ vultibus etiam angelorum speciose, sanctæ Virginis unigenite, confitebor. Quid enim hoc, quod tantus mihi adhuc in primordiis disciplinæ inerat litterarum amor, ut nocturnis temporibus, dum lunæ se splendor diffundens per fenestræ rimas emicaret, diurnum putans radiare jubar, mox intempestæ noctis silentio surgens, nisi fores clausæ fuissent, ad scholas properassem? Ps. XLIV, 3.

Verumtamen procedente tempore, meque cum illo deficiente, omni (proh dolor!) me vanitati subjeci. Sed, o misericors Creator, cito misertus es mei, atque ad distantiores me regiones studendi ratione deduxisti, in quibus nedum philosophiæ exordia, sed et religiosæ quoque initia vitæ, te efficiente adeptus sum. Sed denuo more canum ad vomitum reversus sum. Etenim nondum desideratæ vitæ necessarios sortitus annos, conversionem distuli, ad studiumque proficiscens, quemadmodum præ ceteris in scientiis, sic inflatione quoque et item præsumptione omni profeci, vel potius contabui atque defeci. Nihilo minus in omnibus his, in sancto me, o superbenigne Conditor, proposito stabilem effecisti; et dum tibi complacuit, in tua me diu concupita domo statuisti. Prov. XXVI, 11.

Quot me meliores, quot virtuosiores, investigabilium operum effector, reliquisti? Quot in iniquitatibus suis deprehendisti? Quot insuper jam nunc infernus deglutivit, me (ni fallor) præstantiores, ex coætaneis et notis atque sodalibus? Dum in mortalibus fœterem delictis, non tuam, o pie Rex, injuriam ultus es: pro malis bona, pro ingratitudine gratiam impendisti.

Porro tentatum afflictumque conservasti, et nunc usque eam quam tenui constantiam perseverantiamque impertitus es; negligenter et segniter operanti parcis et ignoscis. Si qua mentis devotio, si sanctitas aliqua, si qua gratitudo, si profectus tuique affectus quispiam; hæc, bone Jesu, tua sunt, ex te profluxerunt, per te perseverant, et in te consummantur, sine quo omni momento, si relinquor, deficio: quippe sine quo nil boni, non dicam fa-

Digitized by Google

cere, sed ne concipere quidem valeo. In quocumque, ubicumque et qualitercumque me reliqueris, ibi et in illo taliterque omnino pereo, itemque deficio. Ex te sufficientia mea, Deus meus; ex me vero defectus est.

ARTICULUS XXVII.

De enormitate ingratitudineque peccati.

Thren. v, 21. CONVERTE *nos, Domine, ad te, et convertemur; innova dies nostros sicut a principio.* Jam nunc, Domine mi et Deus meus, tua radiante veritate, munificentiam amabilitatemque et item beneficia æternæ tuæ bonitatis, utcumque atque pro viribus contemplatus sum : unde cognovi fassusque sum, quam utique ardenter quamque vehementer te amare obligor, quam tibi reverenter famulari teneor, quam interea indissolubiliter tibi parere et adhærere par est.

Sed ecce dum hæc profunde intueor, conturbat me vita mea; et quæ mihi naturaliter appetibilis est, molesta efficitur. Ex multis quippe rationibus atque circumstantiis, peccati et offensæ pensatur metiturque enormitas : quo enim qui præcipit præstantior sanctiorque exstiterit, quo etiam bona plura contulerit, quo denique qui offendit subjectior esse jure debet, eo (ni fallor) peccatum seu offensa amplioris perhibenda est excessus. Tu autem, o summe legifer, supersublimis præceptor, immensæ dignitatis es et infinitæ sanctitatis. Sed et omne datum optimum, et omne donum perfectum, et universaliter desiderabile omne, ex fontalibus ipsarum tuarum æternalium divitiarum thesauris emanavit. Rursusque nil prorsus justius, nil (ut opinor) naturalius, quam Creatori subesse parereque creaturam. Peccatum ergo omne quo te offendo, sancte Domine, gravissimum nimis ex omni parte consistit : quo te tam præstantissimum Deum deserui, coram tam sancto Domino inique gessi, tam benignum Conditorem inhonoravi, a tam vero immensoque bono aversus sum, præceptori tam excelso non parui, tam largo quoque supereffluentique datori ingratus exstiti, et Salvatorem tam amorosum contempsi.

Is. xxxiii, 22. *Jacob.* i, 17.

O infelix homo, o anima miseranda, o vilis contemptibilisque creatura, o irrationabilibus formis mille millies deterior effecta! Reddidisti malum pro bono. Creavit te bonitas ejus, et ad sui imaginem similitudinemque te plasmavit; tu vero non dilexisti eum : imperium ejus vilipendisti, maluistique irrationabilissimæ tuæ sensualitati ac perverso appetitui quam illius supersanctæ assentire voluntati; plus mundo quam illi placere conata es; præelegisti Omnipotentem offendere, Creatoremque tuum inhonorare, quam proprias immundissimasque tuas voluptates abscindere. O infelix prævaricationis conditio, qua Creator offenditur, dæmoni peccatoque servitur, et æterna pœna meretur! Tanta tibi Dominus tuus bona elargitus est, tot dilectionis suæ reseravit indicia, et demum tam multiformiter semetipsum præstitit atque impendit; et toties recessisti et elongata es ab illo, toties immemor totiesque ingrata exstitisti. Æquasti te dæmonibus, quæ angelis conformanda fueras, et sacræ Trinitatis imago creata es. Ideo contenebrati sunt oculi tui; ideo cecidit corona capitis tui; ideo abominabilis et egena facta es.

Jer. xviii, 20; *Gen.* i, 26, 27.

Thren. v, 17, 16.

ARTICULUS XXVIII.

De singularibus quibusdam circumstantiis peccatum vehementer aggravantibus.

Luc. xii, 47. SERVUS *qui cognovit voluntatem domini sui, et non fecit, plagis vapulabit multis.* Melius enim est justitiæ semitas ignorasse, quam cognitas reliquisse. Sic ego, heu! o misericors et superexaltate Deus, dum te cognovissem, non ut Deum verebar, non venerabar neque dilexi. Hoc, Domine mi et salus mea, iniquitatem

II Petr. ii, 21.

Digitized by Google

meam inæstimabiliter gravat. Me sapientem censebam atque præsumpsi, sublimia de te cum vanitate effabar, et turpissimam sceleratissimamque vitam transegi. Denique iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, et super numerum multiplicatæ sunt. Duxit me quo voluit hostis meus, et eisdem animam vulneribus tam multipliciter vulneravit. Et hoc quoque, o pie Conditor, peccatum nimis onerat : plus nempe repetita vulnera lædunt. Porro, post cœptam salutis viam primitusque sortitam gratiam, denuo prolapsus sum, atque ad inaniorem (proh dolor!) conversationem devolutus.

Ps. xxxvii, 5.

Sed his utique cunctis, ni fallor, miserabilius hoc exsistit, quod nunc quoque dum perdita veni tempora repetere meque abnegare, et item arctissimam altissimæque perfectionis professionem subii atque spopondi, non eatenus ardens sum, ut Deo sublimi et benedicto reverenter serviam, digne complaceam, totaliterque subdar et intendam, quemadmodum olim mundo florere sategi; non sic infatigabiliter sanctitati ut tunc iniquitati studeo, neque taliter virtutibus uti quondam scientiis proficio itemque insisto.

Joann. xix, 2.

Spinis, Domine, sacrum tuum caput pro me pungitur atque coronatur, et ego criminosi mei capitis operimentum rosis, sericis et cingulis diversisque herbarum generibus adornabam. Alba pro me veste indueris et aspernaris, et ego quam valui vestibus culturam pompamque adhibui.

Luc. xxiii, 11.

Ps. xxi, 18.

In cruce ut ossa dinumerari queant expansus es, et vilissimus ego cum inanissima toties vanitate in choreis facinorosa extendere brachia veritus non sum. Tota insuper tua tenerrima virgineaque caro,

Is. liii, 5.

o dulcis Jesu, livore propter me et plagis atque fixuris lacerata est, et ego immundissimum quo circumdor corpus voluptati tam infeliciter subjeci. Verumtamen ne legentis puritatem innocentiamque contaminem, de ceteris interim quibus pollutus sum delictis conticescendum reor, o Deus, in cujus conspectu semper exsisto! Sed ne memineris iniquitatum mearum antiquarum; cito anticipent me, Domine, misericordiæ tuæ, quoniam pauper factus sum nimis.

Ps. lxxviii, 8.

ARTICULUS XXIX.

Quam sit sancto Deo vir justus amabilis, et quam odibilis illi prævaricator consistat.

QUICUMQUE glorificaverit me, glorificabo eum; neque habitabit juxta me *malignus, neque permanebunt injusti ante oculos* meos. Amor omnis (ut opinor) ex similitudine proficiscitur; porro ex dissimilitudine progreditur rancor. Similitudo enim copulat; disgregat autem dissimilitudo, distantiamque inducit. Elucescit itaque, eo supersplendenti supersanctæque illi æternæ menti mentem creatam amabiliorem effici, quo fuerit vehementiorem cum ea similitudinem sortita. Denique, quo dissimilior constituitur, eo utique odibilior exsistit. Justus autem divinæ se legi conformat, summæ rationi credit, et omnipotentis Dei voluntati paret. Impius vero legi peccati substernitur, et a divinæ mentis censura ordineque recedit. At vero qui adhæret Deo, unus spiritus est cum illo; et qui meretrici conjungitur, unum quoque cum ea corpus efficitur. Ideoque Unigenitus Dei discipulos affari orsus : Ego (inquit) in Patre, et vos in me, et ego in vobis.

1 Reg. ii, 30. *Ps.* v, 6.

1 Cor. vi, 17, 16.

Joann. xiv, 20.

Adhuc autem, per operationem vehementissime alteri alter assimilatur. Videtur enim natura omnis transformari in id cujus operationes sectatur atque exercet : unde et jumentis insipiens comparatur. Qui igitur deiformiter vivit, Deo utique simillimus censendus est. Dei vero operatio non nisi contemplatio dilectioque consistunt : nempe æternæ increatæque veritatis agnitio, et incircumscriptæ itemque superpuræ bonitatis amor, Divinitatis (ni fallor) vita est. Hanc autem imitatur pro viribus contemplativus homo.

Ps. xlviii, 13, 21.

Digitized by Google

Quid nempe contemplari, nisi divino illi superexaltato enti sincera amorosaque mente vacare atque intentum consistere? Relictis equidem et ab animo prorsus semotis, nedum sensibilibus, sed omnibus quoque creatis subsistentiis, primo, vero summoque bono contemplator pro viribus pure atque stabiliter insistere molitur. Ideoque veraciter deiformis deificatusque et tanquam quidam deus censendus est. Et ob id Aristoteles, Socratem Platonemque secutus, contemplativum virum amantissimum Deo perhibuit.

Sed quid, o supersublimis omnisque felicitatis fontana origo, sancte Deus, creaturæ a te dignius præstari quibat, quam ut tibi nedum serva sed et amica quoque exsisteret? Quid homini dari valebat præstantius, quam ut Dei Creatorisque sui heres et filius et item amicus constitueretur?

Porro, uti nil amabilius nilque hoc dono appetibilius exstat, sic penitus (ut opinor) nil eatenus horribile odibileque consistit ut tuum inimicum fore. Verumtamen odisti omnes qui operantur iniquitatem. Et maledicti qui declinant a mandatis tuis. Denique, si quis diligit mundum, non est caritas Dei in illo. Etenim si quis voluerit mundi hujus amicus effici, Dei mox inimicus statuetur. Ne, o superpræstantissime supersimplexque Creator, tui (precor) inimicus fiam, ne tua hereditate filialique adoptione destituar; non tibi displiceam, nec te inhonorem, o superdesiderande ac superalme Plasmator. Tibi vero et nunc et in diem æternitatis, sit omnis honor et gloria. Amen.

Ps. v, 7.
Ps. cxviii, 21.
I *Joann.* ii, 15.
Jacob. iv, 4.
II *Petr.* iii, 18.

ARTICULUS XXX.

De immensitate divinæ clementiæ.

Ps. cxliv, 9. SUAVIS *Dominus universis, et miserationes ejus super omnia opera ejus.* Tua quippe, o superstabilis superessentialisque Deus, natura, bonitas est. Proprietas vero tua, miseratio exsistit: proprium enim tibi est, ut fatemur, misereri semper et parcere. Verumtamen justus es, Domine, et rectum judicium tuum. Sed misereris ex propriis, ulcisceris vero ex nostris sceleribus. Tibi namque proprium est et naturale ut te communices, non ut subtrahas. Optimus enim es: porro ab optimo longe omnis invidia parcitasque absistunt.

Ps. cxvii, 137.

Videre autem nequeo quemadmodum tam multipliciter, tam graviter tamque mortaliter delinquenti, sic longanimiter parcere, sic clementer ignoscere, sic etiam (quod incomprehensibilis pietatis opus est) supereffluenter dona tua sacra posses impertiri, ut ubi abundavit peccatum, abundet et gratia, si non utique infinitæ prorsusque incircumscriptæ esses misericordiæ. Tuos nempe benigne prævenis, custodis atque gubernas; omnia eis in bonum cooperari præstas. Annon immensæ clementiæ longanimitatisque es, o superfelix Dominator, qui tot cernis omni hora in tui prospectu scelera perpetrari, nec mox ulcisceris, neque creaturam prævaricantem in nihilum redigis? Quot quotidie in tui fiunt vultus præsentia blasphemiæ et stupra, homicidia et adulteria, rapinæ et furta, et his similia ac graviora, imo utique et quæ nominari fas non est?

Rom. v, 20.
Ibid. viii, 28.

Tangis homicidam et adulterum, fitque eximius vatum; persecutorem atque blasphemum erudis, et vas repente electionis constituitur. Et quis miserationes tuas, o sancte benigneque Conditor, eloqui erit idoneus? Etenim quacumque hora ingemiscit transgressus, jam ad miserationem pronior es quam ad stuppæ inflammationem ignis. Omnium nempe iniquitatum illius confestim oblivisceris. In iniquitatibus alter conceptus est, enutritus, atque usque senium immersus; et tamen sero pœnitenti ignoscis. Sed numquid nisi te clementer præveniente et item inspirante, veraciter quispiam pœnitere convertique poterit?

II *Reg.* xi, 4, 15; xii, 1, 2.
Act. ix, 1-5, 15.
Ezech. xviii, 21, 22.

Digitized by Google

ARTICULUS XXXI.

De horrenda æterni Judicis æquitate.

Hebr. x, 31. HORRENDUM *est incidere in manus Dei viventis.* Ne te, o præclara vivensque Dei imago, deiformis anima, præinducta divinæ naturæ clementia, custodiæ et timoris sanctæque sollicitudinis expertem efficiat, ne te in Dei famulatu negligentem segnemque constituat, divinæ quoque majestatis justitiam paulisper, ut illo donante vales, intuere. Id quippe (ni fallor) in primis tibi elucescit, quod non minus æquitas summi Dei quam ipsius clementia, interminabilis omninoque infinita exsistit : nil namque in supersimplici Deitate est, quod non illi idem atque immensum censendum est. Denique, justitia præclarissima est virtus. Quomodo igitur in supernobili illo principum Principe Ps. CXVIII, 137, 160. fatenda non erit? Justus utique Dominus, et in æternum omnia judicia justitiæ ejus.

Sed profundius adspice, et ex operibus Omnipotentis, ipsius qualis quantaque sit justitia rimari satage. En magnus ille olim Is. XIV, 12. supercœlestis aulæ princeps Lucifer, qui mane oriebatur, de quo sacer ille fari orEzech. XXVIII, 14, 12, 13. sus Ezechiel, Tu Cherub (inquit), signaculum similitudinis, in deliciis paradisi Dei fuisti, omnis lapis pretiosus operimentum tuum : hic tantus, dum mentis tactus arrogantia, corde concepisset et diIs. XIV, 13-15. ceret, In cœlum conscendam, supra astra cœli exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus aquilonis, ascendam super altitudinem nubium, et assimilabor Altissimo; confestim instar fulminis cum suis prolabitur, atque mox dum in eo suisque iniquitas inventa est, æterna irrecuperabilique damnatione plectitur. Annon metuendus est Rex iste, qui tam pulcherrimum phalangæ suæ ducem, tamque illustres supermundani sui palatii milites, ob momentaneam hanc culpam perpetuo et sine spe omni in æternum ejicit, condemnat et cruciat?

A Denique, peccat Protoplastus, et omnis ipsius posteritas culpæ obnoxia fit, et beatitudine itemque originali justitia destituitur. Transgreditur persona, et ipsa mox natura inficitur. Usque in præsens quoque, qui Baptismi migrat expers, cœli nequit beatitudinem sortiri. Quid hac justitia strictius? quid tam arduum? quid sic horrendum? Gen. III, 6; Rom. V, 12.

Proinde, quis agnovit an amore dignus sit an odio? Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit? Ecce gentes quasi stilla situlæ, et quasi nihilum et inane ei reputatæ sunt. Porro quis eatenus erit insensatus et amens, ut sciscitari audeat cur hunc et non illum trahat; cur hunc eligat, illum præsciat; cur Jacob nondum natum dilexit, Esau vero necdum genitum reprobavit? Hic angelicam vitam orditur, et infeliciter finit; alter in primordiis sceleratissime inchoat, et ardentissime feliciterque consummat. Verumtamen Deus fidelis et absque ulla iniquitate, justus et rectus; et ipsius judicia abyssus multa : nempe ob temporalem utique prævaricationem, sempiternus cruciatus et horror reprobos possidet atque deglutit. Eccle. IX, 1. Rom. XI, 34. Is. XL, 15, 17. Rom. IX, 11-13. Deut. XXXII, 4. Ps. XXXV, 7.

ARTICULUS XXXII.

De honore quem Deo altissimo exhibere debet intellectualis creatura.

VIVIT *Dominus, in cujus conspectu sto hodie. Magnum* est *nomen tuum in fortitudine. Quis non timebit te, o Rex gentium?* Tu nempe, Deus, qui glorificaris in concilio Sanctorum, magnus utique et terribilis super omnes qui in circuitu tuo sunt. Quis vero servus in regis sui præsentia consistens, regio audebit mandato protervire? Quis eo jubente, etiam si consideret, parere despiciet? Et tu, universorum Conditor, rex es immensæ majestatis, cujus oculi super omnes vias filiorum hominum semper incessanterque aperti sunt atque intenti. Denique, tu renes III Reg. XVII, 1. Jer. X, 6, 7. Ps. LXXXVIII, 8. Jer. XVI, 17. Apoc. II, 23.

Digitized by Google

Quid nempe contemplari, nisi divino illi superexaltato enti sincera amorosaque mente vacare atque intentum consistere? Relictis equidem et ab animo prorsus semotis, nedum sensibilibus, sed omnibus quoque creatis subsistentiis, primo, vero summoque bono contemplator pro viribus pure atque stabiliter insistere molitur. Ideoque veraciter deiformis deificatusque et tanquam quidam deus censendus est. Et ob id Aristoteles, Socratem Platonemque secutus, contemplativum virum amantissimum Deo perhibuit.

Sed quid, o supersublimis omnisque felicitatis fontana origo, sancte Deus, creaturæ a te dignius præstari quibat, quam ut tibi nedum serva sed et amica quoque exsisteret? Quid homini dari valebat præstantius, quam ut Dei Creatorisque sui heres et filius et item amicus constitueretur?

Porro, uti nil amabilius nilque hoc dono appetibilius exstat, sic penitus (ut opinor) nil eatenus horribile odibileque consistit ut tuum inimicum fore. Verumtamen odisti omnes qui operantur iniquitatem. Et maledicti qui declinant a mandatis tuis. Denique, si quis diligit mundum, non est caritas Dei in illo. Etenim si quis voluerit mundi hujus amicus effici, Dei mox inimicus statuetur. Ne, o superpræstantissime supersimplexque Creator, tui (precor) inimicus fiam, ne tua hereditate filialique adoptione destituar; non tibi displiceam, nec te inhonorem, o superdesiderande ac superalme Plasmator. Tibi vero et nunc et in diem æternitatis, sit omnis honor et gloria. Amen.

Ps. v, 7.
Ps. cxviii, 21.
I *Joann.* ii, 15.
Jacob. iv, 4.
II *Petr.* iii, 18.

ARTICULUS XXX.

De immensitate divinæ clementiæ.

Ps. cxliv, 9. *SUAVIS Dominus universis, et miserationes ejus super omnia opera ejus.* Tua quippe, o superstabilis superessentialisque Deus, natura, bonitas est. Proprietas vero tua, miseratio exsistit: proprium enim tibi est, ut fatemur, misereri semper et parcere. Verumtamen justus es, Domine, et rectum judicium tuum. Sed misereris ex propriis, ulcisceris vero ex nostris sceleribus. Tibi namque proprium est et naturale ut te communices, non ut subtrahas. Optimus enim es: porro ab optimo longe omnis invidia parcitasque absistunt.

Ps. cxviii, 137.

Videre autem nequeo quemadmodum tam multipliciter, tam graviter tamque mortaliter delinquenti, sic longanimiter parcere, sic clementer ignoscere, sic etiam (quod incomprehensibilis pietatis opus est) supereffluenter dona tua sacra posses impertiri, ut ubi abundavit peccatum, abundet et gratia, si non utique infinitæ prorsusque incircumscriptæ esses misericordiæ. Tuos nempe benigne prævenis, custodis atque gubernas; omnia eis in bonum cooperari præstas. Annon immensæ clementiæ longanimitatisque es, o superfelix Dominator, qui tot cernis omni hora in tui prospectu scelera perpetrari, nec mox ulcisceris, neque creaturam prævaricantem in nihilum redigis? Quot quotidie in tui fiunt vultus præsentia blasphemiæ et stupra, homicidia et adulteria, rapinæ et furta, et his similia ac graviora, imo utique et quæ nominari fas non est?

Rom. v, 20.
Ibid. viii, 28.

Tangis homicidam et adulterum, fitque eximius vatum; persecutorem atque blasphemum erudis, et vas repente electionis constituitur. Et quis miserationes tuas, o sancte benigneque Conditor, eloqui erit idoneus? Etenim quacumque hora ingemiscit transgressus, jam ad miserationem pronior es quam ad stuppæ inflammationem ignis. Omnium nempe iniquitatum illius confestim oblivisceris. In iniquitatibus alter conceptus est, enutritus, atque usque senium immersus; et tamen sero pœnitenti ignoscis. Sed numquid nisi te clementer præveniente et item inspirante, veraciter quispiam pœnitere convertique poterit?

II *Reg.* xi, 4, 15; xxiii, 1, 2.
Act. ix, 1-5, 15.
Ezech. xviii, 21, 22.

Digitized by Google

ARTICULUS XXXI.

De horrenda æterni Judicis æquitate.

Hebr. x, 31. HORRENDUM *est incidere in manus Dei viventis.* Ne te, o præclara vivensque Dei imago, deiformis anima, præinducta divinæ naturæ clementia, custodiæ et timoris sanctæque sollicitudinis expertem efficiat, ne te in Dei famulatu negligentem segnemque constituat, divinæ quoque majestatis justitiam paulisper, ut illo donante vales, intuere. Id quippe (ni fallor) in primis tibi elucescit, quod non minus æquitas summi Dei quam ipsius clementia, interminabilis omninoque infinita exsistit : nil namque in supersimplici Deitate est, quod non illi idem atque immensum censendum est. Denique, justitia præclarissima est virtus. Quomodo igitur in supernobili illo principum Principe Ps. CXVIII, 137, 160. fatenda non erit? Justus utique Dominus, et in æternum omnia judicia justitiæ ejus.

Sed profundius adspice, et ex operibus Omnipotentis, ipsius qualis quantaque sit justitia rimari satage. En magnus ille olim Is. XIV, 12. supercœlestis aulæ princeps Lucifer, qui mane oriebatur, de quo sacer ille fari orEzech. XXVIII, 14, 12, 13. sus Ezechiel, Tu Cherub (inquit), signaculum similitudinis, in deliciis paradisi Dei fuisti, omnis lapis pretiosus operimentum tuum : hic tantus, dum mentis tactus arrogantia, corde concepisset et diIs. XIV, 13-15. ceret, In cœlum conscendam, supra astra cœli exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus aquilonis, ascendam super altitudinem nubium, et assimilabor Altissimo; confestim instar fulminis cum suis prolabitur, atque mox dum in eo suisque iniquitas inventa est, æterna irrecuperabilique damnatione plectitur. Annon metuendus est Rex iste, qui tam pulcherrimum phalangæ suæ ducem, tamque illustres supermundani sui palatii milites, ob momentaneam hanc culpam perpetuo et sine spe omni in æternum ejicit, condemnat et cruciat?

A Denique, peccat Protoplastus, et omnis ipsius posteritas culpæ obnoxia fit, et beatitudine itemque originali justitia destituitur. Transgreditur persona, et ipsa mox natura inficitur. Usque in præsens quoque, qui Baptismi migrat expers, cœli nequit beatitudinem sortiri. Quid hac justitia strictius? quid tam arduum? quid sic horrendum? Gen. III, 6; Rom. V, 12.

Proinde, quis agnovit an amore dignus sit an odio? Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit? Eccle. IX, 1. Rom. XI, 34.

B Ecce gentes quasi stilla situlæ, et quasi nihilum et inane ei reputatæ sunt. Porro quis eatenus erit insensatus et amens, ut sciscitari audeat cur hunc et non illum trahat; cur hunc eligat, illum præsciat; cur Jacob nondum natum dilexit, Esau vero necdum genitum reprobavit? Hic angelicam vitam orditur, et infeliciter finit; alter in primordiis sceleratissime inchoat, et ardentissime feliciterque consummat. Verumtamen Deus fidelis et absque ulla iniquitate, justus et rectus; et Is. XL, 15, 17. Rom. IX, 11-13. Deut. XXXII, 4.

C ipsius judicia abyssus multa : nempe ob temporalem utique prævaricationem, sempiternus cruciatus et horror reprobos possidet atque deglutit. Ps. XXXV, 7.

ARTICULUS XXXII.

De honore quem Deo altissimo exhibere debet intellectualis creatura.

VIVIT *Dominus, in cujus conspectu sto hodie. Magnum* est *nomen tuum* III Reg. XVII, 1. Jer. X, 6, 7.

D *in fortitudine. Quis non timebit te, o Rex gentium?* Tu nempe, Deus, qui glorificaris in concilio Sanctorum, magnus utique et terribilis super omnes qui in circuitu tuo sunt. Quis vero servus in regis sui præsentia consistens, regio audebit mandato protervire? Quis eo jubente, etiam si consideret, parere despiciet? Et tu, universorum Conditor, rex es immensæ majestatis, cujus oculi super omnes vias filiorum hominum semper incessanterque aperti sunt atque intenti. Denique, tu renes Ps. LXXXVIII, 8. Jer. XVI, 17. Apoc. II, 23.

Digitized by Google

Hebr. IV, 13. scrutaris et corda; neque invisibilis tibi est omnis creatura. Igitur qui peccat, te spectante, parere tibi despicit, illucque se convertit quo eum converti prohibes : peccare quippe non aliud (opinor) est, quam mentis a te vero stabilique bono aversio. Vehementer igitur te, qui transgreditur, inhonorat : præsertim autem, si te cuncta cernere noscat. Magna prorsus recte justeque vivendi necessitas nobis id exsistit, quod in cuncta cernentis Judicis prospectu universa agimus semperque subsistimus. Ideoque, o anima, si omnia ab alto spectantem Deum vere honorare æstuas, divinum illum pro viribus Eliam

III *Reg.* XVII, 1. assequere, dicque cum illo : Vivit Dominus, in cujus conspectu sto hodie. Pudeat eo cernente agere quod coram hominibus non faceres.

Adhuc autem, quum eatenus unumquodque amabile sit itemque honorabile, quantum de bonitate sortitum fuerit; constat (fateor) hunc singularissimo colendum honore principem, qui omnis bonitatis fons est, et universæ nobilitatis fontana ratio, qui etiam solus vere perfecteque bonus exsistit.

Denique, nil amabile, nullius appetenda scientia, nil prorsus optandum, nisi in ordine ad illum. Est enim idem ordo eademque habitudo rerum et scientiarum, bonorum quoque et amabilium. Unde utique rerum naturalium et creatarum scientia appetenda exquirendaque est, sed in ordine ad divinam theoriam; et qui id reprobat, sensibilium etiam usum redarguere potest : qui tamen utique nedum licitus est, sed et necessarius, prout per eum ad spiritualia juvamur.

Porro, quum Deus tuus, o anima, cujus te semper vultus conspicit atque considerat, immensæ sanctitatis sit, infinitæque bonitatis et majestatis incircumscriptæ; cujus nobilitas præstantissima est; qui iniquitatem tam inexcogitabiliter odit; qui tot quoque bona, ut dinumerari comprehendique nequeant, elargitus est; cui

Dan. VII, 10 millia millium sanctorum angelorum tam paratis mentibus parent atque ministrant, et item decies centena millia supercœlestium animorum, omnis quoque militia supermundanorum civium tam reverenter adsistunt, sic alacriter jubilant, tamque indesinenter intenta sunt: hinc eis semper quibus vales viribus enitere, ut ob reverentiam dilectionemque ejus præsentiæ mens coram eo digne honesteque occupata sit, et ut cor in eum conversum sit ac stabile, et ejus sanctitatem semper et ubique honores. Maledictus nempe qui opus *Jer.* XLVIII, 10. Dei negligenter efficit. Alacriter igitur ardenterque et cum omni mentis custodia ipsi famulari atque adsistere par est. Denique ad eum semper reducenda ac coram ipso discutienda est mens vagabunda.

ARTICULUS XXXIII.

De glorificatione corporum.

SALVATOREM exspectamus Jesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ. *Philipp.* III, 20, 21. Dum humanorum corporum vilitates miseriasque quas ex natura adepta sunt contemplor, dotes quoque insuper et gloriam quas demum ex gratia sortitura sunt revolvo; in admiratione beneficiorum tuorum et in supereffluentis tuæ munificentiæ consideratione tabesco, omninoque deficio, o superexcelse Creator, superbone et adorande Domine. Jam quippe passibilia sunt et gravia, grossa et obscura; sed electis denuo animabus unita, immortalia erunt et agilia, clara quoque atque subtilia. Non sic in virtute sol splendet, quemadmodum tunc Beatorum splendebunt resumpta corpora. Denique, uti animæ saturabitur appetitus, sic corpus agile erit, ut animæ repente pareat, et subtile, quo cuncta penetret, et celerrime quo placuerit feratur.

Verumtamen, ut omnia electis in gloriam beatitudinemque proveniant, atque in sensibilibus a felicibus hominibus visi-

Digitized by Google

biliter experimentaliterque quodammodo agnoscaris, o summe et potens Conditor, sol quoque, luna et sidera, orbes etiam et elementa ampliori a te splendore puritateque vehementiori venustabuntur. *Is.* xxx, 26. Erit quippe lux lunæ ut lux solis, et lux solis septempliciter. Elementa insuper splendida atque decora, et totius fæcis maculæque expertia erunt. Splendebit (fatemur) ut aurum terra, aqua ut crystallus, ut cœlum aer, atque ut cœli astra ignis. *Apoc.* x, 6. Porro tempus amplius non erit, sed nec *Sap.* III, 7. cœlorum motus. Sed fulgebunt justi, et tanquam scintillæ in arundineto discurrent : corpore enim et animo perfectam plenamque beatitudinem sortiti, incessabili securitate suavissimaque pace et superjucundissima Deitatis contemplatione saturabuntur atque fruentur. Indissolubilis illic concordia et ardentissimus amor, supersplendens societas ordinatissimaque multitudo, lux indeficiens et æternus dies, avida saturitas semperque satur appetitus : et ut ad plenum dicam, omnium ibi aderit desiderabilium affluentia, et cum divina voluntate incomprehensibilis conformitas perennisque consensus.

Cujus nos beatitudinis consortes, o Dei Unigenite, precamur ut efficias, qui cum Patre et Sancto Spiritu, una es Deitas, una natura, unus intellectus unaque voluntas, unus omnium fons gratiarum, et omnis creaturæ principium indivisum : cui cum æterno omnipotentique Patre, almo quoque ac adorando Paracleto, infinita exsistit felicitas, gaudium immensum, pulchritudo incircumscripta, et honor indeficiens. Amen.

FINIS TRACTATULI DE MUNIFICENTIA ET BENEFICIIS DEI.

Digitized by Google

Digitized by Google

DE LAUDIBUS DEI

Digitized by Google

Digitized by Google

DE

LAUDIBUS DEI

Laus Dei ut bonus.

Matth. XIX, 17; *Marc.* X, 18; *Luc.* XVIII, 19.

TU, Domine Deus noster, naturaliter bonus es, et tua natura vere laudatur bonitas pura.

Tu solus per essentiam bonus, qui non aliunde nec per participationem bonus consistis.

Denique, talis et tanta est bonitas tua, ut nullus bonus nisi tu solus, o Deus sublimis, verax et gloriosus.

Omnem bonitatem bonitas tua in infinitum excedit, et ab ea omne bonum profluxit atque dependet.

Tua, Deus æterne, bonitas est immensa, exemplaris, fontalis, plena et incommixta.

O Deus excelse! tu bonum perfectum, intellectuale, immateriale, superbeatum.

Quumque tua natura sit bonitas idealis, in se subsistens et separata, necesse est ut bonitatis essentia sit in te nullatenus minorata.

Tu bonum summum ac verum quod omnia appetunt, sine quo nec in momento subsistere queunt.

Quemadmodum, Domine Deus noster, es incomparabiliter bonus, sic præ omnibus in infinitum desiderandus, atque amandus es solus.

Bonitatem tuam, sancte Deus, ubique diffundis, nec quidquam in universo ejus participatione expers relinquis.

Tuæ bonitatis communicatione a rebus paulisper subtracta, nil appetibilitatis habet aut retinet omnis creata essentia.

A O Bonitas increata, mundissima atque bonifica, omnem prorsus malitiam repelle semper ab anima nostra.

In bonitatis affectum viscera animæ nostræ totis medullis transmuta, mentem gratiosam virtuosamque præsta, omni propulsata tabescente invidia.

Tibi namque connaturale est radios bonitatis liberaliter impertiri, quemadmodum luci splendorem diffundere, et fonti rivulos scaturire.

Benedicta et gloriosa sit jugiter bonitas B tua, o Deus altissime, simplex et æterne, cui omnis debetur honor, virtus et gloria. Amen.

Laus Dei ut ens.

DOMINE Deus noster, tu ens increatum, primum, altissimum; ens vero incausatum, fontanum et omnium productivum.

Tibi esse tam vere ac proprie competit, ut Moyses nomen tuum interrogans, a te responsum tale acceperit : Ego sum qui *Exod.* III, 13, 14.
C sum; hæc dices filiis Israel : Qui est, misit me ad vos. Hoc dixisti, Emmanuel.

O Esse divinum, Esse purum, in te subsistens ac separatum, tibi nihil de non esse, nihil de imperfecto esse, est admixtum.

Tu tanquam pelagus infinitum, omnem essendi nobilitatem excellentissime contines; et quidquid ad entis eminentiam pertinet, superplenissime comprehendis.

Tu solus esse verum, plenum, immen-

Digitized by Google

sum, cujus comparatione, omnis creatura secundum se, est tanquam vanum et nihilum. *Is.* XL, 17.

A te ordine quodam omnibus derivatum est esse, nec sine tua conservatione continua potest aliquid in universo consistere. *Sap.* XI, 26.

Adorandum et superexaltatum est esse tuum æternum, omni utique reverentia honorandum, et incessabilibus hymnis laudandum.

Ecce, Domine, coram te tanquam nihil est esse substantiæ meæ; sed tu illud gratiosissime perfice, et tibi fac supernaturaliter simile.

Omne non esse, id est peccatum, indesinenter aufer a me; sicque magnifica atque entifica esse meum in te, princeps et fons totius essentiæ.

Te cuncta entia digne honorent, tibi soli omne bonum et esse adscribant, gloriamque et honorem tibi Deo trino ac simplici condecenter exhibeant.

Laus Dei ut vivens.

Te Deum æternum, magnum et benedictum, totius vitæ jugiter confitemur fontale principium.

Tu vivens et vita, Creator excelse, cui idem est essentia et esse, vita ac vivere. *Apoc.* I, 18; *Deut.* XXX, 20; *Joann.* XIV, 6.

Tu simplicissima, intellectualis et actualissima vita, cui omnis perfectio vitæ cum plenitudine competit infinita.

Tuum vivere est intelligere et amare, ad intra gignere et spirare, creare et justificare, transsubstantiare et remunerare, totique insuper universo auctoritative ac libere præsidere.

O Deitas adoranda, hæc est tua pura, sancta ac nobilissima vita : tuæ æternæ veritatis superjucunda contemplatio, et tuæ immensæ bonitatis superfervens dilectio.

Tuam vitam veram ac summe superbeatam fatemur; imo hanc ipsam supervoluptuosissimam atque immensæ jucunditatis certissime intuemur : cujus dulcedo et pax, quies et puritas omnem sensum exsuperant, et vere infinitæ consistunt. *Philipp.* IV, 7.

Tu, Deus benedicte, substantialiter atque totaliter vita es, cujus esse, est vivere actualitatis et perfectionis immensæ.

A te fluit vita naturæ, vita gratiæ vitaque gloriæ; a te universæ mentes angelicæ intellectualem deiformemque vitam participant copiose.

A te rationalem vitam participat homo, sensitivam bruta, vegetativam arbusta.

O splendidissime fons vitæ, Deitas adoranda, cujus vitalis exuberantia est vivendi plenitudo intensive infinita, vitam naturæ orna in nobis vita gratiæ; et hanc ad vitam gloriæ, Deus piissime, condigneris perducere.

Animam nostram cœlestibus semper donis vivifica, caritatis ardoribus stimula, et sanctis operibus incessabiliter renova.

Spiritualem in nobis vitam jugiter perfice, Deus Trinitas, cui hymnus, virtus et gloria sine fine. Amen.

Laus Dei ut sapiens.

Tu, Deus gloriose, mens simplicissima, immaterialis invisibilisque consistis; tu honoratissimus intellectus, lucidissimus oculus, animus sanctus, omnium intuitivus esse cognosceris. I *Tim.* I, 17.

O Mens idealis, separata, omnium formativa, in te superessentialiter invariabiliterque subsistens, adoranda, nequaquam finita! *Malach.* III, 6.

In te idem sunt, esse et intelligere, sapientia et essentia, intelligens, res intellecta, potentia, actus, objectum, intelligibilis forma.

Intelligere enim est tibi natura, Deus fortis, sanctus et immortalis, qui propriam per essentiam te ipsum et cetera cuncta, in fine simplicitatis intelligis. I *Reg.* II, 2; I *Tim.* VI, 16; I, 17.

Tu sapientia increata, æterna, exemplaris, fontalis, omnium prospectiva.

Digitized by Google

Tuum conspectum, Domine Deus, nihil evadit; tuæ sapientiæ finis aut numerus non consistit. *Ps.* CXLVII, 5.

Infinita cognoscis, et in ipso æternitatis momento universa invariabiliter, quasi præsentialiter conspicis.

Ea quoque quæ non sunt, et infinita quæ nec sunt, nec fuerunt, nec erunt, simplicis visionis intelligentia te cernere theologi sancti dixerunt.

Omnis a te sapientia, omnis scientia, omnis notitia fluxit; et quidquid intellectualis perfectionis in creatis est mentibus, sapientia tua efficiendo induxit. *Eccli.* I, 1.

O Sapientia aliunde non recepta, omnium illuminativa, a nullo illuminata!

Te abyssalem prorsusque incomprehensibilem et ignotam asserimus; te tibi soli plene et comprehensive cognitam, mente fideli sentimus.

Tu ars prima et causalissima, rationibus plena; mens ideis refulgens, exemplaris omnium causa.

Tua sapientia respectu creaturarum, vocatur scientia; providentia quoque vocatur, prout concernit regenda.

Insuper, respectu electorum, prædestinatio dicitur; respectu vero reproborum, præscientia communiter nominatur.

Hominum gressus, cogitatus et verba, affectiones quoque et opera indesinenter adspicis, o supersapiens Mens divina.

Temporalia, sensibilia, variabilia atque corporea, intemporaliter, insensibiliter, invariabiliter immaterialiterque cognoscis, mens summa.

Omnem angelicum spiritum intellectuali luce pulchrificas, radiisque sapientiæ radiose perfundis, et supernaturali beatifica illustratione liberalissime imples.

Corda humana clementer illustras, doces et dirigis; eademque angelica eruditione confortare et custodire non desinis.

Tu solus sapiens, o Deus excelse; et stultus factus est homo reputatione scientiæ propriæ, imo et cæcus comparatione sapientiæ tuæ. *Jer.* X, 14.

Tua natura, Domine Deus, est in se subsistens splendidissima sapientia : in qua idealiter refulgent clarissime entia universa.

Corda nostra benignissime illumina; tentationum, errorum et vitiorum tenebras fuga, gratiarumque lumina in nobis perfice quotidie, et in finem conserva.

Donis sapientiæ et intellectus, consilii et fortitudinis, corda nostra semper implere dignetur Spiritus Sanctus.

Tibi, o Mens divina, Deus simplex, Trinitas benedicta, honor et gloria, virtus, magnificentia, beatitudo, imperium, hymnus, lætitiaque immensa. Amen.

Laus Dei ut verus et veritas.

Tu, Domine Deus noster, solus es verus Deus; tibi dumtaxat deitatis natura seu deitas vera competit penitus.

Tu verus et veritas prima perfecta, quoniam tuæ naturæ ad intellectum tuum est adæquatio summa.

Tu omnis veritatis secundæ causa fontana, exemplaris, finalis et effectiva; origo idealis, idea æternalis, infallibilis regula, sapientialis mensura.

Tanta est, Deus æterne, tuæ naturæ et veritatis firmitas, plenitudo et fixio, ut ejus respectu omne creatum vocetur mendax et vanitas, simile nihilo. *Ps.* CXV, 11; *Rom.* III, 4.

Sicut ab uno vultu, in diversis speculis imagines multæ resplendent; sic ab una veritate tua æterna, diversæ in creaturis veritates derivantur atque refulgent.

Et sicut in uno speculo, diversarum facierum relucent imagines; sic in una veritate tua divina, omnium creaturarum resplendent exemplariter veritates.

Tu triplicem veritatem in creaturis produxisti, o Domine : veritatem vitæ, veritatem doctrinæ, et item veritatem justitiæ.

Sed et veritas rei veritasque sermonis, nonne effectus sunt tuæ superbenedictæ incommutabilis veritatis?

Quidquid intellectus tuus de rebus cen-

Digitized by Google

set et asserit, hoc prorsus de necessitate vere sic est eisque competit.

Joann. XVII, 17. Sermo tuus, sancte Creator, est veritas; *Ps.* CXVIII, 160. et principium verborum tuorum rite dicitur veritas.

Prov. VI, 16, 17. Hinc omne mendacium tua æquitas detestatur; et omne falsum, tibi, Veritas summa, Deus omnipotens, contrariatur.

Job XXXVI, 13. Simulatores quoque et callidi tuam contra se iracundiam provocant; duplices *Prov.* VIII, 13. animo et bilingues, tibi, simplicissime Deus, odibiles exstant.

Porro, corda sincera atque simplicia diligis; mentes veritatis zelo ferventes et veraciter se habentes, amplecteris.

Veritatis tuæ splendore, animarum nostrarum intima pie semper et copiose perfunde; omnem autem hypocrisim, falsitatem et calliditatem, a nobis in æternum, sincerissime Deus, repelle.

Veritate vitæ, doctrinæ atque justitiæ nos decora, ut reverenter a nobis incessabiliter honoreris, Deitas superexaltata.

Tibi, o Veritas exemplaris, æterna, Trinitas adoranda, omnis honor, gloria, hymnus, virtus, lætitia.

Tua enim sempiterna invariabilisque essentia, est veritas per se subsistens, mundissima, supersubstantialis, cujus pulchritudo et claritas est penitus infinita.

Te omnis creatura toto semper conatu honoret, quam nullus digne honorare aut colere valet.

Laus Dei ut unus et unitas.

Deut. XXXII, 39; *Is.* XLV, 5. Domine Deus noster, tu unus et solus es Deus, neque est præter te aut extra te Deus.

Tu unitas simplicissima, prima ac summa : quam entium multitudo participat quodam ordine tota.

Universa enim rerum pluralitas, te ordinante, ad unitatem reducitur; atque ad te unitatem fontalem, universorum ordo revertitur, sistit, finitur.

Quumque sit pluralitas principum mala, te unum et solum omnium esse regem ac dispositorem, exigit gubernatio bona.

Quidquid præter te, Domine Deus noster, non inaniter deus vocatur, a te divinam proprietatem eminentemque perfectionem sortitur.

Omnes dii gentium dæmonia, in quibus nec salus, nec numen, nec gratia; pereuntque corda illos colentia. *Ps.* XCV, 5.

Universi qui participative dii vocantur, in tua potestate consistunt, tibi prorsus subjecti sunt, et a tua majestate in infinitum occumbunt.

Tu unum quod solum necessarium perhibetur, quod ab omni intellectu bene disposito summe amatur et colitur, atque finaliter desideratur. *Luc.* X, 42.

Mentem nostram unifica, ut tibi intenta sit tota, nec vaga distrahatur per multa.

Unus tecum spiritus fiat, tibi sincere ac fervide vacet, omnesque affectiones suas in te ordinatas semper possideat.

Tibi soli cultus latriæ impendatur, te solum omne sæculum Deum confiteatur, tibi totum quod sum cum ingenti reverentia famuletur. Amen.

Laus Dei ut omnipotens.

Tibi, Deus sublimis et benedicte, idem est esse et posse, et tua essentia, est tua potentia in plena identitate.

Quemadmodum enim tua essentia est illimitata atque immensa, sic tua potentia vere est infinita, omnipotens, incontracta.

Tibi nec impossibile neque difficile est omne verbum; nec potes in tot vel tanta, quin posses in infinities plura atque majora. *Jer.* XXXII, 17; *Luc.* I, 37.

Quidquid contradictionem non implicat, potes : imo absolute omnia potes, quoniam cuicumque ratio entis non obviat, potes.

Tu propria potestate es dominans, a qua est omnis potestas emanans : cujus comparatione censetur infirma, omnis creata potentia.

Digitized by Google

Esther XIII, 9. Domine, rector omnipotens, in ditione A tua cuncta sunt collocata : quæ solo nutu, per absolutam tuam potentiam, posses in nihilum redigere universa.

Tibi soli competit creare, legem, naturam et ordinem rerum instituere, atque supernaturaliter et miraculose solo imperio agere.

Omnipotentiam tuam parcendo et miserendo præsertim declaras : qui quamvis sis præclarus in magnis, mirabilia tamen magnificentius agis in minimis.

Hebr. I, 3. Tu orbem tua virtute sustentas, verbo B virtutis tuæ omnia portas ; ad tuum imperium contremiscit et paret omnis potestas.

Non est qui tibi queat resistere ; nec potest, cui suffragari dignaris, perire.

Non est tibi difficilius facere atque extendere cœlum, quam arboris folium, qui in nihilo condidisti, collocasti et contines universum.

Omnipotentiam tuam in nobis clementer ostende, nostramque fragilitatem atque C insufficientiam incessabiliter confirma et *Philipp.* IV, 13. perfice, ut omnia in te nos confortante potentes, inveniamur tibi perseveranter atque alacriter obsequentes.

Da carni et proprio animo fortiter dominari, mundo quoque ac dæmoni victorialiter reluctari.

Tibi Deo omnipotenti, trino ac simplici, omnis honor, hymnus et gloria. Tibi condigne ministret devoteque psallat omnis rationalis creatura. Amen.

Laus Dei ut pulcher.

Te universæ pulchritudinis fontem, Domine Deus noster, vere laudamus ; te omnis ornatus et speciositatis primum principium, supergloriose Creator, digne asserimus.

Tu in te ipso pulcher es, imo pulcherrimus ipse ; et tua essentia, pulchritudo est supersubstantialis, in se subsistens, separata ac idealis.

A te omnis pulchritudo creata distat ac deficit in immensum : quoniam pulchritudo tua est penitus infinita, invisibilis, immaterialis, decorativaque omnium.

Tibi idem est esse et pulchrum esse. Hinc tuæ pulchritudinis comparatione, omne pulchrum creatum, est velut nullius momenti atque deforme.

Rite supersplendidissima pulchritudo tu diceris, qui substantialiter sapientia, veritas, lux, sanctitas esse cognosceris.

Quum pulchrum dicatur quod visum B oblectat, et in spiritualibus pulchrum vocetur quod in operatione sua ordinate et convenienter se habet, tu Deus vere ac propriissime pulcher dicendus es.

Tuæ namque essentiæ visio, visui intellectuali delectabilissima est censenda ; et actio tua est tibi convenientissima, inordinatione carens et sancta.

Nil tenebrositatis, defectibilitatis aut commixtionis invenitur in te, Domine sancte, Creator omnipotens, Deus æterne, sublimis et benedicte.

Quid enim sapientia clarius, quid veritate et æquitate splendidius, quid luce sincerius, quid sanctitate et caritate venustius ?

Quum ergo sapientiæ, veritatis, æquitatis, lucis, sanctitatis et caritatis tuæ nullus sit finis, constat quod pulchritudinis tuæ, o superfelix, desiderabilissime Deus, nullus sit terminus.

Pulchritudinem tuam non tantum sol et luna, sed omnis quoque angelicus spiritus admiratur ; et quidquid decoris in D eis est, a te fontaliter derivatur, dependet et conservatur.

Pulchritudinem tuam omnes electi optant summo affectu prospicere, in cujus visione palam est omnium Beatorum beatitudinem summam consistere.

Te videndo satiari non valent, atque de tui decoris intuitu, ineffabiliter et inavertibiliter sine fastidio gaudent.

Tu pulcher es in te ipso, Domine Deus noster, qui soli, lunæ et stellis lucem et speciem indidisti ; cœlis quoque, ele-

Digitized by Google

mentis et mixtis, quidquid decoris habent dedisti.

Verum parum est hoc, quoniam invisibilibus et intellectualibus creaturis pulchritudinem nimis eminentiorem largitus es, angelicis scilicet mentibus et humanis.

Tu ad intuendum desiderabilissimus delectabilissimusque consistis; et justum ut te videre per speciem ardentissime affectemus, qui mentibus puris te ipsum libenter ostendis.

Pulchritudinem tuam, Domine Deus, universa participant : qua subtracta, omnis decor et species mundi in nihil mox caderent.

Animas nostras ab omni culpabili deformitate semper emunda, gratiæ et donorum Spiritus Sancti decore adorna, internæque reformationis speciositate sine fine pulchrifica.

Tibi mente purgata pulchriformiter ministremus; tibi laudem, virtutem, honorem et gloriam, sancta Trinitas, incessabiliter immolemus. Amen.

Laus Dei ut perfectus.

Te solum, Domine Deus noster, ens absolute perfectum fatemur : quoniam tua perfectio extra et supra omne genus est, quam simpliciter illimitatam reveremur.

Quidquid tibi inest aut competit, cum infinita plenitudine tibi competit : hinc omnis nobilitas cum infinita excellentia tibi veraciter convenit.

Quidquid absolute loquendo melius dignius que est inesse quam deesse, tibi sine termino perfectionis, et sine limite excellentiæ, confitemur inesse.

In te ergo et tu sapientia illimitata, sanctitas infinita, beatitudo immensa, justitia plena, pax suavissima, dulcedo interminata, et quidquid præstantius est (simpliciter fando) esse quam non esse, Deitas superaltissima.

Tuæ perfectionis respectu, omnis nostra perfectio defectio est; nec potest se aliquid inaniter arbitrari, qui in conspectu tuo se statuit atque perpendit.

Tu solus, Domine Deus, de propriis gaudes divitiis, qui non aliunde perfectionem sortitus es, sed ex te ipso substantialiter quomodolibetque perfectus consistis.

Hinc nulla tibi usquequaque imperfectio potest competere, quum agnoscamus imperfectum nil esse nisi in quantum a propriæ perfectionis elongatum est fonte.

Nihilo minus tuam perfectionem imitari a te ipso jubemur, ut per gratiam, quod tu es per naturam, esse, o Deus superglorioso, conemur.

Perfice ergo nos, Domine Deus noster altissime; et imperfectum nostrum non despicias, Conditor benedicte, sed restaures ac salves, Dominator æterne.

Tibi quidquid perfectionis habemus, humili semper corde adscribamus; in te dumtaxat gaudeamus, tibi gloriam et honorem jugiter, sancta Trinitas, offeramus.

Da, Christe, implere quod præcipis : Estote perfecti quemadmodum Pater vester cœlestis; et rursus : Perfectus et absque macula cum Domino Deo tuo eris. *Matth.* v, 48. *Deut.* xviii, 13.

Tibi, Trinitas supergaudiosissima, simplicissime Deus, honor, potestas, felicitas, conditor, gubernator glorificatorque meus. Amen.

Laus Dei ut simplex.

Summæ, puræ ac infinitæ simplicitatis es, Deus excelse : hinc quidquid in te est, Deus est; et quidquid habes, hoc es, præter quod de te dicitur relative, reali ad intra relatione.

Quum compositio signum sit indigentiæ, non potest in te ente perfecto compositio qualiscumque locum habere.

Tu enim in tuo purissimo esse, omnem nobilitatem et perfectionem excellentissime et simplicissime comprehendis : idcirco nullius additamento compositioneve indiges.

Digitized by Google

Simplicissimus es, quia simpliciter primus omniumque principium : hinc constat te simplicissimam unitatem esse supra ordinem universorum.

Non est enim in te materia limitans, nec differentia contrahens, neque potentialitas ulla determinans.

Tu ergo es incorporalis et immaterialis, insensibilis, intemporalis et illocalis.

Tu nec corpus, nec virtus in corpore, nec corporis virtus, nec virtus corporea, Deus sanctissime.

Denique tu actus purus, in quo non est modorum diversitas, sed mera et vera superineffabilisque identitas.

Tanta est tuæ supersanctæ naturæ simplicitas, Deus sublimis, ut ejus comparatione asseratur materialis atque compositus etiam angelicus spiritus : est nempe in eo et in re omni creata, *quo est* et *quod est*, seu actus et potentia.

Quo creata ejusdem ordinis amplius a te distant, eo compositiora redduntur; et quo tibi plus appropinquant, eo simpliciora esse noscuntur.

Simplicitas tua, Domine, perfectionis et formæ est, per exclusionem totius indigentiæ : quoniam in se opulentissima exstans, nec eget, nec valet perfici aliunde.

Tu itaque in te ipso super omnia, superessentialiter incommixtibiliterque subsistis; ideoque per propriam puritatem ab universis, summe Deus, distingueris.

Corda nostra simplifica, ne in caducis sint vagabunda; sed a carnalibus et vanis abstracta, in te recollecta exstent et fixa.

Actionum nostrarum pluritas ordinetur et simplificetur in te, ut omnia semper rite fiant finaliter propter te, Domine Deus beatitudinis nostræ.

Ad te simplicissimum Creatorem sit semper mentis nostræ conversio; in te omnis ejus sit intentio, occupatio, beatitudo.

Te, Deus æterne, tota virtute laudet, honoret, glorificet, quem hymnus, gratiarum actio, adoratio omnisque sancta veneratio decet. Amen.

Laus Dei ut infinitus.

Infinitum te esse, Domine Deus noster, humiliter confitemur; quodque infinitas sit tibi intrinseca, propria, prima proprietas, cum gaudio profitemur.

Hæc tua, Deus, benedicta infinitas, non extensive nec materialiter est sumenda, sed intensive atque formaliter esse censetur in tua supersancta natura.

Tuam namque essentiam, quæ simplicissima forma est, immediate consequitur. Hinc quidquid tibi inest aut competit, cum perfectione intensive infinita tibi adscribitur.

Infinitæ itaque perfectionis, et eminentiæ quomodolibet illimitatæ, est tua essentia, tua sapientia, dulcedo, vita, delectatio, pulchritudo, sanctitas, pietas, justitia atque munditia.

Tu cuncta in essentia, potestate et perfectione in infinitum excedis; et tuo respectu omne quod citra te est, velut punctum est ac tenuissimus pulvis. *Is.* XL, 15.

Hæc tua est, sancte Creator, excellentia propria tibi : ad quam proportionem non habet creatura quæcumque, quasi naturaliter similis ei.

Omnes virtutes finitæ, pendentes sunt per te primum et infinitum, qui es incircumscriptibile bonum, virtus virtutum, dans omnibus fulcimentum.

In numero, pondere, mensura, omnia constituisti; sicque creata tibi assimilasti, quod omnibus in omni dignitate in infinitum præstantior permansisti. *Sap.* XI, 21.

Supra omnem legem ac ordinem rerum subsistis; tu tibi es locus, quoniam in te ipso sic es, quod nullo loco concluderis.

Tu ante machinam mundi es, non solus, post eam, non præventus; supra eam, non elatus, infra eam, non oppressus; in ea, non inclusus, extra eam, non exclusus.

Tua, Domine Deus, infinitas, tuæ perfectionis est interminabilitas, tua illimita-

Digitized by Google

bilis dignitas, incircumscripta indefinibilisque nobilitas.

Cui omnis angelicæ creaturæ sublimitas cum profunda humilitate inclinatur et subditur, tibi, Deitas sancta, Trinitasque immensa, omnis hymnus, honor, virtus, gloria debetur. Amen.

Laus Dei ut felix.

PLENA et infinita est tua, o Deus sublimis, beatitudo, qui universæ beatitudinis es fontana origo summaque ratio.

Est namque in te omnium bonorum, pulchrorum ac desiderabilium immensa possessio, in te omnium divitiarum opulentissima prorsus fruitio in ipso æternitatis momento.

Tibi, incommutabilis Deus, substantialiter idem est esse et esse beatum : idcirco felicitas tua vere est simplicissima, gaudiumque intensive immensum.

Tu enim, superbeatissime Deus, de connaturalibus et propriis gloriaris divitiis; tu omnium perfectionum decore et exsultatione interminabiliter plenus consistis.

Tu solus te ipsum plenarie comprehendis ac diligis, omnemque pulchritudinem, perfectionem et excellentiam, in te cum æterna et infinita delectatione intueris.

Te ipsum contemplans, infinitæ dulcedinis gustu lætaris; estque pacis, quietis et dilectionis tuæ sapor internus, immensa suavitas.

Conspicis omnia tibi subjecta, et a tua perfectione in infinitum occumbere; cernis te solum tibi ex te, in te et per te, omnino sufficere.

Tibi proprium est in te ipso licite gloriari, omnemque gloriandi rationem essentialiter continere.

Nil quippe aliunde sortitus es, et quidquid dignius est adesse quam deesse, in te ipso cum infinita plenitudine vides.

Tua, Deus colende, felicitas est voluptuosissima atque purissima, nobilissima, æterna, sanctissima : cujus est fruitio superdulcissima.

Quidquid ad beatitudinis plenitudinem pertinet, conspicis te cum infinita excellentia possidere : imo et ea in quibus terrena et falsa beatitudo reponitur, tu veraciter habes cum incomparabili perfectione.

Pro divitiis siquidem omnimodam sufficientiam habes; pro voluptate, gaudium de te ac tuis operibus possides.

Pro potestate habes omnipotentiam; pro fama, omnium creaturarum admirationem ac laudem; pro activa insuper felicitate, totius mundi gubernationem.

Vides te ipsum infinite perfectum, opulentissimum, superpulcherrimum, omnibus præsidentem, cunctis in infinitum eminentem, ex te ipso altissimum.

Hinc gaudio penitus infinito in te ipso plenus consistis; et quidquid sanctæ delectationis, felicitatis aut suavitatis in rebus creatis est, a tua beatitudine datum est eis.

Futuræ felicitatis dulcem quamdam præ libationem, infundis sæpius in corda tuorum satagentium aspernari carnalem et vanam delectationem.

Ab omni nos tandem miseria eripe, ab omni peccato nos jugiter dilue, de hac valle lacrimarum nos transfer ad beatitudinem patriæ.

Cœlestis felicitatis gustum in nobis nunc incipe, ut gustemus quam dulcis es, Domine : cui honor, majestas, decus et gloria sine fine. Amen. *I Petr.* II. 3.

Laus Dei ut incommutabilis.

TU, Deus, qui non mutaris, nec minorari nec perfici vales, transmutationi et vicissitudinis obumbrationi nequaquam subjiceris. *Malach.* III. 6. *Jacob.* I. 17.

Solus perfectam atque omnimodam habes immortalitatem, quoniam solus es id ipsum, nullam suscipiens variabilitatem. *I Tim.* VI. 16.

Nil novum, nil vetus in te; nulla inceptio, nulla desitio reperitur in te.

Digitized by Google

Incommutabilis manens, variabilia temporaliaque fecisti; immobilis perseverans, omnia moveri dedisti.

Tu æternaliter in optima tui ipsius dispositione subsistis; et stabilis manens, cuncta creata ac variabilia sapientissime regis.

Tua incommutabilitate totus sensibilis mundus incorruptibiliter manet; tu actus purus, cujus natura prorsus inalterabilis æternaliter perseverat.

Cunctis mortalibus præfixisti periodum, qui solus universorum, æternus immensusque permanens, instituisti terminum.

Tuæ stabilitatis respectu, mutabilis fertur omnis creatura, angelica quoque natura, quæ quidquid firmitatis immortalitatisque habet, a te suscepit, o Bonitas pura.

Instabilitatem et evagationem cordis a nobis tu remove, cor virtuosum in bonis firmatum tribue, Deus Trinitas : cui hymnus, adoratio, virtus, gloria sine fine. Amen.

Laus Dei ut volens et liber.

VOLUNTATEM tibi immobilis complacentiæ, Deus noster, adscribimus; voluntatem autem imperfectionis seu desiderii tibi competere non sentimus.

Tua voluntas est summa, prima atque liberrima : quæ esse non potest irrationabilis neque injusta.

Ipsa enim substantialiter est sapientia tua æterna, æquitas plena, justitia consummata, omnis æquitatis justissima atque certissima regula.

Tuæ voluntatis immediatum propriumque objectum est bonitas tua immensa : idcirco te solum necessario amas, et vis libere cetera.

1 Tim. II, 4. Voluntate antecedente omnia vis salvari; porro voluntate consequente, quæ semper impletur, sola prædestinata vis felicitari.

In hoc voluntatis tuæ omnipotentia patet, quod in universo quidquid voluisti, et sicut voluisti, fecisti. *Ps.* CXXXIV, 6; *Job* XXIII, 13.

Voluntati tuæ non est qui queat resistere; ejusque imperio opus est omnem naturam creatam ad nutum parere. *Esther* XIII, 9.

Omnia secundum propositum voluntatis tuæ plasmasti, et tuæ voluntatis non potest omnifarie ratio assignari. *Ephes.* I, 11.

Tua bonitas est tibi ratio appetendi diligendique alia; nec aliud exstat tua voluntas quam divina essentia.

Non est in te recens volitio nec volendi mutatio; sed tuæ voluntatis est immensa dilectio, infinita delectatio, interminabilis beatitudo.

Omnis voluntas, affectio atque libertas, a tua imperscrutabili voluntate manavit, o superbenedicta Divinitas.

Causa tui es, ad nihil dependens nullique obligata : idcirco liberrime operaris quæ facis, et libere creasti universa.

Omne bonum honestum approbat, sancte Deus, tua voluntas; omneque vitium detestatur tua invariabilis æquitas.

Quidquid extra et contra tuæ voluntatis et æquitatis ordinem desideratur, amatur aut quæritur, inordinate appetitur.

Talis demum voluntas merito nuncupatur rebellis, privata et propria : quam summe detestatur omnis veraciter religiosus, cujus est abnegare se ipsum per omnia. *Luc.* IX, 23.

Tuum esse, tuum est velle; et idem est rem fieri te volente teque agente.

Quidquid tu, Deus omnipotens, in tempore produxisti, tunc et taliter produxisti quemadmodum ab æterno voluisti et decrevisti : idcirco incommutabilis permansisti in omnibus quæ fecisti.

Fiat semper voluntas tua in terra, ut quemadmodum tibi obedit angelica celsitudo in patria, sic pareat tibi fragilitas nostra in via. *Matth.* VI, 10.

Tuam in omnibus, Domine, voluntatem laudemus, adoremus et glorificemus; tibi trino ac simplici Deo magnificentiam,

Digitized by Google

bilis dignitas, incircumscripta indefinibilisque nobilitas.

Cui omnis angelicæ creaturæ sublimitas cum profunda humilitate inclinatur et subditur, tibi, Deitas sancta, Trinitasque immensa, omnis hymnus, honor, virtus, gloria debetur. Amen.

Laus Dei ut felix.

Plena et infinita est tua, o Deus sublimis, beatitudo, qui universæ beatitudinis es fontana origo summaque ratio.

Est namque in te omnium bonorum, pulchrorum ac desiderabilium immensa possessio, in te omnium divitiarum opulentissima prorsus fruitio in ipso æternitatis momento.

Tibi, incommutabilis Deus, substantialiter idem est esse et esse beatum : idcirco felicitas tua vere est simplicissima, gaudiumque intensive immensum.

Tu enim, superbeatissime Deus, de connaturalibus et propriis gloriaris divitiis; tu omnium perfectionum decore et exsultatione interminabiliter plenus consistis.

Tu solus te ipsum plenarie comprehendis ac diligis, omnemque pulchritudinem, perfectionem et excellentiam, in te cum æterna et infinita delectatione intueris.

Te ipsum contemplans, infinitæ dulcedinis gustu lætaris; estque pacis, quietis et dilectionis tuæ sapor internus, immensa suavitas.

Conspicis omnia tibi subjecta, et a tua perfectione in infinitum occumbere; cernis te solum tibi ex te, in te et per te, omnino sufficere.

Tibi proprium est in te ipso licite gloriari, omnemque gloriandi rationem essentialiter continere.

Nil quippe aliunde sortitus es, et quidquid dignius est adesse quam deesse, in te ipso cum infinita plenitudine vides.

Tua, Deus colende, felicitas est voluptuosissima atque purissima, nobilissima, æterna, sanctissima : cujus est fruitio superdulcissima.

Quidquid ad beatitudinis plenitudinem pertinet, conspicis te cum infinita excellentia possidere : imo et ea in quibus terrena et falsa beatitudo reponitur, tu veraciter habes cum incomparabili perfectione.

Pro divitiis siquidem omnimodam sufficientiam habes; pro voluptate, gaudium de te ac tuis operibus possides.

Pro potestate habes omnipotentiam; pro fama, omnium creaturarum admirationem ac laudem; pro activa insuper felicitate, totius mundi gubernationem.

Vides te ipsum infinite perfectum, opulentissimum, superpulcherrimum, omnibus præsidentem, cunctis in infinitum eminentem, ex te ipso altissimum.

Hinc gaudio penitus infinito in te ipso plenus consistis; et quidquid sanctæ delectationis, felicitatis aut suavitatis in rebus creatis est, a tua beatitudine datum est eis.

Futuræ felicitatis dulcem quamdam prælibationem, infundis sæpius in corda tuorum satagentium aspernari carnalem et vanam delectationem.

Ab omni nos tandem miseria eripe, ab omni peccato nos jugiter dilue, de hac valle lacrimarum nos transfer ad beatitudinem patriæ.

Cœlestis felicitatis gustum in nobis nunc incipe, ut gustemus quam dulcis es, Domine : cui honor, majestas, decus et gloria sine fine. Amen. *I Petr.* II, 3.

Laus Dei ut incommutabilis.

Tu, Deus, qui non mutaris, nec minorari nec perfici vales, transmutationi et vicissitudinis obumbrationi nequaquam subjiceris. *Malach.* III, 6. *Jacob.* I, 17.

Solus perfectam atque omnimodam habes immortalitatem, quoniam solus es id ipsum, nullam suscipiens variabilitatem. *I Tim.* VI, 16.

Nil novum, nil vetus in te; nulla inceptio, nulla desitio reperitur in te.

Digitized by Google

Incommutabilis manens, variabilia temporaliaque fecisti; immobilis perseverans, omnia moveri dedisti.

Tu æternaliter in optima tui ipsius dispositione subsistis; et stabilis manens, cuncta creata ac variabilia sapientissime regis.

Tua incommutabilitate totus sensibilis mundus incorruptibiliter manet; tu actus purus, cujus natura prorsus inalterabilis æternaliter perseverat.

Cunctis mortalibus præfixisti periodum, qui solus universorum, æternus immensusque permanens, instituisti terminum.

Tuæ stabilitatis respectu, mutabilis fertur omnis creatura, angelica quoque natura, quæ quidquid firmitatis immortalitatisque habet, a te suscepit, o Bonitas pura.

Instabilitatem et evagationem cordis a nobis tu remove, cor virtuosum in bonis firmatum tribue, Deus Trinitas : cui hymnus, adoratio, virtus, gloria sine fine. Amen.

Laus Dei ut volens et liber.

VOLUNTATEM tibi immobilis complacentiæ, Deus noster, adscribimus; voluntatem autem imperfectionis seu desiderii tibi competere non sentimus.

Tua voluntas est summa, prima atque liberrima : quæ esse non potest irrationabilis neque injusta.

Ipsa enim substantialiter est sapientia tua æterna, æquitas plena, justitia consummata, omnis æquitatis justissima atque certissima regula.

Tuæ voluntatis immediatum propriumque objectum est bonitas tua immensa : idcirco te solum necessario amas, et vis libere cetera.

I Tim. II, 4. Voluntate antecedente omnia vis salvari; porro voluntate consequente, quæ semper impletur, sola prædestinata vis felicitari.

In hoc voluntatis tuæ omnipotentia patet, quod in universo quidquid voluisti, et sicut voluisti, fecisti. *Ps.* CXXXIV, 6; *Job* XXIII, 13.

Voluntati tuæ non est qui queat resistere; ejusque imperio opus est omnem naturam creatam ad nutum parere. *Esther* XIII, 9.

Omnia secundum propositum voluntatis tuæ plasmasti, et tuæ voluntatis non potest omnifarie ratio assignari. *Ephes.* I, 11.

Tua bonitas est tibi ratio appetendi diligendique alia; nec aliud exstat tua voluntas quam divina essentia.

Non est in te recens volitio nec volendi mutatio; sed tuæ voluntatis est immensa dilectio, infinita delectatio, interminabilis beatitudo.

Omnis voluntas, affectio atque libertas, a tua imperscrutabili voluntate manavit, o superbenedicta Divinitas.

Causa tui es, ad nihil dependens nullique obligata : idcirco liberrime operaris quæ facis, et libere creasti universa.

Omne bonum honestum approbat, sancte Deus, tua voluntas; omneque vitium detestatur tua invariabilis æquitas.

Quidquid extra et contra tuæ voluntatis et æquitatis ordinem desideratur, amatur aut quæritur, inordinate appetitur.

Talis demum voluntas merito nuncupatur rebellis, privata et propria : quam summe detestatur omnis veraciter religiosus, cujus est abnegare se ipsum per omnia. *Luc.* IX, 23.

Tuum esse, tuum est velle; et idem est rem fieri te volente teque agente.

Quidquid tu, Deus omnipotens, in tempore produxisti, tunc et taliter produxisti quemadmodum ab æterno voluisti et decrevisti : idcirco incommutabilis permansisti in omnibus quæ fecisti.

Fiat semper voluntas tua in terra, ut quemadmodum tibi obedit angelica celsitudo in patria, sic pareat tibi fragilitas nostra in via. *Matth.* VI, 10.

Tuam in omnibus, Domine, voluntatem laudemus, adoremus et glorificemus; tibi trino ac simplici Deo magnificentiam,

Digitized by Google

gloriam et honorem jugiter immolemus. A

Gratiarum actio sempiterna sit tibi, voluntas divina, pro omni bono quod in universo fecisti, causa prima, sapientialis et sancta atque liberrima. Amen.

Laus Dei ut sanctus.

Tu solus, Domine Deus noster, essentialiter sanctus es; et tua sanctitas est tua superbenedicta essentia, rerum omnium plastes.

Tu enim, Domine Deus omnipotens, B es sanctitas in te subsistens, pura et separata, universæ puritatis, virtutis ac perfectionis substantialiter ac simplicissime contentiva.

Tu quippe lux viva, intellectualis, mundissima, in qua esse non valet materialitas aut defectuositas ulla.

In te nulla impura affectio, sed divina, ordinatissima, splendidissima, superfervens dilectio.

In te quoque contemplatio affectuosa, verissima, cui nulla nescientia, fallibilitas C aut incompletio est admixta.

Rite ac propriissime, Domine Deus altissime, sanctus vocaris, quum universaliter sis totius boni, virtuosi, honesti, exemplar, origo et finis.

In te peccatum cadere nequit, quoniam aliud tibi finis nequaquam consistit, sed tu tibi es finis, qui non ad aliud ordinaris.

Non autem contingit peccare, nisi per recessum a te omnium entium ultimo fine. D

Tua sanctitas est vere omnino immensa, quum non sit aliud quam divina essentia superpurissima simpliciterque perfecta.

Sanctus es, Domine Deus noster, in te ipso, sanctus in opere tuo, nec est tui reprehensio ullo modo.

Tuæ sanctitatis respectu, nedum hominum, sed insuper angelorum sanctitas puritasque occumbit; et quantumcumque quis sanctus sit, si tuam sanctitatem perpenderit, se defectuosum proclamat atque profunde humiliat.

Cordis sanctimoniam requiris ac diligis, et sanctitati digne jugiterque intentos, tibi familiares et item carissimos efficis.

Tu, Deus magne et juste, omnis es sanctitatis fontana origo, omnisque munditiæ, primordialis, finalis ac honorabilissima ratio.

Tu solus peccata dimittis, et de immundo conceptum semine, mundum constituis. *Marc.* II, 7. *Job* XIV, 4.

Omnem in æternum a nobis culpæ maculam dele, et quidquid sanctitatem tollit mentalem, da præcavere.

Da sanctum affectum, animum purum, intellectum deiformiter radiosum, ut hujus sæculi incolatu completo, tibi indilate uniamur in beatitudinis regno.

Tuæ sanctitati, Deus Trinitas, pura semper veneratio exhibeatur; tibi in sanctitate et justitia omnis homo cum ingenti reverentia obsequatur. Amen. *Luc.* I, 74. 75.

Laus Dei ut justus.

Justus es, Deus omnipotens, et universis quod justum est reddens.

In omni opere tuo justitia et pietas admiscentur; dumque injustis misereris ac subvenis, ex parte tua justum esse censetur.

Tanta quippe est bonitas tua, Deitas benedicta, ut justum sit eam miseris quoque et indignis influere gratiæ dona.

Justus es, Deus altissime, ad te ipsum, quia quod tibi debetur, requiris ab universitate angelorum ac hominum, ut scilicet tuum in omnibus servent præceptum.

Denique gloriam tuam non tribuis aliis, nec laudem tuam communicas, summe Deus, sculptilibus. *Is.* XLII, 8.

Sed tibi ipsi et gloriam et honorem finaliter vis impendi, tibique soli latriæ cultum præcipis exhiberi.

Spernis insuper omnes a tuis justitiis *Ps.* CXVIII, 118.

Digitized by Google

discedentes, quoniam justus es et odis ju- A stitiam odientes.

Justus es quoque ad alios, jubens observari justitiam inter eos.

Nil boni impræmiatum relinquis, nil
Job XXIV, 12. mali inultum permittis.

Omni intellectuali creaturæ facis finaliter justum judicium; et sicut angelis in casu et prima conversione ad te, sic hominibus in morte das præmium consummatum.

Eccle. XI,3. Ubicumque namque ceciderit lignum, ibi erit; et in qua quis dispositione seu B statu vitam finierit, in illa te judice æternaliter permanebit.

Infinita est, Deus tremende, sempiterna æquitas tua; nec aliquid penitus inordinatum deseris in universa creatura.

Inordinationem equidem culpæ ordinas per tormenta justitiæ, ut qui contra tuam voluntatem suæ immoderanter voluntati indulsit, contra suam voluntatem a tua voluntate pœnam sustineat.

Rom. XI,33. Incomprehensibilis est in multis, Domine, tua justitia; et tua judicia, Deus C
Ps. XXXV,7. pavende et recte, dicuntur abyssus multa.

Nil sine justa ratione permittis aut
Deut. X,17; etc. facis; nullum vi opprimis, nec personam tu accipis.

Ps. CXLV,7. Injuriam patientibus tu facis judicium, nec de injustitia calumniari te potest quisquam viventium.

Sap. XII,16. Tua etenim virtus, justitiæ exstat initium; omnisque legis et æquitatis tu mensura es, regula atque principium.

Intellectualibus creaturis, sapientissime Deus, synderesim impressisti; præcepta D legesque rectissimas mentibus rationalibus inscripsisti.

Da nobis tibi semper in vera justitia famulari, zelo justitiæ ordinate accendi, recta quoque cum salutari scientia operari.

Tibi Deo justissimo omnis semper virtus et æquitas adscribatur; tibi virtus, honor et gloria, Deus Trinitas, jugiter offeratur. Amen.

Laus Dei ut misericors.

Te Dominum Deum nostrum naturaliter, vere ac proprie misericordem, pium, benignum, tota docet sacra Scriptura consistere.

Adeo pronus es ad miserendum, ut quocumque momento peccator fuderit gemi- *Ezech.* tum cordialem, mox sortiatur a te indul- XVIII,21,22. gentiam salutarem.

Ex connaturali tibi bonitate, consubstantiali atque congenea proprietate, convenit tibi, clementissime Deus, misereri, subvenire ac parcere; ulcisci autem, damnare et perdere, est velut peregrinum a te: quan- *Is.* XXVIII, quam hæc agas, malitia nostra exigente. 21.

Alienum hoc opus tuum, Deus piissime; opem vero clementiæ impertiri, proprium tibi est et connaturale.

Ex propria bonitate sumis unde nobis misericordiam tuam impendas; ex nostra vero pravitate accipis unde rigorem æquitatis et pœnas infligas.

Tu misericors in natura, miserator in opere, patiens, mitis, longanimis, sciens fragilitatem nostræ substantiæ.

Hæc tibi conveniunt non secundum passionis affectum, sed operis veritatem: quia incommutabilem habens naturam, nescis passionum immutationem.

Misericordiam nobis præsertim commendas; misericordibus beatitudinem re- *Matth.* V, promittis, eisque misereri singulariter 7. pronus consistis.

Præterea miserationes tuæ super omnia *Ps.* CXLIV, opera tua: abundant enim in tuis effecti- 9. bus, maxime nunc in via.

Inæstimabilis prorsusque incomprehensibilis et immensa est misericordia tua: aliter te ferre aut salvari quomodo fragilitas nostra posset?

Nunc vero, quoniam te supermisericordissimum noscimus, Deus pie, dulcis et mitis, desperare non possumus.

Quin imo, cum ingenti fiducia semper speramus, teque propter misericordiam tuam toto corde laudamus atque ardenter diligimus.

Digitized by Google

Mille modis misericordiam tuam, Conditor universorum, fecisti et indesinenter facis nobiscum, Rex omnium sæculorum.

Quotidie parcis, ignoscis et sanas; differs, succurris, salvas ac benignissime agis.

Matth. v, 45. Solem facis oriri pluviamque descendere super bonos et malos; semper quoque paratus es reconciliari et gratiam dare, si quod in nobis est fecerimus nos.

Zach. i, 3. Præterea incessanter invitas nos ut con-
Joann. xv, 14, 15. vertamur ad te, tuique amici ac filii efficiamur, suscipiendo dona munificentiæ tuæ.

O ineffabilis et admiranda et superglorificanda nostri misericordia Creatoris! Non obliviscamur, sed mente gratissima jugiter recordemur viscerum misericordiæ nostri Salvatoris.

Da nobis mentem piam, clementem, suavem, opera misericordiæ idonee exercentem, et omnibus ignoscentem.

Tibi pietatis misericordissimo fonti, Deo trino ac simplici, gratiarum actio, honor, beatitudo et gloria duratione perenni. Amen.

Laus Dei ut amans.

Deut. IV, 24. I *Joann.* IV, 8. Tu, Domine Deus noster, ignis vocaris, spiritualis, non materialis, qui caritas nuncuparis.

Tu namque, Deus benedicte et verax, vitiorum consumis rubiginem, ad superna elevas mentem, et sanctæ dilectionis infundis ardorem.

Tu substantialiter amor et caritas appellaris, tu ignis innocue ardens, qui pro justitia ardentissime æmularis.

Divinus amor non te dereliquit sine germine esse, sed ex amore tuo gratuito, universa cognoscimus te creasse.

Tuam voluisti bonitatem ex amore entibus communicare; nil proprium tibi reservas, te totum communicas, qui nec reprobis cessas dona naturæ et bona fortunæ præstare.

Cuncta quoque reducis in te atque in esse conservas, qui omnia quæ fecisti, *Sap.* XI, 25. naturali quadam dilectione, quantum ad id quod ex te sunt, amas.

Te creaturas diligere, est te eis bonum velle; ea demum quibus majus vis bonum, amplius diligis, quum nihilo minus tua dilectio una in se sit, simplex et immutabilis.

Qui manet in dilectione, vivit per gra- *Joann.* XIV, 21, 23; I *Joann.* IV, 16. tiam, et manet in te; tu quoque habitas in eo, Deus, dulcissime immorator, custos hospesque animæ.

Quum multæ tibi adscribantur virtutes, quanto magis caritas, quæ omnium est regina virtutum, imperialiter movens ac dirigens eas?

Sicut voluntas ita et dilectio competit tibi, qui omnia amas, quoniam tuæ in aliquo assimilata sunt bonitati.

Tu ros ardens roransque ardor, cujus ad te ipsum dilectionis immensus est fervor.

Tu ardentissimus amor, infinitæ caritatis calore amans te ipsum, et inter creata plus diligens meliora, præsertim si in bonitate persistant in sæculum.

Omnis boni causa in nobis amor est tuus, qui incomprehensibilis gloriæ bona *Is.* LXIV, 4; I *Cor.* II, 9. præparavit electis in cœlis.

Tuæ dilectioni semper referamus gratias; tuæ sanctæ dilectionis flamma nos, Deus omnipotens, ignias.

Tua nos caritate succensos trahe ad te, ut omnia transcendendo, mox perducamur ad beatitudinem patriæ.

Caritatem in nobis tu ordina; da proximorum vere diligere corda; da jugiter in caritatis concrescere flamma.

Tuæ dilectioni gratiarum actio sit æterna, honor, hymnus, potestas et adoratio per sæcula infinita. Amen.

Laus Dei ut æternus.

Tu solus æternus es, Deus præclare, a quo ad nihil dependente scimus omnia emanare.

Digitized by Google

In te interminabilis vitæ tota simul et perfecta possessio; in te invariabilitas plena, omni carens causali principio.

Non itur in entibus in infinitum : oportet ergo esse ens primum, increatum, summum, æternum : quod tu es, Domine
Ps. XLIX, 1. Deus noster, Deus deorum.

Tua æternitas est deitas tua; ante te mille et innumerabiles anni, velut momentum ac dies præterita.

Omnes differentias temporis tua æternitas comprehendit; omni tempori coadsistit, quamvis in se inextensa atque invariabilis perseveret.

In eodem nunc simplicissimo subsistis æternitatis momento, in quo ante mundi productionem subsistebas, Deus altissime, in te ipso.

Fuisse, esse et fore te dicimus; verum
Ps. CI, 28. tu idem ipse es, quem in incommutabili præsentia esse nequaquam ambigimus.

Tu tempus ab ævo et ævum ab æterno prodire jussisti, qui in exordio sæculorum entibus certas durationis mensuras dedisti, itemque inferioribus periodos subsistentiæ præfixisti.

Ad tuæ æternitatis participationem nos in patria promove; a temporalibus ad amorem et contemplationem æternorum nos erige; et in his omni nos hora, Deus beatissime, gratiosissime perfice.

Apoc. VII, 12. Tibi summæ Trinitati, Deo æterno, benedictio, claritas, sapientia, gratiarum actio; tibi in æternum sit honor, virtus et fortitudo. Amen.

Laus Dei ut incomprehensibilis et ineffabilis.

Joann. I, 18. Te Deum nemo vidit unquam per speciem in vita præsenti, nec videre potest vivendo vita sensitiva, humana ac naturali.

Tu quippe lux infinita, cujus actualitas atque perfectio est penitus incircumscripta.

Idcirco omnis creatæ mentis capacitatem in infinitum excedis; nec ab intellectu nisi infinito, utique a te ipso, comprehensive cognosceris.

Denique, quum nullam causam ante te habeas, plene sciri non vales, quum scire sit rem per causam cognoscere, juxta philosophiam.

Tanta est quoque tua simplicitas, ut omnem rationis indagationem excedas.

Quis enim capere queat quomodo tibi idem sit esse, posse et agere, quum multa agas libere, necessarium vero omnimode sit tuum esse?

Latibulum tuum ponis, o Domine, tene- *Ps.* XVII, 12.
bras, qui inaccessibilem lucem inhabitas. 1 *Tim.* VI, 16.
Ipsa quidem tuæ incomprehensibilis lucis invisibilis infinitaque claritas, est latibulum tuum, quod divinam caliginem appellamus et tenebras : quas constat excedere mentes angelicas.

Quumque per positionem et ablationem possis nobis jam aliqualiter notificari, melius per omnium entium abnegationem novimus te laudari, describi et explicari.

Hoc ergo est te Deum adorandum vere cognoscere, te supersubstantialem supersubstantialiter per omnium rerum ablationem extollere.

Nil enim tibi et creaturis univoce competit; et omne creatum, a natura tua ac plenitudine infinite distat ac deficit.

Melius itaque scimus quid non sis, quam quid sis : imo quid sis ignorantes, quia sis, certissime noscimus.

Tuam superbenedictam, æternam, abysalem essentiam, nullus valet sentire aut opinari, imaginari, comprehendere, definire, scrutari, aut digne effari.

Verum, sicut te aliquo modo per rationem et fidem cognoscimus, ita te, prout reverentialius possumus, certis nominibus designamus.

Rem vero ac Deitatem per nomina talia designatam ignoramus, quoad ejus essentiam gloriosam et superexaltatam.

Merito itaque, Domine, scrutator maje- *Prov.* XXV, 27.
statis tuæ opprimetur a gloria; præsum-

Digitized by Google

ptuosusque est qui immoderanter nititur penetrare, discutere aut tractare divina.

Ex creaturarum ordinibus et naturis te naturaliter contemplamur; per fidem vero, in Scripturis ac supernaturalibus effectibus sublimius speculamur.

Quemadmodum enim effectus causam quodammodo repræsentat, sic qualis sis tu, Creator omnipotens, in universo aliquo modo relucet.

Quid enim est creatura, nisi radius Creatoris? et quid totus rerum ordo, natura et lex, nisi scala ad notitiam Conditoris?

Erige nos, incomprehensibilis Deus, ad gloriosam tuæ essentiæ contemplationem; fac nos te fide radiosa speculari per supernaturalem illustrationem.

Apoc. IV, 11. Dignus es, Domine Deus noster, accipere honorem, gloriam et virtutem: quem digne laudare non possumus, propter tuæ majestatis immensitatem. Amen.

Laus Dei ut excellens.

Tu, Domine Deus noster, cunctis solus es in infinitum sublimior, Dominator altissime, superfelix Creator, omnipotensque Salvator.

Incomparabiliter minus universum mare excedit minutissimam guttam in quantitate, quam tua majestas universa creata, in omni perfectione, felicitate et nobilitate.

Nil simile tibi nisi per deficientem imitationem; parem autem non habes neque contrarium, sed rebellem per inobeditionem.

Eccli. XLIII, 33. Major es omni præconio, omni contemplatione, veneratione, cultu et voto.

Nec tibi se potest tam profunde humiliterque subjicere aliqua creatura ut dignum est, tuæ majestatis respectu, Deitas supergloriosa, simplex et pura.

Omnis namque angelicæ naturæ sublimitas, tua nobilitate inferior est per innumeras perfectionum distantias.

Possent enim inter tuam superincomprehensibilem essentiam, summamque angelicæ speciei personam, innumerabiles angelorum species creari per tuam infinitam potentiam: nihilo minus a tua perfectione occumberent atque distarent in infinitum universæ.

Da nobis tuam excellentiam sinceriter contemplari, ferventer diligere, reverentialiter venerari, jugiter quoque eidem sollicite deservire, ut ipsa nos angelicæ excellentiæ parilitate dignetur vestire.

Tibi, Deus Trinitas, excellentissimo Principi, Regi altissimo, summa et singularissima veneratio debetur, quæ dicitur adoratio. Amen.

Laus Dei ut idea atque exemplar.

Tu, Domine Deus noster, mens sapientissima appellaris; tu omnia per intellectum in sapientia distincte et infallibiliter operaris.

Tu operis tui rationem vides et concipis in te ipso, qui nihil producis a casu neque fortuito.

Quumque sis auctor rerum primus, æternus, simplex et incommutabilis, operum tuorum rationes ideales exemplaresque formas, a priori seu aliunde non suscipis.

Sed ipsa tua superpulchra divina essentia ut imitabilis a te ipso intellecta, entium est exemplar, ratio, species et idea.

Omnium nempe perfectiones in se simplicissime comprehendit, omnia repræsentat, omnium causativa consistit.

Et quoniam universa distincte cognoscis, propriisque rationibus ordinate producis, plures in te confitemur exemplares rationes atque ideas: quas tuæ simplicitati ac unitati non derogare asserimus.

Pluralitas namque est per respectum ad ideata; in te vero identitas permanet atque simplicitas inviolata.

Hæ ideæ in te, o Deus benedicte, sunt lux, vita et veritas; suntque cognoscendi

Digitized by Google

ac producendi principium omnes creatas essentias.

Hæ mentis tuæ æternæ, consempiternæ, stabiles invariabilesque ideæ, sunt principales formæ, tuæ intelligentiæ luce contentæ.

Secundum has formatur quidquid oritur et occumbit, quum ipsæ nec oriantur nec occidant, sed increatæ consistant.

Tanta in his ponitur vis ideis, ut sapiens esse nullus queat nisi cognitis eis.

Sine his nemo salvatur, nihil creatur, conservatur aut gubernatur.

Ipsæ sunt mundus archetypus tuæ mentis divinæ, et tanquam sincerissimi fontes omnis naturæ creatæ mundialisque machinæ.

Per ideas competit tibi agere efficienter, per exemplar formaliter, per rationem vero finaliter.

In te ergo sicut in effectivo principio ponuntur ideæ ; exemplar, tanquam in causa formali formante ; rationes, sicut in causa finali omnia ad finem congruum ordinante.

Harum idealium rationum virtute nos, Deus noster, illustra et salva, ut tibi a nobis æternaliter impendatur omnis honor et gloria. Amen.

Laus Dei ut providentiam habens.

Tibi sapientissimo atque liberrimo omnium rerum opifici, competit totius providentia sæculi et gubernatio universi.

Job xxxiv, 13. Nec enim alium constituisti super machinam mundialem in principem ; nec aliquem qui pura sit creatura præfecisti universo in regem ac provisorem.

Nihilo minus corporalia per spirituales regis substantias ; ecclesiasticamque hierarchiam per angelicam tu, summe Deus, gubernas.

Exsecutio quippe regiminis competit quibus hoc commisisti, tibi vero fontana dispositio gubernandi, qui et superiora per te ipsum immediate regere decrevisti.

Tu principalis, primus, universalis et exemplaris es gubernator, ad quem cetera gubernantia tanquam instrumenta ad artificem comparantur, o sancte Creator.

Tu solus per auctoritatem et propriam sapientiam omnibus provides, qui varios tibi substituis dominatores, ministerialiter principantes.

Non est enim potestas nisi a te : qui secundum hominum merita sæpe tribuis principes ; qui propter regendorum peccata, præsidere concedis hypocritas. *Rom.* xiii, 1. *Job* xxxiv, 30.

Tu quædam sic regis, ut a suo nunquam deficiant fine nec errent ; quædam vero sic regis, ut interdum fallant, fallantur, deficiant, peccent et pereant.

Singula enim secundum suas naturas gubernas ; nec gubernatis necessitatem imponis, qui naturales rerum proprietates salvas, non tollis.

Hinc a fine usque ad finem attingens diceris, omniaque suaviter disponere, Deus sapientissime, perhiberis. *Sap.* viii, 1.

Sic summa, cœlestia, immortalia et intellectualia regis, quod inferiora, terrena, irrationalia atque mortalia oblivioni non tradis.

Tu enim jumentis das escam ; et veneunt quinque passeres dipondio, quorum nec unus in oblivionem cadit coram te Domino Deo altissimo. *Ps.* cxlvi, 9. *Luc.* xii, 6.

Hominum multo amplius curas et inspicis actus : imo omnes eorum ponderas cogitatus, et numeras gressus. *Job* xiv, 16; xxxi, 4.

Magna nobis indicta est timoráte vivendi necessitas, quum coram te Judice metuendo totus vitæ nostræ agatur processus.

Tua nos, Deus omnipotens, in cunctis providentia dirigat ; ipsa nos roboret, et a ruina, damnatione periculisque custodiat.

Te providissimum esse gubernatorem, uniformis ac stabilis gubernatio mundi testatur.

Tibi laus, virtus, honor et gloria de optimo fabricæ mundialis regimine æternaliter tribuatur. Amen.

Digitized by Google

Laus Dei ut prædestinator et reprobator.

Sicut in ordine universorum intellectualis creatura primatum sortitur, sic a te, juste, sancte sapiensque Creator, eminentius gubernatur, singulariter quoque curatur.

Hinc quantum ad eam, tua providentia prædestinatio dicitur : unde providentiæ pars quædam prædestinatio ipsa asseritur.

Tu enim, superbone ac liberalissime Deus, propter supernaturalem finem eam plasmasti ; tu ad tuæ essentiæ claram immediatamque visionem fruitivam, eam plasmasti.

Non enim contenta erat tua superpurissima bonitas ad naturalem finem eam deducere ; nec tibi suffecit naturalibus eam bonis ac perfectionibus decorare.

Porro ad supernaturalem beatitudinem, nequit creatura rationalis propriis viribus aut naturalibus pertingere donis ; sed supernaturali tuo auxilio et ope indiget gratiæ, per quæ supernaturalem finem valeat, summe Deus, attingere.

Rom. viii, 30. Hos itaque ab æterno diceris prædestinasse, quos ad hunc finem dignatus es ordinasse, ac media gratiæ eis ad pertingendum necessaria præparasse.

Est enim prædestinatio, præordinatio quorumdam ad gloriam, miserendi quoque propositum, et præparatio gratiæ in præsenti et gloriæ in futuro, o Deus rex omnium.

Verum non omnes præordinasti sic ad vitam beatam, volens in quibusdam tuam, inscrutabilis Deus, relucere justitiam.

Prov. xvi, 4. *Ps.* lxxxviii, 8. Omnia equidem propter te ipsum operatus es, Domine Deus, magnus atque terribilis : quatenus tua perfectio resplenderet in entibus, ad tui gloriam nominis.

Misericordia autem et veritas, tuæ sunt naturæ eximiæ perfectiones : idcirco in quibusdam misericordiam, in ceteris vero tuam declarare justitiam decernebas.

Rom. ix, 21-23. Fecisti ergo vasa misericordiæ, fecisti et vasa iræ, Plasmator altissime : in cujus manu omnes sunt, ut in manu figuli lutum, Conditor metuende.

Hoc tuum secretum judicium, venerandum fatemur, non discutiendum, qui cujus vis misereris, et quem vis induras ac deseris in æternum. *Rom.* ix, 18.

Nemo venit ad te nisi traxeris eum : qui quem vis, trahis clementer, et quem vis, deseris juste et in ævum. *Joann.* vi, 44.

Misericors es in quem tibi placuerit, rigorosus es in quem propter sua peccata vindicare libuerit. *Exod.* xxxiii, 19.

Bonitatem tuam itaque in prædestinatis laudamus ; severitatem tuam in reprobis formidamus. *Rom.* xi, 22.

Elegisti quos prædestinasti : quos sine eorum meritis ad vitam gloriæ præparasti. *Ibid.* viii, 30.

Hæc prædestinatio liber est vitæ : qui est memoria atque conscriptio electorum tuorum in notitia mentis tuæ divinæ.

O quam beati sunt, Domine Deus noster, quos elegisti ! Quidquid interim patiantur, vere felices sunt quos in libro tuo scripsisti. *Ps.* lxiv, 5.

Jube nos in electorum tuorum collegio numerari ; a reproborum consortio præsta nos jugiter merito ac præmio separari.

Tibi adoratio sancta, honoratio summa, omnis beatitudo et gloria, Deus trine, inter electos et reprobos distinguens tam infinita distantia. Amen.

Laus Dei ut terribilis.

Quemadmodum bonitas tua, dilectio atque clementia faciunt te in infinitum amabilem, sic æquitas tua, rigor, severitas, reddunt te, Domine Deus noster, in immensum terribilem.

Terribilis es plane in consiliis super filios hominum : sicut in exordio sæculorum terribilis apparuisti in damnatione apostatantium angelorum. *Ps.* lxv, 5.

Nonne terribilis es, summe Deus, Judex altissime, qui pro momentanea aversione, æternaliter condemnasti pulcherrimum

Digitized by Google

angelorum, cum omnium ipsi adhærentium numerositate?

Metuendus es nimis, qui pro temporali instantaneoque delicto pœnam infligis æternam, acerbissimum ignis incendium in inferno.

Job IX, 13; *Eccle.* VII, 14. Iræ tuæ nemo potest resistere; nec valet eum quispiam quem spernis corrigere.

Timent te quidam timore servili, in quantum es causa mali pœnæ ultorque peccati.

Verum timendus es timore sancto, casto ac filiali, eo quod pessimum sit te offendere, aut a te fonte beatitudinis separari.

Tibi cum reverentiali timore adstant angelicæ mentes universæ; hocque timore impleta est anima Christi, et omnes te perfruentes.

Nil siquidem pœnæ timor iste includit, sed electos tuæ majestatis intuitu reverentes atque attonitos facit.

Te solum timeat anima nostra; te sancto timore revereatur tota substantia nostra; repleatque nos timor qui donum est Spiritus Sancti, cum omni gratia tua.

Is. XI, 3.

Job XXXI, 23. *Ibid.* IX, 13. Semper quasi tumentes super nos fluctus te formidemus; tibi, sub quo curvantur orbem portantes, in omnibus honorem et gloriam demus.

Omnis levitas, vanitas, dissolutio, tollatur in æternum a nobis: qui coram te, ad cujus conspectum columnæ cœli contremiscunt, omnisque creatura tremit, pavet, obedit, ambulamus.

Ibid. XXVI, 11.

II *Cor.* V, 10. Tuo enim pavendo tribunali nos oportet cito adstare, præmiumque æternum a tua inflexibili æquitate captare.

Philipp. II, 12. Nostram itaque cum timore et tremore operemur salutem, timorati semper atque solliciti venerari Dei cuncta cernentis præsentiam.

Tibi cultus, hymnus, magnificentia sempiterna, Domine Deus noster, trine et simplex, qui regnas in sæcula infinita. Amen.

Laus Dei ut dulcis.

Dulcis es, Domine Deus, in te ipso, omnisque dulcedinis fontalis origo, omnis suavitatis supereffluentissima ac delectabilissima ratio.

Dulce, quod sensum delectat, in corporalibus appellamus; in spiritualibus quoque, quod intellectuales vires oblectat, dulce vocamus.

Dulcissimus ergo es, bone et sancte perfecteque Deus, qui proprio intellectui et voluntati dulcissime sapis.

Proinde tua natura nonne ipsa est delectatio pura, universæ suavitatis plenitudinem in se complectens absque mensura?

Tu dulcedo vere immensa, qua feliciter fruitur omnis Beatus in patria, quam vicissim experimur utcumque in hujus exsilii via.

Omni menti devotæ suavissime sapis: quæ tuam experta dulcedinem, carnales delectationes fastidit in terris.

Quumque omni naturæ creatæ convenientissimus delectabilissimusque consistas, palam quod omnifarie tibi in te ac ceteris dulcissimus exstes.

Si tanta in creaturis ac sensibilibus invenitur suavitas, sicut in melle, oleo, balsamo, variisque pigmentis, gemmis, herbis et floribus id edocet veritas: quanta est tua dulcedo increata, Deus beate, a quo profluxit infiniteque deficit dulcedo totius naturæ plasmatæ?

Hoc tuæ beatitudinis complet immensitatem, quod in te ipso interminabilem prorsus possides suavitatem, universisque dulcor es per omnimodam incomparabilitatem.

Quam exuberantem abundantiam dulcedinis tuæ, latere vis servili timore timentes te. *Ps.* XXX, 20, 21.

Hanc amantibus te demonstrasti, quos ab exteriorum conturbatione ac strepitu elongasti.

Hanc qui in carnalibus et caducis renuunt consolari, experiri merentur: cujus *Ps.* LXXVI, 3, 4.

Digitized by Google

gustu mentes tibi familiares ac amantissimæ, vicissim copiose implentur.

Ps. XXXIII, 9. Da nobis gustare et videre quam dulcis sis, Domine ; da pro tuo amore carnalium suavitatem mollitiemque incessanter respuere.

Tibi sublimitas, salus et gloria, Deus trine, sancte, dulcissime : cui reverentia sit immensa, virtus et imperium sine fine, Creator fortissime. Amen.

Laus Dei Patris.

QUUM bonum sit sui ipsius diffusivum et communicativum, o Deus sublimis, palam quod sicut tuæ bonitatis ita et tuæ communicabilitatis nullus sit finis.

Hinc a te, Deus benedicte, profitemur æternaliter emanare germen, tuæ communicabilitati proportionatum, immensum, quod dicimus te veraciter generare.

Est ergo in te, Deus bone, generatio vera, incomprehensibilis et æterna : non materialis, successiva, localis, sed intellectualis, incommutabilis atque æterna.

Tu equidem, Deus purissime et perfecte, es actualissimus intellectus, mens in se subsistens, separata, simplicissima, fecundissima prorsus.

Hinc te ipsum plenissime cognoscendo, profers intra te Verbum æternum : quod enim de te ac aliis intelligis, hoc intra te dicis, gignisque subsistentem conceptum.

Non utique aliquid in tua ingenita sapientia continetur, quod non in hoc Verbo plene resplendeat.

Quoniam quidquid intelligis, intra te loqueris ; Verbum tuum quum sit sapientiæ tuæ plena expressio, te plenissime repræsentat.

Denique, quum sis actus purus, lux immensa, bonum perfectum ; credimus quod in te sit processio immanens, actus ab actu, lucis a luce, nec producente inferius sit productum.

Quum enim tua essentia sit actio tua, procedentis ac producentis ab intra est una substantia.

Hoc Verbum mentis tuæ paternæ, Deus Pater adorande, non est sonans aut transiens, sed subsistens, æternum, tibi penitus coæquale.

Rite præterea Verbum istud tuus Filius appellatur, quia secundum rationem similitudinis, a te in identitate naturæ, germen originatur.

Quum omnium emanationum generatio perfectissima censeatur, merito hæc tibi omnis communicabilitatis primo ac sincerissimo fonti, competere affirmatur.

Quomodo enim tu, Deus ditissime, qui generationem aliis tribuis, non intra te generares, aut sterilis eris ? *Is.* LXVI, 9.

Quomodo in te beatissimo rerum principio non erit quidquid ad beatitudinis pertinet plenitudinem, ut habeas dilectum et condilectum, tuo immenso amori correspondentem ?

His nempe deliciis nil exstat suavius : habere dilectum quem amet quis sicut se ipsum in omnibus.

Tu, Pater perfecte, Filium gignis et habes perfectum : æternus æternum, unicus unicum ; adorandus, omnipotens, adorandum ac omnipotentem ; immensus immensum, superessentialis superessentialem, Deus verus Deum verum, tibi veraciter consubstantialem.

Tu, Pater æterne, infinita et superferventi dilectione hunc tuum Unigenitum diligis, atque cum superæstuanti incomprehensibilique ardore æternaliter eum amplecteris, amas et inspicis.

Cum infinita jucunditate et dilectione æterna hunc tuum Unigenitum intueris : cui te totum communicas, quem non minus quam te ipsum, Pater sanctissime, amas.

Infinitam complacentiam habes in eo, o Pater sublimis : est enim tibi omnino simillimus, optimus, in infinitum amabilis, dulcissimus, speciosissimus, ejusdem tecum voluntatis, imo una tecum voluntas exsistens. *Matth.* XVII, 5.

Digitized by Google

Unum dumtaxat Filium genuisti, quia A in uno Verbo te ipsum et omnia plenissime expressisti.

Ephes. III, 14, 15. O Pater altissime, omnis paternitatis principium, omnisque fecunditatis origo, fac nos filios tuos adoptivos, conformes tuo Filio naturali ac unico.

Da te filialiter honorare; omnem virtutem, honorem et gloriam fac nos tibi fideliter immolare.

Gloria, magnificentia, gratiarum actio, tibi Patri æterno, consempiternoque Filio B et Spiritui Sancto. Amen.

Laus Filii Dei.

Tu, Unigenite Dei, Patris æterni es plena ac naturalis imago, omnis quoque creaturæ exemplar, causalis ac archetypa ratio.

Pater enim uno simplicissimo actu se ipsum et alia cuncta plene intelligit : idcirco unica generatione te Verbum, quod ejus imago sis et ceterorum exemplar, C producit.

Sap. XVIII, 15; *Hebr.* I, 3; *Sap.* VII, 26, 25. Tu Sapientia genita, ars increata, omnipotens sermo æterni Patris te parientis; splendor gloriæ, candor lucis æternæ, emanatio sincera claritatis Dei omnipotentis.

Tu virtus summa, prima potestas, et *Sap.* VII, 26. speculum sine macula majestatis paternæ; character substantiæ Genitoris, intelligibilis dictio te gignentis immanenter, interne.

Hebr. I, 3. Tu pulchritudo immensa, omnia portans virtutis tuæ imperio; a te omnis decor D creaturarum profluxit, qui es sapientiæ Patris perfecta locutio.

In te unico Dei Verbo omnia contemplantur Sancti in patria; tu, Sapientia *Sap.* VII, 27. adoranda, in animas sanctas te transfers in via.

Eccli. I, 5 ; XXIV, 5 ; *Mich.* V, 2. Tu fons sapientiæ, Verbum Dei in excelsis; ex ore prodisti Altissimi ex diebus æternitatis, natus æternaliter ex substantia Patris.

Quando machinam mundi condidit Pater, eras cum eo cuncta componens, delectabarisque per singulos dies, coram illo omni tempore ludens. *Prov.* VIII, 30.

Quumque in te ipso vere beatissimus perfectissimusque consistas, nihilo minus cum hominibus esse tuas testatus es esse delicias. *Ibid.* 31.

Tu Patrem plenissime comprehendis, ardentissime diligis, inavertibiliter intueris.

Quidquid habes et es, ab ipso te susce- *Joann* XIII, pisse cognoscis : hinc superfervidissimo 3. penitusque immenso amore eum rediligis.

Cum gaudio simpliciter infinito te ad Patrem convertis; in eo vero interminabiliter delectaris, atque in sinu et corde ipsius, æterno amplexu quiescis.

Omnes rationes sanctæ dilectionis, inter Patrem et te perfectissime reperiuntur : similitudo plena, dilectio mutua, identitas in natura, communicatio, pulchritudo, bonitas, consensus, generatio : quæ a nemine comprehenduntur.

O virtus et Sapientia Patris, Fili Dei, nos semper illustra et robora; ad Patris beneficam visionem nos perduc, conserva, perfice et guberna.

Tibi cum Patre et Spiritu Sancto adoratio, gratiarum actio, sempiterna laudatio, qui es Deus de Deo, lumen de lumine, Deus verus de Deo vero. Amen.

Laus Spiritus Sancti.

Ex Patre æterno et Filio ejus unigenito tanquam ex uno principio tu profluis, Spiritus Sancte, Deus verus, summus paracletus, ab æterno.

Pater namque et Filius in eo quod te spirant, non distinguuntur, sed unum sunt.

Tu enim es emanatio voluntatis, quæ una est in ambobus : es etenim amor, quem ad voluntatem pertinere omnis docet theologus.

Pater diligens Filium, et Filius diligens Patrem, habent te tertium condilectum, quem diligunt in immensum.

Digitized by Google

Tu, benedicte, adorande, supergloriose Paraclete, Patris et Prolis es nexus dulcissimus, profluviumque commune.

Tu amor amborum, jucundissimum osculum suavissimusque amplexus, pax quoque serenissima, tranquillitas infinita, communio plena, indissolubilis nexus.

Te simul spirant, complectuntur, intuentur et diligunt; in te universas gloriæ suæ divitias et deitatis plenitudinem fundunt.

Te Pater et Filius amant amore prorsus immenso, eosque conformiter diligis ardore penitus infinito.

Ab ipsis æternaliter profluis; in ipsis superdulcissime conquiescis, inegressibiliter procedis.

Tibi bonitas atque benignitas appropriantur; bonitatis quoque, benignitatis et caritatis opera tibi specialiter deputantur.

Tuum est mentes creatas bonitatibus gratiæ et donorum implere, igne sanctæ dilectionis accendere, affectibus misericordiæ occupare, et sanctificare.

Tu paracletus tristium, Dei altissimi donum, fluvius vivus, rigans, implens, lætificans cœlestem Jerusalem, ferens opem terrigenis. *Ps.* XLV, 5.

Tu deificæ voluptatis torrens inundans; tu omnium electorum exauditor, impletor, remunerator abundans.

In te deitas vera, felicitas plena, infinita lætitia; tu summe amabilis, interminabiliter dulcis, desiderabilis sine mensura.

Non minor es Patre et Filio, sed substantialiter idem cum eis omnino.

Tu summum, primum ac liberalissimum donum, in quo datur a Deo omne donum gratuitum, quum sis amor, cui ratio doni competit primum.

Tu gratia septiformis; et quibus dona tua præstantur, tu ipse dare te diceris, a Patre quoque et Filio dari censeris.

Tanta est bonitas tua, caritas atque clementia, tam liberalissima est ad nos dilectio tua, ut præstes te ipsum simul cum donis tuis in munificentia plena.

Pietatis tuæ abyssum et caritatis fervorem in nobis declara; liberalitatis tuæ plenitudinem, in nobis, adorande Paraclete, manifesta.

Corda nostra purga, illustra, accende, sanctifica, perfice, incessabiliter posside, o Spiritus Sancte.

Tibi cum Patre et Filio hymnus, virtus, honor et gloria; te decet adoratio, Deus sublimis et benedicte, per sæcula infinita. Amen.

Laus superbenedictæ Trinitatis.

Trinitas supersancta, glorificanda, superfelix, perfecta, in te infinita dilectio, interminabilis sapientia, complacentiaque immensa.

Tu universæ in te beatitudinis plenitudinem possides; et quidquid vere desiderabile est, tu cum perfectione immensa superessentialiter contines.

In te plena communio, superjucunda diffusio, insegregabilis unio.

Trinitas superfelix, supergloriosa, et tibi soli plenarie nota, in te unaquæque persona vere et imperscrutabiliter, circumincessibiliter inconfusibiliterque consistit in alia.

Trinitas supervivens, cujus beatitudinis gloria est in se omniformiter infinita, tu tibi in te es vere supersufficientissima, omnium quoque intellectuum felicitas consummata.

Trinitas supersplendidissima, incircumscripta, et vere piissima, summa majestas, implens, conservans ac moderans omnia.

Tu ante omnia, non sola, post omnia, non præventa; in omnibus, non inclusa, extra omnia, non exclusa; supra omnia, non elata, infra omnia, non oppressa; manens æternaliter, in tua supersubstantiali simplicitate stans fixa.

Tu super omnia, præsidendo, infra omnia, sustinendo; intra omnia, adimplendo, extra omnia, complectendo; ante omnia,

Digitized by Google

æternaliter subsistendo, post omnia, incommutabiliter permanendo.

Trinitas superbenedicta, essentialiter sancta et superpulcherrima, tu una essentia, una virtus, unus intellectus unaque vita.

Da nobis semper mentem in te absolutam et liberam, affectuosam, puram, in tua contemplatione tuoque amore quotidie perfectiorem.

Laus, honor, potestas, magnificentia, regnum et gloria tibi, Trinitas superexcelsa, Divinitas vera, Creator omnipotens, vivens et regnans per sæcula universa. Amen.

Laus Verbi incarnati.

Te unicum Dei Filium, Deum verum, veraciter incarnatum fatemur; te hominem factum, et Deum ac hominem esse, certa atque immobili fide testamur. *Joann.* 1, 14.

Veram atque perfectam humanitatem hypostatice assumpsisti; non personam, sed naturam benignissime atque suppositaliter induisti.

Eodem momento, in sanctæ Virginis utero animam rationalem creasti, corpus ex ejus purissimo sanguine formasti et organizasti.

Utrumque etiam, ad constituendum unam naturam specificam, naturaliter sibi invicem copulasti, atque naturam hanc ad tuam personalitatem æternam et increatam assumpsisti.

Assumpta est enim tua humanitas ad increatum personaleque esse Verbi, et ipsum Verbum æternum est assumptæ humanitatis hypostasis, juxta testimonium fidei.

Duplex itaque est in te natura, sed una persona; duplex quoque nativitas seu generatio competit tibi, sed filiatio una.

Non enim duo Filii, sed unus es Dei ac Virginis Filius : quoniam filiatio concernit personam, generatio autem naturam, in entibus genitis.

Filiatio autem tua divina est, non humana : nihilo minus vere te esse filium Virginis credit Ecclesia, quoniam vere ex ejus es substantia natus.

Utraque ergo natura manet in te inviolata, pura et integra, proprietatum suarum naturalium vere et inconfusibiliter retentiva.

Hinc tua, o Christe, humanitas non subsistit in esse creato ac proprio, nec duplex esse hypostaticum invenitur in te aliquo modo.

Neque tu, Pater, neque tu, Spiritus Sancte, dicendus es incarnatus : quamvis uterque noscatur ad incarnationem cooperatus.

Decuit autem te Filium incarnari : quoniam tibi appropriatur similitudo Patris æterni; angelus autem et homo similitudinem Dei inordinate appetendo peccaverunt.

Hinc Pater æternus zelans pro te injuriam patiente, utrumque damnavit : unde tu cernens Patrem propter te perdidisse quam condidit rationalem ac nobilem creaturam, ut ejus reparares regnum atque honorem, dignatus es tuam assumere plasmaturam.

Tu quoque quum sis emanatio intellectus, utputa Verbum et sapientia Patris, specialem cum homine convenientiam habes, qui ab intellectuali perfectione dicitur rationalis.

Tibi demum mediæ personæ in divinis, præcipue competere potuit nomen et ratio mediatoris.

Filio quoque præsertim competebat Patrem placare et matrem habere : ut qui erat sine matre natus ex Patre in æternitate, sine patre nasceretur ex matre in tempore.

Tua, o Fili Dei, incarnatio purissima, præamanda et benedicta, sit nobis deificationis omnisque gratiæ concupitæ perennis et efficax causa.

Tua ad ima descensio inæstimabilisque dignatio, sit nobis æternæ causa salutis atque ad summa provectio.

Tuæ incarnationis intuitu da nobis spem

Digitized by Google

summam concipere, caritatis fervore ardere, in fidei quoque illuminatione eminenter proficere.

Quid enim sic roborat fidem, ut quod tu ipse verus Deus nos docuisti? Quid sic stabilit spem, ut quod tu ipse promisisti beatitudinem? Quid sic caritatem inflammat, ut quod tu ipse tanta pro nostra salute fecisti, pertulisti et assumpsisti?

Tibi cum Patre et Spiritu Sancto omnis gratiarum actio, reverentia, hymnus et gloria; tibi prompte et affectuose deserviat omnis creatura humana per omnia sæcula. Amen.

Laus Dei de rationibus incarnationis.

Non poterat homo convenientius liberari, nisi per tuam incarnationem, Unigenite Dei.

In hoc siquidem redemptionis modo, eminentissime lucet sapientia Dei, atque justitia, bonitas et clementia, redemptionis quoque potentia.

Denique digna non erat pura creatura redimere genus humanum, sed ad hoc dumtaxat tu eras sufficiens, Verbum Dei incarnatum.

Tanta namque est dignitas gratiæ, tanta quoque excellentia gloriæ, quum sit immediata fruitio Deitatis immensæ, tanta insuper gravitas culpæ, respectu divinæ majestatis offensæ, et tanta communicabilitas est naturæ, ut amissam gratiam toti naturæ recuperare, aut eam ad cœlestem beatitudinem reportare, aut Dei immensæ majestati satisfacere, aut transeuntem actionem in totam naturam habere, non competat puræ creaturæ, quum sit dignitatis finitæ.

Tu igitur, Fili Dei, solus ad ista omnia eras idoneus, qui ratione deitatis tuæ, infinitæ dignitatis consistis.

Ex assumpta namque humanitate, competebat tibi satisfacere ac mereri; efficacia vero idoneitasque merendi, erat ex præsentia Verbi.

Tu ergo, summe Fili Dei, benignissime es incarnatus, ut ab originalis peccati reatu, omnique actuali excessu, eriperetur homo damnatus.

Ut item tuæ caritatis magnitudo, totiusque Trinitatis dilectio, nobis patesceret, meriti quoque tui immensitas nobis jugiter copiosissime subveniret.

Rursus, ut conversatio tua sanctissima atque invicta constantia, esset nobis perfecte vivendi unica forma, totiusque patientiæ exemplar et causa.

Fac nos, Salvator omnipotens, tuæ incarnationis fructum sortiri; fac nos tibi gratissimos, et tuæ clementiæ dona feliciter adipisci.

Gratias agimus tibi cum Patre et Spiritu Sancto, Rex gloriæ, pro tua tam ineffabili dignatione, omniumque beneficiorum collatione. Amen.

Laus Dei de perfectione humanitatis Christi.

Ab incarnationis tuæ, o Christe, exordio, erat anima tua feliciter fruens Deo; erasque comprehensor, Deum per speciem videns ut homo.

Eodem incarnationis instanti, impleta est anima tua totius plenitudine gratiæ: quam non ad mensuram tibi datam profitemur vere atque catholice. Joann. III, 34.

Verumtamen, gratia tua habitualis infusa, erat secundum essentiam suam finita, quemadmodum omnis creata natura.

Fertur tamen quodammodo infinita in specie sua: quoniam quidquid ad gratiæ plenitudinem pertinet, continebatur in ea, tota quoque capacitas intellectualis creaturæ fuit gratia adimpleta in tuæ animæ substantia.

Rursus, quoniam fonti gratiæ fuit tua humanitas immediate suppositaliter unita: qui tantam ei influxit gratiam, quantam capere potuit ipsa.

Erat ergo in te gratia habitualis, animam tuam perficiens, et unionem hypostaticam consequens; hancque in te nomi-

Digitized by Google

namus gratiam capitis, in quantum per ejus exuberantiam tuis membris influis.

Ponitur quoque, o Christe, in te gratia capitis, quam quidam Sanctorum tuorum appellant liberalitatem, seu esse personale Verbi assumentis.

Quam constat esse simpliciter infinitam, quum sit quid increatum : quod dicimus deitatem Verbi humanitati unitam.

Erant demum in te dona gratiæ gratis datæ, prophetia, gratia sanitatum, donum linguarum, sermo sapientiæ atque scientiæ. *I Cor.* XII, 8-10.

Erat nihilo minus anima tua viatrix, tuque viator in quantum passibilis et quantum ad inferiores animæ vires, imo et ad superiores, ad subjectum passibile comparatas.

De plenitudine gratiæ tuæ influe nobis semper, pie et copiose, clemens Salvator ; merito tuo assequamur quod nostra non meretur fragilitas, omnipotens Dominator.

Tibi jucunda sit semper ac decora laudatio, tibi omnis honor et gloria, cum Patre et Spiritu Sancto. Amen.

Laus Dei de sapientia Christi.

In te, Deus incarnate, utriusque permanent inconfusæ proprietates naturæ.

Hinc in te duplex est intellectus atque voluntas, duplex operatio, duplex quoque potentia, duplexque caritas.

Sunt enim in te intellectus et voluntas, operatio, caritas et potestas ad tuam pertinentes naturam divinam, o summa Majestas : quæ aliud non sunt nisi tua incommutabilis deitas.

Sunt quoque in te intellectus et voluntas, operatio, caritas et potestas ad tuam humanitatem pertinentes : quas constat esse creatas.

Simili modo est in te sapientia divina, increata, æterna ; et item sapientia infusa, creata, multiplex in te dicta.

Est enim in anima tua sapientia Beatorum ac patriæ : qua ab incarnationis principio vidit omnia per speciem in Verbo clarissime.

Est etiam in te sapientia indita, qua per proprias species conspicis omnia, rationesque omnium concernentium humanæ redemptionis mysteria.

Quæcumque Deus scientia visionis cognoscit, scit anima tua, hoc est, universa præsentia, præterita et futura.

Non tamen Deum comprehensive intelligit, nec ejus virtutem plenarie comprehendit, nec actu infinita cognoscit.

Hoc enim Deitati est proprium, cujus solius posse est penitus infinitum, sibique soli omnimode comprehensum.

Profecisti, o Christe, sapientia et gratia, quantum ad usum et manifestationem, coram aliorum præsentia. *Luc.* II, 52.

Sapientiæ tuæ nobis radios copiose infunde ; donis sapientiæ atque scientiæ corda nostra benignissime reple.

Ab omni nos periculosa ignorantia libera tu, Christe, cui cum Patre et Spiritu Sancto est virtus, honor et gloria infinita. Amen.

Laus Dei ex Evangelio, de Christi divinitate.

In principio erat Verbum. Tu enim, o unice Dei Fili, Verbum Genitoris altissimi, æternaliter es in Patre, qui est principium sine principio, atque principium tui. *Joann.* I, 1, 2.

Tu quoque ante omnia alia, et in principio temporis, quando mundi creata est machina, tu incommutabiliter subsistebas, subsistentia sempiterna.

Confusi sunt ergo qui te puram creaturam esse dixerunt, vel ex matre aut tempore simpliciter incepisse finxerunt.

Omnia enim per te facta noscuntur, qui apud Deum Patrem eras, Deusque eras, ut Scripturæ loquuntur. *Ibid.* 3, 1.

Per te facta sunt cuncta, non sicut per causam instrumentalem vel a Patre diversam, sed sicut per verum Creatorem,

Digitized by Google

quem cum Patre et Spiritu Sancto credimus idem rerum principium eamdemque causam.

Omnia quippe facta sunt per te, sicut per exemplare et comprincipale principium, quum tu sis Verbum, sermo ac Sapientia Patris, quo omnia loquens, condidit universum.

Sine te factum est nihil atque peccatum, cujus voluntas creata est principium, ut quid defectuosum ex nihilo procreatum.

Joann. I, 3, 4. Universa creata, in te, o Verbum et Sapientia Dei, vita fuerunt : quoniam idealiter, æternaliter atque vitaliter in te fonte vitæ invariabili exstiterunt.

Ibid. XIV, 6. Denique tu ipse vita es ista : quod enim in te simplicissimo est, tu es, dummodo absolute dicatur.

Ibid. I, 4, 5. Tu vita, es lux hominum, lucens in tenebris : quam tenebræ, seu corda excæcata et reproba, non comprehenderunt in terris.

Ibid. 6, 7. Misit Deus ante te hominem sanctum, tui præcursorem, de te testimonium perhibentem, semitarum tuarum præparatorem.

Ibid. 8. Non erat hic lux, loquendo de vera luce,

Ibid. 9. plena, non illustrata : sic enim tu lux es, omnium hominum venientium in hunc mundum illuminativa.

A te enim est lux naturalis ingenii super omnes signata ; nec quisquam lumine gratiæ illustratur nisi a te vera luce fontana.

Ibid. 10; *Jer.* XXIII, 24. In mundo a principio eras secundum deitatem, qui cœlum et terram imples per tuam incircumscriptibilem majestatem.

Joann. I, 10, 11. Mundus vero, quantum ad reprobos, te non cognovit : populus quoque Judaicus, ad quem specialiter missus eras, te per fidem et caritatem, quantum ad plurimos, non recepit.

Ibid. 12, 13. Recipientibus vero te, dedisti virtutem adoptivos fieri filios Dei : qui non carnaliter sed ex Deo sunt nati, tanquam divina virtute et gratia spiritualiter in Baptismo regenerati.

Tu Verbum atque Unigenitus Dei, factus es caro seu homo, quoniam naturam quam voluisti salvare, assumpsisti tempore ab æterno præfixo. *Joann.* I, 14.

Habitasti, visus et conversatus es inter homines, qui tuam viderunt gloriam, dignitatem et magnificentiam, quasi gloriam condecentem Unigenitum Patris. *Baruch* III, 38; *Joann.* I, 14.

Tu plenus gratia habituali, gratia unionis et capitis secundum humanitatem ; plenus veritate secundum utramque naturam, qui substantialiter veritas es secundum divinitatem.

De plenitudine tua, Christe, accepimus omnes, gratiam pro gratia, gratiam utique particularem, virtute et merito gratiæ tuæ universalis exuberantis per omnia. *Joann.* I, 16.

Lex enim scripta, per Moysen ministerialiter data est ; gratia vero gratificans et veritas atque impletio Scripturarum, per te, Dei Unigenite, facta est. *Ibid.* 17.

Tu, unice Dei Fili, exsistens in sinu corde Patris, Deum vidisti, et divina enarrasti hominibus. *Ibid.* 18.

Nempe ut Deus, Patrem plenissime comprehendis ; ut homo quoque, divinam essentiam per speciem ab incarnationis exordio contemplaris.

Vera ergo, certa atque immobilis est evangelicæ legis tuæ traditio, quam datam constat a te Patris æterni unigenito Filio.

De plenitudine tua liberaliter atque piissime influe nobis ; gratiam et veritatem jugiter causa, conserva et perfice in cordibus nostris.

Tu enim quum sis caput totius Ecclesiæ, motum virtutum vitamque gratiæ et sensum vivificum membris tuis vales infundere. *Ephes.* V, 23.

Tibi magnificentia, hymnus, virtus et gloria, Unigenite Dei, cum Patre et Spiritu Sancto, per sæcula infinita. Amen.

Laus Dei ex Evangelio, de Præcursore.

Tu, Deus sublimis, Zachariæ seni justoque sacerdoti, per Gabrielem archange- *Luc.* I, 11 et seq.

Digitized by Google

lum, Præcursoris nativitatem prænuntiasti.

Tu illi dedisti ex vetula sterilique uxore generare Joannem, quem Spiritu Sancto implesti in utero matris suæ.

Qui in spiritu et virtute Eliæ Christum Filium tuum præcessit, multosque ad eum convertit, plebem quoque perfectam tibi summo Deo disposuit.

Quumque Zacharias Archangelo evangelizanti non credidit, loquelam te agente amisit, quam nato Joanne, te reddente recepit.

Dignare nos Spiritu Sancto semper implere, Trinitas adoranda : cui honor, imperium, virtus, hymnus et gloria sempiterna. Amen.

Laus Dei ex Evangelio, de Christi incarnatione.

Luc. 1,26 et seq. Per eumdem Archangelum, Virgini benedictæ, S. Mariæ, quod Christum Filium tuum conciperet, dignatus es intimare, Pater æterne.

Cui locutus est Gabriel, modum incarnationis sciscitanti : Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi ; ideoque quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.

Qua præbente consensum, eodem instanti concepit Unigenitum tuum.

Ibid. 39 et seq. Quæ quum Deo imprægnata fecundatam Elisabeth salutavit, mox infans in utero Elisabeth supernaturaliter exsultavit : usu quippe rationis miraculose præventus, sensit tuam, o Christe, exsultabundus præsentiam.

Quod sentiens S. Elisabeth, Spiritu Sancto impleta clamavit devotissime ad Mariam : Benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui.

Tu itaque, Fili Dei, ex Maria virgine carnem sumpsisti : sicque sanctorum patrum David et Abrahæ filium te constituisti.

Matth. 1, 20, 21. Tu, Deus, per angelum locutus es Joseph volenti Mariam dimittere, ne eam formidaret accipere, quoniam quod concepit, de Spiritu Sancto fuit, non virili de semine.

Jussisti insuper Joseph, ut Filium Virginis vocaret Jesum, eo quod ipse salvaret populum suum a peccatis eorum.

Salva nos, Christe, ab universis peccatis : cui cum Patre et Spiritu Sancto est honor, gloria atque imperium in sæculis sempiternis. Amen.

Laus Dei ex Evangelio, de Christi generatione humana.

Quum esses in Bethlehem, o Virgo gloriosa, peperisti Dei Filium in diversorio, gaudiosa : quem pannis involvisti, et in præsepio reclinasti. *Luc.* II, 6 et seq.

Quæ enim sine concupiscentia concepisti, sine dolore et corruptione, jucundissima peperisti.

Tunc apparens pastoribus angelus cum splendore præfulgido : Evangelizo vobis (inquit) gaudium, quod erit omni populo, quoniam natus est vobis Salvator die isto, Christus Dominus, in Bethlehem, David oppido.

Tunc subito facta est cum angelo multitudo cœlestis exercitus, te Deum laudantis, atque dicentis : Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis.

Venientes autem in Bethlehem pastores, te Christum invenerunt, sicut ab angelo didicerunt : ideo Deum magnifice collaudantes, tuam, Christe, nativitatem publice prædicaverunt.

Post hæc Magi ab oriente stella duce venientes, teque Deum puerum devotissime adorantes, aurum, thus et myrrham erant tibi offerentes. *Matth.* II, 1 et seq.

Quumque in die purificationis, te Mater tua et Joseph in templo sisterent Domino, accepit te justus Simeon in brachia sua, benedixitque Deo. *Luc.* II, 22 et seq.

Responsum quippe accepit a Spiritu

Digitized by Google

Sancto, quod non de corpore emigraret, quin prius te Christum Dei in carne, corporeis oculis cerneret.

Tuncque Anna sanctissima vidua tibi, Domine, est confessa, et omnibus redemptionem Israelis exspectantibus, de tuo adventu est palam locuta.

Matth. II, 13 et seq. Post hæc, admonente angelo, te cum Matre Joseph detulit in Ægyptum : Herodes enim te moliebatur necare, timens per te amittere regnum.

Luc. II, 42 et seq. Factus annorum duodecim, sedisti in templo inter doctores, audiens atque interrogans illos in tua prudentia ac responsis attonitos.

Tunc cum Matre et Joseph in Nazareth es reversus, erasque tu, obedientiæ et humilitatis magister, illis subjectus.

Fac nos, Christe, universis tuis beneficiis gratos, tuæ quoque humilitatis et obedientiæ æmulatores idoneos.

Tibi cum Patre et Spiritu Sancto gratiarum actio, laus, honor et gloria, qui tanta pro nostra salute egisti ac passus es in tua sacra infantia. Amen.

Laus Dei ex Evangelio, de Christi baptismo, tentatione, ac aliis.

INSTANTE jam tempore manifestationis *Matth.* III, 1-12 ; *Luc.* III, 2-18. et prædicationis tuæ, o Christe, venit ad regionem Jordanis, tibi viam præparaturus ac baptizaturus, Joannes nomen sortitus Baptistæ.

Qui plurimos Judæorum baptizavit, ac strenue increpavit. Opinantes quoque quod ipse esset Christus, vere de te taliter informavit : Ego aqua in pœnitentiam vos baptizo ; venit autem me fortior, qui baptizabit vos Spiritu Sancto.

Tunc fassus est se indignum coram te procumbere et calceamenti tui corrigiam solvere ; te etiam Ecclesiam tuam mundaturum ac præmiaturum docuit publice.

Joann. I, 29. Quumque videret Joannes te Jesum venientem appropinquantemque sibi : Ecce, inquit, Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.

Venisti, o Christe, Sancte Sanctorum, ad Joannem in Jordanem, ut ab illo susciperes baptismatis sui lotionem. *Matth.* III, 13-17.

Qui majestatem, sanctitatem ac humilitatem tuam contemplans, expavit, teque omnium sanctificatorem aqua baptismi abluere recusavit : Ego (inquiens) debeo a te baptizari, et tu venis ad me ? Cui dixisti : Sine nunc, sic enim nos decet omnem justitiam adimplere.

Quumque baptizatus fuisses, aperti sunt tibi cœli, venitque et mansit super te Spiritus Sanctus, quasi columba, specie corporali.

Audita est insuper vox Patris tui æterni, qui dixit : Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.

Tu vero, Jesu, plenus Spiritu Sancto, regressus es a Jordane, moxque ingressus es eremum, Spiritu ductus, ut tentareris a diabolo. *Luc.* IV, 1-13 ; *Matth.* IV, 1-11.

Quumque quadraginta diebus et noctibus nil gustans abstinuisses ; non necessitate, sed dispensatione, inerat tibi, ut verus homo probareris, esuries.

Tunc triplici tentatione dignatus es tentari a dæmone, ut formam nobis vincendi monstrares, atque ab omni nos erueres tentatione.

Eras autem cum bestiis eremi, et angeli ministrabant tibi, o Fili Dei. *Marc.* I, 13.

Ecce vere Israelita, in quo dolus non est, dixisti Nathanael ; qui vicem tibi rependens : Rabbi (inquit), tu es Filius Dei, tu es Rex Israel. *Joann.* I, 47, 49.

Post hæc in nuptiis aquam in vinum optimum convertisti, et tuam potestatem ac gloriam coram discipulis declarasti. *Ibid.* II, 1 et seq.

Tua, Christe, lotio in baptismo, sit nobis ab omni semper peccato purgatio ; tua demum tentatio trina a dæmone, ab omni nos jugiter eruat tentatione ; tua quoque jejunatio quadragesimalis, sit nobis mundatio a vitiis cunctis carnalibus.

Digitized by Google

Tibi cum Patre et Spiritu Sancto honor et gloria in sæcula sæculorum, qui te usque adeo humiliasti propter nos, gloriose Rex angelorum. Amen.

Laus Dei ex Evangelio, de sermone Christi ad Nicodemum.

Quum primum, o mundi Salvator, circa
Joann. II, 13-16. Pascha Jerosolymam ascendisti, de templo omnes in eo vendentes, flagello zelo justitiæ ejecisti.

Quod erat nimis grande miraculum : quia tot hominum compescere ingenia, et in voluntates eorum sic agere, est potentissimum signum.

Ibid. 23. Tunc in Jerusalem multa fecisti prodigia : propter quod multi crediderunt in nomine tuo fide imperfecta.

Ibid. III, 1 et seq. Tunc venit ad te Nicodemus : Scimus (inquiens) quod tu a Deo magister venisti, quoniam signa quæ facis, nemo potest peragere, nisi Deus adfuerit ei.

Cui locutus es : Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non poterit ingredi regnum cœlorum, beatificandus perpetuo.

Et hoc quidem ad tempus divulgationis Evangelii retulisti ; atque de his qui aquis congruenter possint intingi, id intellexisti.

Dixisti insuper : Quod scimus loquimur, et quod vidimus testamur. Te enim Filium Dei ex certa scientia esse locutum, fideliter contemplamur.

Et sicut Moyses exaltavit serpentem æneum in deserto pro signo, sic exaltari oportet te Filium hominis, verum Christum, in ligno, ut credentes in te, vitam sortiantur beatam in cœlo.

Sic enim Pater dilexit mundum, scilicet populum prædestinatum, ut pro ejus salute daret in mortem te Unigenitum suum veraciter incarnatum.

Neque enim Deus Pater misit te Filium suum dilectum in mundum, ut reprobationis judicio judices mundum, sed ut salvetur mundus per tuum adventum. In primo enim tuo adventu, o Domine, venisti judicari, non judicare.

Qui credit in te perseveranter per fidem formatam, non judicatur per reprobationem æternam.

Qui autem non credit, jam per reprobationem est judicatus, quia non credit in te unigenito Filio Dei Patris.

Da nobis, o Christe, te in cruce sic intueri, ut ab omni peccato atque periculo mereamur defendi.

Da nobis fidem formatam, stabilitam, salvificam, fervida caritate sanctisque operibus digne ac eminenter fulcitam.

Tibi Christo altissimo laus, honor et gloria æternalis, qui cum Patre et Spiritu Sancto regnas sine fine in cœlo, Deus omnipotens, superessentialis. Amen.

Laus Dei ex Evangelio, de Christi signis et verbis, et de documentis Præcursoris.

Te Jesu rege cœlorum jubente, misit *Luc.* V, 4-7. Petrus rete in aquam ; moxque quum tota nocte nihil cepisset, conclusit piscium multitudinem copiosam, ita ut rete rumperetur, et duæ implerentur naviculæ.

Quo constat pisces hos illic subito congregatos captosque repente, divina virtute. Tuo enim imperio omnes pisces maris obediunt : a quo cete grandia, et omnia *Gen.* I, 21. quæ moventur in aquis, producta sunt.

Abiit demum fama tua in Syriam totam, *Matth.* IV, qui omnes infirmos, dæmoniacos, para- 24. lyticos lunaticosque curasti per tuam clementiam.

Tu, innocens Agne Dei, cum publicanis *Luc.* V, 29-et peccatoribus edere non sprevisti ; id- 32. que arguentibus Scribis et Pharisæis, medicum non sanis sed ægris necessarium respondisti.

Tu equidem animarum es optimus medicus, qui non justos sed peccatores ad pœnitentiam vocare missus es cœlitus.

Non potest homo accipere quidquam *Joann.* III, nisi de cœlo, dixit tuus præcursor : omne 27.

Digitized by Google

siquidem bonum naturæ donumque gratiæ fluit a te, æterne omnipotensque Salvator.

Joann. III, 31, 33. Tu, Christe, qui de cœlo venisti, omnes summe excedis ; et qui testimonium tuum acceperit, signavit quod verax sit Deus.

Ibid. 34. Tu namque missus a Deo, es Dei verba locutus : quoniam non ad mensuram tibi homini Spiritum Sanctum, ejusque dona et gratiam, est Deus largitus.

Ibid. 35. Pater enim te naturalem et unicum suum Filium diligit, et omnia in manu tua dedit, cœlestia et terrena tibi subjecit.

Diligit equidem te secundum divinam naturam amore simpliciter infinito ; secundum humanitatem quoque assumptam amat te amplius universo.

In quantum enim es Deus, es bonitas pura, immensa et in infinitum amabilis ; *Ibid.* X, 29. verum ut homo, datum est tibi bonum præstantius cunctis creatis, hypostatica unio deitatis.

Ps. VIII, 8. Præterea, ab incarnationis instanti, subjecit Deus tuæ humanitati cuncta creata : hinc per imperialem virtutem fecisti ad nutum miracula, Sapientia incarnata.

Da nobis, Christe virtutum exemplar, tuam sanctitatem sectari, atque ab animæ languoribus per tuam gratiam indesinenter curari.

Tibi cum Patre et Spiritu Sancto imperium, potestas et regnum, Domine dominorum, qui secundum utramque naturam omnibus præsides, majorque es entibus ordinum universorum. Amen.

Laus Dei ex Evangelio, de verbis Christi ad Samaritanam.

Joann. IV, 6 et seq. Tu cum femina Samaritana loqui dignatus es, Christe rex gloriæ ; tu illi, fatigatus ex itinere, dixisti sermones sublimes, resonantes dulcissime :

Qui biberit (inquiens) ex aqua quam dabo, non sitiet in æternum, sed fons aquæ salientis in vitam æternam, in eo aqua hæc fiet.

Tu enim das aquam sapientiæ salutaris, *Eccli.* LI, et gratiæ gratificantis : quæ est origo et 3. fons actuum meritoriorum, perducens ad beatitudinem vitæ gloriæ incessantis.

Veri adoratores, sicut dixisti, o Christe, Patrem adorabunt in spiritu et veritate.

Spiritus enim incircumscriptus et simplex est Deus : hinc te adorantes, in spiritu et veritate adorare necesse est penitus.

Patris facere voluntatem, tuum, Christe, cibum esse dixisti : cui ut homo in omnibus promptissime obedisti, atque per hoc tuam animam dulciter refecisti.

Auditis verbis tuis et visis operibus, Samaritani protinus sunt locuti : Nos ipsi audivimus et scimus, quoniam hic est vere Salvator mundi.

Tu filium reguli letali febre mori inci- *Joann.* IV, pientem, verbo absens curasti ; sicque tu 46 et seq. qui divinitate ubilibet præsens es, regulum cum omni sua familia ad fidem convertisti.

Quumque ingrati Judæi te de supercilio *Luc.* IV, 29, montis præcipitare satagerent, per me- 30. dium eorum ibas, factus invisibilis eis, ita ut nec abeuntem conspicerent.

Eatenus erat caro tua non solum deitati sed animæ quoque subjecta, ut ratione jubente, præsentium visum non immutaret specie sua.

Aqua sapientiæ salutaris nos liberaliter pota ; Patrem in spiritu et veritate jugiter adorare nobis tu præsta.

Hæc nobis sit semper mentis nostræ unica dulcisque refectio : facere voluntatem Patris cœlestis, Dei omnipotentis regnantis in cœlo.

Tibi cum Patre æterno ac summo Paracleto honor, virtus, laus, gloria, nunc et semper, in via cœlestique regno. Amen.

Laus Dei ex Evangelio, de diversis Christi miraculis.

Tu in Capharnaum verbo dæmonem sæ- *Ibid.* 31-35. vum ab homine expulisti : quo facto

Digitized by Google

omnes in tuæ virtutis atque doctrinæ admirationem convertisti.

Matth. VII, 29; *Luc.* IV, 22, 37. Docebas namque ut potestatem habens, non sicut Pharisæi et Scribæ : hinc admirati sunt universi in verbis gratiæ procedentibus tuo ex ore, eloquentissime Christe ; statim quoque processit rumor de te in omnem Galilææ provinciam.

Luc. IV, 38, 39. Tunc socrum Petri liberasti repente imperialiter a febribus, reddens vetulam illam in instanti sanissimam.

Ibid. 40. Quo facto, adduxerunt ad te omnes languidos et obsessos ; tu vero, piissime Jesu, singulis manus imponens, curasti subito universos.

Marc. II, 3-12. Paralyticum a quatuor viris delatum, miro modo sanasti : Tibi (inquiens) dico, Surge, tolle lectum tuum, et ad domum tuam properans proficiscere.

Matth. IX, 20-22. Fimbriam vestis tuæ tangens mulier duodecim annis profluvium sanguinis passa, subito est sanata.

Ibid. 23-25. Archisynagogi insuper filia, a te vitæ ac mortis claves habente est imperialiter suscitata.

Ibid. 27-30. Duos deinde cæcos illuminasti, qui oculos finxisti, fons luminis.

Ibid. 32, 33. Mutum quoque obsessum, a mutitate ac dæmone liberasti, Christe, sermo Patris, fons numinis.

Ibid. 35. Circuibas docendo omnem Galilææ regionem, omnem curans in populo ægritudinem et languorem.

Luc. VI, 12. Ascendisti in montem orare, in Dei oratione pernoctans ; formam secrete, intente atque instanter orandi nobis relinquens : non enim juvabatur solitudine tua mens.

Ibid. 19. Præterea omnes quærebant te tangere, cernentes de te virtutem omnium curativam procedere. Tua enim humanitas erat Verbi instrumentum animatum, conjunctum, immediatum ac proprium : idcirco per ipsam diffundebatur ac operabatur virtus divina juxta omne placitum tuum.

Interiores oculos nostros Spiritus Sancti donis clementissime jugiterque illustra ; continuis, intentis ac fervidis precibus A Deum altissimum invocare nobis omnibus præsta.

Tibi cum Patre et Spiritu Sancto benedictio, claritas, sapientia, gratiarum actio, honor, virtus et fortitudo, Deus adorande, omnipotens, præsidens omni sæculo. Amen.

Laus Dei ex Evangelio, de sermone Christi in monte.

Tu cœlestis novusque Magister, cœlestem ac novam doctrinam hominibus pro- B posuisti, o Legifer noster.

Tu novæ et evangelicæ legis saluberrima documenta dedisti ; præcepta justissima perfectissimaque consilia edidisti.

Tu octo beatitudines docens, pauperes spiritu dixisti beatos, eo quod ipsorum sit regnum cœlorum : quo liquet eos ditissimos mox futuros. *Matth.* V, 3-10.

Hinc mites, qui per mansuetudinem temperant iram ; tertio lugentes, qui ex pœnitentiali dolore, vel Dei amore, aut proximorum compassione, vel ob similem C piam flent causam ; quarto esurientes ac sitientes justitiam ; quinto misericordes ; sexto cordis habentes munditiam ; septimo pacificos ; octavo persecutionem propter justitiam passos, beatos dixisti.

Singulis quoque aptam et correspondentem spopondisti mercedem, qua eos plene efficis salvos.

Mitibus enim, terræ possessionem ; lugentibus, consolationem ; justitiam esurientibus, spiritualem saturitatem ; misericordibus, misericordiæ promisisti conse- D cutionem.

Mundis corde, Dei beatificam visionem ; persecutionem passis, regni cœlestis possessionem ; pacificis, divinæ filiationis spopondisti appellationem.

Verumtamen quilibet Beatus omnia præmia hæc sortietur : imo unaquæque beatitudo omnia bona ista directe vel concomitanter meretur.

Pastores Ecclesiæ, sal terræ et lucem mundi vocasti ; opera quoque bona, sancta, et exemplaria debita, nil singulari- *Ibid.* 13-16.

Digitized by Google

tatis prætendentia, coram hominibus, ad illorum ædificationem et Dei gloriam, fieri præcepisti.

Matth. v, 22. Irascentem proximo suo, dixisti reum judicio; dicentem, Raca, reum concilio; dicentem, Fatue, reum æterno incendio.

Ibid. 23,24. Volentem tibi munus offerre aut cultum impendere, jussisti primo offensum a se placare actu aut proposito animæ, tuncque offerre.

Ibid. 28-30. Inspicientem feminam concupiscentia dominante, dixisti mœchatum; membrum quoque scandalizans esse tollendum quantum ad usum illicitum.

Ibid. 32,34. Conjugem quoque non deserendam nisi ob fornicationem; nec jurandum omnino, propter vitandam inordinatæ jurationis occasionem.

Ibid. 39. Docuisti malo seu injurianti non resistere, sed unam cædenti maxillam, alteram quoque præbere, saltem animi præparatione.

Ibid. 44,45. Præcepisti nobis, o Christe, inimicos diligere, maledicentibus benefacere, pro persequentibus et calumniantibus exorare.

Hoc, Domine Jesu, ut simus filii adoptivi Patris tui naturalis atque cœlestis, qui multipliciter benefacit, pluit et lucem solis emittit ingratis et reprobis.

Tu, Fili Dei, hominumque amator, jubes nos esse perfectos et misericordes, quemadmodum Pater noster cœlestis perfectus et pius est, qui amat concordes.

Ibid. 48.

Ibid. vi, 1. Jubes ne justitiam nostram ob id faciamus coram hominibus, ut videamur, muneremur sive laudemur ab eis.

Ibid. 6, 17. Orandum quoque doces clauso cubiculo, et quum jejunamus, ungere caput in gaudio, ut vanitas propellatur ab animo.

Da nobis, Christe, hæc omnia adimplere, et summæ Trinitati honorem et gloriam in omnibus exhibere.

Laus Dei ex Evangelio, de eodem.

Ibid. 19-34. Præcepisti ne thesaurizemus in terra, sed in cœlo : quoniam ubi thesaurus, ibi cordis versatur intentio atque dilectio.

Quum oculus fuerit simplex, seu recta intentio, totum corpus seu operationum congeriem esse virtuosam ac lucidam, dixisti ex animo.

Intentio enim imprimit operi speciem, et simplex est illa cujus Deus est finis, quæ dirigit ad vitam perennem.

Neminem posse contrariis dominis puro animo in omnibus deservire dixisti; superfluam quoque circa temporalia sollicitudinem, et curam in crastinum seu futurum anxiam, prohibuisti.

Paucitati electorum in sæculo isto locutus es consolatorium verbum : Nolite (inquiens) timere, pusillus grex, quia complacuit Patri dare vobis regnum. *Luc.* xii, 32.

Judicare et condemnare alios, maxime in incertis, inhibuisti; ignoscere vero et proximis dare, magistrorum optime, docuisti. *Matth.* vii, 1-14.

Quod festucam in aliis, trabem autem in nobis non cernimus, increpasti; et ut primo trabem de propriis ejiciamus oculis informasti.

Ne sanctum canibus margaritasque porcis demus, jussisti : ideo proponenda esse proportionanda capacitati seu dignitati aliorum, innuisti.

Ad orandum fiducialiter nos excitans, disseruisti : Omnis qui petit, accipit, quærensque invenit, et aperietur pulsanti.

Quum enim pater terrenus, quamvis iniquus, det filio bona postulanti, multo amplius tu, Pater noster cœlestis, dabis spiritum bonum fideli te fiducialiter deprecanti.

Ut ea agamus proximis quæ nobis ab illis fieri rationabiliter volumus, jubes : eo quod hoc lex sit et Prophetæ, sicut tu, Christe, Dei sapientia, doces.

Per angustam portam arctamque viam nos ire ad vitam æternam mandasti; porro, quod lata sit via perditionis, spatiosaque porta damnationis, tu revelasti.

Virtus namque consistit in medio, estque circa difficilia, atque ex integra causa; peccare vero contingit innumeris modis,

Digitized by Google

et ex cujuslibet circumstantiæ corruptela.

Matth. VII, 15. *Job* XXXVI, 13. Ut præcaveamus a falsis prophetis tu præcipis, qui simulatores et callidos odis, innocentes autem ac simplices diligis.

Matth. VII, 17; XII, 35. Quemadmodum te docente, arbor bona bonos, malaque malos fructus producit; sic te testante, bonus homo de bono cordis sui thesauro bona, malusque prava effundit.

Ibid. XII, 34. Ex cordis quippe abundantia loquitur lingua, et mentis imago atque probatio est loquela.

Ibid. VII, 21-27. Non omnem qui te Dominum ingeminat, sed qui Patri cœlesti obedit, doces salvandum : quid namque est, te Dominum appellare, et tua præcepta non observare, nisi mendacium?

Multi tibi dicent in die judicii, se in nomine tuo signa multa fecisse : quibus dices, te eos per approbationem et prædestinationem nunquam novisse.

Audiens, o Christe, verba tua et implens ea, similis est sapienti super petram ædificanti; qui vero audit nec facit, similis est imprudenti super arenam fabricanti.

Da nobis, Salvator, universa hæc tua documenta implere, ut præmissarum beatitudinum præmia valeamus feliciter obtinere.

Tibi cum Patre Sanctoque Flamine gratiarum actio sempiterna, eo quod tam saluberrima documenta docuisti nos, Christe, sapientia increata. Amen.

Laus Dei ex Evangelio, de diversis miraculis Christi.

Ibid. VIII, 2-13. Tu, Christe, sanitatis origo, leprosum verbo imperativo sanasti; tu servum centurionis carissimum jam moriturum, absens ab ægritudine liberasti.

Luc. VII, 11-16. Post hæc, unicum filium viduæ mortuum, coram multitudine suscitasti : quo viso, prophetam esse te magnum universi sunt fassi.

Tanta, o Christe, cœlorum rex, tua in mundo paupertas exsistebat, ut diceres quia Filius hominis non habet ubi caput reclinet. *Matth.* VIII, 20.

Orta tempestate ingenti in mari quo cum discipulis navigabas, increpasti ventum et mare, dicens : Obmutescas. Moxque ad verbi tui imperium facta est plena tranquillitas. *Ibid.* 23-32.

In terra Gerasenorum duos sævissimos dæmoniacos tu curasti : de quorum sæviore legionem dæmonum ejecisti, atque in porcos pergere permisisti.

Nec enim sine tua licentia in porcos intrare audebant : quo scimus quia sine tua permissione nil nobis facere valeant.

Dicente te paralytico triginta octo annos in infirmitate habenti, Surge, tolle lectum tuum, et transi; mox sanatus, orsus est proficisci. *Joann.* V, 5-9.

Tu, omnium divitiarum donator, propter nos factus egenus in temporalibus, merito tuæ inopiæ dita nos semper spiritualibus gratiis. II *Cor.* VIII, 9.

Tibi, Christe, magnificentia, gloria et potestas, qui cum Patre et Spiritu Sancto una es adoranda et superbenedicta majestas. Amen.

Laus Dei ex Evangelio, de quibusdam sublimibus Christi documentis.

De tua insuper divinitate sublimia docuisti, o Christe, infallibilis doctor : Pater (inquiens) meus usque modo operatur, egoque operor. *Joann.* V, 17.

Operatur equidem incessanter Pater tuus æternus, totum mundum regendo ac dispensando, animas rationales creando, panem et vinum transsubstantiando, atque in spiritualibus creaturis, in via ac patria, multa jugiter exercendo.

Non potest, inquis de te, Filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem. Non enim es, Fili Dei, a te ipso, sed habes a Patre virtutem et operationem. Hoc itaque tibi competit etiam secundum divinitatem. *Ibid.* 19-23.

Digitized by Google

Ais quoque : Quæcumque facit Pater, hæc et Filius similiter facit, hoc est æque principaliter, non utique secundum humanitatem.

Pater enim te Filium diligit, et omnia opera sua tibi demonstrat.

Quidquid enim in sapientia Patris ingenita continetur et radiat, tibi constat; totamque sapientiam suam Pater tibi Verbo suo communicat.

Quemadmodum Pater tuus mortuos suscitat atque vivificat, sic tu Unigenitus ejus, quos vis vivificas, eosdem, non alios: quod tam de corporaliter quam de spiritualiter mortuis, verum esse cognoscimus.

Neque enim Pater vel Trinitas judicat quemquam per sententiæ prolationem; sed Pater omne judicium dedit tibi Filio quoad naturam assumptam, quantum ad judicialis discretionis exsecutionem, ut omnes honoremus te Filium Dei per latriæ cultum et adorationem, quemadmodum honoramus Patrem per hujus virtutis venerationem.

Qui te Filium non honorat, nec Patrem tuum honorat : quia in Patrem inhonoratio Filii atque econtrario redundat.

Indesinenter operetur, o Fili Dei altissimi, Pater tuus in nobis, dona et gratiam Spiritus Sancti conservando, actuando et perficiendo semper in cordibus nostris.

Quum tu, Fili Dei, de te testatus sis, Non potest Filius a se facere quidquam : quam intoleranda est nostra præsumptio, quum nobis ipsis boni adscribimus quidpiam?

Tibi reverentia debita, honor, hymnus et gloria, Pater, Verbum et Spiritus Sancte, quorum est una, invariabilis ac sempiterna essentia. Amen.

Laus Dei ex Evangelio, de quo supra, scilicet de Christi divinitate.

Dixisti præterea de te, Fili Patris æterni : Venit hora, et nunc est, qua mortui audient vocem Filii Dei. *Joann.* v, 25-30.

Tu enim per te ipsum, adhuc in mundo conversans, et per famulos tuos, quosdam corporaliter et plurimos spiritualiter suscitasse cognosceris mortuos.

Quemadmodum enim Pater habet vitam in semetipso, tanquam fons vitæ et vita purissima, sic dedit et tibi Filio suo vitam habere in te ipso, qui es idem fons vitæ et eadem vita.

Potestatem quoque dedit tibi et judicium facere, quia Filius es hominis : per tuam enim humiliationem et passionem, meruisti exsecutionem facere judicii generalis.

Nec nimis miranda sunt hæc, quum et illa ventura sit hora qua omnes sepulti ac mortui audient vocem tuam, suscitati a te in die illa.

Non possum (inquis) a me ipso facere quidquam. A te ipso enim non es; sed ut audis, sic judicas, qui omnem tuam a Patre scientiam suscipis.

Tuum quoque judicium habuit æquitatem, quia non tuam creatam, sed Patris quærebas in omnibus voluntatem.

Opera quæ dedit tibi facere Pater, testimonium perhibent de te; sed et Pater testimonium perhibet tibi, Salvator sanctissime: cujus nec vocem audisse nec speciem dixisti Judæos vidisse. *Joann.* v, 36 et seq.

Scripturæ insuper testimonium tibi perhibent, Christe, qui claritatem ab hominibus contempsisti recipere. De te certum est Moysen prophetasse.

Vita gratiæ cor nostrum semper vivifica; imbecillitatem nostram tu, virtus Dei Patris, clementissime robora.

Tibi cum Patre et Spiritu Sancto laus, honor, virtus, gloria : in cujus potestate ac providentia, universa sunt posita. Amen.

Laus Dei ex Evangelio, de dictis et factis Christi.

Quoniam messis multa et operarii pauci, mitte tuam in messem, Salvator, operarios tempore jam instante. *Matth.* IX, 37, 38.

Digitized by Google

Luc. x, 1; ix, 1, 2; *Matth.* x, 1. Apostolos misisti combinatos ante passionem prædicare regnum cœleste, data eis potestate super dæmonia, atque ut omnem infirmitatem curarent in plebe.

Matth. x, 8. Dixisti eis : Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, dæmones ejicite ; gratis accepistis, gratis date.

Hoc dixisti sermone efficaci, quem sequebatur effectus : nam ista dicendo, potestatem es ad ea implenda largitus, quoniam tuum dicere, facere est, Fili Dei omnipotens, humanitati unitus.

Ibid. 16. Tuos discipulos jubes esse prudentes ut serpentes, et simplices quasi columbas : quatenus se mutuo moderentur et ornent prudentia atque simplicitas.

Ibid. 17-25. Quanta essent pro te passuri prædixisti, ne deficerent adversitatibus persecutionibusque confracti.

Te ipsum exemplum patientiæ proponebas, et quod perseverantes usque in finem salvarentur, docebas.

Ibid. 28. Ne eos carnaliter timeamus qui corpus occidunt, jussisti, sed eum qui corpus et animam potest projicere in ignem inferni.

Ibid. 32-38. Qui te confitetur coram hominibus, confiteris eum in præsentia Dei Patris ; negantem vero et erubescentem te, coram Patre negabis.

Non venisti pacem mittere carnalem, sed gladium spiritualem, qui venisti propinquos separare ab invicem, ut pro te relinquant mundum et affectionem sæcularem.

Qui enim amat patrem, matrem aut alium quempiam plus quam te, non est te dignus ; qui item non accipit crucem suam et sequitur te, est te, Christe, indignus.

Columbina simplicitate et vera prudentia nos adorna ; in omni tribulatione per invincibilem patientiam nos conforta.

Tibi cum Patre et Spiritu Sancto gloria et potestas : quorum est una deitas et essentia, eademque majestas. Amen.

Laus Dei ex Evangelio, de diversis verbis, factis ac miraculis Christi.

Tu præcursori tuo testimonium præbuisti, Christe, sapientia increata : Inter natos (inquiens) mulierum, non surrexit major Joanne Baptista. *Matth.* xi, 11.

Regnum cœlorum, te teste, vim patitur, et violenti rapiunt illud : quoniam refrenantes ac superantes se ipsos, merentur accipere illud. *Ibid.* 12.

Justificata est sapientia a filiis suis, quia tu, Christe, sapientia Patris, a tuis electis atque discipulis approbaris. *Ibid.* 19.

Tu, Sancte Sanctorum, a peccatrice femina lavari, tergi et osculari non contempsisti ; et ei, quia multum dilexit, peccata multa (utique omnia) dimisisti. Hinc scimus caritatis fervore peccata præsertim consumi. *Luc.* vii, 36 et seq.

Frequenter quoque, Salvator, salutem fidei adscripsisti : ubertim enim, Fides tua salvum te fecit, dixisti. Quo scimus principium omnis boni fidem consistere, et in fide catholica fortissimos nos esse debere. *Ibid.* 50 ; viii, 48 ; xvii, 19 ; xviii, 42.

Tu, Redemptor omnipotens, ex quinque panibus duobusque piscibus quinque millia virorum satiasti, mulieribus demptis et parvulis : sic plane, ut duodecim cophini ex fragmentis implerentur. Quod tantum mirati sunt, ut te esse Prophetam qui erat mittendus in mundum, confiterentur. *Joann.* vi, 5-14.

Periclitantibus in mari discipulis, venisti ad eos gradiens super aquas ; teque navim ingresso, subito, grandi miraculo fuit ipsa adducta ad terras. *Ibid.* 16-21.

Tu terræ Genesareorum universos ægros curasti : imo quotquot fimbriam vestis tuæ tangebant, repente ac plene sanasti. *Matth.* xiv, 34-36.

Docuisti nos operari non cibum pereuntem, sed in vitam æternam manentem, intima animæ reficientem. *Joann.* vi, 27.

Tu panis vitæ : qui venit ad te, non esuriet, nec sitiet unquam qui in te stabiliter credit, quasi interno cibo et potu penitus careat. *Ibid.* 35.

Omne quod dat tibi Pater, quod præ- *Ibid.* 37, 38.

Digitized by Google

destinavit in te, ad te accedit; nec bonitas tua ad te venientem repellit aut deserit.

Descendisti enim de cœlo per Incarnationis mysterium, non ut tuam creatam secundum se, sed Patris impleas voluntatem.

Da nobis in nos ipsos esse violentos, proprium animum reprimendo, sicque regnum adipisci cœlorum, de via ad patriam mox pergendo.

Tibi Patri altissimo, et tuo unico Filio atque Spiritui Sancto, omnis honor, hymnus, virtus, lætitia, in militantis ac triumphantis Ecclesiæ regno. Amen.

Laus Dei ex Evangelio, de vocatione interna et Eucharistia, aliisque verbis ac signis Christi.

Joann. VI, 44. Nemo potest per fidem formatam venire, o Christe, ad te, nisi traxerit eum per inspirationem internam, caritatem et gratiam, Pater, qui misit te.

Ibid. 45,46. Omnis enim qui audivit a Patre, et didicit Spiritu Sancto docente, venit ad te : non quod Patrem viderit aliquis, nisi tu qui es per generationem æternam a Patre.

Verumtamen non excluditur Spiritus Sanctus; et verbum hoc de visione plenæ comprehensionis accipere possumus.

Ibid. 51,52. Tu panis vivus, qui descendisti de cœlo. Manducans panem hunc digne, vita gratiæ vivet perpetuo.

Ibid. 56. Caro tua vere est animæ cibus, et san-

Ibid. 54. guis tuus vere est potus ipsius. Nisi sumpserimus carnem tuam et sanguinem, non habebimus in nobis vitam gratiæ salutarem.

Ibid. 64. Verumtamen spiritus est qui vivificat; caro autem carnaliter intellecta, nihil prodest.

Verba quæ tu, Domine Jesu, locutus es, spiritus et vita sunt; et nos credimus quia caro tua et sanguis tuus sub speciebus sacramentalibus vere consistunt.

Matth. XV, 13. Omnis plantatio non plantata a Patre tuo cœlesti, eradicabitur : nulla etenim natio sine cœlestis Patris irrigatione usquam salvatur.

Tu mulieris Chananææ filiam a dæmonio liberasti; teque missum non esse nisi ad oves perditas domus Israel affirmasti. *Matth.* XV, 22-28.

Virum unum cæcum et mutum curasti : quo facto, plurimos valde cæcos, mutos et debiles, simul curasti. *Ibid.* XII, 22; XV, 30.

Post hæc, ex septem panibus paucisque pisciculis, quatuor millia hominum satiasti, mulieribus exceptis et pueris; superfuerunt quoque satiatis septem sportarum fragmenta. Hoc facere potuit, Jesu mundi creator, omnipotens manus tua. *Ibid.* XV, 32-38.

Increpasti Scribas et Pharisæos, signum quod tu esses Messias quærentes : eo quod tempus tui adventus a Daniele prædictum, non erant pensantes. *Ibid.* XVI, 1-4. *Dan.* IX, 24-27.

Da nobis carnem tuam et sanguinem digne suscipere, eademque jugiter per spiritualem communionem comedere.

Tibi cum Patre et Spiritu Sancto gratiarum actio summa, et gloria infinita, qui tam pretiosissimo cibo et potu nutris animas nostras in præsenti hac fragili vita. Amen.

Laus Dei ex Evangelio, de Christi transfiguratione, miraculis et doctrina.

Tu in monte coram discipulis es transfiguratus, et velut sol tuus resplenduit vultus; apparueruntque tecum Moyses et Elias. *Matth.* XVII, 1-3.

Tunc nubes lucida obumbravit præsentes; et vox Patris de te, Hic est Filius meus carissimus, dixit ad audientes.

Ante secundum tuum adventum dixisti Eliam venturum, et omnia restituturum : quem credimus ad te Judæorum populum conversurum. *Ibid.* 11.

Spiritum malignum, efficienter surdum et mutum, a lunatico puero expulisti; taleque genus dæmoniorum sævissimum, non nisi per orationem et jejunium ejici docuisti. *Ibid.* 14-20.

Digitized by Google

Affirmasti virtute fidei montes et arbores nos posse transferre, si habuerimus fidem ut granum sinapis, credendo inhæ- *Marc.* IX, sitanter, perfecte et vigorose. Omnia siqui- 22. dem possibilia ais credenti, non virtute naturæ, sed fidei et gratiæ, Deo principaliter operante.

Luc. XVII, 10. Quum omnia nobis præcepta fecerimus, vis ut inutiles nos servos vocemus, quoniam quod debuimus facere, fecimus.

Matth. XVIII, 3, 4. Nisi conversi et facti fuerimus ut parvuli, perhibes nos non posse salvari; eumque qui se amplius humiliaverit tanquam B parvulus, majorem fore in regno cœlesti.

Ibid. 6, 8, 9. Terribiliter prohibes ne pusillos tuos scandalizemus : imo oculum, manum, pedem scandalizantem, quantum ad usum seu communionem amputemus.

Ibid. 7; *Marc.* IX, 49. Væ homini per quem scandalum venit, tu, Judex, minaris; et ut sal sapientiæ pacemque inter nos habeamus, hortaris.

Matth. XVIII, 10. Ne quis quempiam pusillorum despiciat, jubes : quoniam angelos habent custodes, Dei Patris faciem jugiter intuentes.

Ibid. 14, 13; *Luc.* XV, 7. Non est (inquis) voluntas Dei Patris ut C quisquam ex pusillis his pereat : imo super uno peccatore pœnitente, angelorum sanctorum in cœlo militia gaudet.

Adauge in nobis fidem catholicam, o Christe, fidei auctor; da cuncta præcepta in vera humilitate implere, præceptor Jesu, omnium factor.

Summæ benedictæque Trinitati gloria æternalis; Patri, Proli, Paracleto, laus, honor, subjectio singularis. Amen.

Laus Dei ex Evangelio, de variis Christi doctrinis.

Matth. XVIII, 15-17. ORDINEM correctionis fraternæ tu docens, Christe altissime, vis ut fratrem peccantem corripiamus primo secrete : quod si non acquieverit, adhibeamus unum duosve testes; quod si nec ita curaverit, simus causam Ecclesiæ referentes : quam si non audierit, vis ut tanquam publicanum atque gentilem hunc reputemus.

A Si vero aliqui nostrum concorditer Deum orent, exaudientur, sicut tu asseris, Deus : ubi enim fuerint duo vel tres in tuo nomine congregati, ibi te in medio esse eorum, Veritas summa, dixisti. *Matth.* XVIII, 19, 20.

Tu Apostolis potestatem ligandi et absolvendi peccata largitus es; quodque in cœlo ratum esset quidquid circa hoc facerent in terra, locutus es. *Ibid.* 18.

Si non dimiserimus proximis nostris, asseris Patrem cœlestem nequaquam nostris ignoscere vitiis. *Ibid.* 35; VI, 15.

Doces nobis nihil prodesse, si totum mundum fuerimus lucrati, et propriis animabus detrimentum in spiritualibus operati. *Ibid.* XVI, 26.

Itemque id coram Deo esse abominationem, quod altum est secundum hominum reputationem. *Luc.* XVI, 15.

Et vis ut de mammona iniquitatis faciamus amicos, faciendo de divitiis eleemosynas in egenos. *Ibid.* 9.

Qui autem in minimo est fidelis, in majori, te docente, erit fidelis; qui autem in modico iniquus exstiterit, in majori quoque, ut ais, iniquus erit. *Ibid.* 10.

Divitem epulonem purpuratum defunctum, asseris in inferno sepultum; pauperem vero Lazarum, post mortem ab angelis in Abrahæ sinum delatum. *Ibid.* 22.

Da nobis ordinem correctionis fraternæ salubriter observare, corripientem libenter audire, omnique peccanti in nos, semper ex corde ignoscere.

Tibi Patri superessentiali, et Filio tibi D æquali, ac Spiritui Sancto utrique consubstantiali, laus, honor, adoratio, magnificentia, virtus cum gloria imperiali. Amen.

Laus Dei ex Evangelio, de variis Christi documentis et verbis.

DIXISTI, o Jesu : Sinite parvulos venire ad me, talium est enim regnum cœleste. *Marc.* X, 14-16.

Hos amplexari et benedicere dignatus es, Christe, volens tuam ad humanam

Digitized by Google

naturam ejusque innocentiam caritatem ostendere.

Matth. XIX, 17. Solum Deum bonum dixisti; oportere quoque implere mandata volentem salvari;

Ibid. 21. qui insuper perfectus esse voluerit, debere omnia vendere, egenisque dare, et te sequi in humili paupertate.

Ibid. 23, 24. Pecuniosos et divites asseris difficile regnum Dei introituros; possibilius quoque per foramen acus transire camelos, quam divitem divitias inordinate amantem, cœlestes ingredi thronos.

Ibid. 28, 29. Discipulis cuncta relinquentibus teque secutis, spopondisti quod in die judicii super sedes duodecim sint sessuri, et duodecim tribus Israel judicaturi.

Omnis quoque qui patrem, matrem, uxorem, fratrem, aut agrum, propter te deserit, centuplum nunc in spiritualibus donis accipit, et vitam æternam in patria possidebit.

Ibid. XX, 16. Multi, te Judice contestante, sunt vocati, pauci vero electi : quo corda nostra perterruisti, ita ut esse debeamus præcipue timorati.

Luc. IX, 56. Non venisti, o Christe, animas perdere,

Ibid. X, 1. sed salvare : qui et septuaginta duos discipulos dignatus es combinatos per diversa loca ante te destinare.

Ibid. 3, 9. Hos quasi agnos inter lupos misisti : quibus evangelizare ægrosque curare jussisti.

Ibid. 16. Qui tuos vicarios audit, te audit; et qui illos spernit, te spernit, Patremque cœlestem contemnit.

Ibid. 18-20. Videbam, inquis, Satanam quasi fulgur de cœlo cadentem : qui discipulis dedisti virtutem calcandi super omnem scorpionem atque serpentem, et super inimici ac dæmonis potestatem.

Verumtamen ne in his gratiæ gratis datæ donis (bonis malisque communibus) gloriarentur, jussisti; sed in hoc quod eorum scripta essent nomina in libro vitæ, gaudendum commonuisti.

Da nobis viam perfectionis efficaciter ambulare, tuisque vicariis ac prælatis cum omni promptitudine obtemperare.

Tibi Patri et Filio, ac utriusque Spiritui, benedictio, gloria et potestas, in statu præsentis futurique sæculi. Amen.

Laus Dei ex Evangelio, de sublimi Christi doctrina atque miraculis.

Exsultans tu, Jesu, Unigenite Dei, Spiritu Sancto, dixisti : Confiteor tibi, Pater, Domine cœli ac terræ, quoniam abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus sæculi, revelastique ea parvulis, quia sic placuit tibi. *Luc.* X, 21, 22.

Omnia tibi tradita sunt a Patre æterno, quem præter te comprehensive intelligit nemo, neque te nisi ipse, quamvis Spiritus Sanctus comprehendat utrumque omnino.

Tibi enim ut homo es, a Patre subjecta est omnis creatura; et ab eodem tibi ut Deus es, communicata est divina natura. *Hebr.* II, 8.

Laborantes in via virtutum, et oneratos adversis propter justitiam, jubes venire ad te, ut reficiantur interne, tuam gustando dulcedinem. *Matth.* XI, 28-30.

Tollite (inquis) jugum meum, et discite a me quia mitis sum et humilis corde.

Jugum enim tuum, Salvator, suave, et onus tuum leve : quod norunt amantes te.

Unum esse necessarium docuisti, quoniam unum summumque bonum est Deus, quem finem esse nostrum perhibuisti. Cui vacare qui satagit, optimam quæ ipsi non auferetur partem elegit. *Luc.* X, 42.

Tu, Fili hominis, Dominus es etiam sabbati : quo scimus divinitatem veram competere tibi, quoniam temporis esse Dominum non competit nisi Deo omnipotenti. *Ibid.* VI, 5.

Te jubente vir manum arefactam extendit : qui subito plenam in ea sanitatem recepit. *Ibid.* 10.

Universi obsessi te intuentes, procidebant mox tibi : quos clementer sanasti, qui arundinem quassatam non contrivisti, nec linum fumigans exstinxisti. *Marc.* III, 11; *Luc.* VI, 18. *Matth.* XII, 20.

Dæmoniacum, cæcum et mutum tu *Ibid.* 22, 24 et seq.

Digitized by Google

curans, tria simul in uno operatus es signa.

Principi autem dæmoniorum adscripserunt ingrati Judæi opera tua divina. Porro in digito Dei ejecisti dæmonia, qui fortem armatum ligasti, ejus diripiens vasa. *Luc.* xi, 20-23.

Qui non est tecum, adversum te est; et qui non colligit tecum, dispergit.

Peccatum in Spiritum Sanctum dixisti irremissibile, hominemque ex verbis suis justum sive damnabilem esse. *Matth.* xii, 32, 37.

Da nobis jugum tuum super nos salubriter amoroseque ferre, humilitatem a te et mansuetudinem discere, a te refici, atque æternam requiem adipisci.

Tibi, Unigenite Dei, cum Patre et Spiritu Sancto, gloria et potestas, una felicitas, eadem adoratio, compar majestas. Amen.

Laus Dei ex Evangelio, de variis Christi doctrinis, et de die judicii.

Beatus venter Mariæ, qui te portavit, Christe, et ubera quæ suxisti; beatos quoque qui audiunt et custodiunt verbum Dei, tu, Jesu, dixisti. *Luc.* xi, 27, 28.

Matrem et fratres tuos dixisti, voluntatem Dei Patris implentes : hi enim te corde concipiunt, tuis se affectibus conformantes. *Matth.* xii, 50.

A sollicitudinibus, voluptatibus ærumnisque sæculi docuisti verbum Dei in hominum cordibus suffocari. *Luc.* viii, 14; *Marc.* iv, 19.

Denique, qua mensura mensi fuerimus, tu, Christe, juste non erransque judex, remetieris utique nobis. *Matth.* vii, 2.

Mittes in fine sæculi angelos tuos, omnia scandala de tuo regno militantis Ecclesiæ collecturos. *Ibid.* xiii, 41-43.

Impios mittent in caminum ignis, in quo dentium stridor cum fletibus. Tunc justi fulgebunt ut sol in regno tuo, Pater cœlestis.

Ignem Spiritus Sancti venisti in terram mittere, ut accenderetur : ob id es enim incarnatus, ut divini amoris calore cor nostrum igniretur. *Luc.* xii, 49.

Nisi pœnitentiam veram egerimus, omnes nos simul perituros minaris : qui feminam decem et octo annis inclinatam, erexisse laudaris. *Luc.* xiii, 5. *Ibid.* 11-13.

Sanasti hydropicum : docens in conviviis non primum sed ultimum apprehendere locum; neque cognatos, amicos et divites, sed egenos et ægros invitare ad prandium, ne ab illis retributionem, sed a Deo sortiamur refectionis perpetuæ præmium. *Ibid.* xiv, 2-4. *Ibid.* 8-15.

Beatus qui manducabit panem in regno tuo cœlesti : cujus panis est fruitio Dei.

Non valet quis tuus esse discipulus, qui non renuntiat omnibus quæ sunt mundi. *Ibid.* 33.

Te, Domine Jesu, mundus odivit, quia de ejus malitia os tuum testimonium verum perhibuit. *Joann.* viii, 7.

Da nobis, Salvator, verbum tuum affectuose audire atque salubriter custodire, igne tuo fervere, tuosque fratres et matrem obediendo consistere.

Tibi, superbeatissima Trinitas, beatitudo, honor et gloria infinita; tibi, Pater et Fili ac Spiritus Sancte, incessabilis hymnus in via præsenti sit ac patria. Amen.

Laus Dei ex Evangelio, de aliquibus verbis Christi sublimibus.

Tuam, Christe, doctrinam, non tuam sed Patris esse dixisti : erat utique tua tanquam proponentis magistri; non autem erat tua ut homo es, tanquam principalis principii. *Ibid.* 16-18.

Si quis Dei voluntatem impleverit, sciet doctrinam tuam esse divinam : quoniam juste et sancte vivendo, veritatem ejus cognoscet per experientiam.

Qui loquitur a se ipso, docens quasi a se ipso id habens, propriam gloriam quærit, et vanus est, ad se intentionem suam inordinate reflectens. Porro tu, Christe, qui gloriam Patris semper quærebas, verax eras, nec injustitiæ quidquam habebas.

Ne secundum faciem et exteriorem ap- *Ibid.* 24.

Digitized by Google

parentiam improvide judicemus, jussisti, sed justum proferamus judicium, dijudicantes nos ipsos in statu præsenti.

Joann. VII, 38. Qui credit in te, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ : quia de mente ejus procedent dona Spiritus Sancti ad alios, sive opera sanctæ vitæ.

Tanta erat sapientia et eloquentia tua, Christe, ut adversarii tui coacti sint dicere : Nunquam locutus est homo ut loquitur iste.

Ibid. 46.

Ibid. VIII, 3-11. Tu, pietatis Magister, mulierem adulteram liberasti; tu lucem mundi quam sequens non errat, esse te affirmasti.

Ibid. 12.

Ibid. 23, 25. Tu de supernis es, non de hoc mundo; tu principium universorum : vere tamen natus es ex Virginis utero.

Ibid. 28. Dixisti Judæis : Quum exaltaveritis Filium hominis, me suspendentes in ligno, tunc cognoscetis quia ego sum rex Messias, nihil faciens a memetipso, sed sicut docuit me Pater, hæc loquor in mundo.

A Patre enim æternaliter gigneris, et quidquid virtutis et sapientiæ in te est, recipis.

Ibid. 29. Pater non reliquit te solum, quoniam ejus in omnibus operatus es placitum.

Ibid. 31, 32. Si in sermone tuo manserimus, vere tui discipuli erimus, cognoscemusque veritatem, et ipsa liberabit nos penitus.

Da nobis non nostram sed Dei semper quærere gloriam, atque in omni vita nostra sectari te lucem æternam.

Tibi, Pater, cum Filio et Spiritu Sancto, beatitudo, honor et gloria, qui cum illis una es virtus, una Deitas, una essentia. Amen.

Laus Dei ex Evangelio, de alta Christi doctrina.

Ibid. 34, 35. Te Christo testante, qui facit peccatum, est servus peccati, subditus vitio. Servus quoque serviliter serviens, in domo non manet perpetuo; filius autem in sempiternum manet in domo.

Ibid. 44. Diabolum asseris ab initio homicidam fuisse, nec in veritate stetisse; quum mentitur, ex proprio loquitur, quum mendacem et patrem mendacii certum sit eum ab exordio exstitisse.

Qui ex Deo est per prædestinationem, verba Dei audit; qui vero sermonem tuum, Christe, servaverit, mortem culpæ atque gehennæ æternaliter non videbit.

Joann. VIII, 47, 51.

Abraham exsultavit, o Christe, ut videret diem tuum, tempus tui adventus in mundum; vidit eum spiritu prophetali, atque gavisus est, prænoscens te incarnandum.

Ibid. 56.

Antequam Abraham fieret, tu incommutabiliter es secundum divinitatem : qui cæco nato dedisti visus claritatem; tibique obedientes exaudis, non operantes cum proposito iniquitatem.

Ibid. IX, 1 et seq. *Ibid.* 31.

Tu, Christe, es ostium ovium, per quod qui ingreditur, salvabitur in ævum; tu pastor bonus, qui animam tuam pro ovibus tuis posuisti in carnis interitum.

Ibid. X, 9. *Ibid.* 11, 14, 15.

Oves tuas per approbationem cognoscis; ab eis quoque per fidem et cultum cognosceris.

Nemo tulit animam tuam a te, Fili Dei ac Virginis, sed potestative dedisti eam in manus inimicorum pro redimendis.

Ibid. 18.

Potestatem habebas ponendi resumendique eam : quam scimus a corpore tuo triduo mortis fuisse separatam, sed Verbo mansisse semper unitam.

Eripe nos a servitute carnis, peccati ac dæmonis; da nobis verbum Dei obedienter audire cum omni concupiscentia mentis.

Tibi Patri et Filio atque Paracleto infinita felicitas; tibi adoratio, honor et gloria, supersancta ac superbeatissima Trinitas. Amen.

Laus Dei ex Evangelio, de Christi divinitate.

Oves tuæ te, Christe, sequuntur, quibus vitam æternam distribuis; nec potest eas quispiam rapere, Salvator omnipotens, de manibus tuis.

Ibid. 27-30.

Digitized by Google

Pater quod dedit tibi, omnibus majus consistit : quia per generationem æternam, divinam tibi essentiam et plenam omnipotentiam præstitit.

Hinc Pater et tu unum estis identitate substantiæ ; et sicut de manu Patris, ita de manu tua oves nullus potens est rapere.

Joann. x, 34-36; *Ps.* LXXXI, 6. Illos Propheta dixit deos, ad quos, o Deus, tuus factus est sermo ; multo plus tu, Fili Dei, quem Pater sanctificavit et misit in mundum, Deitatis es dignus vocabulo.

Joann. XI, 25, 26. Tu, Christe, es resurrectio efficienter, exemplariter ac meritorie, et vita vivifica. Qui credit in te, quamvis mortuus fuerit carne corrupta, vivet in anima, gratiæ et gloriæ vita.

Et omnis vivens qui credit perseveranter in te, non morietur spiritualiter in æternum : tu enim es Christus, Filius Dei, salusque omnium, qui per incarnationem in hunc venire dignatus es mundum.

Ibid. 5. Tu, Domine Jesu, Mariam, Martham ac

Ibid. 33, 35. Lazarum dilexisti ; vidensque flentem Mariam, te ipsum turbasti, plorasti et spiritu infremuisti.

Has quippe passiones (vel potius propassiones) animæ, potestative assumpsisti ; erantque vere in te ex prævia ratione : per quod te verum hominem ostendisti.

Ibid. 40. Si crediderimus, Christe, in te fide formata ac stabili, videbimus post hujus incolatum exsilii gloriam Dei.

Ibid. 41, 42. Elevatis sursum oculis, gratias Patri ut homo egisti, quoniam te audivit : a quo te semper exauditum norunt Catholici.

Secundum formam servi competit tibi gratias agere Patri, totique Trinitati ; omnis quoque oratio tua ex deliberata ratione procedens, audita est tempore omni.

Ibid. 43, 44. Lazarum quatriduanum mortuum gloriosissime suscitasti : quem ligatum manus pedesque institis, de sepulcro egredi imperasti.

Ibid. 51, 52. Moriturus eras, o Jesu, pro gente, atque ut filios Dei dispersos congregares in unum fide et caritate.

Da nobis te summum pastorem in ovina innocentia sequi, tuis insuper semper inhærere exemplis, in simplicitate agnina mentali.

Tibi cum Patre et Spiritu Sancto gloria, laus et honor, Unigenite Dei, hominum adamator, rex Christe, mundi Redemptor.

Laus Dei ex Evangelio, de diversis magnificentiis Christi.

PASSIONEM tuam ac resurrectionem prædixisti ubertim Apostolis. Sub quorum persona locutus es fidelibus universis : *Matth.* XVI, 21 ; XVII, 21, 22 ; XX, 18, 19 ; etc.

Volens inter vos major fieri, sit vester minister ; volens quoque inter vos primus esse, erit omnium minimus servusque vester. *Ibid.* XX, 26-28.

Nam et tu, Fili Dei, universorum Domine, non venisti ministrari, sed ministrare, et animam tuam redemptionem pro multis efficaciter, pro omnibus autem sufficienter donare.

Præterea cæcum illuminasti, decem leprosos mundasti, Zachæum justificasti, duosque cæcos insuper visu exhilarasti. *Luc.* XVIII, 35-43 ; XVII, 12-19 ; XIX, 2-9 ; *Matth.* XX, 30-34.

Habenti (inquis) dabitur et abundabit ; is vero qui non habet, et quod videtur habere, amittet. *Luc.* XIX, 26.

Qui enim donis sibi a te concessis recte utitur, gratiam ampliorem sortitur ; qui autem ingratus et negligens invenitur, donis collatis spoliari meretur.

Ante sex dies Paschæ, quum venisses Bethaniam, fecerunt tibi illico cœnam ; eratque Lazarus unus discumbentium tecum ad mensam. *Joann.* XII, 1, 2.

In die Palmarum ingressurus Jerusalem civitatem, sedisti super asellum, Rex cœli, docens nos paupertatem. *Ibid.* 12 et seq.

Tunc occurrerunt tibi turbæ cum ramis, frondes et vestes in via sternentes ; cœperuntque omnes Deum consona voce super universis quas viderant virtutibus laudare, dicentes : *Matth.* XXI, 8, 9 ; *Luc.* XIX, 36-38.

Hosanna filio David ; benedictus rex Israel, qui venit in nomine Domini ; pax

Digitized by Google

in cœlo, et gloria in excelsis ; hosanna in altissimis cœli.

Hunc honorem regalem voluisti, rex Messias, hac hora recipere, volens verus rex Israel innotescere, et Prophetarum vaticinia adimplere.

Luc. XIX, 41. *Matth.* XXI, 12-14. Tunc incredulæ Jerusalem ruinam atque perfidiam deplorasti ; ingressusque templum, cæcos et claudos sanasti, vendentes quoque et ementes de templo virtute mirabili expulsti.

Ibid. XXII, 33; *Luc.* XIX, 48. Erat universa turba in tua doctrina admirans, omnisque plebs suspensa fuit te audiens.

Matth. XXI, 19. Te maledicente ob mysticam causam ficulneæ, illa mox aruit : tibi enim omnis herbarum arborumque natura ad nutum obedit.

Ab animæ cæcitate et interiori lepra nos semper emunda ; in occursum tuum nos præpara : cui cum Patre et Spiritu Sancto est honor, laus, virtus et gloria sempiterna. Amen.

Laus Dei ex Evangelio, de variis Christi doctrinis.

Joann. XII, 24-26. Te ipsum dixisti granum, o Christe, mortificandum nequitia Judæorum, fructificandum et multiplicandum in cordibus hominum per fidem eorum.

Qui amat (inquis) animam suam, perdet eam : qui enim eam carnaliter amat, æternaliter perdit. Qui autem eam spiritualiter amat in Deo, perdit eam in sæculo isto, concupiscentias ejus frangendo : per quod in vitam æternam custodit eam continuo.

Qui tibi ministrat, te Christum sequatur ; et ubi tu es, minister tuus locabitur, eumque Pater tuus cœlestis honorificabit perenniter.

Ibid. 28, 29. Glorificavit te Pater ante passionem, loquendo tibi per angelum : cujus vocem quidam audientes nec intelligentes, dicebant factum tonitruum.

Quum præsens eras, conversans et docens in mundo, judicium discretionis exstitit sæculo, ejecistique principem mundi ab innumerabilium credentium animo. *Joann.* XII, 31.

Qui credit in te, credit in Patrem, qui misit te : tu namque lux venisti in mundum, ut omnis qui credit in te, non conversetur in tenebris culpæ. *Ibid.* 44-50.

Qui contemnit te nec verba tua custodit, hunc sermo quem locutus es, in die novissimo judicabit : non enim a te ipso te locutum fateris, sed Pater qui misit te, tibi mandavit quid loquereris.

Ad fiducialiter ac secure orandum nos instruis : Omnia (inquiens) quæ orantes petitis, credite quia accipietis. *Marc.* XI, 24.

Abstulisti a Judæis regnum Dei, et dedisti illud genti fructus ipsius facienti. *Matth.* XXI, 43.

Ingressum nuptias sine veste nuptiali condemnas, eumque in tenebras infernales, manibus et pedibus vinctis, propulsas. *Ibid.* XXII, 11-13.

Sæculi potestatem non violas, sed Deo quæ Dei sunt, et Cæsari quæ Cæsaris sunt, danda affirmas. *Ibid.* 21.

Da nobis, Christe, pro tuo honore vel nomine animas nostras nunc salubriter perdere, ut mereamur a te vitam æternam recipere, et tecum æternaliter permanere.

Tibi Deo trino ac simplici gloria, imperium et potestas æterna, qui unus es intellectus, una voluntas, unaque Deitas adoranda. Amen.

Laus Dei ex Evangelio, de variis Christi doctrinis.

Post resurrectionem communem, non esse generationem aut mortem doces, o Domine : quia tunc electi erunt ut angeli, vitæ purissimæ, sine carnali commixtione. *Ibid.* 30.

Quum tu, Deus altissime, dicas te Deum Patriarcharum corporaliter defunctorum, constat illos resuscitandos, nec penitus mortuos, quum non sis Deus mortuorum, sed vivorum. *Ibid.* 32.

Summum legis præceptum doces, Deum diligere ex toto corde et tota anima, toto *Ibid.* 37-40.

Digitized by Google

intellectu et tota virtute; deinde proximum tanquam se ipsum amare : in quibus duobus præceptis tota lex pendet atque Prophetæ.

Matth. xxii, 43-45. Non solum humanam, sed et divinam in te probas esse naturam, eo quod David in spiritu vocet te Dominum, sicut ostendis per Psalmi scripturam.

Ibid. xxiii, 8-10. Ne magistri vocemur, aut patrem in terra nominemus, tu consulis, o Sapientia incarnata, quæ omnem vanitatem et carnalem affectum redarguis.

Ibid. xxiv, 44. Ut semper ad mortem simus parati hortaris : quoniam hora qua non putamus, te esse venturum minaris.

Luc. xxi, 15. Dedisti discipulis tuis sapientiam adeo copiosam, quod eis resistere non valebant adversarii per aliquam rationem.

Matth. xxiv, 3. *Luc.* xxi, 18, 19. Usque in finem sustinentem ais salvandum, nec capillum capitis electorum periturum; sed in patientia animas proprias possidere admones opportunum.

Matth. xxiv, 8 et seq. Secundum tuum adventum dixisti tribulationes maximas præcessuras : quem præveniet Antichristus, afflicturus fideles per pœnas præduras.

Ibid. 27. Quemadmodum fulgur ab oriente egrediens, apparet usque in occidentem, sic repentinus erit tuus, Christe, adventus : quo constat judicii horam cito præteruntem.

Da nobis præcepta dilectionis Dei et proximi digne implere, et tua servando mandata, ad felicem resurrectionem pertingere.

Adorandæ Trinitati, simplicissimo Deo, honor, virtus et gloria, in terra jugiter et in cœlo. Amen.

Laus Dei ex Evangelio, de futuro judicio.

Luc. xxi, 25. PRÆCEDENT adventum tuum terribilem signa in sole et luna ac stellis, et in terra pressura gentium præ confusione sonitus aquarum et maris.

Matth. xxiv, 9. Sol enim et luna, o Christe, obtenebrabuntur, et stellæ de cœlo cadere videbuntur.

Luc. xxi, 26. Tunc, o Judex horrende, arescent homines timore eorum quæ venient in eos; sed et cœlorum virtutes movendæ sunt motione reverentialis timoris.

Matth. xxiv, 30. Tunc apparebit, Salvator, signum crucis tuæ in cœlo; et videbit te venientem in nubibus cœli cum potestate magna et gloria omnis homo.

Ibid. xxv, 32 et seq. Tunc adducentur ante te homines universi, et judicabuntur a te secundum meritorum suorum exigentiam.

Ibid. xxiv, 31. Te jubente fiet repente generalis resurrectio mortuorum, colligentibus angelis sanctis cineres eorum, quos et ad tuum tribunal adducent, Rex universorum.

Ibid. xxv, 46. Tunc facies ultionem electorum in reprobos, dando electis jucunditates æternas, reprobis vero cruciatus perpetuos.

Da nobis nunc tuum judicium salubriter formidare, cui cum Patre et Spiritu Sancto est gaudium infinitum ac æternale. Amen.

Laus Dei ex Evangelio, de variis Christi doctrinis atque mysteriis.

Luc. xviii, 9-14. CONFIDENTES in se aspernantesque alios tanquam justi forent, tu reprobas, qui pœnitentem et humilem peccatorem superbo justo præferendum determinas.

Ibid. xii, 47, 48. Qui voluntatem tuam cognoscit nec facit, plagis vapulabit multis, et magis dure peribit; qui autem non novit et peccat, paucis vapulabit verberibus : quoniam cui plus datum est, plus requires ab eo tu, Christe, judex altissime.

Ibid. xxi, 34, 36. Jubes ne corda nostra graventur crapula, ebrietate, curisque mundi, sed semper orantes vigilemus, quatenus coram te stare inveniamur condigni.

Matth. xxv, 34. Dices ad dexteram stantibus : Venite, benedicti Patris mei, percipite paratum vobis regnum cœleste ab origine mundi.

Ibid. 41. Stantibus vero ad lævam dices : Ite,

Digitized by Google

maledicti, in ignem æternum, diabolo ejusque angelis a principio præparatum.

Matth. xxvi, 1-4. His, Domine Jesu, completis sermonibus, dixisti discipulis : Scitis quia post biduum Pascha fiet, et Filius hominis tradetur ut crucifigatur ab impiis.

Porro feria quarta, congregati sacerdotes, Scribæ et Pharisæi, consilium habuerunt, quomodo te innocentem Dei Agnum traderent morti.

Luc. xxii, 3-6. Tunc vendidit te eis Judas traditor malitiosus : qui gavisi, pacti sunt ei pecuniam se daturos.

Ibid. 8. In die Cœnæ misisti Petrum et Joannem pascha parare, quod cum discipulis tunc dignatus es affectuosissime manducare.

Ibid. 15. Desiderio (inquiens) desideravi hoc pascha manducare vobiscum, antequam patiar. Tuncque dixisti manifeste Apostolis :

Matth. xxvi, 21. Quia ab uno vestrum nocte hac tradar.

Da nobis bona quæ scimus agenda, fortiter operari, ut mereamur a te in die judicii glorificari.

Tibi, Pater æterne et Fili unigenite, cum Spiritu Sancto, honor et gloria debita offeratur ab omni intellectu creato. Amen.

Laus Dei ex Evangelio, de Cœna Domini.

Joann. xiii, 1 et seq. ANTE diem festum Paschæ, sciens tu, Domine Jesu, venisse jam horam qua transires secundum humanitatem de mundo ad Patrem, a quo nusquam distabas secundum divinitatem ; quum dilexisses tuos qui erant in mundo, usque in finem dilexisti eos, pro ipsis moriendo.

Tunc perfectæ humilitatis nobis proponens exemplum, pedes lavisti et extersisti, o Deus incarnate, discipulorum tuorum, imo et traditoris tui, quem te mox proditurum noveras, præcognitor universorum.

Si ego (inquis) lavi pedes vestros, magister vester et Dominus, et vos lavare debetis pedes alter alterius.

Cœnantibus tecum discipulis, consecrasti corpus tuum et sanguinem : quæ illis dedisti sub speciebus panis et vini in animæ refectionem ; sicque caritatem summam opere ostendisti, dando et uniendo te nobis tam intime atque totaliter. *Matth.* xxvi, 26-28.

Quam etiam caritatem verbis docuisti, et præcepisti salubriter : Mandatum (inquiens) novum do vobis, ut diligatis invicem, et in hoc cognoscent omnes quod mei estis discipuli, si dilexeritis invicem. *Joann.* xiii, 34, 35.

Quid enim tu requiris, unitatis et pacis magister, nisi ut veram habeat caritatem omnis tuus minister ?

Egresso proditore : Nunc clarificatus est (aiebas) Filius hominis. Remotus etenim erat a sancto tuo collegio homo peccati, filius perditionis. *Ibid.* 31.

Da nobis, summe Salvator, tuam in omnibus humilitatem sectari ; da nobis in vera ac sincerissima caritate jugiter conversari.

Tibi cum Deo Patre et Spiritu Sancto gloria, magnificentia atque imperium, qui cum illis unus es omnium gubernator et creativum principium. Amen.

Laus Dei ex Evangelio, de Christi sermone post Cœnam.

FACTA jam Cœna dixisti discipulis, Domine Jesu altissime : Non turbetur cor vestrum ; creditis in Deum, et in me credite. *Ibid.* xiv, 1.

Quum enim sis Deus, consequens existat, ut qui credit in Deum, et in te utique credat.

In domo illa non manufacta, cœlesti, Patris tui, mansiones sunt multæ : quia diversi sunt gradus præmiorum secundum differentias meritorum, o Christe dignissime. *Ibid.* 2.

Ivisti et præparasti nobis locum in cœlo, rediturus ut nos ad te ipsum assumas, tecum mansuros perpetuo. *Ibid.* 3.

Tu via, veritas et vita. Nemo venit ad Patrem nisi per te : tu namque ut homo, *Ibid.* 6.

Digitized by Google

es mediator et via, sine cujus fide et merito nemo fruiturus est Patre.

Veritas autem et vita es secundum divinam naturam : via per quam, veritas in qua, vita ad quam tendimus proficiscendo ad patriam.

Joann. XIV, 7, 9. Qui te sincere cognoscit, cognoscit et Patrem, quum sis ei simillimus, non distinctus ab eo nisi per relationem.

Et quoniam tui ac Patris est una essentia et correlatio, qui videt te, videt et Patrem, in via per fidem, per speciem in cœlo.

Ibid. 12-21. Credentes in te, signa et opera quæ fecisti fecerunt; et quidam eorum tuis signis majora, quemadmodum spopondisti, egerunt.

Si quid petierimus Patrem tuum in nomine tuo, salubriter postulando, hoc te facturum promittis : qui jubes ut diligens te, tuis pareat mandatis continuo.

Rogasti Patrem, et alium Paracletum dedit discipulis atque Ecclesiæ : Spiritum veritatis, quem mundus reproborum non potest consummate ob culpam suam recipere.

Non reliquisti discipulos orphanos, sed post resurrectionem revertens, monstrasti te ipsis; et illo in die noverunt quod Pater in te, et tu in Patre itemque in eis.

Qui diligit te, diligetur a Patre tuo; tu quoque diliges eum, et manifestabis ei te ipsum in cœlo pro præmio.

Tuam nempe divinitatem cernet oculo mentis per speciem, clare et immediate; tuam insuper humanitatem videbit oculis cordis et corporis, pro accidentali mercede.

Ibid. 23. Ad te amantem et tua mandata servantem tota Trinitas venit, et in eo per gratiam ac dona cœlestia, misericorditer demoratur et manet.

Da nobis cor firmum, sanctum et imperturbatum; mitte nobis Spiritum Sanctum paracletum, ut nobiscum permaneat in æternum.

Tibi Deo trino ac simplici honor summus et gloria æternalis, qui es Unitas pura, et Trinitas vera consubstantialis. Amen.

Laus Dei ex Evangelio, de eodem.

PARACLETUS Spiritus Sanctus, quem misit, o Christe, Pater æternus in nomine tuo, docuit Apostolos, omnia suggerens eis quæ audierunt a te Verbo increato altissimo. *Joann.* XIV, 26.

Gaudemus te ivisse ad Patrem, te secundum formam servi majorem : quoniam ille ascensus, fuit tuæ humanitatis amplius glorificativus quoad accidentalem glorificationem. *Ibid.* 28.

Præsumpsit passione instante venire ad te princeps mundi; sed suum nil reperit in te carente omni labe peccati. *Ibid.* 30, 31.

Tu Patrem dilexisti, et sicut mandatum tibi homini dedit, fecisti.

Tu vitis es vera, et Pater tuus agricola : ipse enim colit, purgat, impinguat fecundaque efficit corda nostra. *Ibid.* XV, 1, 2.

Omnem palmitem seu hominem in te non ferentem fructum virtutum, damnabit; fructificantem autem purgabit et amplius fecundabit.

Quemadmodum palmes non potest ferre fructum nisi manens in vite, ita nec nos nisi in te manserimus, Christe, sine cujus gratia nil valemus meritorie agere. *Ibid.* 4.

Manendo in te, obtinemus quidquid oramus; et in hoc clarificatur Pater cœlestis, ut tui discipuli consistamus, ac fructum plurimum afferamus. *Ibid.* 7-11.

Sicut dilexit te unicum Filium suum Pater, dilexisti tu nos : idcirco in tua dilectione justum est prorsus manere nos ipsos.

Præcepta tua servando, manemus in tua dilectione, sicut tu Patris tui servasti præcepta, et manes in ejus amore.

Hæc, Domine Jesu, locutus es nobis, ut gaudium tuum in nobis sit, et gaudium nostrum impleatur, ac consummatum exsistat.

Digitized by Google

Da nobis in te semper manere, et fructum copiosum producere, atque in te solo, sine quo nil possumus, toto semper corde confidere.

Tibi Patri æterno tuoque Filio et summo Paracleto laus, honor, virtus et gloria cum universali imperio. Amen.

Laus Dei ex Evangelio, de eodem.

Joann. xv, 13-27. MAJOREM te dilectionem nemo habuit, Christe altissime, qui animam tuam pro ovibus tuis dignatus es ponere.

Discipulos tuos amicos benignissime appellasti : quoniam secreta quæ a Patre audisti, eis liberalissime revelasti.

Non nos elegimus te, sed tu prior elegisti et dilexisti nos, Domine ; et quidquid boni in nobis est, tu intra nos produxisti clementer et gratiose.

Si mundus nos odit, vis recordemur quod te ante odivit : nam et si de mundo essemus, quod suum erat mundus diligeret.

Dixisti discipulis, et in eorum persona cunctis electis hominibus : Quia de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, hinc odit vos mundus.

Sicut te persecutus est mundus, persequetur tuos; sicut verba tua contempsit, contemnet et servorum tuorum sermones divinos.

Si non venisses et locutus Judæis fuisses, culpam non haberent tam gravem ; nunc autem non habent excusationem aut relevamen.

Si opera non fecisses in eis quæ alius nemo fecit, tanto peccato non teneretur hic populus, qui et te et Patrem odivit.

Act. II, 1 et seq. In die Pentecostes veniens Spiritus Sanctus super discipulos, testimonium tibi perhibuit, loquens per illos quæ tua sunt ad Judæos.

Ibid. III, 15; II, 36; IV, 12; etc. Tunc enim docuerunt Apostoli te vitæ esse auctorem, Dominum gloriæ, Deum et hominem, omniumque unicum redemptorem.

Joann. XVI, 7. Dixisti Apostolis : Si non abiero, Paracletus non veniet ad vos ; si autem abiero, mittam eum ad vos.

Spiritum Sanctum dixisti non loqui a se ipso, sed quæcumque audierit : quoniam a se ipso non est, sed procedendo a Patre et te, omnem virtutem et sapientiam suscipit. *Joann.* XVI, 13.

Omnia quæ habet Pater, sunt tua, quum tui et ejus sit una essentia : ideoque Spiritus Sanctus accepit de tuo, sicut de Patris substantia. *Ibid.* 15.

Mundo gaudente, plorant et contristantur tui electi : quorum brevis tristitia vertitur in æternum gaudium cœli, mundo luente pœnas inferni. *Ibid.* 20.

Da nobis tibi sic adhærere et illuminari a te, ut tui efficiamur amici in æternum, Christe, Dei unice nate.

Te, Pater adorande, cum Filio benedicto et incircumscripto Paracleto, salus immensa, gloria plena, adoratio una decet perpetuo. Amen.

Laus Dei ex Evangelio, de eodem.

DIXISTI, Domine Jesu, discipulis : Nunc tristitiam quidem habetis, sed rursus videbo vos, et corde gaudebitis, et gaudium vestrum nemo tollet a vobis. *Ibid.* 22.

Veniet hora qua palam nobis de Patre annuntiabis, quando introductis ad patriam, faciem Patris nobis clare monstrabis. *Ibid.* 25.

Amat Pater amantes te, credentes quod a Deo existi : ab eo enim egressus es generatione æterna, et missione in mundum hunc temporali. *Ibid.* 27.

Reliquisti mundum corporali præsentia, non majestate divina ; perrexisti ad Patrem, ascendendo in cœlum, quo Patrem specialiter esse tua ostendit doctrina. *Ibid.* 28.

Hæc locutus es ut pacem habeamus in te, quamvis forinsecus tribulemur. In mundo enim, ut asseris, pressuras patiemur ; sed certe confidimus, quoniam te mundum vicisse fatemur. Tu equidem mundum vincendo, meruisti nobis gratiam triumphandi de eo. *Ibid.* 33.

Digitized by Google

Joann. xvii, 1. Sublevatis in cœlum oculis, orasti, o Christe rex inclyte : Pater, clarifica Filium tuum, ut Filius tuus clarificet te.

Clarificavit te Pater per tui corporis glorificationem, et per Spiritus Sancti missionem te in cordibus hominum clarificantem, dando eis veram tuæ dignitatis notitiam et venerationem decentem ; clarificavit te, convertendo ad te mundum per diversa miracula.

Clarificasti et Patrem, ad ejus cultum homines convertendo per te ipsum et Apostolorum documenta.

Ibid. 2, 3. Dedit tibi Pater omnis carnis potestatem, ut omni ei quod dedit tibi, des vitæ æternæ jucunditatem.

Hæc autem est vita æterna, ut cognoscamus Patrem tuum æternum, et te (quem misit) Jesum Christum, ac Spiritum Sanctum, unum, solum verum Deum.

Da nobis in sæculo isto sic cum tuis electis affligi, ut post vitæ hujus curriculum inveniamur condigni consolatione perpetua frui.

Tibi Christo et Patri Sanctoque Flamini, uni, vero, altissimo Deo, honor, gloria et majestas in omni militantis ac triumphantis Ecclesiæ loco. Amen.

Laus Dei ex Evangelio, de eodem.

Ibid. 4-14. Loquens tu, Christe, ad Patrem : Ego te (inquis) super terram clarificavi, opus quod dedisti mihi ut facerem, consummavi ; et nunc clarifica me, Pater, apud te ipsum, claritate quam habui ante mundum, ostendendo electis me tuum esse Filium tibi consempiternum.

Manifestasti, Fili Dei, nomen Patris tui hominibus quos dedit tibi de mundo, illos ad te misericorditer convertendo, aliis juste relictis in sæculo.

Patris erant per æternam prædestinationem, et tibi eos dedit per temporalem vocationem, qui fide et obedientia tuum servaverunt sermonem.

Hi noscunt quod omnia tua a Patre sunt : A quoniam verba quæ dedit tibi Pater, dedisti eis, et acceperunt.

Pro eis, non pro mundo reproborum, rogasti : quidquid enim ex deliberata voluntate precatus es, obtinuisti.

Omnia tua, Patris sunt ; et omnia Patris, tua sunt : quoniam quæ in divinis absolute dicuntur, in Patre et in te indivisa et indistincta consistunt.

Pro electis rogasti : Pater (inquiens), serva eos quos dedisti mihi, in nomine tuo, ut sint unum per caritatem, sicut nos B per essentiam unum sumus omnino.

Quum essem (inquis) cum eis, ego servabam eos, Pater, in nomine tuo ; nunc autem ad te venio, et hæc loquor in mundo, ut habeant gaudium meum repletum in se ipsis perpetuo.

Hos mundus odivit, quoniam non sunt de mundo, sicut tu, Fili Dei, non es de mundo, hoc est de mundanorum hominum grege ac numero.

Non rogo (ais ad Patrem) ut tollas eos *Joann.* xvii, de mundo, sed ut serves eos a malo, et 15, 17. C sanctifices eos in veritate in temetipso.

Patris tui sermo est veritas : quod tam de te, ejus Verbo æterno, quam de verbis Scripturæ, intelligit nostra fidelitas.

Pro cunctis electis rogasti ut omnes sint *Ibid.* 20-24. unum, sicut tu in Patre et Pater in te per circumincessionem : ut sint et ipsi unum in Patre et te per beatificam consummationem.

Pater (inquis), volo ut ubi ego sum, et ipsi sint mecum : ut videant claritatem quam mihi dedisti, quem dilexisti ante- D quam molitus es mundum.

Notum fecisti nomen Patris electis, ut *Ibid.* 26. ejus dilectio sit in eis, et tu, Christe, in ipsis.

Fac nos unum tibi et unum in te, ut tibi uniti, nunquam separemur aut elongemur a te.

Tibi Patri omnipotenti et Filio tibi coæquali ac Sancto Spiritui, omnis beatitudo, eminentia, honor et gloria duratione perenni. Amen.

Digitized by Google

Laus Dei ex Evangelio, de Christi passione.

Joann. xviii, 1; *Matth.* xxvi, 36-44. EGRESSUS, Domine Jesu, trans torrentem Cedron, venisti cum Apostolis in villam Gethsemani. Ingressusque hortum, ter Patrem rogasti ut auferret, si fieri posset, passionis calicem tibi.

Luc. xxii, 44, 43. Tunc præ naturali mortis horrore, factus est sudor tuus ut guttæ sanguineæ; et facto te in agonia prolixiusque orante, apparuit tibi angelus te confortans, missus a Patre.

Matth. xxvi, 38, 46. Dixisti : Tristis est anima mea usque ad mortem. Hinc adversariis tuis profectus es obviam, nullum habens pavorem.

Joann. xviii, 4-6. Quum te Jesum Nazarenum ab eis quæsitum dixisses, abierunt retrorsum, ruentes in terram, neque surgentes donec tu annuisses.

Matth. xxvi, 53. *Luc.* xxii, 51. Tunc te plusquam duodecim angelorum legiones posse obtinere a Patre dixisti; et te invadentem impiissimum servum, dire læsum, pie curasti.

Joann. xviii, 12. *Matth.* xxvi, 56. Injecerunt in te Filium Dei manus sacrilegas, te ligantes : quo viso, fugerunt discipuli, tibi commori formidantes.

Joann. xviii, 22. *Matth.* xxvi, 57, 63-68. Quum juste respondisses pontifici, dedit tibi alapam verna sceleratus. Hinc ductus ad Caipham, an Filius Dei esses, ab eo es adjuratus.

Cui dixisti, te Christum mundum hunc redimentem, quodque visuri essent te a dextris virtutis Dei sedentem, atque ad judicandum in cœli nubibus venientem.

Quo dicto, te blasphemum morteque dignum concorditer ululabant; et viri te tenentes, te irridebant, velabant, conspuebant, colaphizabant, ac palmas tibi in faciem dabant, dicentes : Prophetiza, quis te percussit, o Christe? Et alia multa blasphemando dixit adversus te populus iste.

Ibid. 69-75. Tunc Petrus te summam Veritatem ter denegavit : qui clementer respectus a te et conversus ad se, suum piaculum deploravit.

Mane facto, te vinctum, consputum, dis-

A coloratum obtulerunt Pilato, objicientes tibi diversa facinora : quod Pilatus novit venire ex odio. *Matth.* xxvii, 1, 2, 11 et seq.; *Luc.* xxiii, 2-5.

Seductorem, blasphemum, sæcularis potestatis violatorem te accusarunt, a quo sapientia salutaris, divina operatio, omnis potestas et lex profluxerunt.

Te Sapientiam Dei, Herodes sprevit atque illusit alba veste indutum; te laceraverunt flagellis, coronaveruntque spinis, purpura pro derisione vestitum. *Luc.* xxiii, 11. *Joann.* xix, 1-6, 15, 16.

Sic consputum, sanguine sacro perfu-
B sum, spinis coronatum, et purpurea veste indutum, eduxit te præses ad populum Judæorum, ut redderet eum tibi placatum.

Tunc vociferabant : Tolle, tolle, crucifige eum. Sicque te Agnum innocentem nil respondentem, damnavit præses ad crucis patibulum.

Fac nos, Christe, tibi amorose configi : cui cum Patre et Spiritu Sancto est honor et gloria in sæculo æternali. Amen.

C ### *Laus Dei ex Evangelio, de eadem Christi passione.*

BAJULANS propriam crucem, existi, o Christe, ad locum tormentorum, ubi te Sanctum Sanctorum crucifixerunt ac suspenderunt in medio latronum duorum. *Ibid.* 17, 18.

Manus tuas et pedes tuos diris clavis atrocissime perforarunt; aceto, vino myrrhato felle mixto, te potaverunt; atque in cruce membra tui sanctissimi ac tenerrimi corporis violentissime extenderunt :
D solutis enim et ruptis membrorum junctu-
ris, poterant tua ossa numerari. *Matth.* xxvii, 48, 34. *Marc.* xv, 23. *Ps.* xxi, 17, 18.

Tunc corporaliter sitiebas siti pœnali, corpore tuo arefacto, lassato et exsiccato effusione sanguinis vehementi. *Joann.* xix, 28.

Te multipliciter irridebant dicendo : Christus rex Israel nunc descendat de cruce. Tu vero dixisti : Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt culpæ. *Marc.* xv, 32. *Luc.* xxiii, 34.

Præ inæstimabili pœna clamasti ad Patrem, o Christe : Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? *Matth.* xxvii, 46.

Digitized by Google

Sic enim acerbissime patiebaris, quasi relictus fuisses a Deo, et apparebas
Is. LIII, 4. quasi leprosus, percussus et humiliatus ab eo.

Joann. XIX, 26, 27. Matri tuæ dulcissimæ tibi fidelissime compatienti, vehementissime condoluisti; eamque dilecto adstanti discipulo, filiali sollicitudine commisisti.

Ibid. 30; *Luc.* XXIII, 46. Quum dixisses, Consummatum est, in manus Patris animam tuam commendasti; inclinatoque capite, et voce magna potestative exclamans, spiritum tradens exspirasti.

Matth. XXVII, 54. Quo viso, te Filium Dei esse pensavit et dixit centurio, sciens clamorem tam validum non esse formatum vigore humano ac solito.

Tunc ad divinitatis tuæ declarationem, machina mundialis passa est mirabilem immutationem.

Luc. XXIII, 45. Obscuratus est enim sol, et rediit luna, se tempore oppositionis soli supponens virtute divina.

Matth. XXVII, 51-53. Tunc scissæ sunt petræ et mota est terra, ruptum est velum templi, et multa Sanctorum resuscitata sunt corpora.

Ibid. 57-60, 66. Quum sepelissent te tui, adhibuerunt custodes Judæi, lapidem monumenti signantes, cum custodia præsidis militari.

Luc. XXIII, 48. Porro omnis turba, viso quod sic exspirasses, et visis mirabilibus Dei, percutiens pectus suum reversa est, dolens tantum flagitium commissum in virum sanctum, dolore ingenti.

Fac nos tuis beneficiis gratos, et te cruciformiter imitari, tibi cordialiter compati, et passionis tuæ fructum feliciter adipisci.

Tibi, mundi Redemptor, gratiarum actio, laus, honor, virtus et gloria, qui tanta pro nobis dignatus es pati caritate præfervida et pietate eximia.

Summæ supersanctæque Trinitati adoratio, majestas et gloria sempiterna, cujus voluntate, pietate ac providentia, hoc modo salvata est nostra natura.

Laus Dei ex Evangelio, de Christi resurrectione.

Tertia die a passione venerunt, Domine, ungere corpus tuum mulieres devotæ : quibus apparuit angelus Dei asserens te jam resurrexisse. *Marc.* XVI, 1 et seq.

Descendente angelo, cujus erat ut fulgur adspectus, factus est circa sepulcrum terræ motus prægrandis; revolvitque lapidem a sepulcro, de quo clauso eras egressus. *Matth.* XXVIII, 2-4.

Præ timore angeli, territi et velut mortui facti sunt sepulcri custodes. Habebatque angelus vestes ut nix albissimas atque fulgentes.

Deinde mulieribus consternatis apparuerunt angeli duo : qui eas de resurrectione plenius instruxerunt continuo. *Luc.* XXIV, 4-7.

Porro Maria Magdalene vidit duos angelos in spelunca, unum ad caput aliumque ad pedes, ubi positum fuit corpus tuum sub terra. *Joann.* XX, 11, 12.

Surgens tu, Jesu, mane prima sabbati, apparuisti primo Magdalenæ in specie hortulani. Hinc feminis a sepulcro redeuntibus occurristi. *Marc.* XVI, 9; *Joann.* XX, 14-16. *Matth.* XXVIII, 8-10.

Præterea custodes nuntiaverunt principibus cuncta quæ contigerant : qui pecuniam copiosam eis largiti sunt, ut corpus tuum a discipulis tuis nocte sublatum dormientibus ipsis assererent. *Ibid.* 11-15.

Apparuisti quoque in die resurrectionis, in alia effigie, duobus discipulis in Emmaus euntibus. Quibus dixisti : Nonne hæc oportuit pati Christum, sicque intrare in gloriam suam, juxta Prophetarum eloquium? *Luc.* XXIV, 13 et seq.

Post hæc apparuisti Apostolis, Thoma absente, in die resurrectionis, manus, pedes et latus videnda atque palpanda exhibens eis. *Joann.* XX, 19, 20.

Manducasti, Domine, in conspectu eorum. Quibus dixisti : Oportet impleri omnia scripta de me in Prophetis et Psalmis legeque Moysis. *Luc.* XXIV, 41-47.

Oportuit te Christum pati, et tertia die resurgere, atque in nomine tuo pœni-

Digitized by Google

tentiam ac remissionem peccatorum prædicari ubique.

Joann. xx, 22, 23. Tunc per insufflationem dedisti Apostolis Spiritum Sanctum, potestatemque remittendorum ac retinendorum peccaminum.

Ibid. 26,27, 29. Rursus, post dies octo venisti ad Apostolos januis clausis, Thoma præsente : cui manus et latus palpanda præbuisti, o Christe : Beati (inquiens) qui non viderunt et crediderunt in me.

Ibid. xxi, 1-11. Iterum apparuisti septem discipulis ad mare Tiberiadis : qui te operante, subito concluserunt centum quinquaginta tres pisces eximiæ magnitudinis, nec scissum est rete tantis ponderibus.

Ibid. 15-17. Tunc ter sciscitatus es Petrum an te amaret, eique specialiter præcepisti ut oves tuas educaret.

Tuæ passioni nos, Christe, conforma, ut *Coloss.* III, 1. tecum consurgamus quærendo cœlestia.

Tibi cum Patre et Spiritu Sancto honor, hymnus, lætitia : cum quibus est tibi una natura, et operatio una, ac indivisa adeptio. Amen.

Laus Dei ex Evangelio, de eadem Christi resurrectione.

Matth. xxviii, 16-20. Undecim Apostolis in monte Galilææ apparuisti : quibus datam tibi esse omnem potestatem in cœlo et in terra dixisti.

Quibus jussisti ut euntes docerent et baptizarent omnes gentes, docendo eos servare quæcumque mandasti Apostolis, primis inter credentes.

Tunc promisisti discipulis atque Ecclesiæ militanti, te esse cum eis cunctis diebus usque ad finem consummationemque sæculi.

Marc. xvi, 14-18. Novissime apparuisti undecim Apostolis recumbentibus, quibus dixisti : Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium cunctis hominibus.

Credentem fide formata et baptizatum, dixisti salvandum, incredulum vero damnandum.

Denique, credentes dixisti in nomine tuo ejecturos dæmonia, locuturos linguis novis ac variis, et sine læsione bibituros venena ; impositione manus languidos sanaturos, et serpentes tua virtute sine nocumento calcaturos.

Hæc signa quidam tuorum, o Christe, corporaliter peregere, prout opportunum fuit pro hominum conversione, expediensque Ecclesiæ.

Præcepisti discipulis in Jerusalem sedere ac permanere, donec Spiritu Sancto recepto, induerentur cœlesti virtute ex alto. *Luc.* xxiv, 49.

Eduxisti postremo discipulos ex conclavi usque Bethaniam : quibus cernentibus ascendisti in cœlum, elevata manu dans eis benedictionem, qui nunc ad Patris æternaliter resides dexteram. *Ibid.* 50-51. *Marc.* xvi, 19.

Qui adorantes, regressi sunt in Jerusalem cum gaudio magno ; erantque semper laudantes ac benedicentes Deum in templo.

Da nobis, Christe, tibi feliciter conglorificari, et a ruina peccati, quotiescumque labimur, mox suscitari.

Tibi cum Patre et Spiritu Sancto laus, honor, majestas et gloria : cum quibus est tibi una, æterna, adoranda, infinita, perfecta essentia. Amen.

Laus Dei ex epistola Pauli ad Romanos.

Tu, Christe, factus es Deo Patri ex semine David secundum carnem : qui prædestinatus es Filius Dei in virtute, secundum sanctificationis Spiritum, ex resurrectione mortuorum tuorum. *Rom.* I, 3, 4.

Gratia nobis et pax detur a te Deo Patre æterno, et a te Domino nostro Jesu Christo, qui ut Deus, unus es dator cum illo. *Ibid.* 7.

Evangelium tuum, Christe, virtus est Dei : ejus enim justitia revelatur in eo in salutem omni credenti. *Ibid.* 16, 17.

Invisibilia tua, Deus, per ea quæ facta sunt cognoscuntur ; sempiterna quoque virtus tua et divinitas per creata noscuntur. *Ibid.* 20, 21.

Digitized by Google

Inexcusabiles sunt qui te cognoscentes, non te sicut Deum honorant aut gratias agunt, sed in suis cogitationibus evanescunt.

Rom. I, 28-31. Hinc tradis hujusmodi in reprobum sensum et in concupiscentias varias : ita ut faciant ea quæ non conveniunt, sequendo motus et passiones diversas.

Ibid. II, 1, 3. Inexcusabilis est coram te, Domine, qui inordinate alium judicat : non enim judicium tuum effugiet, sed eadem aut similia faciendo, se ipsum condemnat.

Ibid. 4. Divitias bonitatis, patientiæ et longanimitatis tuæ, Domine, nemo nostrum contemnat : quoniam benignitas tua, Deus super omnia benedicte, ad pœnitentiam nos adducit.

Ibid. 5. Impius autem, secundum impœnitentiam atque duritiam cordis sui thesaurizat sibi iram tuam, Christe, in die justi judicii tui.

Ibid. 6-8. Tu nempe reddes unicuique secundum opera sua : bonis, gloriam et honorem in patria ; contentiosis vero et reprobis, sempiterna tormenta.

Ibid. 13. Non auditores legis informes, justi sunt apud te, Domine, sed factores legis evangelicæ justificabuntur a te.

Ibid. III, 4, 23, 24. Tu, Deus, es verax, et omnis homo mendax : omnes siquidem peccaverunt, et egent gloria tua, qui salvator es efficax.

Ibid. IV, 17. Tu, Deus, vivificas mortuos, et vocas ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt.

Ibid. 25. Traditus es, Christe, propter delenda nostra delicta, et resurrexisti propter justificationem nostram, propria potestate divina.

Da nobis legem implere, inordinata judicia devitare, patientiam et longanimitatem tuam cordialiter venerari atque amare.

Tibi gloria et majestas, honor et infinita potestas, Pater et Fili ac Spiritus Sancte, summe simplexque Deus, omnipotens Trinitas. Amen.

Ibid. V, 1-3. Justificati ex fide tua, o Christe, pacem habeamus ad Deum per te.

Per te accessum habemus in gratiam in qua stamus, et tua virtute in spe gloriæ filiorum Dei humiliter exsultamus.

Per tuam gratiam, Deus, in tribulationibus gloriemur, atque in omnibus veram jugiter patientiam operemur.

Spes tua, Christe, non confundit sperantes, sed salvat : quoniam caritatem divinam nostris cordibus tua bonitas donat per Spiritum Sanctum, qui mentes electorum, te miserante, inhabitat. *Rom.* V, 5.

Commendas caritatem tuam, o Deus, in nobis : quoniam quum adhuc peccatores et inimici essemus, pro nobis, te volente, occisus est Christus. *Ibid.* 8-10.

Si quum adhuc inimici essemus, reconciliati sumus tibi, Pater æterne, per mortem Filii tui ; multo magis nunc justificati et reconciliati in sanguine ejus, salvi erimus, te agente, in vita ipsius felici.

Sicut per Adam peccatum, et per peccatum mors intravit in mundum ; sic per tuam, Christe, justitiam, virtus, salus et vita procedunt in omne genus humanum. *Ibid.* 12, 18-20.

Quemadmodum enim per inobedientiam unius, utputa Adæ, peccatores constituti sunt multi ; ita per obedientiam unius, per tuam utique, Christe, justi constituuntur quamplurimi.

Tanta est, naturaliter bone, tua clementia, ut frequenter ubi abundavit delictum, abundet et gratia.

Quicumque baptizati sumus in te, Domine Jesu Christe, in tua baptizati sumus morte, consepulti tibi in Baptismo, in nostræ interitum culpæ. *Ibid.* VI, 3-5.

Sicut tu, Christe, resurrexisti a morte per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitæ coram te ambulemus.

Etenim, si mortis tuæ similitudini complantamur, simul et resurrectionis tuæ similitudinem sortiemur.

Tu, Christe, resurgens ex mortuis, ultra non morieris ; nec mortis dominio tu auctor vitæ amplius subjicieris. *Ibid.* 9, 10.

Quod enim mortuus es peccato, illud delendo, mortuus es semel tantummodo ; quod autem vivis, vivis immortaliter Deo.

Digitized by Google

Rom. VI, 12, 13. Da ne regnet peccatum aut concupiscentia in carne nostra mortali, nec serviant membra nostra peccato, sed Deo et æquitati.

Gloria, laus et honor sit tibi, æterne omnipotensque Creator, Pater, Fili Spiritusque Sancte, Deus sublimis, adorande incomprehensibilisque Salvator. Amen.

Ibid. VIII, 1-3. Nihil damnationis est his qui per caritatem et gratiam sunt in te, Jesu Christe, non ambulantes carnaliter : quos liberavit lex spiritus vitæ.

Tu, Deus Pater, Filium tuum mittens in similitudinem carnis peccati, de peccato damnasti peccatum in carne Christi, Unigeniti tui.

Ibid. 6. Prudentia spiritus, quam tu præstas, vita et pax affirmatur; porro prudentia carnis et mors, tibi Deo altissimo inimicatur.

Ibid. 9, 8. Qui Spiritum tuum, Christe, non habet, non est tuus per gratiam; nec placent tibi, Deus justissime, qui ambulant secundum carnem.

Ibid. 11. Si Spiritus tuus, o Deus Pater, manet in nobis, corpora nostra mortalia vivificabis, propter inhabitantem Spiritum tuum in cordibus nostris.

Ibid. 14-18. Quicumque Spiritu tuo aguntur, o Deus, hi tui sunt filii : qui non acceperunt spiritum servitutis in timore servili, sed adoptionis filiorum, in quo clamant, Abba (Pater), tibi Deo omnipotenti.

Spiritus tuus testimonium perhibet nostro spiritui, quod sumus, o Deus, filii tui; heredes utique tui, coheredesque Christi : si tamen compatimur, ut conglorificemur ei.

Non sunt condignæ passiones temporis hujus ad futuram gloriam, quam revelabis, Deus æterne, in nobis.

Ibid. 23. Viatores tui electi intra se gemunt, adoptionem filiorum tuorum exspectantes :

Ibid. VII, 24. desiderio te videndi clamantes, Quis nos liberabit de corpore mortis hujus?

Ibid. VIII, 26. Spiritus tuus, Domine, nostram adjuvat infirmitatem : nam quid oremus sicut oportet, nescimus per propriam sagacitatem; sed ille nostram ad orandum salubriter instruit cæcitatem.

Rom. VIII, 28-39. Scimus quoniam diligentibus te, Domine, omnia cooperantur in bonum, his qui vocati sunt sancti secundum tuum æternum propositum.

Quos enim ad vitam præscisti, prædestinasti conformes fieri tuo Filio naturali : ut sit ipse primogenitus in multis fratribus, cunctis electis placitis tibi.

Denique quos prædestinasti in æternitate, vocasti ad fidem in tempore; vocatos justificasti gratiæ infusione; justificatos magnificasti gloriæ collatione.

Si tu, Deus, pro nobis, quis contra nos prævalebit? Qui proprio Filio tuo non pepercisti, sed pro omnibus nobis illum in mortem dedisti, nonne omnia nobis cum illo donasti?

Quis ergo accusabit adversus electos tuos quos adamasti, quum et Christus pro eis ad te interpellet, sedens ad dexteram tuam in regno cœlesti?

Quis ergo nos separabit, o Christe, a tua dilectione? Nulla nos unquam separet creatura, o Deus sublimis, a tuo amore, qui est in te, Christe Jesu, nostro Salvatore.

Da nobis sæcularem atque carnalem detestari prudentiam, a te fonte sapientiæ salutarem haurire scientiam, inexstinguibilem divinæ dilectionis sortiri fervorem.

Tibi infinita lætitia et incircumscripta majestas cum omni honore et gloria, Pater et Fili ac Spiritus Sancte, Deus simplex, Trinitas benedicta. Amen.

Ibid. IX, 18. Tu, Deus metuende, cujus vis misereris, et quem vis induras : qui ex eadem *Ibid.* 21-23. massa vasa iræ et vasa misericordiæ formas.

Fecisti vasa misericordiæ tuos electos, ut in eis ostendas divitias gloriæ tuæ, magnitudinem scilicet caritatis, liberalitatis atque clementiæ tuæ deifluæ.

Operatus es etiam vasa iræ, volens tuam potestatem et æquitatis tuæ rigorem ostendere.

Digitized by Google

Rom. IX, 20. Non est, o Deus sublimis et sancte, qui tibi valeat respondere, non est qui te queat arguere; nec dicit figmentum fictori, Quid ita fecisti me?

Ibid. X, 3, 4. Ignorantes tuam justitiam, Domine, et suam volentes statuere, non sunt subjecti tuæ justitiæ, nec justi sunt vere.

Ibid. 11, 12. Tu, Christe, finis es legis, ad salutem cunctis credentibus. Omnis qui credit in te, non confundetur ullatenus : siquidem idem Deus omnium, dives in omnes se invocantes mente tenus.

Ibid. XI, 2, 6. Non repellis, Domine, plebem tuam, quam per prædestinationem præscisti : quam non ex operibus ejus, sed gratia tua misericorditer redemisti.

Ibid. 20, 22. Da ne superbiendo altum de nobis sapiamus, sed formidemus, tuamque, Deus superbeatissime, bonitatem et severitatem sapienter pensemus.

Ibid. 33-36. O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ tuæ, Divinitas adoranda! Quam incomprehensibilia sunt judicia tua, et investigabiles viæ tuæ, Trinitas superglorificanda!

Quis enim sensum tuum cognovit? Aut quis consiliarius tuus fuit? Aut quis prior dedit tibi, et retribues ei? Palam quod nullus : quoniam ex te, per te et in te sunt omnia, Domine cœli.

Tibi honor et gloria, Princeps altissime omnis rei.

Ibid. XII, 1-3. Corpora nostra fac tibi nos exhibere hostiam sacram, vivam, placentem, ut tibi, Deus omnipotens, in omnibus exhibeamus rationabilem servitutem.

Ne huic sæculo conformemur, sed in anima reformemur; nec plus quam oportet, sed sobrie sapere semper conemur.

Ibid. 12, 11, 16. Spe simus gaudentes, spirituque ferventes, orationi semper instantes; non æstimemus nos ipsos prudentes.

Ibid. 19, 18. Non nosmetipsos, o Domine, in vitiis defensemus; verum, quantum in nobis est, cum omnibus pacem habere curemus.

Ibid. 17, 20. Nulli malum pro malo reddamus, mala inferentibus benefaciamus, et bona coram Deo atque hominibus provideamus.

Amore tui, a quo omnis derivatur potestas, superioribus subdamur : qui enim potestati resistunt, tuæ ordinationi resistunt, et condemnationem eos acquirere protestamur. *Rom.* XIII, 1, 2.

Nemini quidquam debeamus, nisi ut invicem diligamus : sic enim legem tuam implemus, quoniam plenitudinem legis esse dilectionem, veraciter affirmamus. *Ibid.* 8, 10.

Nemo nostrum sibi vivat, sed tibi, Deus gloriose et sancte, ut sive vivamus sive moriamur, inveniamur pertinere ad te. *Ibid.* XIV, 7-9.

Ad hoc tu, Christe, mortuus esse censeris, ut vivorum ac mortuorum domineris.

Ante tuum tribunal omnes mox stabimus, et pro nobis ipsis rationem singuli dabimus. *Ibid.* 10, 12, 13.

Non igitur amplius invicem judicemus; sed ne fratribus offendiculum ponamus, diligenter curemus.

Regnum tuum, Deus, non est esca et potio, sed justitia, pax et gaudium in Spiritu Sancto. *Ibid.* 17.

Da firmioribus imbecillitatem infirmorum æquanimiter sustinere, nec sibi inaniter complacere; sed proximis nostris omnes placeamus in bono et æquitate. *Ibid.* XV, 1, 2.

Quæcumque in Scripturis sacris, Domine, revelasti, ad nostram doctrinam voluisti conscribi, ut per patientiam et consolationem Scripturarum, spem habeamus in te Deo sublimi. *Ibid.* 4-6.

Deus patientiæ atque solatii, da nobis id ipsum in alterutrum sapere, ut unanimes honorificemus te Patrem Domini nostri Jesu Christi, in omni virtute.

Tu, Christe, minister circumcisionis fuisti, illam in tuo corpore suscipiendo propter veritatem Dei, ad confirmandas patrum promissiones factas de cœlo. *Ibid.* 8.

Deus spei, reple nos omni gaudio et pace in credendo, ut abundemus in spe et virtute Spiritus Sancti, repleti ejus septemplici dono. *Ibid.* 13.

Soli sapienti Deo Patri et Filio ac Spiritui Sancto, honor et gloria sine fine, uni simplicissimo universorum principio. Amen. *Ibid.* XVI, 27.

Digitized by Google

Laus Dei ex Pauli ad Corinthios epistola prima.

I *Cor.* I, 5, 7. In omnibus divites efficiamur in te, Domine, virtus æterna, ut nihil nobis desit in ulla gratia profluente a tua clementia.

Ibid. 9, 10. Fidelis Deus Pater, per quem in Filii tui societatem sumus vocati, in te semper in eodem sensu et in eadem scientia simus perfecti ac consummati.

Ibid. 18, 20. Verbum crucis tuæ, o Fili Dei, pereuntibus quidem exstat stultitia ; electis vero virtus est Dei, a quo mundi hujus sapientia reputatur et facta est velut dementia.

Ibid. 24, 27, 28. Tu, Christe, es virtus et sapientia Patris æternaliter te gignentis, infirma, abjecta et contemptibilia hujus sæculi eligentis.

Ibid. 30, 31. Tu factus es nobis a Patre sapientia, justitia, sanctificatio atque redemptio, ne in aliquo unquam glorietur anima nostra nisi in Deo vero, omnipotente, altissimo.

Ibid. II, 4, 5. Prædicatio Evangelii tui, non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis facta est aut fundata, sed in ostensione spiritus et virtutis deificæ, ne in sapientia hominum fides nostra sit radicata.

Ibid. 9, 10. Oculus non vidit, nec auris audivit, neque cor hominis cogitavit quæ bonitas tua et caritas, Deus altissime, te amantibus præparavit.

Nobis vero hæc revelasti per Spiritum Sanctum, omnia, etiam profunda Dei, scrutantem et comprehendentem ad plenum.

Ibid. 12. Spiritum Sanctum infundis electis, ut sciant quæ a te Deo donata sint eis, et grati sint tuæ munificentiæ bonitatis.

Ibid. III, 3. Non sit inter nos, Domine, zelus et contentio, nec carnales inveniamur tuo judicio.

Ibid. 11, 16. Fundamentum aliud nemo ponere potest præter te Christum, cujus fideles sunt templum, habendo manentem in se Spiritum Sanctum.

Ibid. IV, 5. Non ante tempus judicemus, Domine, quoadusque venias acturus judicium, quando illuminabis abscondita tenebrarum, et manifestabis consilia cordium.

Tibi cum Patre et Spiritu Sancto laus, honor, virtus et gloria, cum quibus unus es Deus, vivens et regnans per sæcula infinita. Amen.

Pascha nostrum tu immolatus es, Christe. Epulari nos fac in azymis veritatis atque munditiæ. I *Cor.* V, 7, 8.

Corpora nostra tua sunt membra, mundi Salvator ; et qui tibi adhæret, unus tecum fit spiritus, universorum Creator. *Ibid.* VI, 15, 17.

Membra nostra templum tuum sunt, Spiritus Sancte : quem a te habeamus, Christe altissime, qui magno pretio nos redemisti, tuo sanctissimo sanguine. *Ibid.* 19, 20.

Glorificemus igitur et portemus te Deum in corpore nostro, rationis judicio cultuique divino illud jugiter subjiciendo.

Unusquisque proprium donum sortitur a te excelso, alius quidem sic, alius vero sic, a te Deo tranquillo, qui in pace nos vocasti hoc loco. Quemlibet nostrum da digne ambulare sicut vocatus est. *Ibid.* VII, 7, 15, 17.

Qui vero te diligit, Deus, hic per approbationis scientiam tibi est notus, Conditor meus. *Ibid.* VIII, 3.

Nobis unus est Deus Pater, tu, Pater æterne, ex quo omnia, et nos in te ; et unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, et nos per ipsum omnimode. *Ibid.* 6.

Fidelis es, Deus, qui non sinis nos ultra vires tentari, sed facis cum tentatione proventum, ut valeamus hanc pati. *Ibid.* X, 13.

Calix benedictionis, communicatio sanguinis tui est, Domine ; panis quoque quem sumimus, participatio corporis tui est, Christe. *Ibid.* 16.

Quicumque manducaverit panem hunc et biberit calicem istum indigne, reus erit corporis et sanguinis tui, Redemptor mundi dignissime. *Ibid.* XI, 27.

Nemo, o Fili Dei, dicere tibi potest, Dominus Jesus, cum cordis affectu, nisi in Spiritu Sancto, cujus necessaria est motio in omni meritorio actu. *Ibid.* XII, 3.

Alii per te, Spiritus Sancte, datur sermo sapientiæ ; alii sermo scientiæ, alii gratia sanitatum, alii operatio virtutum, o adorande Paraclete. *Ibid.* 8-11.

Digitized by Google

Alii prophetia, alii discretio spirituum per te præstatur; alii interpretatio sermonum, alii donum linguarum per te clementer donatur.

Hæc omnia operaris tu unus idemque Spiritus, prout tu ipse vis dividens singulis : quæ omnia tanquam verus Deus liberrime efficis.

I *Cor.* XII, 28. Tu diversos in Ecclesia statuisti gradus et ordines : primo Apostolos, secundo Prophetas, tertioque doctores; deinde virtutes et gratias curationum ac opitulationes, gubernationes et linguas, sermonumque insuper interpretationes.

Magnificentia, gloria atque imperium Patri et Filio et Spiritui Sancto, per interminabile ævum. Amen.

Ibid. XIII, 1-4. Sine caritate Dei et proximi nil nobis prodest, o Christe, ad vitam æternam. Caritas autem benigna et patiens fertur, non agens quid perperam.

Ibid. 8-10. Caritate non excidente, te Deum ex parte cognoscimus; veniente autem perfecto, evacuandum quod ex parte est, credimus.

Ibid. 12; *Matth.* V, 8. Videmus nunc te, Domine, per speculum in ænigmate; tunc vero facie ad faciem, si mundum sit cor nostrum, cernemus te.

I *Cor.* XIV, 20, 40. Non parvuli efficiamur sensu, sed pravitate; omnia quoque honeste et secundum ordinem fiant in nobis, dirigente nos tua bonitate.

Ibid. 33, 38. Non es dissensionis Deus, sed pacis, o Deus, origo scientiæ salutaris, qui ignorantem ignorabis.

Ibid. XV, 3. Tu, Christe, mortuus es pro nostris

Ibid. 5-8. peccatis auferendis : qui post mortem apparuisti Cephæ, hinc undecim, post simul fratribus plus quam quingentis.

Insuper visus es Jacobo, deinde cunctis Apostolis. Postremo visus es Paulo, qui

Act. IX, 15. vas est tuæ electionis.

I *Cor.* XV, 10. Gratia tua, Deus, sum id quod sum : gratia tua cor meum esse non sinat infructuosum.

Ibid. 20-22. Tu, Christe, resurrexisti a morte, primitiæ dormientium : quia enim per hominem inducta est mors, et per te hominem est resurrectio mortuorum.

Et sicut in Protoplasto omnes moriuntur, originale peccatum ab ipso trahendo; ita in te, Christe, omnes vivificabuntur, tuæ resurrectionis gloriam participando.

Deinde finis sæculi, quum tradideris regnum Deo et Patri, quum evacuaveris omnem principatum, potestatem, virtutem in ordine universi. I *Cor.* XV, 24.

Quum autem subjecta fuerint omnia illi, tunc et tu, Fili Dei, omnibus innotesces subjectus Patri secundum formam servi. *Ibid.* 28.

Hoc, ut sis tu, Deus, omnia in omnibus, non quasi formale esse eorum, sed præsidens cunctis, et objectaliter, fruitive atque causaliter omnia exsistens Beatis.

In te enim simplicissimo, uno summoque bono, possident omnia, et tu eis es omnia : quoniam quidquid desiderant, cernunt et habent in tua essentia.

Gloria, beatitudo, imperium tibi, Trinitas adoranda, Pater et Fili ac Spiritus Sancte, quorum est unus intellectus voluntasque indivisa. Amen.

Tu, Deus omnipotens, corpora electorum in resurrectione quatuor dotibus adornabis : erunt enim clara, impassibilia, agilia atque subtilia nimis; ex ossibus tamen compacta et carnibus. *Ibid.* 42-44.

Primus homo de terra, terrenus; tu, Christe, homo conditione secundus, de cœlo, cœlestis. *Ibid.* 47.

Sicut portavimus imaginem terreni, assimilati ei per culpam; sic tuam portemus imaginem, o cœlestis, tibi assimilati per gratiam. *Ibid.* 49.

Universos tu, Domine, suscitabis, sed solos electos immutabis; hocque in momento, in ictu oculi, in novissima tuba patrabis. *Ibid.* 51, 52.

Denique, mortali huic corpori immortalitate collata, absorpta erit mors in victoria, quasi ab electorum catalogo prorsus deleta. *Ibid.* 54.

Digitized by Google

Tunc enim virtute et merito tuæ passionis, Salvator, dabit electis plenam immortalitatem et impassibilitatem sublimis omnipotensque Creator.

I *Cor.* xv, 57, 58. Gratias tibi, Deus, qui per Christum das nobis victoriam. Da nobis in bono stabilem atque immobilem mentem, in omni opere meritorio supereffluentem.

Scimus enim quod labor noster bonus, *Apoc.* xxii, 12. non sit in te aliquo modo inanis, qui unicuique secundum studia sua et cordis sui intentionem atque amorem retribuis.

I *Cor.* xvi, 13, 14. Tua virtute et gratia vigilemus, stemus in fide, viriliterque agamus; Spiritu Sancto quotidie confortemur, et omnia nostra in caritate purissima faciamus.

Laus, hymnus et gloria Patri ac Filio cum Spiritu Sancto, Creatori potenti, rectori sapienti, remuneratori justissimo. Amen.

Laus Dei ex secunda Pauli ad Corinthios epistola.

II *Cor.* i, 3-5. Benedictus es tu, Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, Pater misericordiarum, et universæ consolationis internæ spiritualisque gaudii, qui consolaris nos in omni tribulatione nostra per gratiam Spiritus Sancti.

Quemadmodum Christi Filii tui passiones in nobis abundant, sic per Christum, te operante, consolationes nostræ exuberant.

Ibid. 9, 12. Non in nobis, sed in te, Domine Deus, confidamus; et gloria nostra testimonium sit conscientiæ nostræ tuæ gratiæ innitentis.

Ibid. 21, 22. Tu, Deus, es qui nos unxisti atque signasti, qui pignus Spiritus Sancti in cordibus nostris donasti.

Ibid. ii, 14, 15. Gratias agimus tibi, Deus, qui nos semper triumphas in Christo, et notitiæ tuæ odorem manifestas per nos in omni loco. Fac ut bonus Christi odor simus incessanter omni momento.

Ibid. iii, 4, 5. Fiduciam talem habemus ad te, Deus, per Jesum Christum, qui non sufficimus cogitare aliquid a nobis quasi ex nobis meritorium, sed sufficientia nostra ex te est, Domine Deus virtutum.

Habentes denique spem talem in te, II *Cor.* iii. multa fiducia utimur, innitendo clementiæ tuæ. 12.

Tu, Domine, Spiritus es; et ubi Spiritus *Ibid.* 17, 18. tuus, ibi vera libertas, a peccati et dæmonum jugo immunitas, atque sub tuo imperio ingenua ac nobilissima servitus.

Da nobis revelata facie tuam, Domine, gloriam speculari, et in eamdem deiformis assimilationis imaginem transformari a Spiritu tuo, a claritate in claritatem faciente nos progredi.

Deus, qui dixisti de tenebris lumen *Ibid.* iv, 6, 7. splendescere, nostræ irradia intima animæ ad illuminationem claritatis tuæ scientiæ.

Thesaurum supernaturalium donorum tuorum habemus in vasis fictilibus, fragilibus istis corporibus, ut sublimitas sit tuæ virtutis, et nequaquam ex nobis.

Semper mortificationem tuam, Christe, *Ibid.* 10. nostro circumferamus in corpore, quatenus vita tua manifestetur in eo rationi in omnibus obediente.

Quamvis is qui foris est noster homo *Ibid.* 16-18 corrumpatur, is tamen qui intus est, tua, Deus, gratia quotidie renovetur ac perficiatur.

Id quod in præsenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum æternum gloriæ pondus operatur in nobis contemplantibus invisibilia tua, Domine.

Sempiternus honor, interminabile regnum et gloria infinita, tibi superglorio- sissimæ Trinitati, cujus est purissima ac supergaudiosissima vita. Amen.

Scimus, Domine, quod domum non ma- *Ibid.* v, 1, nufactam, æternam, nobis præparasti in 2. cœlis: ad quam adipiscendam cum gemitu suspiramus, exsulantes in terris.

Quum enim in hoc corpore commora- *Ibid.* 6, 7. mur, a te, Deus omnipotens, peregrinamur: quia per fidem, non per speciem, ambulantes, a patria et plena beatitudine elongamur.

Digitized by Google

II *Cor.* v, 15, 19. Pro omnibus tu occisus es, Fili Dei, ut qui vivunt, non sibi vivant, sed tibi, in quo erat Pater mundum reconcilians sibi.

Ibid. 21. Tu, Christe, qui peccatum non noveras, pro nobis factus es peccatum : quia ut homo fieres, occasio fuit nostrum piaculum, ut efficeremur justificati per tuum ministerium.

Ibid. VI, 3-10. Da ut nulli demus aliquam offensionem, ne vituperetur ministerium nostrum, sed in omnibus puram tibi exhibeamus ministrationem, per stabile exercitium universarum virtutum.

Ibid. VII, 1. Munda nos, Domine, ab omni inquinamento carnis et animæ ; perfice sanctificationem in nobis, in tuo casto ac filiali timore.

Ibid. VIII, 9. Tu, Christe, propter nos factus es pauper, quum esses dives, ut tuæ inopiæ merito locupletaremur, suscipiendo a te gratias spirituales.

Ibid. IX, 8, 7, 15. Potens es, Domine, qui hilarem datorem diligis, omnem gratiam facere superabundare in nobis : quod te facere, cordialissime petimus. Gratias tibi agimus super tuis inenarrabilibus donis.

Ibid. X, 3, 17. In carne ambulantes, non secundum carnem militemus ; gloriantes quoque, non in nobis, sed in te, Domine, exsultemus.

Ibid. XII, 2-4. Tu, Deus piissime, Paulum in paradisum et usque ad tertium cœlum rapuisti ; tu ei verba arcana, quæ non licet homini loqui, mirabiliter revelasti.

Ibid. XIII, 11. Deus pacis ac dilectionis, tu cum pacem habentibus esse dignaris.

Ibid. 13. Gratia tua, Jesu Christe, et caritas tua, Pater æterne, atque communicatio donorum tuorum, Spiritus Sancte, sit semper cum omnibus nobis piissime.

Tibi, Pater sancte, Filique adorande, cum supergloriosissimo Paracleto, laus, honor, virtus, gloria, per omnia sæcula, in terra et in cœlo. Amen.

Laus Dei ex Pauli ad Galatas epistola.

Galat. I, 4, 5. Tu, Jesu Christe, dedisti te ipsum pro nostris peccatis in mortem, ut eriperes nos de præsenti sæculo nequam, secundum Dei Patris, cui est sempiterna gloria, voluntatem.

Tanta est, mundi Redemptor, tuæ evangelicæ legis firmitas, certitudo et veritas, ut licet Apostolus aut angelus de cœlo evangelizaret contrarium, anathema habendum esset et falsitas. *Galat.* I, 8, 9.

Qui hominibus quærit inaniter complacere, tuus, Christe, non potest servus consistere. *Ibid.* 10.

Tu, Deus, personam non accipis hominis, nec justificas quemquam ex Mosaicæ legis operibus, sed per fidem formatam et Evangelium Salvatoris. *Ibid.* II, 6, 16.

Tibi, Christe, confixus sum cruci : vivo itaque jam non ego mihi, sed tu in me, conformans me tibi. *Ibid.* 19, 20.

Quod autem nunc vivo in carne, in fide tua vivo, Dei Unigenite, qui dilexisti me, et tradidisti temetipsum pro me.

Non sic, Domine, stulti efficiamur, ut quum spiritu cœperimus, carne miserabiliter consummemur. *Ibid.* III, 3.

Tu, Christe, nos redemisti a legis maledicto, factus pro nobis maledictum : suspensus es in ligno. *Ibid.* 13.

Omnes filii tui sumus, Deus Pater, per fidem Jesu Filii tui : quem, plenitudine temporis adimpleta, in mundum misisti, natum ex Virgine, subditum legi, ut eos qui sub lege erant redimeret, adoptionemque filiorum a te omnis homo susciperet. *Ibid.* 26. *Ibid.* IV, 4, 5.

Tibi, Fili Dei, cum Patre et Spiritu Sancto, omnis honor, virtus et gloria, in interminabili ævo. Amen.

Quoniam adoptivi filii tui sumus, Pater altissime, misisti Spiritum naturalis ac unici Filii tui in corda nostra piissime, qui clamare nos facit, Abba (Pater), ad te. *Ibid.* 6, 7.

Hinc Christianus non est tuus tantummodo servus, sed amicus, filius et heres.

Bonum semper æmulemur in bono, Christe, rex omnium : in quo circumcisio nihil valet, neque præputium ; sed fides per dilectionem operans, efficit tibi gratum. *Ibid.* 18. *Ibid.* V, 6.

Digitized by Google

Galat. v, 19-23. Opera carnis iniqua aufer, clementissime Deus, semper a nobis; et fructibus Spiritus Sancti nos imple penitus, caritate, gaudio, patientia, mansuetudine, pace, ac reliquis.

Ibid. 26. Non esse nos sinas inanis gloriæ cupidos, invicem provocantes ac invidentes;

Ibid. vi, 1. sed præoccupatum in quocumque delicto, in spiritu lenitatis simus humiliter instruentes.

Ibid. v, 24. Da nobis, Christe, carnem cum vitiis et

Ibid. vi, 2, 3. concupiscentiis crucifigere, aliorum onera pie et caritative portare, nihil nos reputare.

Ibid. 8. Fac nos in spiritu seminare, ut de spiritu vitam æternam metamus : qui enim in carne seminant, de carne corruptionem et condemnationem messuros non dubitamus.

Ibid. 10. Quum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, præcipue ad credentes.

Ibid. 14. Mihi insuper absit gloriari nisi in cruce tua, Jesu Christe, Domine mi : per quem mundus crucifixus sit mihi, et ego illi, adhærendo cruciformiter tibi.

Ibid. 17. Stigmata tua, Christe, in corpore meo jugiter portem : cui cum Patre et Spiritu Sancto est honor, gloria et majestas in finem. Amen.

Laus Dei ex Pauli ad Ephesios epistola.

Ephes. i, 3-7. Benedictus es, Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui in Christo benedixisti nos in omni benedictione spirituali cœlesti.

Elegisti nos in Christo ante constitutionem mundi, ut essemus sancti et immaculati, in caritate perfecti.

Prædestinasti nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum, secundum voluntatis tuæ propositum, in laudem gloriæ tuæ, et gratiæ præconium, in qua gratificasti nos in dilecto Filio tuo, in quo redemptionem habemus ipsius sanguinis pretio.

Ibid. 11, 12. Tu, Deus, omnia operaris secundum consilium mentis tuæ, ut simus in laudem gloriæ tuæ, Deus æterne.

Credentes signasti nos, Domine, Spiritu Sancto promissionis, qui pignus est nostræ hereditatis cœlestis, in laudem gloriæ Creatoris. *Ephes.* i, 13, 14.

Pater Christi, Deus gloriæ, da nobis spiritum sapientiæ in agnitionem * veritatis tuæ, ut efficaciter cognoscamus quæ sit spes vocationis nostræ, et eminentia in electis gratiæ tuæ. *Ibid.* 17-23. * agnitione

Potentiam tuæ virtutis, Deus Pater, es operatus in Christo, illum resuscitans a sepulcro, constituensque ad dexteram tuam in cœlo.

Supra omnem Principatum, Potestatem, Virtutem et Dominationem, illum sublimasti; et supra omne nomen quod nominatur in sæculo isto atque futuro, hunc elevasti.

Ipsum quoque dedisti caput super omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius : imo omni ecclesiasticæ atque angelicæ hierarchiæ eum præfecisti, secundum formam assumptæ humanitatis.

Tu, Deus, qui dives es in misericordia, propter nimiam caritatem qua nos dilexisti, quum essemus mortui peccatis, Christo nos convivificasti. *Ibid.* ii, 4, 5.

Gratia tua, Christe, sumus salvati per fidem, et non ex nobis : donum etenim tuum est; non ex nostris operibus, ne glorietur inaniter aliquis. *Ibid.* 8-10.

Tua, Domine, sumus factura, creati in Christo in operibus bonis, quæ præparasti, o Deus, ut coram te ambulemus in eis.

Tu, Christe, es pax nostra, qui fecisti utraque unum, per crucem interficiens inimicitias in te ipso, tollendo peccatum. *Ibid.* 14, 16, 16.

Per te omnes accessum habemus in uno Spiritu ad Deum æternum.

Tibi, Pater incomprehensibilis, et Fili, cum Spiritu Sancto, omnis adoratio, hymnus et gloria sine fine. Amen.

Fecisti nos, Christe, cives Sanctorum tuorum et domesticos Dei, ut non simus hospites, peregrini atque extranei. *Ibid.* 19.

Gentes factæ sunt coheredes, concorpo- *Ibid.* iii, 6.

Digitized by Google

rales et comparticipes promissionis divinæ in te, Jesu Christe, per quem facti sunt homines divinæ consortes naturæ. *II Petr.* I, 4.

Pater Christi, ex quo omnis paternitas in cœlo et in terra nominatur, da nobis secundum divitias gloriæ tuæ corroborari in anima per Spiritum Sanctum, qui nobis a te clementissime infundatur, ut Christus per fidem in nostris cordibus jugiter commoretur. *Ephes.* III, 14-17.

Da nobis, Domine, scire supereminentem scientiæ caritatem Christi, ut impleamur in omnem plenitudinem tuam, Conditor universi. *Ibid.* 19-21.

Tibi, qui potens es omnia facere abundantius quam petimus aut intelligere possumus, secundum virtutem tuam qua operaris in nobis, sit gloria in generationibus cunctis.

Da nobis digne ambulare vocatione qua sumus vocati a te, cum omni humilitate, patientia et mansuetudine, supportantes invicem in caritate, solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis. *Ibid.* IV, 1-3.

Unus es Deus et Pater omnium, qui super omnes et per omnia atque in omnibus nobis consistis per ævum. *Ibid.* 6.

Unicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis tuæ, Christe, qui per Incarnationis mysterium descendisti in inferiores partes terræ. *Ibid.* 7, 9, 10.

Qui descendisti, ipse es qui ascendisti super cœlos omnes, ut tua dominatione, operatione et gratia omnia adimpleres.

Non esse permittas nos parvulos fluctuantes, omni vento doctrinæ circumagitatos atque vagantes. *Ibid.* 14.

Tibi Unigenito Dei cum Patre et Spiritu Sancto omnis honor, beatitudo et gloria : cum quibus es unum esse et posse, una virtus et Deitas atque essentia. Amen.

Fac nos, Domine Deus altissime, renovari spiritu mentis nostræ, novumque induere hominem, secundum Deum creatum in justitia et veritatis sanctitate. *Ibid.* 23, 24.

Fac nos invicem benignos, misericordes, et ignoscentes, sicut tu, Deus, in Christo donasti nobis, qui toties invenimur transgredientes. *Ibid.* 32.

Fac nos, Deus benedicte, imitatores tuos sicut carissimos filios, ut ambulemus in dilectione, quemadmodum Christus dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam tibi Patri in odorem suavitatis. *Ephes.* V, 1, 2.

Imple nos, Pater, per Christum Spiritu Sancto, ut nobis ipsis loquamur in hymnis, psalmis et canticis spiritualibus, corde devoto : cantantes et psallentes in cordibus nostris tibi, Domine ; gratias referentes tibi in omnibus, Deus Pater, in Christi tui Filii nomine. *Ibid.* 18-20.

Tu, Christe, dilexisti Ecclesiam, tradens te ipsum pro ea, ut illam sanctificares, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ, Baptismatis forma, ut exhiberes tibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, rugam aut similem deformitatem. *Ibid.* 25-27.

Conforta nos, Deus, tua virtute et gratia ; indue nos tua armatura, ut stemus invicti contra diaboli machinamenta. *Ibid.* VI, 10, 11.

Indue nos lorica justitiæ et fidei scuto, galea quoque salutis, et gladio spiritus, qui est Dei sermo. *Ibid.* 14, 16, 17.

Non enim est nobis dumtaxat aut principaliter luctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, contra apostatam cœli militiam, omnem potestatem aeriam. *Ibid.* 12.

Indesinenter da nobis te, Domine, exorare in spiritu, Deus trine et simplex, cui est honor et gloria cum omni latriæ cultu. Amen. *Ibid.* 18.

Laus Dei ex Pauli ad Philippenses epistola.

Confidimus, Domine, quia tu qui cœpisti bonum in nobis, perficies illud usque in horam mortis et diem Salvatoris. *Philipp.* I, 6.

Oramus ut caritas magis ac magis in scientia et in omni sensu spirituali abundet in nobis, ut potiora probantes, sinceri et sine offensione simus in laudem et gloriam tuam, Deus. *Ibid.* 9-11.

Digitized by Google

Reple nos, Domine, fructu justitiæ per
Philipp. i, 20. Jesum Christum, ut in omni fiducia Christus magnificetur in corpore nostro per vitam et obitum.

Ibid. 21, 23. Nobis vivere Christus sit, et mori lucrum, ut desideremus dissolvi et esse cum illo, contemplantes te Deum.

Ibid. 29. Da nobis, Pater, non solum in Christum credere, sed omne adversum pro eo gaudentes et æquanimiter ferre.

Ibid. ii, 3. Nihil per contentionem aut inanem gloriam operemur, sed per humilitatem superiores nobis invicem arbitremur.

Ibid. 6-15. Tu, Christe, quum in forma Dei esses, veram habendo deitatem, non rapinam arbitratus es esse te Deo Patri æqualem.

Sed temetipsum exinanisti per incarnationem, formam servi accipiens in similitudinem naturalem; humiliasti temetipsum, factus obediens usque ad crucifixionem.

Hinc Deus te exaltavit, dans tibi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine tuo omne cœlestium, terrestrium infernaliumque genu flectatur, et omnis lingua te Jesum Christum in Dei Patris esse gloria fateatur.

Da nobis cum metu, timore atque tremore nostram operari salutem : tu enim es, Domine, qui operaris in nobis velle et perficere, per tuam bonam voluntatem.

Omnia sine murmuratione et hæsitatione agamus, ut sine querela et simplices filii Dei, Deus omnipotens, jugiter consistamus.

In medio nationis perversæ, fac nos velut luminaria, sancte vivendo, lucere.

Ibid. iii, 7, 8. Quæ nobis fuerunt inaniter lucra, reputemus propter te, Christe, ut detrimenta.

Et propter eminentem tuam, o Fili Dei, scientiam, ut te lucrifaciamus, omnia hæc terrena et vana ut stercora contemnamus, tibique cum Patre et Spiritu Sancto, honorem semper et gloriam humiliter impendamus. Amen.

Ibid. 13, 14. Da, Deus sublimis, ut quæ retro sunt obliti, ad anteriora extendamus nos ipsos, ad destinatum sequentes, ad bravium supernæ vocationis erigentes animos nostros.

Nostra conversatio in cœlis semper sit, Domine : te enim Salvatorem præstolamur, o Christe, qui reformabis corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis tuæ. *Philipp.* iii, 20, 21.

In te, Domine, semper gaudeamus; et tanta sit nostra modestia, ut innotescat cunctis hominibus. In te Verbo nos confortante, omnia possumus. *Ibid.* iv, 4, 5, 13.

Pax tua, Deus, omnem sensum exsuperans, corda et intelligentias nostras sit semper in Christo conservans. *Ibid.* 7.

Quæcumque vera, pudica, justa, sancta, amabilia cogitemus; et desideriorum nostrorum impletionem secundum divitias tuas in gloria, a te, Domine, impetremus. *Ibid.* 8, 19

Sempiternum imperium, omnis gloria atque felicitas tibi, Pater et Fili ac Spiritus Sancte, simplex Deus, ineffabilis Trinitas. Amen.

Laus Dei ex Pauli ad Colossenses epistola.

Imple nos, Domine, agnitione voluntatis tuæ, in omni sapientia et intellectu spirituali, ut digne te ambulemus, in omni virtute firmati, crescentes in scientia Dei. *Coloss.* i, 9-13.

Gratias tibi, Pater, qui dignos nos fecisti in partem sortis Sanctorum in lumine; qui eripuisti nos de potestate tenebrarum, transferens nos in regnum Filii dilectionis tuæ.

Qui est imago tua invisibilis, naturalis, perfecta; primogenitus omnis creaturæ : per quem et in quo creata sunt omnia. *Ibid.* 15, 16.

Tu, Christe, es caput corporis Ecclesiæ, in omnibus primatum tenens perpetue : quia in te complacuit Patri omnem plenitudinem inhabitare, atque per te omnia reconciliare. *Ibid.* 18-20.

Per mortem tuam, Salvator, exhibe nos sanctos et irreprehensibiles coram te, fun- *Ibid.* 22, 23.

Digitized by Google

datos atque immobiles in Evangelii fide et spe, ferventes in caritate.

Coloss. II, 3, 9-11. In te, Christe, omnes sapientiæ et scientiæ thesauri exstant absconditi; in te omnis plenitudo divinitatis habitat corporaliter : in quo sumus repleti.

Tu caput es omnis principatus et potestatis : in quo spiritualiter circumcisi sumus, in exspoliatione vitiorum carnis mortalis.

Ibid. III, 1, 2. Da, Fili Dei, tecum consurgere, quæ sursum sunt amare et sapere, ubi tu resides ad dexteram Patris, Rex gloriæ.

Ibid. 9, 10. Exspolia nos veterem hominem cum suis actibus, Domine, et novum nos indue, qui renovatur in tua agnitione, secundum imaginem tuam, Creator simplex ac trine.

Ibid. 12-17. Indue nos sicut electos viscera pietatis, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam cordis : ut invicem supportemus et ignoscamus, si contra alium querelam habeat aliquis.

Super omnia imple nos caritate vinculo perfectionis; et pax tua, Christe, exsultet incessanter in cordibus nostris.

Verbum tuum, Christe, habitet abundanter in nobis in omni sapientia, ut doceamus atque hortemur nos invicem in hymnis, psalmis et canticis : cantantes tibi, Deus, in gratia.

Quidquid facimus in verbo aut opere, in nomine tuo agamus, Jesu Christe, gratias referentes semper in omnibus Deo Patri per te.

Ibid. IV, 2. Orationi instemus omni tempore, vigilantes in ea in gratiarum actione.

Ibid. 5, 6. Da nobis sapienter ad eos qui foris sunt ambulare; sermonem quoque in gratia sale conditum habere, ut sciamus quomodo nos unicuique oporteat respondere.

Da subditis prælatos suos humiliter, ordinate ac diligenter admonere, dicendo :

Ibid. 17. Videte ministerium quod accepistis in Domino, ut valeatis hoc adimplere.

Tibi sublimi Trinitati, Patri, Filio, Spiritui Sancto, gloria et majestas semper et ubique, in terra et cœlo. Amen.

Laus Dei ex prima Pauli ad Thessalonicenses epistola.

Dona nos, Domine, loqui non quasi hominibus placentes, sed tibi, Deus omnipotens, qui noscis et comprobas mentes. *I Thess.* II, 4-6.

Sermo adulationis nunquam inveniatur in nobis, nec ab hominibus unquam gloriam requiramus.

Hæc est, Domine, voluntas tua, sanctificatio nostra, ut vas suum seu corpus possideat quilibet nostrum in sanctificatione et honore qualibet hora. *Ibid.* IV, 3, 4.

Da ut in bonis operibus amplius abundemus, quieti vacemus, ad extraneos honeste ambulemus, nec alicujus aliquid desideremus. *Ibid.* 10-12.

Quemadmodum credimus quod tu, Jesu, mortuus fuisti et resurrexisti; sic credimus quod eos qui per te dormierunt, Deus tecum adducet in die judicii. *Ibid.* 14.

Tu enim, Christe altissime, in jussu, in voce Archangeli et in tuba Dei descendes de cœlo; et mortui qui in te sunt resurgent primi, tempore illo. *Ibid.* 16, 17.

Tunc et hi qui pro tunc adhuc vivi in terra invenientur, simul cum illis obviam tibi Christo in aera rapientur, et sic semper tecum in regno cœlorum, data sententia, commorabuntur.

Dies tuus, Domine, quasi fur in nocte creditur esse venturus : quum enim indurati dixerint, Pax et securitas, interitus eis superveniet repentinus. *Ibid.* V, 2, 3.

Da nos mutuo consolari et ædificare, prælatos et laborantes inter nos abundantius amare, propter opus illorum, pacem cum illis servare. *Ibid.* 11-14.

Fac nos inquietos corripere, pusillanimes consolari, infirmos sustinere, ad omnes patientiam demonstrare ac operari.

Fac nos in te semper gaudere, sine intermissione orare, in omnibus gratias agere, ab omni mala specie abstinere. *Ibid.* 16-18, 22.

Tu, Deus pacis, sanctifica nos pie per omnia, ut integer spiritus noster, corpus et anima servetur in Christi adventu sine querela. *Ibid.* 23.

Digitized by Google

Gratiarum actio, adoratio, hymnus et gloria tibi, omnipotens Trinitas, Pater et Fili ac Spiritus Sancte, universa per sæcula. Amen.

Laus Dei ex secunda Pauli ad Thessalonicenses epistola.

II *Thess.* I, 3. FAC fidem nostram supercrescere, Deus; caritatem uniuscujusque abundare in alium plenius.

Ibid. 9-11. Impii sustinebunt æternas in interitu pœnas a facie gloriæ majestatis tuæ, Christe, quum veneris glorificari in Sanctis, et admirabilis fieri in omnibus qui crediderunt in te.

Dignare nos, Deus, vocatione tua sancta, et imple omnem voluntatem bonitatis tuæ in nobis semper, pietate æterna.

Ibid. II, 8-11. Tu, Christe, illum iniquum perditionis filium interficies spiritu oris tui, destruens illum illustratione adventus tui : qui tantos seducet via calliditatis multiplici.

Ibid. 16, 17. Deus Pater, qui dilexisti nos, dans nobis consolationem æternam et spem bonam in gratia, exhortare clementer et robora semper corda nostra.

Ibid. III, 2, 6. Libera nos a malis et importunis hominibus, ut et subtrahamus nos ab omni fratre ambulante inordinate, perdurante in vitiis.

Ibid. 16. Domine Deus pacis, da nobis pacem sempiternam in omni loco. Cui honor, beatitudo et gloria sine fine, Deo simplici, uni ac trino. Amen.

Laus Dei ex prima Pauli ad Timotheum epistola.

I *Tim.* I, 5. FINIS præcepti tui, Christe, est caritas vera de corde puro, conscientia bona, et fide non ficta.

Ibid. 15. Fidelis sermo et omni acceptione dignissimus : quia tu, Christe, Dei Unigenite, in hunc mundum es missus salvare peccatores, quorum ego sum primus.

Ibid. 17. Tibi omnium Regi sæculorum immortali, invisibili, soli Deo, honor et gloria in sæculum sæculi.

Obsecramus, postulamus, oramus et gratias agimus tibi, Domine Deus, pro cunctis hominibus, regibus, et omnibus in sublimitate constitutis, ut ita gubernentur et perficiantur a te, quod quietam atque tranquillam vitam agamus in omni pietate et castitate. I *Tim.* II, 1, 2.

Tu, Deus, omnes homines vis salvari, et ad veritatis cognitionem perduci. *Ibid.* 4-6.

Unus es, Domine Deus, et unus inter te et nos mediator, Jesus Christus, qui se ipsum redemptionem dedit pro omnibus.

Da nobis orare te in omni loco et tempore, levantes puras manus cum fervore, sine ira et disceptatione. *Ibid.* 8.

Episcopos et sacerdotes fac, Domine, irreprehensibiles, prudentes, pudicos, moribus adornatos, hospitales, doctores, castos et sobrios, omnique virtute fulcitos. *Ibid.* III, 2-7.

Diaconos similiter fac pudicos, non bilingues, sobrios, non avaros, mysterium fidei in conscientia pura habentes. *Ibid.* 8, 9.

Summæ Trinitati, Deo æterno, honor, virtus et gloria, Patri et Filio cum Spiritu Sancto. Amen.

Plane tu, Verbum Dei incarnatum, magnum es pietatis sacramentum, manifestatum in carne, justificatum in Spiritu, visum angelis, prædicatumque hominibus, creditum mundo, assumptum in gloria. *Ibid.* 16.

Fac in pietate ad omnia utili nos jugiter exerceri : ipsa enim promissionem habet vitæ præsentis atque futuræ in regno cœlesti. *Ibid.* IV, 8.

Speramus in te Deum vivum, qui salvator es omnium hominum, præsertim fidelium. *Ibid.* 10.

Fac nos exemplares fidelibus in verbo et vita, in caritate quoque, fide et castitate, ac omni modestia. *Ibid.* 12-14.

Da prælatos vacari lectioni, exhortationi, doctrinæ ; et omnibus nobis concede gratiam tuam nequaquam negligere.

Da sine prævio judicio recto nil agere, *Ibid.* V, 21.

Digitized by Google

I *Tim.* VI, 8, 12. habentes alimenta et quibus tegamur, contentos exsistere, fideique bonum certamen certare.

Ibid. 15-18. Te Christum suis temporibus ostendet beatus et solus potens, Rex regum et Dominus dominantium : qui solus habet immortalitatem, et lucem inhabitat inaccessibilem; quem nullus in hac vita potest conspicere hominum.

Da divites sæculi non superbire, neque in incerto divitiarum confidere, sed facile tribuere, in operibus bonis ditescere, in te sperando, divitias ordinate expendere.

Tibi, Pater æterne, cum Filio et Spiritu Sancto, honor, regnum et gloria, imperium, adoratio, magnificentia, hymnus, reverentia sempiterna. Amen.

Laus Dei ex secunda Pauli ad Timotheum epistola.

II *Tim.* I, 7-10. Non dedisti nobis, Domine Deus, spiritum servilis timoris, sed virtutis, dilectionis et sobrietatis, ut serviamus tibi devotissima promptitudine mentis.

Testimonium tuum, Christe, non erubescamus : cujus gratia, non secundum opera nostra, nos a Deo Patre vocatos cognoscimus, qui ante omnia tempora sæcularia, gratiam suam in te dare disposuit nobis.

Tu, Salvator, mortem destruxisti; vitam vero et incorruptionem illuminasti.

Ibid. II, 11, 12. Si tibi, Christe, commortui sumus, et convivemus; si sustinemus, conregnabimus tibi in cœlis.

Ibid. 3, 4, 7. Fac nos, Pater, laborare ut decet bonos milites Christi, ne impliciti simus negotiis sæculi; sed tu in omnibus des nobis intellectum, Rex mundi.

Ibid. 15. Da ut tibi nos exhibeamus probabiles, operarios inconfusibiles, verbum veritatis recte tractantes.

Ibid. 16, 14, 22. Da profana et inaniloquia devitare, nec verbis contendere, et juvenilia desideria fugere.

Ibid. 24, 25. Servum tuum, Christe, non decet litigare, sed mansuetum, docilem patientemque esse, et eos qui resistunt veritati, modeste corripere.

Omnes qui in te volunt pie vivere, Jesu Christe, persecutionem patientur, et copiosissimum præmium sortientur a te. II *Tim.* III, 12.

Da prælatis ut prædicent verbum, instent opportune, importune; arguant, obsecrent populum sibi commissum, in omni patientia et doctrina virtutum. *Ibid.* IV, 2.

Omnis majestas, honor et dignitas, hymnus et gloria tibi sit, beatissima Trinitas, Pater et Fili ac Spiritus Sancte, quorum est indivisa essentia. Amen.

Laus Dei ex Pauli ad Titum epistola.

Sacerdotes atque episcopos fac, Domine Deus, sine crimine esse, superbiam, iram, intemperantiam, vinolentiam cupiditatemque fugere. *Tit.* I, 7-9.

Fac eos hospitales, sobrios, benignos et continentes, justos, sanctos, eruditos, suum officium efficaciter exsequentes.

Senes et anus, adolescentulas, servos et juvenes orna virtutibus quæ singulis eorum sunt convenientes. *Ibid.* II, 2-6, 9, 10.

Apparuit gratia tua, Deus Salvator, Jesu Christe, cunctis hominibus, erudiens nos ut omne malum abnegantes, sobrie, juste et pie vivamus cunctis diebus, exspectantes beatam spem et adventum gloriæ tuæ, magne Deus, Salvator noster Jesu Christe, qui es pro nobis oblatus. *Ibid.* 11-14.

Dedisti te ipsum pro nobis, o Fili Dei, ut nos ab omni iniquitate redimeres tibi; mundares quoque et faceres nos populum acceptabilem, operum bonorum sectatorem, Rex cœli.

Apparuit benignitas et humanitas tua, Christe Salvator. Non secundum opera justitiæ nostræ, sed secundum misericordiam tuam nos salvasti, Creator, per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus Sancti. *Ibid.* III, 4-7.

Quem effudisti abunde in cor populi tui electi, ut justificati gratia tua, heredes simus vitæ æternæ in patria.

Sempiterna gloria, omnis honor et di-

Digitized by Google

gnitas tibi sit, Pater æterne, Fili Dei adorande, summe Paraclete, altissima Trinitas. Amen.

Laus Dei ex epistola Pauli ad Hebræos.

Hebr. I, 1-5. MULTIFARIE multisque modis tu, Deus Pater, olim ante legem et sub lege loquens patribus per Prophetas, novissime, tempore evangelicæ legis et gratiæ, locutus es nobis per Filium tuum, qui est verus Messias.

Quem constituisti heredem universorum secundum naturam humanam; per quem fecisti sæcula universa secundum divinam ejus naturam.

Qui quum sit splendor gloriæ atque character substantiæ tuæ, portansque omnia sua virtute, et emundans a crimine, sedet ad dexteram majestatis tuæ divinæ.

Tanto secundum naturam assumptam angelis melior atque sublimior factus, quanto præ illis nomen hereditavit differentius, ut dicatur Filius tuus naturalis verusque Deus.

Nulli enim angelorum locutus es, Domine: Filius meus es tu, ego hodie genui te.

Ibid. 14. Omnes enim, te disponente, sunt administratorii spiritus, in ministerium missi propter electos tuos, Deus sancte, immortalis et fortis.

Ibid. II, 1-4. Diligentissime nos oportet tuos observare sermones, Fili Dei incarnate, quum tam districte servari sint jussa legis Mosaicæ verba per angelos datæ.

Confirmasti evangelicam legem, Domine Deus, signis diversis, magnis portentis, variisque virtutibus, et distributionibus Spiritus Sancti copiosis.

Ibid. 5, 9, 10. Non angelis, sed Christo homini subjecisti, Deus, orbem terræ futurum: quem merito suæ passionis scimus a te gloria et honore coronatum; qui gratia tua pro omnibus gustavit mortis supplicium.

Decebat te Christum, propter quem et per quem omnia, qui multos filios salvasti in gloria, per mortis passionem consummari pro illorum salute æterna.

Hinc discipulos tuos non confundebaris fratres vocare, qui tua morte destruxisti diabolum, qui habebat mortis imperium, Domine, ejiciens illum a fidelium corde. *Hebr.* II, 11-14.

Non angelos, sed semen Abrahæ apprehendisti: qui ex ejus progenie, humanam naturam dignantissime assumpsisti. *Ibid.* 16-18.

Hinc debuisti per omnia fratribus assimilari, detrahibilibus demptis defectibus, quibus non decuit te vitiari.

Hoc ideo, Christe, ut misericors fieres secundum manifestationem, pontifexque fidelis ad Deum, repropitiando mundi prævaricationem.

In quo enim tu pati dignatus es et tentari, potens es, Domine Jesu, tentatis semper auxiliari.

Tibi cum Patre et Spiritu Sancto honor immensus et gloria infinita: cum quibus unus es Deus, una potentia, unaque vita. Amen.

Tu, Christe, confessionis nostræ es pontifex, atque apostolus, secundum quod missus, qui Deo Patri in domo sua, sancta Ecclesia, fuisti fidelis ut Filius. *Ibid.* III, 1, 2.

Da ne unquam corda nostra tuis auditis sermonibus obduremus, sed invicem efficaciter nos hortando, obstinationem fraudis peccati vitemus. *Ibid.* 8, 13.

Timeamus ne relicta promissione intrandi tuam requiem, Domine, inveniatur quis nostrum ab electorum tuorum grege deesse. *Ibid.* IV, 1.

Vivus est sermo tuus, Verbum et Filius tuus, Deus Pater æterne; efficax et penetrabilior omni ancipiti ense; nec est aliqua creatura invisibilis ei, cui nota et nuda sunt cuncta clarissime. *Ibid.* 12, 13.

Habentes pontificem magnum qui penetravit cœlos te Jesum, Filium Dei, accedimus cum fiducia thronum gratiæ, ut misericordiam consequamur, mediante plenitudine meriti tui. *Ibid.* 14, 16.

Non te ipsum, Christe, ut pontifex fieres clarificasti, sed qui locutus est tibi: Filius meus es tu, ego hodie genui te. *Ibid.* V, 5.

In diebus carnis tuæ in sæculo isto, *Ibid.* 7-10.

Digitized by Google

preces Patri tuo cum clamore valido et lacrimis obtulisti; esque pro tua reverentia exauditus ab eo, quoad id quod deliberata ratione petisti.

Quumque Dei Filius esses, didicisti notitia experimentali obedientiam ex his quæ passus es in carne tua mortali.

Consummatus demum per passionem, factus es causa æternæ salutis omnibus tibi obtemperantibus : qui appellaris pontifex juxta ordinem Melchisedech, in Scripturis divinis.

Hebr. v, 14. Perfectos nos effice, et exercitatos fac nos sensus habere, ut solidum cibum a te, Domine, valeamus accipere.

Ibid. vi, 10, 12. Non injustus es, Domine, ut operis nostri et dilectionis obliviscaris. Fac nos illorum sollicitos imitatores, qui fide et patientia hereditaverunt promissiones.

Tibi, Trinitas supergloriosa, Deitas una, Pater et Fili ac Spiritus Sancte, hymnus, virtus, adoratio, gloria, in omni Ecclesia militanti ac triumphanti. Amen.

Ibid. 13, 15, 18, 19. Abraham amicus tuus, longanimiter ferens, tuam, Domine, adeptus est promissionem : cujus exemplo fac nos spem tenere in te firmam ac tutam ut ancoram.

Ibid. vii, 12, 14. Translato sacerdotio, transfers et legem, o Christe, quem certum est natum esse ex semine Judæ.

Ibid. 19. Nil ad perfectum adduxit lex Moysis; a te autem melioris introductio spei, per quam, Domine Deus, appropinquamus tibi.

Ibid. 24-26. Tu, Christe, eo quod maneas in æternum, sempiternum habes sacerdotium : hinc in perpetuum potes salvare, per te ipsum accedens ad Deum, semper vivens ad interpellandum pro salute omnium nostrum.

Decuit nos habere pontificem sanctum, innocentem, impollutum, a peccatoribus segregatum, et excelsiorem cœlis statutum.

Ibid. viii, 1, 2. Pontificem te habemus Christum, ad dexteram sedis paternæ sedentem, sanctorum et veri tabernaculi a te Deo non ab homine fixi, ministrum præeminentem.

Tu, Christe, adsistens Patri pontifex futurorum bonorum cœlestium, tabernaculum cœleste amplissimum, non in sanguine hostiarum legalium, sed per sanguinem ingressus es proprium. *Hebr.* ix, 11-15.

Si sanguis et cinis sacrificiorum irrationalium rerum legis, inquinatos ad carnis emundationem sanctificavit : multo amplius sanguis tuus, Christe, qui per Spiritum Sanctum te ipsum obtulisti immaculatum Deo, conscientiam nostram a vitiis, ad serviendum Deo viventi, mundabit.

Hinc novi mediator es Testamenti, ut morte tua intercedente pro remissione omnis peccati, et ejus quod erat in Testamento priori legali, repromissionem accipiant æternæ hereditatis electi.

Non in manufacta Sancta, verorum exemplaria, ingressus es, Christe, sed in ipsum cœlum empyreum, ut vultui Dei Patris pro nobis non cesses apparere. *Ibid.* 24.

Tibi Patri superessentiali, et Filio coæquali, et Sancto Spiritui utrique consubstantiali, laus, honor, virtus et gloria in toto hoc sæculo, atque in regno patriæ æternali. Amen.

Semel oblatus es, Domine Jesu, ad exhaurienda multorum peccata ; secundo sine peccato apparebis exspectantibus te in salutem, cum majestate et gloria. *Ibid.* 28.

Tu, Christe, unam pro peccatis offerens hostiam, propriam carnem, æternaliter sedes ad Patris altissimi dexteram, exspectans donec in effectu ponantur omnes inimici tui pedum tuorum scabellum in palam. *Ibid.* x, 12, 13.

Una oblatione consummasti in sempiternum sanctificatos : hinc accedere fac nos in plenitudine fidei et conscientia munda ad te, spei nostræ confessionem indeclinabilem observantes. *Ibid.* 14. *Ibid.* 22, 23.

Terribilis est, Domine, dies tui judicii, et æmulatio ignis tuos adversarios incensuri : quid enim horribilius quam incidere manus tuas, Deus vivens, Domine universi? *Ibid.* 27, 31.

Consideremus invicem quæ tua sunt, Domine Deus, in provocatione caritatis *Ibid.* 24, 25.

Digitized by Google

operumque bonorum, non deserentes collectionem nostram propter consuetudinem aliquorum, sed eo amplius consolantes, quo magis constat appropinquare diem mortis atque judicii.

Hebr. x, 35, 36. Non amittamus, Domine, confidentiam nostram, quæ magnam a te habitura est remunerationem.

Ibid. 36. Patientiam nobis præcipue necessariam præsta, ut tuam voluntatem implentes, obtineamus gaudia sempiterna.

Ibid. 38. Justi tui vivunt ex fide : qui si subtraxerint se, non placebunt animæ tuæ.

Ibid. xi, 2, 3. In fide equidem testimonium bonum consecuti sunt senes et Patriarchæ : per quam intelligimus aptata esse sæcula Verbo tuo, Pater æterne.

Ibid. 6. Denique, sine fide impossibile est tibi, Deus, placere : nam quod sis, et remunerator inquirentium te consistas, accedentem ad te necesse est credere.

Ibid. 13. Juxta fidem defuncti sunt, Domine, veteres sancti, repromissionibus non acceptis, sed a longe eas adspicientes, salutantes, et confitentes quoniam peregrini et hospites sunt in terra exsilii hujus.

Ibid. 33. Per fidem Sancti tui vicerunt regna, operati sunt justa, adepti sunt repromissa bona æterna, cœlestia.

Gloria, magnificentia, regnum, majestas Patri et Filio ac Spiritui Sancto, summæ Trinitati, quæ una est Divinitas. Amen.

Ibid. xii, 1-3. Da, Domine, omne pondus a te retrahens et circumstans nos peccatum abjicere ; per patientiam quoque propositum nobis certamen decurrere, adspiciendo in te Jesum fidei auctorem, qui proposito tibi gaudio, maluisti crucis supplicium ferre.

Recogitemus te, qui talem adversum te a peccatoribus sustinuisti contradictionem, ut non fatigemur animis nostris, sustinendo quamcumque tribulationem.

Ibid. 5, 6. Disciplinam tuam non negligamus, nec fatigemur in ea : quem enim amas castigas, et omnem quem recipis filium, flagellas, Sapientia increata.

Ibid. 9. Si patri carnali obedire tenemur, quanto magis tibi Patri spirituum obtemperare adstringimur ?

Da pacem et sanctimoniam sequi, sine quibus nemo videbit te Deum cœli. *Hebr.* xii, 14, 15.

Te precamur, ne qua in nobis radix amaritudinis germinet, quæ et a te nos ipsos impediat et alios inquinet.

Accessimus, Domine, ad montem Sion, civitatem tuam, Deus vivens, Jerusalem cœlestem, multorumque millium angelorum frequentiam, et primitivorum in cœlis conscriptorum Ecclesiam. *Ibid.* 22, 23.

Caritatem fraternitatis et hospitalitatem fac esse nobiscum ; honorabile connubium et torus immaculatus sit omnium Christianorum. *Ibid.* xiii, 1, 2, 4.

Doctrinis variis et peregrinis non abducamur, sed corde per gratiam tuam jugiter stabiliamur. *Ibid.* 9.

Tu, Christe, ut sanctificares per tuum sanguinem plebem, pati dignatus es extra portam. *Ibid.* 12-17.

Da nobis exire ad te extra ; improperium tuum portemus in anima omnique conversatione nostra.

Non habemus hic, Domine, manentem civitatem, sed futuram inquirimus. Per te, Christe, semper offeramus Deo hostiam laudis.

Beneficentiæ et communionis non obliviscamur, quoniam talibus hostiis te Deum meremur.

Da ut nostris rite obediamus præpositis, quatenus cum gaudio nostri profectus, et non gementes, præsideant nobis.

Deus pacis, qui eduxisti de morte pastorem magnum Christum, in omni bono nos apta virtutum, ut tuam in omnibus faciamus voluntatem, per gratiam Christi et meritum. *Ibid.* 20, 21.

Sanctitas, beatitudo, imperium tibi, Trinitas benedicta, Pater et Fili ac Spiritus Sancte, Deitas simplex et incircumscripta. Amen.

Laus Dei ex Canonica Jacobi apostoli.

Omne gaudium da nos æstimare, Deus omnipotens, quum diversas inciderimus *Jacob.* i, 2, 4.

Digitized by Google

tentationes, ut simus perfecti et integri, in nullo deficientes.

Jacob. I, 5, 6. Deus ditissime, qui das omnibus affluenter neque improperas, sapientiam salutarem tu nobis conferas, postulareque te in fide nil hæsitantes.

Ibid. 12. Beatus vir in spe coram te, Domine, qui suffert et vincit tentationem : quum enim probatus fuerit, recipiet a te vitæ æternæ coronam, quam promisisti diligentibus te usque in finem.

Ibid. 17, 18. Omne datum optimum, et omne donum perfectum, a te Patre luminum derivatur : qui non transmutaris nec vicissitudine obumbraris, a quo omne mutabile conservatur.

Voluntarie genuisti nos verbo veritatis, ut creaturæ tuæ quoddam initium simus, renati unda Baptismatis.

Ibid. 19, 21. Fac nos ad audiendum verba tua veloces, ad loquendum vero irascendumque tardiores, atque in mansuetudine insitum verbum salvificum suscipientes.

Ibid. 22, 26. Fac nos verborum tuorum factores idoneos, non auditores inanes ; linguam quoque da refrenare, ne simus religiosi vani et apparentes.

Ibid. II, 3. Tu, Deus, pauperes in hoc mundo divitesque in fide elegisti, qui heredes sunt regni quod tuis amatoribus promisisti.

Ibid. I, 17, 26. Non personam accipiamus, nec fidem mortuam habeamus ; sed tibi Deo trino, omnipotenti ac simplici, honorem et gloriam jugiter offeramus. Amen.

Ibid. III, 13, 14. Da, Deus æterne, ex bona conversatione operationem nostram ostendere in mansuetudine sapientiæ, omnemque zelum amarum et contentionem abjicere.

Ibid. 17. Quæ desursum est, Domine, sapientia infusa a te, pudica, pacifica, modesta suasibilisque consistit in veritate, plena misericordia et fructibus bonis, non judicans simulatorie.

Ibid. IV, 4. Amicitia hujus mundi tibi, Domine, inimicatur ; tuusque inimicus efficitur, qui mundi hujus amicus esse conatur.

Ibid. 7-9. Fac nos, Deus, tibi esse subjectos et dæmoni reluctantes, manus et corda a duplicitate purificantes, risum et gaudium vanum in luctum atque mœrorem sanctum mutantes.

In tuo conspectu humiliemur, et nemini obloquamur : quoniam vita nostra vapor est ad modicum parens, et protinus exterminamur : non ergo de longiori vita præsumere inveniamur. *Jacob.* IV, 10, 11, 15.

Patientes nos fac usque ad tuum, Christe, adventum ; confirma cor nostrum, ne ingemiscamus in alterutrum. *Ibid.* V, 7-9.

Exemplo Prophetarum, quorum patientiam beatificamus, fac nos patientes, longanimes et efficaciter laborantes. *Ibid.* 10, 11.

Non inordinate juremus ; sed contristati, æquo animo psallamus atque oremus. *Ibid.* 12, 13.

Infirmos salubriter da inungi, alterutrum quoque veraciter confiteri, et pro invicem, ut salvemur, precari. *Ibid.* 14, 16.

Tibi Deo altissimo, simplici, uni atque trino, honor, regnum, felicitas, Patri, Verbo, Spiritui Sancto. Amen.

Laus Dei ex prima Petri Canonica.

GRATIA nobis et pax a te, Deus Pater, multipliciter sine cessatione : qui secundum præscientiam tuam nos elegisti in spiritus sanctificationem, in obedientiam et sanguinis Christi aspersionem. *I Petr.* I, 2-4.

Benedictus es, Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui secundum magnam misericordiam tuam in spem vivam nos regenerasti per Christi resurrectionem, in hereditatem æternam, conservatam electis in regno cœlesti.

In te, Jesu Christe, in fine gaudebimus, qui nunc variis contristamur tentationibus atque doloribus, ut fidei nostræ probatio multo sit pretiosior auro, in laudem et gloriam tuam, Salvator omnipotens, præsidens omnibus. *Ibid.* 6-9.

Te Jesum Christum, quem non vidimus, diligimus ; in te quoque, non videntes, nunc credimus.

Videntes autem te, exsultabimus lætitia inenarrabili et glorificata, reportantes fi-

Digitized by Google

dei nostræ fructum, animarum salutem paratam in patria.

I *Petr.* I, 13-15. Succincti mentis nostræ lumbos, sobrii et perfecti, speremus in eam quæ nobis offertur gratiam tuam, Christe, quasi obedientiæ filiis.

Non prioribus ignorantiæ nostræ desideriis, Domine, configuremur; sed secundum te Sanctum Sanctorum, qui nos vocasti, et nos in omni conversatione nostra sancti esse conemur.

Ibid. 18,19. Non corruptibilibus auro vel argento redemisti nos de vana nostra conversatione, Salvator æterne, sed pretioso sanguine tuo, Christe, agne incontaminate, princeps virtutum, rex benedicte.

Ibid. 22,23. Da ut animas nostras castificemus in obedientia caritatis, in fraternitatis amore, simplici corde invicem diligentes attente et gratis.

Renati sumus non ex corruptibili sed incorruptibili semine, per verbum tuum, Deus vivens ac permanens sine fine.

Ibid. II,1-4. Fac nos omnem malitiam, dolum, simulationes, invidias, detractiones deponere, et quasi modo genitos lac simplicitatis et innocentiæ concupiscere, ut in eo crescamus in salutem vitæ perpetuæ.

Da nos gustare quam dulcis es, Christe: ad quem accedimus lapidem vivum, reprobatum ab impia plebe, electum vero et honorificatum ab æterno omnipotentique Patre: cum quo et Spiritu Sancto est tibi honor et gloria sine fine. Amen.

Ibid. 9. Per te, Fili Dei, facti sumus genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, ut tuas annuntiemus virtutes, qui de tenebris nos vocasti in admirabile lumen tuæ miserationis.

Ibid. 11,12. Fac nos tanquam peregrinos et advenas a carnalibus desideriis abstinere, quæ cernimus contra animam nostram impugnationis militiam exercere: ut inter gentes spiritualiter conversemur sine reprehensione.

Ibid. 13,15. Fac nos propter te omni creaturæ humanæ subjectos: ut bene agendo, obmutescere faciamus imprudentium hominum sermones indisciplinatos.

Da ut omnes honoremus, adversa et injurias sine causa illatas æquanimiter toleremus. I *Petr.* II, 17, 19, 20.

Tu, Christe, passus es pro nobis, nobis relinquens exemplum, ut tua sectemur vestigia, qui non fecisti peccatum. *Ibid.* 21-25.

Quum patereris et maledicereris ab impiis, non maledixisti nec comminatus es eis.

Judicanti autem injuste te tradidisti, qui peccata nostra super lignum in tuo corpore pertulisti, ut peccatis mortui, vivamus in justitia tibi.

Eramus aliquando sicut oves errantes, Christe Salvator; sed convertisti nos ad te animarum nostrarum episcopum ac pastorem, omnium Dominator.

Fac nos omnes in fide unanimes, compatientes, misericordes et humiles; non malum pro malo, nec maledictum pro maledicto reddentes, sed econtrario benedicentes. *Ibid.* III, 8, 9.

Quis est qui nobis noceat, Domine, si boni æmulatores fuerimus in te? *Ibid.* 13.

Te Dominum Christum in nostris cordibus sanctificemus; cum modestia quoque et sancto timore conscientiam bonam servemus. *Ibid.* 15,16.

Semel passus es, Christe, pro nostris peccatis, ut nos carne mortificatos et spiritu vivificatos offeras vultui Patris. *Ibid.* 18.

Deglutisti tua morte mortem communem, ut vitæ æternæ efficiamur heredes per tuam passionem. *Ibid.* 22.

In cœlum profectus es, Christe, angelis tibi subjectis, et potestatibus atque virtutibus cum universis supernis spiritibus.

Fac nos prudentes, in orationibus vigilantes, atque præ omnibus mutuam in nobis continuam caritatem servantes, quoniam multitudinem peccatorum operit caritas. *Ibid.* IV, 7, 8.

Unumquemque nostrum fac gratiam sibi concessam in alterutrum administrare, quemadmodum decet, Domine, bonum *Ibid.* 10.

Digitized by Google

dispensatorem multiformis gratiæ tuæ patrare.

Summæ Trinitati, simplici Deo, Patri et Filio ac Spiritui Sancto, gloria infinita, honor perennis, hymnus decorus, in præsenti sæculo et futuro. Amen.

I Petr. IV, 11. In omnibus tu, Deus Pater, honorificeris per Jesum Christum, cui est gloria et imperium in sæcula sæculorum.

Ibid. 13, 14. Tuis passionibus communicando, fac nos, Christe, corde gaudere, ut et in revelatione gloriæ tuæ gaudeamus perpetue.

Si in nomine tuo, Jesu Christe, exprobramur, beati sumus : quia quod est honoris et gloriæ virtutisque Dei, et Spiritus Sanctus, super nos requiescit intrinsecus.

Ibid. 19. Qui secundum tuam voluntatem, Domine, patiuntur, tibi Creatori fideli animas suas commendant, et a te beatitudinem sortiuntur.

Quam metuendum est, Domine, tuum *Ibid.* 18. judicium ! Si enim justus vix salvabitur, impius et peccator ubi subsistent et habituri sunt locum ?

Ibid. V, 1, 4. Senioribus et prælatis da digne et fructuose præesse, ut a te principe pastorum, immarcescibilem gloriæ coronam queant percipere.

Ibid. 3, 2. Non sint quasi dominantes in clero, sed forma vitæ in omnibus ; non turpis lucri intuitu, sed proficiendi affectu, præsideant subditis.

Ibid. 5, 6. Fac adolescentes senioribus obtemperantes, omnes quoque humilitatem in invicem insinuantes.

Sub omnipotenti manu tua, Domine, humiliemur, ut a te visitationis tempore æternaliter exaltemur.

Ibid. 8, 9. Sobrios, vigilantes et timoratos nos effice, quoniam dæmon non cessat nos quasi leo rugiens circuire : cui da nos efficaciter fortes in fide resistere.

Ibid. 10, 11. Deus omnis gratiæ, qui nos in æternam gloriam tuam vocasti, in Christo Jesu modicum passos in hac carne mortali tu nos perfice, confirma, solida in sæculum sæculi.

Gloria atque imperium sempiternum Patri et Filio ac Spiritui Sancto in ævum. Amen.

Laus Dei ex secunda Petri Canonica.

MAXIMA et pretiosa nobis Deus per te donavit, o Christe, ut per hæc divinæ efficiamur consortes naturæ, fugientes corruptionem concupiscentiæ sæcularis et vanæ. *II Petr.* I, 4-7.

Fac nos in fide administrare virtutem, in virtute scientiam, in scientia abstinentiam, et in abstinentia patientiam ; in patientia insuper pietatem, et in pietate fraternitatis amorem, atque in eo caritatem divinam.

Fac nos per operum bonorum exsecutionem, certam facere nostram vocationem et electionem. *Ibid.* 10.

Non indoctas fabulas assecuti, tuam, Christe, veritatem et præscientiam confitemur ; sed speculatores magnitudinis tuæ facti, te Deum verum et hominem jugiter reveremur. *Ibid.* 16, 17.

Accepisti enim a Patre gloriam et honorem, voce hujuscemodi delapsa a magnifica gloria ad tuam personam : Hic est Filius meus carissimus, in quo mihi complacui per complacentiam infinitam.

Non voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed a te, o Spiritus Sancte, inspirati, locuti sunt homines sancti secreta divina. *Ibid.* 21.

Tu, Deus, qui angelis peccantibus originalique mundo non pepercisti, fac nos vehementer timere rigorem tui judicii, neque peccare, ne simus servi peccati. *Ibid.* II, 4, 5.

Fac nos bona quæ scimus agenda, idonee operari : quoniam melius est viam justitiæ ignorare, quam post agnitionem retrogradare. *Ibid.* 21.

Apud te, Domine, mille anni ut dies unus : qui non tardas promissa, sed propter nos agis in patientia, volens ad pœnitentiam converti omnium corda. *Ibid.* III, 8-11.

Adveniet dies tua, Christe, ut fur improvise : in quo cœli magno impetu trans-

Digitized by Google

ibunt repente; elementa quoque calore solventur, et terra ejusque opera exurentur.

Quum ergo hæc omnia sint solvenda, quales nos esse oportet, o Domine, in conversatione virtuosa?

II *Petr.* III, 14, 15. Tua virtute, Redemptor, satagamus immaculati et inviolati in pace inveniri a te; tuamque longanimitatem arbitrantes salutem, tibi semper in sanctitate ministremus et æquitate.

Ibid. 17, 18. Per tuam, Domine, gratiam custodiamus nos ipsos, ne insipientium errore traductos, rapiat hostis a virtutum firmitate prolapsos.

In cognitione tua, Christe, et gratia concrescamus. Tibi cum Patre et Spiritu Sancto omnem virtutem, honorem et gloriam damus. Amen.

Laus Dei ex prima, secunda et tertia Joannis Canonicis.

I *Joann.* I, 1-9. VERBUM Patris æterni, quod fuit ab initio mundi, quod in carne natum audierunt, viderunt et contrectaverunt Apostoli, prædicaverunt nobis, Genitor sempiterne, discipuli Christi.

Annuntiaverunt nobis vitam æternam, quæ fuit ab initio apud te Patrem, ut obtineamus a te plenam lætitiam.

Tu, Deus, lux es, et non sunt in te tenebræ ullæ : scimus enim te lucem puram, perfectam infinitamque esse.

Qui se dicit tecum societatem habere, nec cessat in tenebris culpæ et ignorantiæ ambulare, mentitur nec facit veritatem sincere.

Si autem in luce veritatis atque justitiæ ambulemus, sicut tu lux es, Domine Deus, ad te Patrem tuumque Filium ac Spiritum Sanctum societatem habemus, et sanguis Christi nos mundat a cunctis peccatis.

Si nos sine peccato esse asserimus, mentientes, nos ipsos decipimus.

Si nostra veraciter confiteamur peccata, tu, Deus, fidelis et justus es, ut nobis indulgeas ea.

Si peccaverimus, advocatum habemus apud te Patrem, tuum unicum Filium; et ipse est propitiatio pro peccatis nostris et omnium hominum. I *Joann.* II, 1-6.

In hoc scimus quod te Deum cognoscimus, si tua mandata implemus : qui enim dicit se nosse te nec tua custodit mandata, mendacem censemus.

Porro qui verbum tuum custodit, in hoc caritas tua perfecta exsistit.

Qui se dicit in te, Jesu Christe, manere, debet sicut tu ambulasti et ipse proportionaliter ambulare.

Qui fratrem suum diligit, in luce versatur; qui autem proximum odit, in tenebris graditur, et intus obtenebratur, et nescit quo eat, eo quod excæcatus, a peccato vincatur. *Ibid.* 10, 11.

Da ne mundum et ea quæ mundi sunt diligamus : non enim est caritas tua in hujus mundi amatoribus vanis. *Ibid.* 15.

Mundus transit cum concupiscentia sua; qui vero tuam, Deus, efficit voluntatem, manet in sæcula. *Ibid.* 17.

Da nobis, omnipotens Deus, unctionem Spiritus Sancti, ut ipsa nos doceat de omni re ad nostram salutem spectante. *Ibid.* 20, 27.

Qui negat te Filium Dei, negat et Patrem; qui vero te confitetur, habet et Genitorem. *Ibid.* 23.

Quam magnam caritatem nobis dedisti et ostendisti, Deus Pater, ut filii tui nominemur et simus veraciter! *Ibid.* III, 1, 2.

Nunc, Domine, filii tui sumus, et nondum apparuit quid erimus; scimus quoniam quum apparuerit, similes tibi erimus, quia te sicuti es, clare videbimus.

In hoc apparuisti, Fili Dei, ut dissolvas opera iniqua diaboli. *Ibid.* 8.

Tibi, Unigenite Dei, cum Patre et Spiritu Sancto, laus, honor, virtus et gloria in omni militantis ac triumphantis Ecclesiæ loco. Amen.

Qui natus est ex te, Deus, non peccat finaliter : quoniam semen tuum in ipso perseverat, ne pereat æternaliter. *Ibid.* 9.

Injustus et qui proximum odit, ex dia- *Ibid.* 10, 15.

Digitized by Google

bolo est : omnis nempe odiens fratrem, homicida exsistit.

I *Joann.* III, 16. In hoc caritatem tuam, Deus incarnate, cognoscimus, quoniam animam tuam posuisti pro nobis. Fac et nos pro fratribus animas ponere congruis locis.

Ibid. 21, 22. Si cor nostrum non reprehenderit nos, secure in te confidimus, Domine, et quidquid petierimus instanter atque salubriter, sortiemur a te.

Ibid. 24. Qui servat mandata tua corde sollicito, in te manet tuque in eo.

Ibid. IV, 1. Fac nos, Domine, circumspectos, non omni spiritui mox credentes : imo spiritus si ex te Deo sint, sapienter probantes ac discernentes.

Ibid. 9-11. In hoc apparuit, Deus Pater, caritas tua in nobis, quoniam Filium tuum unigenitum misisti ad nos mysterio Incarnationis, ut vivamus per eum vita gloriosæ illustrationis.

In hoc est caritas, non quasi dilexerimus te, sed quoniam tu prior dilexisti nos, Pater æterne, misistique Filium tuum propitiationem pro nostra offensione.

Si tu, Deus, dilexisti nos, et nos debemus diligere proximos.

Ibid. 13. In hoc scimus quia in te manemus et tu in nobis, quoniam de Spiritu tuo dedisti nobis, implens nos ejus donis.

Ibid. 16. Tu, Deus, es caritas; et qui manet in caritate, in te manet, et tu in eo, Creator sublimis atque beate.

Ibid. 18. In caritate tua non est timor servilis,
Ps. XVIII, 10. pœnalis, sed castus, sanctus, dulcis et filialis, manens in sæculum sæculi etiam in Beatis.

I *Joann.* IV, 19. Fac nos te ardenter diligere, quoniam prior dilexisti nos, Domine.

Ibid. 21. Jussisti ut qui diligit te, proximum suum non cesset diligere.

Ibid. 20. Qui se te Deum diligere loquitur, et proximum quemcumque odit, mentitur ac fallitur.

Ibid. V, 1. Omnis qui diligit te Deum, qui genuisti, diligit te Unigenitum Dei, qui ex Patre æternaliter profluxisti.

Ibid. 3-6. Mandata tua, Domine, non gravida esse cognoscimus : quoniam omnis qui natus est ex te, vincit mundum per fidem divinitus.

Vincit mundum qui fide formata credit te Jesum esse Filium Dei : qui non in aqua tantum, sed per aquam sanguinemque venisti.

Gloriam, laudem, honorem tibi offerimus, Trinitas adoranda, Pater et Fili ac Spiritus Sancte, una Deitas æternaliter glorificanda. Amen.

Spiritus Sanctus testatur, quod tu, Chri- I *Joann.* V, 6, 7.
ste, sis veritas : tres enim in cœlo testimonium perhibent, Pater, Verbum et Spiritus Sanctus, qui una sunt Deitas.

Qui in te Filium Dei non credit, Deum *Ibid.* 10-12.
Patrem mendacem constituit : quoniam testimonium quod tibi perhibuit Pater, non recipit.

Tu, Pater, vitam æternam nobis dedisti, quam in Filio tuo unigenito constituisti : quoniam vitam æternam habemus, credendo in nomine Filii tui Christi.

Ex te Deo nos esse confidimus, et to- *Ibid.* 19, 20.
tum mundum positum in maligno conspicimus.

Scimus quod tu, Fili Dei, in mundum venisti, et ad cognoscendum Deum veram nobis sapientiam præstitisti, et item ut in te vero Filio Dei, qui verus es Deus et vita æterna, simus mente fideli.

Sit nobiscum gratia, misericordia et pax II *Joann.* 3.
a te Deo Patre, et a Filio tuo Jesu Christo, in veritate semper et caritate.

Hæc est caritas vera, Domine Deus, ut *Ibid.* 6.
secundum tua præcepta jugiter ambulemus.

Da ut nos ipsos inspiciendo, bona quæ *Ibid.* 8, 9.
fecimus non perdamus, sed plenam a te mercedem, Deus omnipotens, obtineamus.

Qui in tua, Christe, doctrina, fide et moribus manet, Deum Patrem et te ejus unigenitum Filium habet.

Fac præcipuum esse gaudium præla- III *Joann.*
torum, spiritualem profectum subditorum 4.
suorum.

Ex te est, Domine Deus, qui bene fa- *Ibid.* 11.

Digitized by Google

cit; non autem te videt, qui male facit, A quoniam formatam de te cognitionem non habet.

Tibi Patri supergloriosissimo, tuoque carissimo unico Filio, et Spiritui Sancto utrique condilecto, gloria et majestas, magnificentia, adoratio, omnisque honor et dignitas in sæculo sempiterno. Amen.

Laus Dei ex Canonica Judæ.

Judæ 5-7. Tu, Jesu, populum Israel de terra Ægypti salvans, secundo eos qui non credi- B derunt perdidisti, secundum divinitatem hæc operans.

Angelos quoque apostatas, in magni judicii die vinculis æternis sub caligine reservasti, Rex cœli.

Sodoma et Gomorrha post carnem alteram abeuntes, factæ sunt a te, Domine juste judex, exemplum, ignis æterni pœnam sustinentes.

Ibid. 11, 13. Viam Cain, erroremque Balaam, et contradictionem Core sequentibus, conservasti procellam tenebrarum in æternum, cum C gehennæ incendiis.

Ibid. 14-16, 19. Ecce venies, Domine, in sanctis millibus tuis, facere judicium contra iniquos de omnibus eorum sermonibus duris et operibus impiis.

A murmuratoribus querulosis et concupiscentiarum secutoribus, nos secerne; a segregantibus semetipsos, animalibus, spiritum non habentibus, nos merito et præmio divide.

Ibid. 20, 21. Da, Deus altissime, ut sanctissimæ fidei nos superædificemus, in Spiritu Sancto D oremus, atque in fervida dilectione jugiter perseveremus.

Ibid. 23-25. Fac nos aliis in timore misericordiam exhibere, eamque quæ carnalis est maculatam tunicam odio juste habere.

Tibi, qui potens es nos conservare sine peccato, et constituere ante conspectum gloriæ tuæ immaculatos cum gaudio, soli Deo per Christum gloria, magnificentia, imperium et potestas sine termino aliquo. Amen.

Laus Dei ex Actibus Apostolorum.

Præbuisti te, Christe, post passionem *Act.* I, 1-3. tuam discipulis tuis vivum in multis argumentis, per dies quadraginta apparens atque ostendens eis te ipsum, loquensque cum eis de regno cœlorum.

Convescens demum cum eis, jussisti ab Jerusalem ne abirent, sed Spiritus Sancti adventum, quem eis promiseras, exspectarent.

Tunc locutus es eis, quod Spiritus San- *Ibid.* 8-11. cti virtutem susciperent, tibique in Jerusalem et in omni Judæa atque Samaria, et usque ad ultimum terræ, testimonium perhiberent.

His dictis ascendisti in cœlum, suscipiente te nube ab adspectu eorum.

Quibus te visu deducentibus, gaudentibus et vehementer mirantibus, locuti sunt duo angeli sancti, te sic rediturum, utique in die judicii, quemadmodum ascendere te viderunt in sublimia cœli.

Tibi, Pater æterne, cum Filio et Spiritu Sancto, hymnus, virtus et gloria, in præsenti sæculoque futuro. Amen.

In die sacratissimo Pentecostes, disci- *Ibid.* II, 1 et pulis (fere centum viginti hominibus) Spi- seq.; I, 15. ritum Sanctum misisti in igneis linguis: qui omnium linguarum ac Scripturarum notitiam contulit eis.

Cujus novitate miraculi attoniti sunt Ju- *Ibid.* II, 41. dæi, conversique sunt usque ad tria millia die hoc, prius increduli.

Tunc per manus Apostolorum fecisti pro- *Ibid.* 43, 47. digia et signa magna in urbe Jerusalem, et metus magnus irruit in omnem Judæorum perfidam plebem; habebantque credentes ad omnem populum gratiam magnam.

Te Jesum Nazarenum, virtutibus, signis *Ibid.* 22, 23. et prodigiis divinitus approbatum, Patrisque definito consilio ac præscientia traditum, iniqui Judæi interemerunt, suspendentes ad lignum.

Tua virtute claudum a nativitate Petrus *Ibid.* III, 1-8; IV, 4. sanavit: per quod quinque millia Judæorum ad te simul convertit.

Digitized by Google

Act. III, 13-15. Tu, Pater, Deus Patriarcharum, glorificasti Filium tuum Jesum, vitæ auctorem et Sanctum : quem occiderunt Judæi, petentes sibi dimitti homicidam seditiosum.

Honor, laus, virtus et gloria summæ Trinitati, Patri et Filio cum Spiritu Sancto, per sæcula infinita. Amen.

Ibid. IV, 12. Non est in alio salus nisi in te, Domine Jesu Christe ; nec aliud datum est hominibus nomen sub sole, in quo eos oporteat salvos consistere.

Ibid. 31. Quum te Deum orasset primitiva Ecclesia, motus est locus in quo stabat ipsa ; et repleti sunt omnes Spiritu Sancto, loquentes verbum tuum cum omni fiducia.

Ibid. V, 1-10. Tua virtute, ad increpationem Petri subito exspiraverunt vir et conjux ipsius, furati de pretio agri.

Tua supernaturali, admirabili potestate,

Ibid. 15. sanabantur ad umbram Petri varia deprehensi infirmitate.

Ibid. 19, 20. Te jubente, angelus carceris ostia patefecit, conclusosque Apostolos inde eduxit, et tibi, o Christe, testimonium prædicationis ferre præcepit.

Potestas, beatitudo, regnum et gloria Patri, Filio et Spiritui Sancto, quibus solis impendenda est latria.

Ibid. 41. Gaudebant, Christe, tui sancti Apostoli, quod digni habiti sunt pro te contumeliam pati.

Ibid. VII, 55. Tua gratia vidit Stephanus degens in terra, cœlos apertos et gloriam Dei, teque Filium ejus stantem a dextris virtutis

Ibid. VI, 15. Patris æterni ; refulsitque facies ejus ut facies angeli.

Ibid. VIII, 5-8. Te operante, sanavit Philippus diaconus multos obsessos, claudos et paralyticos in

Ibid. 39, 26 et seq. Samariæ locis : quem a conspectu eunuchi subito rapuit Spiritus, cujus admonitione fuit ad illum profectus.

Per tuam infinitam, Christe, clemen-

Ibid. IX, 1 et seq. II *Cor.* XII, 2-4. tiam, Paulo tuos adhuc persequenti apparuisti, eumque ad cœlestia raptum, de arcanis fidei instruxisti, et in apostolum consecrasti.

In nomine tuo Petrus Æneam paralyticum reparavit, religiosamque feminam Tabitham a morte resuscitavit. *Act.* IX, 33, 34, 40.

Gloria infinita et honor perpetuus tibi, Trinitas supersancta, Pater et Fili ac Spiritus Sancte, unus Deus. Amen.

Te Deo mittente ac miserante, angelus claro die Cornelio centurioni apparuit, eumque de agendis docuit ; et quod preces ejus ac eleemosynæ tibi placerent disseruit. *Ibid.* X, 1-6.

Denique, quum Petrus Cornelio et congregatis cum eo evangelizaret, antequam eos baptizavit, misisti eis in signo visibili Spiritum Sanctum, qui donum linguarum eisdem donavit. *Ibid.* 44, 46.

Tu, Jesu, quem Pater unxit virtute et Spiritu Sancto, pertransisti docendo ac benefaciendo, omnesque a diabolo possessos curando. *Ibid.* 38.

Petrum incarceratum, dire vinctum, et multis custodibus circumcinctum, eduxisti miro modo de carcere per angelum sanctum, tuæ virtutis ministrum. *Ibid.* XII, 4 et seq.

Herodem tibi Deo vero non dantem honorem, percussisti plaga per angelum : exspiravit enim superbissimus ille, consumptus a multitudine vermium, qui divinum sibi delectabatur impendi honorem atque præconium. *Ibid.* 21-23.

Omnis excellentia, adoratio, gloria tibi sit, Trinitas summa, omnipotens, benedicta. Amen.

Per te, Christe, peccatorum annuntiatur remissio, et de omnibus a quibus in lege Moysis justificari non potuit homo : in te namque omnis qui credit, justificatur a Deo. *Ibid.* XIII, 38, 39.

Te Christum posuit Deus in lucem gentium, ut salus sis ejus usque ad terræ extremum. *Ibid.* 47.

Te Domino operante, ad imperium Pauli erectus atque sanatus est claudus ex utero ortuque sui. *Ibid.* XIV, 7-9.

Deus, qui cœlum, terram, mare, omniaque in eis contenta fecisti, in præteritis *Ibid.* 14-16.

Digitized by Google

generationibus omnes gentes suas vias ingredi permisisti.

Nec sine testimonio reliquisti te ipsum, dans pluviam, tempora fructifera, alimentaque omnium.

Tibi veneratio summa, regnum, majestas, Trinitas superfelix, Pater, Fili, Spiritus Sancte, quorum est una infinita potestas, indivisaque divinitas. Amen.

Act. xv,11, 9. Per gratiam tuam credimus, Jesu Christe, salvari, qui fide purificas corda credentium tibi.

Ibid. xvii, 24-31. Tu, Deus, qui mundum et omnia quæ in eo sunt condidisti, omnibus vitam et inspirationem dedisti, atque ex uno omne hominum genus super terram habitare fecisti.

Definisti statuta temporum omnium, et terminos habitationis eorum, ut quærant te Deum.

Tu non es longe a quolibet nostrum : quoniam in te vivimus, movemur et sumus, qui genus consistimus tuum.

Non in manufactis habitas templis ; nec auro, argento aut sculptili seu artificiato cuicumque es similis.

Prioris ignorantiæ tempora tu aspernans, tempore gratiæ omnes pœnitentiam agere fuisti adhortans.

Quoniam statuisti diem in quo judicaturus es orbem, per virum quem statuisti omnium justum ac infallibilem judicem.

Beatitudinis plenitudo, honor et omnipotentia tibi Patri et Filio cum Spiritu Sancto, quorum est una natura atque lætitia. Amen.

Ibid. xix, 5-7. Viris fere duodecim baptizatis a Paulo, misisti mox Spiritum Sanctum in sensibili signo : qui statim orsi sunt loqui variis linguis in Domino.

Ibid. 11,12. Virtutes, Domine Jesu, non modicas per Paulum fecisti, per cujus sudariorum et semicinctiorum contactum, ægros et obsessos curasti.

Ibid. xxviii, 8, 9. Demum te operante, patrem Publii a dysenteria et febribus liberavit, omnesque insulæ Melitanæ infirmos curavit.

Tua virtute Eutychum suscitavit a morte, viperamque de manu sua excussit atque exstinxit in igne : quo viso, Barbari dixerunt eum Deum esse. *Act.* xx, 9, 10 ; xxviii, 3-6.

Meritis insuper Pauli, omnes secum existentes in navi liberasti a tempestate gravissima pelagi. *Ibid.* xxvii, 24.

Fac nos apostolicam in omnibus sequi doctrinam, Deus trine, cui omnem optamus impendi honorem et gloriam. Amen.

Laus Dei ex Apocalypsi Joannis apostoli.

Gratia nobis et pax detur a te Deo æterno, qui es, et qui eras, quique venturus es mundo. *Apoc.* i, 4-8.

Tu, Christe, testis fidelis, primogenitus mortuorum et princeps regum terræ, dilexisti et lavisti nos a peccatis nostris tuo in sanguine, fecistique nos Deo nostro regnum et sacerdotes in tempore gratiæ.

Ecce venies, Christe, cum nubibus, et videbit te omnis oculus, hi quoque qui te pupugerunt vulneribus.

Plangent se super te omnes terræ tribus, qui es Alpha et Omega, principium et finis, qui vere es, omnipotensque venturus es.

Tu, Christe, es primus atque novissimus ; vivus, qui fueras mortuus. *Ibid.* 17, 18.

Et ecce es vivens in sæcula sæculorum, habesque claves mortis ac inferorum : cui cum Patre et Spiritu Sancto est honor et gloria in via et patria Beatorum. Amen.

Vincenti dabis edere de ligno vitæ, quod est in paradiso Deitatis cœlestisque patriæ. *Ibid.* ii, 7.

Fac nos fideles usque ad mortem, ut accipiamus a te vitæ æternæ coronam. *Ibid.* 10, 11.

Nihil eorum quæ sumus pro justitia perpessuri, sinas nos timere : qui enim vicerit, non lædetur a morte secunda infernalis miseriæ.

Vincenti dabis manna absconditum, et calculum candidum, atque in eo nomen *Ibid.* 17.

Digitized by Google

scriptum, quod non novit nisi qui accipit A ipsum.

Apoc. II,23. Renes et corda scrutaris, qui unicuique secundum opera sua retribues.

*Ibid.*26,28. Vincenti et perseveranti in finem, dabis potestatem super gentes et stellam matutinam in præmiis.

Ibid. III, 2, 3. Vigilantes nos effice, et opera nostra plena fac coram te, ut qualiter acceperimus, habeamus in mente exerceamusque opere.

Tibi, Pater altissime, Patrique compar Unice, ac adorande Paraclete, magnificen- B tia, adoratio, regnum omnisque nobilitas sine fine. Amen.

Ibid. 5. Vincentem, Christe Redemptor, vesties vestibus albis; nec nomen ejus de libro vitæ delebis, sed in conspectu Patris tui æterni eum fateberis.

Ibid. 7. Tu, Christe, sanctus et verax, habes clavem David : qui claudis, et nemo aperit; aperis, nemoque claudit.

Ibid. 12. Vincentem facies, Domine, columnam in templo tuo, scribens super eum nomen C tuum et nomen Jerusalem novæ descendentis de cœlo.

*Ibid.*14,18. Tu, Christe, testis fidelis et verus, principium creaturæ Dei omnipotentis, fac nos emere a te devotissima prece aurum ignitum, probatum, ditans intima mentis.

In hac vita paternaliter et benigne nos *Ibid.* 19. corrigas, Deus clemens et dulcis, qui quos amas, arguis et castigas.

Tibi, Christe, cum Patre et Spiritu Sancto, honorem, laudem et gloriam offerimus infinitas. Amen.

*Ibid.*20,21. Tu, Christe, qui ad ostium stas pulsans, ad aperientem ingrederis, cum eo cœnans. Tibi sit cor nostrum se semper aperiens.

Vincenti dabis sedere tecum in throno tuo : quemadmodum tu vicisti, et sedes cum Patre tuo, ejus in solio.

Tibi, Deus sublimis, indefessa voce can- *Ibid.* IV, 8. tant Beati : Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus omnipotens, qui erat, et qui est, et qui venturus est.

Dignus es, Domine Deus noster, acci- *Apoc.* IV, pere honorem et gloriam et virtutem : 11. quoniam tu creasti omnia, et propter tuam creata sunt voluntatem.

Vicisti, o Leo de tribu Juda, Christe, *Ibid.* V, 5, radix David, qui dignus es aperire librum, 9. et solvere septem signacula ejus, quem alter non reseravit : quoniam occisus es, et redemisti nos Deo in sanguine tuo.

Benedictio, honor, gloria et potestas tibi *Ibid.* 13. Agno, cum Patre et Spiritu Sancto sedenti in throno. Amen.

Tibi, Christe, millia millium angelorum *Ibid.*11,12. consona voce decantant hunc hymnum in regno polorum : Dignus est Agnus qui occisus est, accipere virtutem et divinitatem, sapientiam, fortitudinem, honorem, gloriam et benedictionem.

Salus tibi Deo nostro sedenti in throno, *Ibid.* VII, et Agno, cui procidunt angeli sancti, te 10-12. isto glorificantes præconio : Benedictio, claritas, sapientia et gratiarum actio, honor, virtus et fortitudo Deo nostro, in sæcula sæculorum. Amen.

Absterges, Domine, omnem lacrimam *Ibid.*17,16. ab oculis electorum. Non esurient, nec sitient, nec sole nec æstu affligentur, Rex universorum : quoniam duces eos ad fontes vitæ aquarum.

Tu, Christe, Verbum Dei, habes in vesti- *Ibid.* XIX, mento tuo et femore scriptum : Rex regum 16. et Dominus dominantium.

Beati qui ad cœnam nuptiarum tuarum *Ibid.* 9. vocati sunt, Sponse tu virginum.

Ut tuam, Agne Dei, Judex mundi, pos- *Ibid.*VI,16. D sint iram impii fugere, desiderabunt montes et petras super se cadere, nec valebunt effugere.

Tibi cum Patre et Spiritu Sancto honor et gloria sempiterna omni in ævo. Amen.

Laus Dei de opere creationis.

In principio creasti cœlum et terram : *Gen.* I, 1. tu enim, Pater, in Verbo et Filio tuo condidisti machinam mundialem.

Tu, Deus Trinitas, in principio temporis

Digitized by Google

et ante alia, superiora et inferiora fecisti sine præjacenti materia.

In sapientia tua invisibilia produxisti : intellectuales substantias, angelicos spiritus tu plasmasti.

Universos orbes cœlestes, planetas et astra fundasti ; elementa et omnia mixta, rationalia et irrationalia procreasti.

Inter angelicos intellectus et irrationalia hæc terrena, medium condidit hominem ex intellectu et carne constantem virtus tua immensa.

Fac nos, sancte Creator, creationis beneficio gratos, et angelicorum intellectuum per cœlestem conversationem imitatores idoneos.

Tibi, trine simplexque Creator, virtus, laus, honor, felicitas, Deus Pater, Deus Fili, Deus Spiritus Sancte, benedicta et supergloriosa Trinitas. Amen.

Laus Dei de opere distinctionis et ornatus.

Superioribus et inferioribus, cœlestibus et terrenis distinctas indidisti virtutes ;

Gen. 1, 14-18. sole et luna ceterisque planetis atque sideribus ornasti orbes cœlestes.

Ibid. 20 et seq. Aerem avibus, terram hominibus ac jumentis, aquasque piscibus ornavit mirabiliter sapientia tua, Deus omnipotens et sublimis.

Ibid. 11, 12. Te jubente, profert terra herbam virentem, arbores varias, flores et species, fructum multiplicem.

Donasti his corruptibilibus vim generativam, ut esse specificum conservetur per individuorum successionem.

Innumerabiles piscium species condidisti in mari, et inenarrabilia sunt genera bestiarum et avium quæ in terra et aere præcipis demorari.

Elephantos et gryphes ceteque grandia, Creator omnipotens, es molitus ; rebus quoque non vivis, quarum sunt innumerabiles species, vires proprias es largitus.

Fac nos, Deus excelse, tuis creaturis uti salubriter, tibique Deo trino ac simplicissimo gloriam et honorem offerre perenniter. Amen.

Laus Dei de eodem.

Auro splendorem, melli dulcedinem, balsamo multam nimis virtutem dedisti ; oleo suavitatem et claritatem, gemmis, herbis, distinctas pretiosas et innumerabiles qualitates indidisti.

Vino dedisti saporem, sonis consonantiam, universoque mundo pulchritudinem admirandam et ordinis elegantiam.

Et quidquid decoris, dulcedinis, potestatis, perfectionis habent creata, a te, Deus incomprehensibilis, infinite, omnipotens, sunt sortita.

In mundi creatione patet omnipotentia tua ; in ejus gubernatione ostenditur sapientia tua immensa ; in rationalium creaturarum remuneratione monstratur tua justitia.

Fac nos te in tuis effectibus contemplari, amare ac venerari, et cuncta creata ad tuum semper honorem referre, atque in te finaliter demorari.

Tibi, Pater et Fili ac Spiritus Sancte, Trinitas adoranda, laus, honor, virtus et gloria per sæcula non terminanda. Amen.

Laus Dei de angelicis spiritibus.

Tu, Trinitas benedicta, unitas simplicissima, Deus gloriose, super unitatem quamdam et trinitatem cuncta fundasti creata, opifex gratiose.

Novem quippe angelorum spirituum ordines es molitus : quos in triplicem hierarchiam incomprehensibili sapientia es partitus ; atque in qualibet hierarchia tres ordines statuisti, sapientissime Deus.

Denique in quolibet ordine, supremos, infimos mediosque ordinasti, o Domine.

In suprema hierarchia cœlesti, Seraphim Cherubimque et Thronos constituisti ; in

Digitized by Google

media Dominationes, Virtutes et Potestates A esse jussisti; in infima Principatus, Archangelos et Angelos posuisti.

Tam sincere, Deus æterne, da nobis nunc conversari, ut finito hujus peregrinationis curriculo, prædictis mereamur angelorum ordinibus adunari.

Tibi, inæstimabilis Conditor, simplicissime atque mundissime Deus, omnis beatitudo, hymnus, honor et gloria, qui regnas in Trinitate perfecta sine fine in cœlis. **Amen.**

Laus Dei de cœlo empyreo.

Angelicis sacris spiritibus ordinasti, Domine, cœlum empyreum : quod creatum, angelis mox implesti in exordio creationis indestructibilium entium.

Condidisti enim in principio, Deus æterne, habitationem aptam Beatis : quam cœlum empyreum appellamus seu igneum, ratione claritatis, non caliditatis.

Hoc cœlum est, te operante, visibilium C locus, et invisibilium continentia : cujus gyro clausa sunt omnia; extra quod nulla penitus invenitur creatura.

Ipsum est, Domine Deus, quantitate permaximum, qualitate præfulgidum, situ altissimum, uniforme, inalterabile atque immobile, contemplationis habitaculum congruum.

Hic paradisus cœlestis, hæc patria Beatorum, hic voluptatis deificæ locus, hoc regnum cœlorum, terra regioque vivorum.

Sanctos nempe te summo bono feliciter perfruentes, omni claritate, impassibilitate, sublimitate et puritate fulgentes, tale condecuit habitaculum, habens proprietates illis correspondentes.

Philipp.m. 20. In hoc cœlo sit, Domine, conversatio nostra, ut æternaliter tibi in eo a nobis exhibeatur perfectus honor et gloria.

Etenim Deo trino ac summo omnis debetur laus, virtus et magnificentia. Amen.

Laus Dei de ordine Seraphim.

In hoc, Domine, cœlo altissimo, eminentissimorum condidisti Seraphim chorum ac ordinem : qui ob divini tui amoris ardentissimum incomprehensibilemque fervorem, tale sortiti sunt nomen.

Hic ordo dignissimus, ex tuæ divinitatis supersplendidissimæ et vere superpulcherrimæ immediata approximatione, totus caritate ignitur, et flammea vestitur ebullientis dilectionis coruscatione.

B Sui quoque dulcis incendii exuberantiam, in subalternatos choros angelicos spargit ac dispertitur juxta illorum capacitatem.

Hæ mentes seraphicæ sempiternam et incessabilem, acutissimam et fervidissimam mobilitatem habent in te Deum supersublimem, omnis lucis fontem ac principem.

Rite post Spiritum Sanctum, tertiam supersanctæ Trinitatis personam, qui amor et caritas dicitur, ordo Seraphim ab amoC ris fervore nomen sortitus, te Deo agente ac disponente, mox sequitur.

Habent insuper ordinis hujus prælucidi spiritus, reductivam virtutem, qua inferiores angelos purgando, illuminando et perficiendo, ad te reducunt, et tibi magis assimilantur quantum ad accidentalem salutem.

Hi beatissimi spiritus, Deus immense, incomparabili tuæ bonitatis ardent amore.

Quo enim te clarius viciniusque conspiD ciunt, eo validius in tuæ dilectionis calore inæstimabiliter exardescunt.

Tua nos, Deus supergloriose, caritate inflamma; in te corda nostra resolve, perfice et consumma, ut in præcordiorum nostrorum affectu quasi in Seraphim ardeas, Bonitas adoranda.

Tibi, Trinitas summa, omnis honor et gloria; tibi, Pater et Fili ac Spiritus Sancte, hymnus et regnum cum infinita lætitia. Amen.

Digitized by Google

Laus Dei de Cherubim.

Tu, Deus excelse et benedicte, post Seraphim Cherubim constituisti; hujusque ordinis sacratissimos spiritus, plenitudine quadam scientiæ eminenter ornasti.

Coloss. II, 3. Super hos sapientiæ atque scientiæ tuæ thesauros copiose effundis, ita ut ipsi de plenitudine sua, sequentibus choris angelicis fluenta scientiæ liberaliter communicent omnibus.

Hæ mentes supernæ a te, Domine, sortitæ sunt virtutem excellenter cognitivam, altissimæ illuminationis capacem, divinorum mysteriorum inspectricem, aliorumque angelicorum spirituum illuminativam.

Fulgent, te Deo desuper irradiante, veritatis clarissima venustate, splendore sapientiæ deiformiter decoratæ; tibique fonti veritatis inavertibiliter sunt intentæ.

Tanta, Deus piissime, intellectum nostrum veritatis contemplatione perfunde, tam claram ei ac stabilitam sapientiam tribue, ut in eo quasi in Cherubim non cesses splendere.

Tibi scientiarum Domino, Deo uni ac trino, honor et gloria sine fine, Patri et Filio ac Spiritui Sancto. Amen.

Laus Dei de Thronis.

Tertio loco, supersapiens omnipotensque Creator, Thronos constituisti : quos ab omni subjectione indigna per elevationem eximiam remotos liberrimosque fecisti.

Hi circa te Deum altissimum tota sunt virtute erecti stabiliterque locati, tui superadventus, insidentiæ et inhabitationis familiariter ac singulariter susceptivi.

Vocantur namque Deiferi, quasi ad te suscipiendum singulari modo aperti : in quibus tu sedes, judicia tua per eos decernens, tanquam in consistorio cœlesti.

Hæ, Domine, sunt sedes tuæ pacatissimæ, summæ tranquillitatis, uniformitate ineffabili modo compactæ.

Hi spiritus gloriosi per te, Deus æterne, discernunt causas veritatis, atque per te infallibiliter judicant judicia æquitatis.

Tibi omnis majestas, laus, honor, felicitas, Deus Pater, Deus Fili, Deus Spiritus Sancte, Deus simplex indivisaque Trinitas. Amen.

Laus Dei de Dominationibus.

Supermundani tui palatii Dominationes, stantes in media hierarchia primatum tenentes, ab omni indecenti subjectione ac servitute immunes fecisti ac liberas.

Quumque dominorum sit præcipere quid alii agant, Dominationes subjectorum chororum spiritibus quid complere et prosequi debeant, te disponente, Deus altissime, ordinant itemque distribuunt.

Hæ supercœlestes supernæque mentes, te Deo moderante, a prima hierarchia sursumaguntur, nullaque violentia usquam premuntur; eminentem vero et indissolubilem dominationem super sequentium phalangas ordinum sortiuntur.

Veram enim eis præsidentiam contulisti, Deus sublimis et gloriose, qua te omnis dominii fontem desiderant amorose.

Se quoque ordines sequentes convertunt in te, ad ampliorem obtinendam assimilationem bonitatis ac proprietatis tuæ deificæ.

Dominator Domine, te harum Dominationum sublimium multitudo sancta adorat; in te animum singulari libertate incessanter extendit, et inter prænobiles aulæ tuæ concives ac heroas, altum dominium sine fastu exercet.

Fac nos, Deus sancte, fortis et immortalis, mundo, carni, diabolo taliter dominari, ut ad cœlestium Dominationum sortem mereamur elevari, et æternaliter coronari.

Tibi omnium Dominatori, summo ac omnipotenti, omnis honor, beatitudo, hymnus et gloria, Deo trino et simplici omnibus præsidenti. Amen.

Digitized by Google

Laus Dei de ordine Virtutum.

ORDINI Dominationum subjunxisti, Deus præclare, chorum Virtutum cœlestium : quibus ad prosequenda officia sibi præfixa, fortem, virilem et infatigabilem fortitudinem præstitisti, Rex omnium.

Hinc ad deiformium susceptionem illuminationum, in nullo imbecilliter infirmantur ; sed ad te universæ fortitudinis principem inconcussibiliter eriguntur, subjectosque ordines in te reducere et tibi plenius conformare adoriuntur.

Harum Virtutum sanctarum est distributionem Dominationum exsecutioni mandare, atque principia universalis operationis operi applicare, et supernaturalia perpetrare.

Nos imbecilles et inopes, Deus Virtutum, semper confirma : cui honor et gloria sempiterna ; qui trinus es in personis, et unus in essentia. Amen.

Laus Dei de ordine Potestatum.

VIRTUTIBUS ordo Potestatum, te Principe universorum ordinante, annectitur : qui ad divinas influxiones sibi congruentes inconfuse suscipiendas, ordinariam potestatem sortitur.

Habent, o Deus, Potestates istæ a te supermundanam invisibilemque intellectualis potestatis ordinationem, qua potenter atque benigne infimam erigunt hierarchiam ad pleniorem divinarum tuarum proprietatum assimilationem.

Infimam namque hic ordo continet hierarchiam, in divinæ tuæ lucis, Deus adorande, deificatam assimilationem promovens eam, non tyrannice sua potestate abutens ad illam.

Distributionem ab ordine Dominationum procedentem, atque a choro Virtutum exsecutioni mandatam, hic ordo, te Deo jubente, custodit inconfusam servatque fixam : quoniam destructiva exsecutionis præfatæ evellit per suam potentiam.

A Tua est, Deus omnipotens, harum agilitas Potestatum, colla tartari flammeo zelo prementium, ne quantum cupiunt, agere queant in perniciem nostram ac detrimentum.

Fac nos, Deus, angelica ope, dæmonum tentamenta calcare, quæ tua sunt alacriter actitare, superiorumque nostrorum mandata inconfusa servare.

Tibi, Trinitas sancta, Pater, Fili, Spiritus Sancte, honor, imperium, gloria sempiter-
B na ac infinita omni ævo ac tempore. Amen.

Laus Dei de ordine Principatuum.

SUPREMUM chorum in infima hierarchia angelica, statuisti ordinem Principatuum, o sapientia Dei fontana.

His principalitatem et præsidentiam super subsequentes duos ordines contulisti : quos ad te totius luminis fontem reductione sursumagunt convenienti, se ipsos et illos conformare studentes tuæ sempiternæ
C divinitati.

His boni communis regnorum, provinciarum ac civitatum dispositionem crederis commisisse : inter quos magnum Principem novimus Michaelem, qui olim præfuit Synagogæ.

Hic nobilis signifer cœli, paradisi præpositus, stat pro acie tua, Deus vivens, rhomphæam propugnationis victoriose extendens, et contra adversarios, Quis ut Deus ? voce terrifica intonans. *Apoc.* XII, 7-9.

D Fac nos, Deus, contra vitia victorialiter reluctari, tibique altissimæ Trinitati, Patri et Filio cum Spiritu Sancto, honorem semper et gloriam in cordis offerre altari. Amen.

Laus Dei de Archangelis.

POST Principatus substituisti Archangelos, benedicte Creator : quibus magnarum rerum annuntiationem committis, supersapiens gubernator.

Digitized by Google

Hi nobiles spiritus a Principatibus immediate illustrantur, atque cum illis ad te omnis regiminis fontem ac regulam convertuntur, tibique proportionaliter conformari nituntur.

Angelos quoque illuminant, et per illos quædam divina secreta hominibus nuntiant.

Inter hos Gabrielem esse cognoscimus præclarum et sapientem : quem in veteri et novo Testamento mysteria fidei atque Ecclesiæ scimus pandentem.

Dan. VIII, 16 et seq.; IX, 21 et seq.; *Luc.* I, 11 et seq.; 26 et seq.

Hic tuam incarnationem, Fili Dei, Virgini sacratissimæ revelavit : quem amare ac honorare, merito Ecclesia sancta dictavit.

I *Petr.* IV, 10.

Fac nos, Deus clemens, æterne, gratiam nobis concessam aliis communicare, tibique, Trinitas superexaltata, hymnum, honorem, potestatem et gloriam jugiter immolare. Amen.

Laus Dei de Angelis.

Angelorum ordinem, Domine, loco ultimo statuisti : quos ab Archangelis illustratos, ecclesiasticæ hierarchiæ immediate præesse jussisti.

Hos jubes minora et singulos particulariter concernentia nuntiare : quorum est homines custodire, gubernare, protegere, juvare et illustrare.

Hos in die creationis eorum incorruptibili vestitura induisti : quos hoc modo in opus sacri tui ministerii potentissime produxisti.

Hi vera sunt sidera, Domine, superioris cœli, liliaque nunquam marcentia interioris ac supermundani paradisi.

Ex te, o sapientia Dei, splendent in sapientia multa, candent puritate virginea, rubent et flagrant sempiterno ardore in caritate flammigera.

Tibi mentis suæ radicibus inavertibiliter hærent; vultum tuum, piissime Deus,

Tob. XII, 12. exorant, orationum quoque nostrarum thymiamata tuæ majestati præsentant.

Fac nos, Domine Deus omnipotens, angelicæ inspirationi semper parere, sicque illorum directione in hac via procedere, ut finito hujus incolatu exsilii, valeamus te cum illis clare conspicere.

Summæ Trinitati, simplici Deitati, tibi Patri et Filio ac dulci Paracleto, benedictio, claritas, sapientia et gratiarum actio, honor, virtus et fortitudo in sæculo sempiterno. Amen. *Apoc.* VII, 12.

Laus Dei de ejus dignatione ad nos.

Tuam, Conditor majestatis immensæ, dignationem et caritatem ad nos miramur et collaudamus, eo quod tam illustres cœlestis palatii satrapas ad nostræ parvitatis obsequia destinare non cessas.

Ecce enim intellectus illos deiformes, mentes deificatas et animas supercœlestes, ad nos viles transmittis vermiculos, fragilibus vasis circumdatos, mortales, terrestres.

Simplices illas, puras ac immortales essentias, ad nos favillæ et cineri comparatos, carnales, incompositos, destinas. *Job* XIX, 19.

Sacros illos, felices, angelicos spiritus, cives supermundanos, ad nos in terra repentes, lutea vasa portantes, transmittis, vanitati assimilatos. II *Cor.* IV, 7.

Te quippe jubente, millia millium inter cœlum et terram meant alacri cursu, velut apes negotiosæ, populusque accinctus, nesciens labem inobedientiæ, carens prolapsu. *Dan.* VII, 10.

Fac nos, Deus excelse, tuis beneficiis gratias dignas agentes, propriamque dignificationem prudenter atque humiliter perpendentes, ut in angelorum præsentia simus semper honeste viventes.

Tibi, Pater æterne, cum Unigenito tuo et Spiritu Sancto paracleto, magnificentia, beatitudo, honor, virtus et gloria in omni electorum tuorum consortio. Amen.

Laus Dei de hierarchiis communiter.

Te Deum superbeatum, sublimem et benedictum, Seraphim ardentissime dili-

Digitized by Google

gunt; tibi æstuantissima mente intendunt; A te gaudiosissima caritatis voluptate fruuntur atque inspiciunt.

Te Cherubim sincerissime speculantur; in te rationes tuorum effectuum quamplurium limpidissime contemplantur; in te vere ineffabiliter jucundantur.

Te Dominationum celsitudo præclara honorat; tibi prompte obedit; in te se ipsam cum profundissima humilitate reflectit.

Tuæ omnipotentiæ Virtutes cœlestes jugiter innituntur; tuum beneplacitum for- B tissime exsequuntur; in te inavertibiliter feliciterque conversæ sunt, quo ad libitum perfruuntur.

Te Potestates supernæ tremunt, Domine, sine pœna; tibi substernunt se ipsas humilitate eximia; tuam gustant dulcedinem satietate beata.

Te Principatus in omnibus venerantur ac imitantur; teque beatifice perfruentes, de tua visione dulcissima contentantur; tibi malunt servire atque subesse, quam aliis dominari aut inordinate præesse. C

Tibi ministrant Archangeli et serviunt Angeli, ecclesiasticam hierarchiam docentes prout norunt placitum tibi.

Denique, quamvis omnes angelici ordines te Deum immediate conspiciant, multaque operum tuorum in tua luce plene cognoscant, nihilo minus superiores dicuntur inferiores purgare, illuminare, perficere, ad te quoque reducere, tibi assimilare, et tuo amore accendere.

Quod quantum ad tuorum accipimus cognitionem effectuum : quorum plures D sciunt superiores quam angeli inferiorum chororum; clarius quoque vident eadem quæ inferiores, et plures rationes ipsorum.

Philipp. III, 20. Nostra nunc, Domine, conversatio sit in cœlis; et cito posthæc adjungemur sacrosanctis angelicis turmis.

Tibi, omnis hierarchici ordinis Princeps, Deus trine, omnipotens, hymnus, majestas et gloria, Deitas summa, Trinitas essentialiter sapiens. Amen.

Laus Dei de gradibus hominum electorum in patria.

Te trinum ac simplicem Deum, anima Christi præ cunctis clarius cernit atque ferventius diligit : hincque de sua plenitudine, universorum etiam angelorum agminibus copiosissime influit.

Dehinc Christifera Virgo, felix Maria, universis est angelis atque hominibus in cœlo prælata, et in divinæ tuæ lucis abyssum profundius gloriosiusque absorpta.

Te Patriarchæ et Vates sancti jucundo vultu conspiciunt et honorant; te gloriosi Apostoli eminenti nimis prærogativa sibi adstringunt, fruuntur, glorificant.

Te martyres victoriosi collaudant; in te beatissime vivunt, pro quo suam in hoc sæculo vitam posuerunt.

Te lucidissimi confessores felici puraque mente conspectant; te monachorum venerabilis ordo singulari libertate hereditarie possidet, pro quo propriam voluntatem tam viriliter denegavit.

Te sancti doctores nunc facie ad faciem clare ac læte conspiciunt; te virgines sacræ dulcissimis laudibus indesinenter extollunt, mundissimisque amplexibus sibi adstringunt.

Ex supernis spiritibus et electis hominibus unam, Domine, facis Ecclesiam in regno cœlorum; ad singulos ordinum angelicorum aliquos promoves homines, secundum exigentiam meritorum.

Fac nos, Domine Deus noster, nunc taliter conversari, ut huic felici consortio mereamur feliciter copulari.

Tibi Patri ac Filio cum Spiritu Sancto honor, virtus et gloria, Deus magne et fortis, sancte et incomprehensibilis, Trinitas benedicta. Amen.

Laus Dei de numero et ordine cœlestium corporum.

Tu, Deus omnipotens, post cœlum illud immobile, summum, empyreum, molitus

Digitized by Google

es cœlum crystallinum, totum uniforme, diaphanum, propter diaphaneitatis proprietatem aqueum appellatum.

Hæc nona dicitur sphæra : quam ab oriente in occidentem jubes moveri quotidie ; quæ motus sui virtute et impetu, secum rapit et circumvolvit firmamentum cum orbibus planetarum quolibet die.

Deinde firmamentum stellis in se fixis ornatum locasti, quod imperscrutabili virtute et causalitate in se suisque sideribus decorasti.

Infra hoc cœlum tu, Deus altissime, septem statuisti planetas, qui proprias habent (in quibus moventur, non figuntur) sphæras subalternatas.

Horum indestructibilium corporum motus, virtutes, loca, influxus et causalitates ignorant mortales ; aliqua tamen vera de ipsis sunt cognoscentes.

Hæc corpora suo motu suum ministerium manifestant ; se deos non esse, sed creaturas, proclamant.

Tuam insuper, sancte Creator, omnipotentiam monstrant ; quam etiam prompte obediendum sit tibi, motus sui velocitate declarant.

Quis, Domine, solis quem condidisti, decorem, virtutem, causalitatem et eminentiam admirari sufficiat ? Quis velocitatem motus cœlestium corporum digne miretur aut exprimat ?

Te Deo sublimi jubente, uniformiter, rapidissime, ordinatissime currunt, suoque motu, lumine et influxu, innumerabiles in inferioribus istis effectus producunt.

Tuæ bonitatis, o Domine, evidens imago est sol iste sensibilis : qui instar bonitatis tuæ immensæ, omnibus susceptivis lucem suam copiose infundit et gratis.

Ipsum fecisti indeficientis luminis fontem, lunæ et stellis lumen quod habent influentem, tempora distinguentem, et terræ nascentia, quum accedit, renovantem.

Tu nos semper illustra, Sol intelligentiæ atque justitiæ.

Tibi laus, virtus et gloria, Deus trine, Pater, Fili ac Spiritus Sancte, omni in tempore. Amen.

Laus Dei de elementis et mundi dispositione.

Dehinc quatuor elementa, opifex Deus, ordinatissime collocasti : quæ omnia in rotunditate quadam et sphærica figura plasmasti ; similiora quoque symbolumque habentia, vicinius situasti.

Totum universum corporeum voluisti sphæricæ esse figuræ : quam constat capaciorem, perfectiorem et tuæ æternitati conformiorem exsistere.

In omnibus his orbis superior inferiorem ambit et circuit : quum ignis quoque, aer et aqua terram circumdent.

Verumtamen partem terræ voluisti aquis esse discoopertam, ut in ea animalium multitudo et hominum aptam habeat mansionem.

Ad concava itaque terræ parata et facta a te, collegisti has aquas : quas tunc certa lege et gyro vallabas, et velut vectibus januisque, ne præfixum exeant terminum, concludebas. *Gen.* I, 9 ; *Prov.* VIII, 27 ; *Job* XXXVIII, 10.

Arenam posuisti terminum maris : quod velut in utre collectum posuisti ut in thesauris, atque ad ripam jussisti confringi tumidos fluctus ejus. *Jer.* V, 22 ; *Ps* XXXII, 7 ; *Job* XXXVIII, 11.

Totam vitam nostram, Deus misericordissime, ordina.

Tibi infinita sit gloria, adorande Creator, Trinitas benedicta. Amen.

Laus Dei de dispositione terræ.

Super terram, Domine, lineam tetendisti : ejus fundamenta atque mensuras jecisti. *Job* XXXVIII, 5.

Ipsam in medio mundi ut centrum immobilem permanere jussisti, inæstimabilemque ei fecunditatem, Deus altissime, præstitisti.

Semel dixisti in exordio sæculi : Produ- *Gen.* I, 11.

Digitized by Google

cat terra herbam virentem. Et ecce usque in præsens tuam, Deus omnipotens, jussionem cernimus eam tenentem.

Tanta est, Domine, magnitudo cœlestium orbium, ut comparatione eorum, terra sit velut imperceptibile punctum.

Nihilo minus tu, Creator excelse, omnia in infinitum excedis, et tuæ majestatis
Is. XL, 15. respectu, est totum universum ut pulvis exiguus.

Loca habitabilia distinxisti; terram ho-
Sap. XI, 21. minibus divisisti; omnia quoque in mensura, numero et pondere, in modo, specie et ordine condidisti.

Accedente sole, facis æstatem : quo abeunte, efficis hiemem; allationeque solis, faciem terræ adornas virgultis ac variis fructibus, juxta propriam voluntatem.

Motu solis ac lunæ, tempora in annos et menses, dies noctesque distinguis; partes præterea anni diversis qualitatibus ordinatissime afficis.

Tuam nos, Domine, majestatem fac jugiter honorare.

Tibi summæ Trinitati, Patri, Verbo, Paracleto, honorem, gloriam condecet immolare. Amen.

Laus Dei de impressionibus aeris.

In aere, Domine, multiformes effectus tu generas : impressiones et exhalationes, nubes, ventos et pluvias.

Ps. CXLVI, 8. Cœlum nubibus ad nutum mox operis; coruscationes repente emittis; tonitrua tua hominum corda concutiunt metibus.

Job XXVI, 8. Aquas ligas in nubibus, Domine, et guttatim jubes descendere, ne simul erumpendo queant cuncta subvertere.

Per causas secundas producis in aere varias impressiones : cometas, halonem, coronas, voraginem, stellas cadentes, capras saltantes, asub, caliginem, pruinam et nebulam, grandinem, nivem ac iridem, et volantem draconem.

Omnis lapis pretiosus, omnis liquor prænobilis, et quidquid desiderabile est in rebus, nonne opus tuum est, Creator superlaudabilis?

Tu irrationalibus animalibus proprias atque mirandas largitus es proprietates, virtutes, operationes, industrias eorum naturis convenientes.

Fac nos, Deus mirabilis, te in universis tuis effectibus contemplari, atque per hoc tua caritate fortiter inflammari, et ex omnibus ad tuæ sublimitatis venerationem excitari.

Laudent, benedicant et superexaltent te, Domine, omnia opera tua.

Tibi honor, virtus, beatitudo, laus, gloria, Pater et Fili ac Spiritus Sancte, per sæcula cuncta. Amen.

Laus Dei de consummatione mundi.

Quoniam, Deus immense, propter hominem corporalia condidisti, cœlestemque Jerusalem ex hominibus implere quantum ad id quod defuit, decrevisti; hinc numero electorum in cœlis completo, cessabit generatio hominum in sæculo isto.

Tunc esse cessabunt corruptibilium species in toto corruptibiles; elementa autem manebunt, quoniam quoad se tota non sunt corruptibiles res.

Quum ergo electos glorificaveris homines, pariter immutabis in melius elementa, et stellas orbesque cœlestes.

Erit quippe peracto judicio lux solis *Is.* XXX, 26. septies major quam modo; lunæque lumen tantum tunc erit ut lumen est solis tempore isto.

Terra quoque tunc pervia erit ut vitrum, aqua velut crystallus, aer ut cœlum, ignis ut sidera ejus.

Tunc motus cœlorum et tempus cessabunt : quæ te Domino disponente, nunc ad generationem concurrunt.

Tunc sol et luna fixa suis erunt in locis; et magnificentia tua, Creator, ab intellectualibus creaturis quasi sensibiliter videbitur in præinductis sic immutatis corporalibus tuis facturis.

Digitized by Google

Taliter tibi nunc, Domine, obsequamur, A ut in glorificatione futura a te plenam beatitudinem sortiamur.

Tibi, sancte Pater, et Unigenite Dei, cum Spiritu Sancto paracleto, perpetua gratiarum actio, adoratio, hymnus et gloria, summo Principi, Regi præinclyto. Amen.

Laus Dei de beatitudine electorum.

QUEMADMODUM a te, Domine, immediate creata est anima nostra, sic felix esse non valet, nisi fuerit tibi immediate unita, B et tuæ essentiæ contemplatrix effecta.

In hoc, Deus omnipotens, apparet tua bonitas liberalitasque immensa, quod ad supernaturalem hanc beatitudinem, ad tui ipsius plenam et immediatam fruitionem, nos condere est dignata.

Præparasti nobis te ipsum, o summum infinitumque bonum, in præmium, ut te
I *Joann.* III, 2. sicuti es conspiciendo, habeamus in te quidquid desiderabile est, bonum, honestum et pulchrum.

Videbimus te, Domine, per te ipsum : erit namque essentia tua nobis species et objectum.

Te facie tenus contemplando, cognoscemus in te totum ordinem universi; et quidquid voluntas optaverit et intellectus scire cupierit, præsto erit, Rex cœli.

Tunc clarissime intelligemus quidquid de te, Domine Deus, nunc credimus : videbimus enim tunc cum summis deliciis, quemadmodum una persona procedit ab alia in divinis; qualiter tu, Fili, a Deo Patre gignaris, et tu, Spiritus Sancte, ab utroque spireris.

Tunc vere et plene sciemus quam misericorditer a te, Deus, præservati ac salvati fuerimus.

In tui vultus visione per speciem, plena et summa consistit jucunditas. Ad quam perducere nos digneris, supergloriosissima Trinitas : cui est honor et gloria, omnisque in æternum laudatio sancta, et vera sublimitas. Amen.

FINIS LAUDUM DEI.

Digitized by Google

DE LAUDIBUS
SUPERLAUDABILIS DEI

Digitized by Google

Digitized by Google

DE LAUDIBUS SUPERLAUDABILIS DEI

Laus Dei ut bonus.

O Deus præstantissime,
Tu bonus naturaliter,
Dominator altissime,
Bonus substantialiter;
Tua demum est natura,
Bonitas omnino pura.

Tu solus per essentiam
Bonus rite commendaris,
Qui non per dependentiam
Bonus bonitasque faris;
Tu bonus quomodolibet,
Omniformiter, quolibet.

Tanta tua est bonitas,
Præter te ut bonus nemo :
Ejus quippe sublimitas
Est immensa; nullum demo.

A te pendet ac profluxit
Omne bonum universi;
Menti nostræ id illuxit,
Te doctore cordis tersi.

Tua, Deus sempiterne,
Deus sancte et æterne,
Bonitas est infinita,
Omne bonum vincens, ita
Cunctis vere insignior
Infinite ac dignior.

Bonitas tu exemplaris,

A Separata, idealis,
Summa, plena et fontalis,
In te subsistentialis,
Ens causale, extra genus,
Deus simplex, peramœnus.

Bonum vivum et perfectum,
Intellectuale, rectum,
Lux, vita, sapientia,
Tu es primum verum bonum,
A quo manat omne donum;
Te cuncta gliscunt entia.

B

Te plane cuncta appetunt,
Sine quo esse nequeunt
Per momentum, quæ creasti,
Distinxisti et ornasti.

Tuam large bonitatem
Fundis ex dilectione;
Nec per orbis vastitatem
Ejus tu communione
Quidquam expers reliquisti,
Gratis cuncta qui dedisti.

C

Bonitatis communio
Tuæ, si subtraheretur
Rebus, omnis mox unio,
Decor, vigor laberetur.

Ut soli lucem fundere,
Fontique rivos fluere,
Naturale asseritur;
Ita tibi beneficos

Digitized by Google

Radiosque deificos
Dare, proprium legitur.

Bonitas o increata,
Superfelix, supergrata,
Tota superamabilis,
Ab omni mentem macula
Purga, tollens piacula,
Sola incomparabilis.

Ut incomparabiliter
Bonus es, o summe Deus,
Improportionaliter
Es amandus, plastes meus,
Cunctis appetibilior
Immense ac sublimior.

Bonitatis in affectum
Transmuta mentis viscera,
Boniformem intellectum
Da, cordaque fructifera.

Gloriosa, benedicta
Bonitas incircumscripta
Tua, Deus, sit jugiter
Vivens, regnans salubriter.

Laus Dei ut ens.

O ens primum, increatum,
Ens fontanum, incausatum,
Tu es ipsum esse verum,
Plenum prorsusque sincerum,
Infinitum formaliter
Perfectumque totaliter.

Tam vere, plene, proprie,
Esse tibi adscribitur,
Quod sciscitanti sobrie
Nomen tuum, ut dicitur,
Ego sum qui sum, Moysi
Respondisti in Sinai.

Tanquam pelagus immensum,
Fluens in se non condensum,
Omnem esse dignitatem,
Ac essendi claritatem,

A Esse tuum comprehendit,
Et se entibus impendit.

Nihil tibi de non esse,
Nil de imperfecto esse,
Ens fontale, admiscetur :
In te puritas censetur,
Summa quoque simplicitas,
Immensaque sublimitas.

Tu esse, tu essentia,
Nec horum differentia
B Ulla in te est consistens,
Qui es esse persubsistens,
Separatum, ideale,
Primum, unum et causale.

Tanta est excellentia
Tui esse, reor sane,
Ut creata essentia
Tanquam nil sit et inane :
Hinc mea subsistentia
Comparatur umbræ vanæ.

C A te esse derivatur
Cunctis atque conservatur
Decoro quodam ordine,
A summo rerum cardine,
Ut dictat sapientia
Tua, vivens essentia.

Esse naturæ perfice,
Deiformeque effice
Gratiarum muneribus
Ac virtutum operibus.

D Imperfectum tu naturæ
Omne comple, Deus pure,
Et non esse ab anima
Tollens, reforma intima :
Non esse profer vitia,
Mala culpæ immitia.

Te res cunctæ venerentur,
Mentes nostræ amplexentur,
A quo quod sunt sortiuntur.
Tibi Sancti obsequuntur.

Digitized by Google

Tibi hymnus, laus et honor :
Te laudare impos conor.

Laus Dei ut vivens.

Tu, o Deus æternalis,
Vivens vita, lux vitalis;
Tu origo es causalis
Omnis vitæ secundalis.

Tua vita est vivere,
Quum sit actualissima;
Est ipsa intelligere,
Quum sit simplicissima;
Ipsa tuum subsistere,
Nam substantialissima.

Tua vita est amare,
Generare et spirare
Actione immanenti,
Creare et recreare,
Totum mundum gubernare,
Dare digna omni enti.

Tota vitæ perfectio,
Tibi summa directio
Competit cum infinita
Plenitate nulli scita.

Summa, Deus, sagacitas,
Pura, sancta vivacitas,
Hæc tua nobilissima
Vita, gaudiosissima :

Tuæ summæ veritatis
Superlæta inspectio,
Tuæ puræ bonitatis
Superfervens dilectio,
Propria felicitate
Frui in æternitate.

Pax, voluptas et dulcedo
Tuæ vitæ est immensa;
Idque scio, nedum credo,
Mente gaudens hinc incensa,
Tibi, o beatissime,
Congaudens, Deus optime.

A Solus essentialiter,
Prime, pure, totaliter
Vivis, Deus gloriose,
Vivens tam deliciose,
Ut nec capi nec effari
Queat, neque exarari.

A te vita est naturæ,
Gratiæ atque gloriæ ;
Vitam omnis creaturæ
Tu præstas amatorie.

B Bruta, pisces, aves, plantæ
Vitam habent, te præstante :
Quorum vitæ defectivæ,
Tuæ vitæ perfectivæ
Sunt participationes,
Fuscæ ut reflexiones.

Mentem nostram vivifica,
Eam semper plenifica
Actibus vitæ gratiæ,
Ut tibi sit gratissima,
Deitas viventissima;
C Nos rege omnifarie.

A te mentes angelicæ
Sumunt vitam deiformem,
Qua vivunt tecum cœlice
Per te vitam uniformem.

Fons vitæ splendidissime,
Vitam nostram naturalem
Orna semper piissime,
Vitam præstans gratialem.

D

Laus Dei ut sapiens.

Tua, Deus, essentia
Est tua sapientia ;
Tibi soli idem esse
Atque sapientem esse :
Nam tibi intelligere,
Subsistere et vivere.

Substantia, non accidens
Tibi, o Deus providens,

Digitized by Google

Videre, scire, noscere.
Qui tam clare intueris,
Et distincte nosse reris
Cuncta, fac nos te poscere.

Mens, Deus, simplicissima,
Prima, summa, idealis,
Mens deliciosissima,
Æternalis, exemplaris.

Intellectus adorande,
Deus sancte, præamande,
Oculus lucidissimus,
Animus simplicissimus.

O mens, Deus, separata,
In te constans immutata,
Universaque ordinans,
Ordini rerum dominans,
Inordinata vitia
Ordinas per supplicia.

Intellectus, intelligens,
Actusque intelligendi,
Forma qua es inspiciens,
Et objectum cognoscendi,
In te prorsus exstant idem,
Nil diversum est ibidem.

Per propriam essentiam,
Omnium continentiam,
Ut per cognitivam formam,
Omnis entis primam normam,
Temetipsam et creata
Intueris, Mens beata.

O summa Sapientia,
A qua omnis scientia,
Non finis neque numerus
Est tibi, Deus superus.

Fontalis Sapientia,
Casta erubescentia
Coram te est conversandum :
Nam ubique semper præsens,
Cuncta cernens, nunquam recens;
A qua juste judicandum.

Infinita simul noscis,
Quum hæc operari possis;

A

Ipso nunc æternitatis
Cuncta tanquam præsentia
Vides, o sapientia
Supersanctæ Deitatis.

Quæ non sunt, quæ nec fuerunt,
Infinita quæ non erunt,
Visionis tu simplicis
Intelligentia inspicis.

Omnis intellectualis
A te est decoratio :

B

Quidquid sapientialis
Splendoris habet ratio,
A te fluxit. Immortalis
Lux, menti fulge radio.

O summa Sapientia
Attingens cuncta entia,
Disponis hæc suaviter :
Tu immensa munditia,
Quam non vicit malitia,
Mundum regens tranquilliter.

C

Tu ignota, abyssalis,
Tibi soli nota qualis
Sis, nobis irrimabilis
Es et imperscrutabilis.

Ars prima, causalissima,
Tu plena rationibus,
Ideis fulgidissima
Mens, præclara splendoribus.

En tua sapientia
Appellatur scientia
Per respectum ad creata;

D

Porro quoad gubernata
Vocatur providentia,
Qua ordinantur entia.

Sed et prædestinatio
Fertur quantum ad salvandos;
Præscientia, aio,
Fertur vulgo ad damnandos.

Terrena, temporalia,
Cuncta materialia,
Noscis immutabiliter,
Æterne ac simpliciter,

Digitized by Google

O summa Sapientia,
Quam decet reverentia.

Omnes mentes angelicas
Radiose pulchrificas
Splendore sapientiæ;
Corda denique humana
In se cæca, vaga, vana,
Doces luce scientiæ.

Cæcus, stultus omnis homo,
Ad tuam sapientiam
(Vere prorsus id depromo)
Parvam habens scientiam :
Immense sapientior
Cunctis es ac fulgentior.

Corda nostra illumina,
Et tua sancta lumina
In his, Creator, perfice;
Tentantis retiacula,
Vitiorum obstacula,
A nobis procul effice.

Nos septem donis Spiritus
Imple pie divinitus.
Tibi honor et gloria,
Cui cuncta sunt propria.

Virtus, magnificentia,
Immensa excellentia,
Deo soli sapienti,
Trinitati uni enti.

Laus Dei ut verus et veritas.

Tu es solus verus Deus,
O Creator, factor meus;
Deitatisque natura,
Deitas seu vera, pura,
Tibi dumtaxat competit,
Et ratio id expetit.

Tu verus, prima veritas,
Summe verus, sinceritas :
Tuæ nempe essentiæ
Adæquatio proprie

A

Est ad tuum intellectum.
Mihi dona cor perfectum.

Tu es causa exemplaris,
Effectiva et finalis
Universæ veritatis,
Norma sapientialis
Atque regula fontalis
Omnis veræ puritatis.

Tanta demum est firmitas,
Plenitudo, stabilitas
B Tua, o prima Veritas,
Ut creata conditio
Vocetur ab initio
Vanitas : ad te sitio;
Mendax quoque homuncio :
Vanum, vilem me nuntio.

Sicut ab una facie
Imagines tam variæ
In diversis mox speculis
Splendent ac lucent oculis;
Sic ab una increata
C Veritate multiformes
Fluunt, splendent in plasmata
Veritates re conformes.

Et ut in uno speculo
Formæ relucent oculo
Plurimarum facierum;
Sic cunctarum prorsus rerum
Veritates, splendiflua
Tua fulgent conspicua
Veritate, fontaliter,
Æterne, idealiter.

D

A te triformis veritas
Profluxit, vera Deitas :
Veritatem namque vitæ,
Doctrinæ et justitiæ
Indidisti rebus rite,
Tu amator munditiæ.

Veritas (ni fallor) rei
Et enuntiationis
Sunt effectus veri Dei,
Qui donator est sermonis.

Digitized by Google

Sermo tuus est veritas,
Principiumque verborum
Tuorum, sancta Deitas,
Veritas est animorum.

Omne falsum detestaris,
Et mendaces aversaris ;
Simulantes et callidi,
Iram tuam hi provocant;
Bilingues vero stolidi
Et duplices te concitant.

Corda simpla et sincera,
Veritatis zelo mera,
Verax Deus, amplexaris,
Intime his copularis.

Tua quippe essentia,
Per se subsistens veritas :
Hinc verba mentientia
Sunt vitanda, sinceritas.

Toto nisu te honoret,
Reverenter te adoret
Omnis homo, Deus pure,
Quem condigne venerari
Nemo valet, nec effari,
Institutor, fons naturæ.

Veritatis cor splendore
Tu perfunde, Deus verax;
Omni mentem a squalore
Purga, virtus rerum ferax.

Veritate tripartita
Jam præfata orna ita
Nos, Creator benedicte,
Tibi mente ut fulcita
Placeamus tota vita,
Deus rex incircumscripte.

Laus, grates, benedictio,
In quibus nulla fictio,
Tibi primæ, exemplari
Veritati, quam amari
Decet plus quam universa.
In te mea mens sit mersa.

A *Laus Dei ut unus et unitas.*

Unus Deus es, non multi;
Solus tu es adorandus.
Plures deos putant stulti;
Non his honor tuus dandus.

Tu a cunctis es divisus,
Summe a te indivisus,
Infinite præeminens,
Simplex, invariabilis,
B A te inseparabilis,
Et cum nullo conveniens.

Unitas simplicissima,
Prima, summa, purissima,
Quæ es supra omne genus,
Te entium omneitas
Participat, o Deitas,
Ordinate, Rex serenus.

Sicut a te oriuntur
Cuncta, ad te revertuntur :
C Ad te redit pluralitas,
In te stat universitas.

Solus Princeps es cunctorum.
Sonat nam quid vitiorum,
Principantum pluralitas :
Ideoque ordo rerum,
Et catena specierum,
Vult ut sit regis unitas.

Simplex, primus et perfectus
Quum sis, infert intellectus
D Quod sis unus ac unitas,
In quo nulla diversitas.

Quidquid post te appellatur
Deus non mendose, vane,
Id a te participatur.
Deiformes fac nos sane.

Omnes dii paganorum,
Sortis sunt dæmoniorum;
Pereunt corda gentium
Illos stulte colentium.

Digitized by Google

Participanter dilecti
Tibi prorsus sunt subjecti,
Et a tua majestate
Distant cum immensitate.

Tu unum necessarium
Appetendum finaliter;
Creatura ut medium
Ad te, ametur taliter,
Ne amorem impediat
Tuum, Deus, et deleat.

Mentem nostram unifica,
Ne per multa distrahatur;
Tu semper hanc fortifica,
Ut a te non avertatur.

Unum tecum sit spiritus,
Tibi intendat penitus;
Affectus in te habeat
Fixos, peccatis careat.

Tibi soli sit latria,
Gloria multifaria
Tibi, o simplex Unitas,
Lux, vita, Deus Trinitas.

Laus Dei ut omnipotens.

Sicut tuæ essentiæ,
Ita tuæ potentiæ
Non est finis nec mensura,
Deus simplex in natura,
Cui idem esse, posse;
Idque decet mentem nosse.

Ergo te omnipotentem,
Sancte Deus, prædicamus :
Imo infinipotentem,
Te condigne collaudamus.

Hinc neque impossibile,
Nec quidquam est difficile
Tuæ, Deus, potestati;
Verum æque facilia
Sunt cuncta dicibilia
Ei, cui simus grati.

A

Non tot potes neque tanta,
Quin queas infinities
Plura ac majora, sancta
Virtus, quæ non deficies.

Quidquid contradictionem
Non includit, Deus, vales,
Absolutum per sermonem
Cuncta potes : quia tales
Quis effectus actitare,
Quibus entis repugnare
Rationem non contingit;

B

Virtus tua cuncta cingit.

Tu propria potentia
Universis dominaris,
A qua omnis valentia,
Omnis virtus salutaris,
Imo omne posse rerum,
Singularum specierum.

Tu immensæ es virtutis,
Elucescit ut imbutis,
Sic ut facta potentia

C

Ad te sit impotentia.

Nutu tibi cuncta parent,
Et quæ ratione carent,
Qui virtute absoluta,
Omni esse destituta
Cuncta potes efficere,
Mundum in nil redigere.

Tibi dumtaxat competit
Miraculose agere :
Tibi nempe mox suppetit

D

Et supra legem facere,
Naturam, cursum, ordinem,
Rerum mutare seriem.

Creare, justificare,
Legem, ordinem formare
Rerum, cuncta ordinare,
Et naturas procreare,
Tuæ actus infinitæ
Sunt virtutis, o fons vitæ.

Tuam omnipotentiam

Digitized by Google

Monstras per evidentiam
Clariorem, ignoscendo,
Miserendo ac parcendo.

Non tibi difficilius,
Quo nil appetibilius,
Creare et extendere
Cœlum, quam plantæ folium :
Hinc malum te offendere.
Tuum ad ducamur solium.

Tuam monstra potentiam
In nobis per clementiam,
Nos salvando gratiose,
Non condemnans rigorose.

Carnem, mundum, diabolum
Fac nos, Deus, superare ;
Omne quoque obstaculum
Da salutis supplantare.

Domino omnipotenti,
Inclyte præcipienti,
Gloria sit sempiterna,
Et terrestris et superna.

Laus Dei ut pulcher.

Totius pulchritudinis
Primum fontem te laudamus ;
Te omnis claritudinis
Causam summam commendamus.

Tu pulcher et pulcherrimus
In te ipso es consistens,
O Deus celeberrimus,
Decor in se persubsistens.

Pulchritudo separata,
Infinita, incausata,
Idealis et fontalis,
Simplex ac substantialis
Es, o Deus radiose
Et præ cunctis gratiose.

Porro tua est natura
Pulchritudo, nescitura
Finem suæ claritatis,
Lucis sanctæ puritatis.

A

Pulchrum illud appellatur,
In quo visus delectatur,
Et pulchrum spiritualiter,
Quod agit ordinaliter.

Hinc tu speciosissimus :
Nam deliciosissimus
Exstas visui mentali,
Actu quoque æternali
Tibi congruentissimo
Agis semper dignissimo.

B

Lucis ac pulchritudinis,
Splendoris, sanctitudinis
Tuæ, Deus, nullus finis :
Hinc exsulto, quamvis cinis.
Tu immensa in te vernas
Claritate ; non me spernas.

Luce ac sapientia,
Veritate, justitia,
Sanctitate, caritate,
Nil in universitate
Venustius, splendidius,

C

Præclarius, candidius.

Quum ergo per essentiam
Tu sis unumquodque horum,
Patet resplendescentiam
Tuam, Deus, terminorum
Esse penitus expertem,
Et negantem hæc, inertem.

Tu enim sapientia,
Veritas et justitia,
Lux, sanctitas et caritas,

D

Cujus decoris claritas
Est omnino infinita.
Corde lætor esse ita.

Nullæ in te sunt tenebræ,
Nulla defectibilitas,
Lumen tuum percelebre
Pura delectabilitas.

Stellæ, angeli, sol, luna,
Universa mens sensata,
Pulchritudo te o una
Stupent, vere lux beata.

Digitized by Google

Tuam speciositatem
Electi per pietatem
Summe optant prospicere :
Nam hanc clare inspicere,
Plenam beatitudinem
Sciunt per certitudinem.

Te videndo summe gaudent,
Nec te intueri audent
Abs timore reverente,
Teque sine fastidio,
In vitæ stillicidio
Cernunt plene læta mente.

In tua pulchritudine
Contentanter delectantur;
Hanc cum affectitudine
Incessanter contemplantur.

Venustate corporali
Decorasti tam magnali
Cœlos, astra, elementa;
Quæ interna ornamenta
Præstitisti creaturæ
Spiritali, gratis pure.

Non dumtaxat naturali,
Sed et supernaturali
Miranda pulchritudine
Mentes ornas angelorum,
Cordiumque humanorum,
Deificante lumine.

Intueri te gliscamus
Cum summo desiderio;
Propter te et contemnamus
Terrena bono tædio.

Carnis decor non delectat,
Pulchritudo quem delectat
Tua, Deus speciose.
Præter istam nil affectent
Mentes nostræ, quæ nunc spectent
Te per fidem radiose.

Decoris communione
Tui expers nil linquitur :
Qua participatione
Subtracta, mox collabitur
Omnis decor hujus mundi,
Tua luce nunc abundi.

Omnem culpæ pravitatem,
Passionum fœditatem
Procul pelle, Deus sancte;
Virtutum pulchritudine,
Donorum claritudine
Nos adorna; deduc ante.

Honor, virtus, laus, latria,
Gloria, in via et in patria
Offerantur præsincero
Tibi Deo, summo, vero.

Laus Dei ut perfectus.

Ens perfectum absolute
Es tu solus, noster Deus.
Mens contemplans te acute,
Id agnoscit, factor meus :
Tuæ nam perfectionis
Non est finis, dux sermonis.

Extra genus et ordinem,
Super omnem indaginem
Te perfectum confitemur,
Teque plenum reveremur.

Quidquid tibi adscribitur,
Et quidquid es aut diceris,
Cum immensa id dicitur
Plenitudine. Miseris
Miserere, ditissime
Tu, Deus perfectissime.

Ob id omnis nobilitas,
Omnisque excellentia
Est in te, o Divinitas,
Cum summa opulentia,
Sine limitatione,
Absque imperfectione.

Quod inesse quam deesse
Melius est simpliciter,
Id te esse, et inesse
Tibi, famur humiliter.

Digitized by Google

Perfecte omnifarie,
Te amemus plenarie.

Tu a nullo es sortitus
Quidpiam perfectionis,
Sed es tuis redimitus,
Expersque defectionis.

Nihil enim imperfectum,
Nisi ut a fonte sectum
Suæ est perfectionis;
Sed tu fons in cunctis bonis
Dives omnipotentia,
Non nummi possidentia.

Tuæ quippe divitiæ
Lux, vita et deliciæ,
Plena sufficientia,
Immensa sapientia;
Omnis boni habitio,
Felix tui fruitio.

Tuam nos perfectionem
Jubes, Deus, imitari;
Per virtutum actionem
Vis nos tibi conformari,
Ut simus ope gratiæ,
Quod es naturæ facie.

Imperfectum nostrum, Deus,
Adspice clementissime;
Non nos spernas, precor reus,
Creator præstantissime.

In te solo gaudeamus,
Et perfectum adscribamus
Omne tibi, fons bonorum,
O perfector perfectorum.

Honor, virtus, felicitas,
Laus, hymnus incessabilis
Sit tibi, dives Trinitas,
Rector imperturbabilis.

Laus Dei ut simplex.

Quum rei compositio
Sit signum indigentiæ,

A Tibi primo principio
Non inest, fons essentiæ.

Puræ hinc ac infinitæ,
Deus, es simplicitatis:
Nunc confusi mox abite,
Qui materialitatis
Quid putatis in hoc ente,
Summo Deo non egente.

Quidquid in te, id tu ipse;
Quidquid habes, es id ipse,
B Præter id quod relative
Fertur de te positive,
Relatione reali,
Et ad intra æternali.

Tuum esse purissimum,
In se vere complectitur
Omne esse dignissimum,
Nec mixturam compatitur:
Ipsum quippe omne bonum.
Fac cor meum tibi thronum.

C In te excellentissime,
Perfecte, simplicissime
Comprehendis dignitatem
Omnem ac nobilitatem,
Habens non additamentum,
In quo omne complementum.

Quum sis primus absolute,
Primum rerum principium,
Summe simplex tu imbute
Faris. Nunc tolle vitium.

D En limitans materia,
Contrahens differentia,
Arctans potentialitas
Nulla in te, o Deitas.

Ideo incorporalis,
Illocalis, intemporalis
Et incircumscriptibilis
Es, atque insensibilis.

Denique tu actus purus,
Deus cuncta discreturus;

Digitized by Google

Nec diversitas modorum
Ulla in te, dux bonorum.

Tuam ad simplicitatem,
Aliquam materialitatem
Fert natura angelorum,
Sortis est compositorum.

Quanto tibi mens propinquat,
Tanto fit simpliformior :
Hinc da ei ne delinquat,
Ut sit deiformior.

Tua exstat simplicitas
Formæ ac perfectionis,
Exclusu, o Divinitas,
Omnis incompletionis.

Superessentialiter,
Incommixtionaliter
Es subsistens in te ipso,
Qui a cunctis bonitate
Propriaque puritate
Es distinctus eo ipso.

Mentes nostras simplifica,
Ne mundanis sint intentæ ;
Eas tibi gratifica,
Cordis auge ornamenta.

Omnis nostra intentio
In te semper ordinetur ;
Actus nostri impensio
In te pure moderetur.

Tibi, o beate Deus,
Hymnus, decus et gloria,
Salus, virtus ; plastes meus,
Te laudem mente sobria.

Laus Dei ut infinitus.

Infinitum te fatemur ;
Infinitatem docemur
Tibi primam, intrinsecam,
Naturaliter insitam,
Proprietatem propriam,
Formalem, perfectoriam.

A Extensiva, corporalis
Non est ista infinitas ;
Intensiva, spiritalis
Censetur, o Divinitas.

Tuam namque divinam
Essentiam mox sequitur
Forma simplex quæ dicitur,
Non habens extendentiam,
Stans in se et non recepta,
Terminantem non adepta.

B Infinita dignitate,
Voluptate, sanctitate,
Virtute, sapientia,
Luce ac felicitate,
Pace et securitate,
Omnique opulentia.

Porro, ut ad omne dicam,
Et de manna frangam micam,
Hæc beata infinitas
Tua, summa Divinitas,
Immensa est perfectio :
C Quæ nostra sit electio.

Dum vis, homo, contemplari
Dei hanc infinitatem,
Vites tunc imaginari
Ruditer per quantitatem ;
Pura cum abstractione
Cerne Deum ratione.

Omni in nobilitate,
Gaudio, suavitate,
Splendore, pulchritudine,
D Deus, ac celsitudine,
Immensus es totaliter :
Hinc lætor cordialiter.

Tuo, Deus, comparatu
Totus mundus est arena,
Qui immenso dominatu
Cuncta vincis, vitæ vena.

Universis præclarior,
Et in cunctis suavior
Es incomparabiliter ;

Digitized by Google

Dulcior, amabilior,
Major, honorabilior
Es interminabiliter.

Omnes virtutes finitæ
Sunt pendentes, o fons vitæ,
Per te primum, infinitum,
Aliunde nil sortitum :
Virtus namque es virtutum.
Præsta nobis cor imbutum.

In mensura et pondere
Ac numero effundere
Universa dignatus es.
Cuncta tibi conformasti
Sic, quod tu perseverasti
Altior his, ut fatus es.

Ante mundum tu, non solus,
Et post mundum, non præventus.
Te adorat celsus polus,
Omnis colat te juventus.

Supra mundum, non elatus,
Infra mundum, non calcatus;
Tu in mundo, non inclusus,
Extra mundum, non exclusus.

Tua, Deus, infinitas,
Exstat infinibilitas
Tuæ præexcellentiæ,
Immensæ opulentiæ :
Cui jugis laudatio,
Summa regratiatio.

Laus Dei ut felix.

Summa, plena et immensa
Tua, Deus, felicitas,
Independens, tam intensa
Ut tua est divinitas.

Tua nam beatitudo,
Tua exstat essentia :
In qua summa plenitudo,
Omnis boni præsentia.

In te felix possessio

A

Est cunctorum optandorum :
Quid tibi desit nescio,
Seu bonorum, aut pulchrorum.

Esse, et felicem esse,
In te idem est omnino :
Neque tibi hinc deesse
Quid felicitatis sino.

Ob id tua felicitas
Substantia (non accidens)
Est : quæ tibi, Divinitas,

B

Idem, nequaquam decidens.

Tui immensa lætitia,
Immensa delectatio.
Cuncta corda felicia
Te habent, summa ratio,
Pro objecto et mercede.
Da ne quid agamus fœde.

Tu, superbeatissime,
De propriis divitiis
Gaudes naturalissime,

C

Cunctis plenus deliciis.

Tu te ipsum contemplando,
Cernis plene te perfectum :
Ergo in te gloriando,
Voluptate per directum
Intensive es immensa
Plenus, et incomprehensa.

Solus plene te, Creator,
Comprehendis, cernis, amas;
Vides in te, Dominator,

D

Omne bonum, qui proclamas
In Scripturis, te beatum,
Omni pulchro consummatum.

Nam omnem excellentiam,
Decorem, opulentiam,
Gaudio cum sempiterno
Te vides per essentiam
Possidere. Scientiam
Funde nobis de superno.

Te cernendo gustu gaudes

Digitized by Google

Infinitæ dulcedinis.
Te felicem decent laudes,
Interne fons pinguedinis.

Amplius, tibi proprium
Est licenter gloriari
In te, origo omnium,
Lux qua precor illustrari.

Solus in te omnem habes
Rationem gloriandi,
In quo prorsus nulla labes
Causave non exsultandi.

Nihil quippe aliunde
Es sortitus, Rex abunde,
Et subjectum tibi cernis
Quidquid non es. Adsis vernis
Tuis, summe Dominator,
Superfelix Imperator.

Quidquid melius habere
Quam non, scis te possidere
Immensa plenitudine :
Te tibi scis sufficere
Per te, nec te suscipere
Quidquam vicissitudine.

O quam sancta, purissima,
Quam voluptuosissima,
Æterna, nobilissima
Ac immutabilissima
Tua est beatitudo,
Deus, prima rectitudo !

Qui habes pro divitiis
Omnem sufficientiam,
Itemque pro deliciis
Simplam plenam gaudentiam
De te atque creaturis,
Tuis gaudens in facturis.

Insuper pro potestate
Habes omnipotentiam ;
Famæ pro celebritate,
Laudem, obstupescentiam
Omnis mentis te laudantis,
Admirantis, contemplantis.

Nec activa felicitas
Deest tibi, Divinitas :
Pro qua gubernationem
Possides totius mundi,
Per æternam rationem
Ejus, Rex, post te profundi.

Quidquid bonæ voluptatis
Veræque suavitatis,
Solatii et gloriæ,
Felicitatis propriæ
Comperitur in creaturis,
Fluxit a te. Parce satis.

Dulce beatitudinis
Das futuræ prælibamen,
Vicissim rore luminis
Nobis factus relevamen.

Ab omni nos miseria,
Clade et calamitate
Salva, concessa venia ;
Ad fruendum voluptate
Concupita in patria,
Pia nunc fer solatia.

Infinita lætitia,
Pro qua spernenda vitia,
Tibi Deo dignissimo,
Domino felicissimo,
Cum summa reverentia
Ac jugi diligentia.

Laus Dei ut incommutabilis.

Deus sancte, non mutaris,
Finis noster salutaris :
Perfici aut minorari,
Nusquam queunt de te fari.

Solus immortalitatem
Habes plenam, Rex æterne :
Nam immutabilitatem
Puram habes, Dux superne.

Novitas, inchoatio,
Vetustas et cessatio

Digitized by Google

Nulla in te reperitur.
Ad te mente pura itur.

Manens invariabilis,
Mutabilia plasmasti;
Permanens immutabilis,
Hæc moveri condonasti.

Optima æternaliter
Stas in dispositione,
Superplenus veraciter
Omni delectatione.

Tua immobilitate
Manet in stabilitate
Totus mundus sensibilis,
Res omnis defectibilis.

Præfixisti periodum
Universis mortalibus;
Ad te fertur variatum
Quidquam factum in entibus,
Ipsæ quoque angelicæ
Mentes creatæ cœlicæ.

Quidquid immortalitatis,
Potestatis, firmitatis
Habet omnis creatura,
A te fluxit, o Mens pura.

Tolle cordis vagationem,
Confer ei fixionem;
In te semper nobiliter
Gratiarum actionem
Jugemque laudationem
Immolemus humiliter.

Laus Dei ut volens et liber.

Immotæ complacentiæ
Est voluntas in te, Deus;
Egentis appetentiæ
Non est tibi, Deus meus.

Summa, prima, liberrima,
Præpotens, celeberrima
Voluntas tua, Domine;
Injusta aut insipiens

A Hæc ipsa esse nequiens,
Colenda est ab homine.

Est enim sapientia,
Veritas tua et æquitas,
Ut idem in essentia,
Et perfecta sinceritas,
Regulaque certissima
Æquitatis, verissima.

Objectum primum, proprium,
Tuæ, Deus, voluntatis,
B Bonitas tua. Sobrium
Da cor, o fons libertatis.

Idcirco necessarie
Amas et vis te, Creator;
Cetera quæ sunt varie,
Libere vis, o Dominator.

Voluntate præcedente
Universos vis salvari;
Voluntate consequente
Tu electos vis beari.

C

In hoc tuæ voluntatis
Claret omnipotentia,
Quod in universitatis
Gyro, cuncta placentia
Ut vis sponte tu producis.
Nos splendore imple lucis.

Tuo velle nil resistit,
Ei paret quod exsistit
In omni rerum ordine;
Juxta ejus propositum,
D Cuncta agis ad libitum,
Sapienti dictamine.

Bonitas tua, ratio
Est tibi, mea salvatio,
Diligendi et volendi
Quæ creasti, fons essendi.

Tibi, Deus, velle, esse
Et voluntas, essentia;
Tibi clarum est subesse,
Quum vis, posse per entia.

Digitized by Google

Omnis virtus affectiva
Et libertas volitiva,
Est a tua voluntate,
Quæ ad nihil est dependens,
Et ab ea est descendens
Quidquid est, o Rex beate.

Quum sis, Deus, causa tui,
Neque obligeris cui,
Operaris liberrime,
Mundum regens pulcherrime.

Omne bonum ens honestum
Voluntas tua approbat;
Detestatur ut molestum
Culpam omnem, ac reprobat.

Quidquid contra voluntatem
Tuam fit aut quæritur,
Id censemus pravitatem;
Et hæc voluntas legitur
Propria, inordinata
Et rebellis, ac privata.

Idem exstat rem creari
Te volente et agente.
Quidquid demum operari
Es dignatus pia mente
In tempore, tunc fecisti
Et sic prout decrevisti
Ipse in æternitate,
Fixus in stabilitate.

Tuam semper impleamus
Voluntatem et colamus,
Hanc laudemus, adoremus,
Et in cunctis honoremus.

Ut angeli in patria,
Sic in terra sint, gratia
Succurrente, viatores,
Deus, tui obeditores.

Laus et magnificentia,
Grates cum reverentia
Tibi, Deus, bona volens,
Sancte jussor, mala nolens.

A

Laus Dei ut sanctus.

Tu solus per essentiam
Sanctus, qui excellentiam
Tantam habes sanctitatis,
Universis præ creatis,
Quantam et sapientiæ,
Bonitatis, potentiæ.

Cunctis ergo es sanctior,
Immense et præstantior;
B Nihil quoque ad te sanctum,
Qui præfulges cunctis tantum
Ut id nec mens concipere
Nec lingua possit exprimere.

Tu separata sanctitas,
In se subsistens puritas,
Omnem virtutem continens,
Omni decori eminens.

Tu habes simplicissime,
Per naturam plenissime,
C Quidquid est perfectionis,
Fons sanctificationis.

O idea sanctitatis
Et exemplar puritatis,
In te pura affectio,
Superfervens dilectio,
Sincera contemplatio,
Præclara operatio.

Rite sanctus appellaris,
Quum totius agnoscaris
D Boni exemplar honesti;
Tibi nihil admiscetur
Nec inesse quid censetur
De impuro : mentem vesti.

Sancta es Mens, summe recta,
Cui omnis mens subjecta :
Nam tua contemplatio,
Vita et operatio
Est perfecta undequaque.
Te honorem usquequaque.

Digitized by Google

Immensa tua sanctitas,
Quum sit tua essentia :
Nulla quippe, o Deitas,
Te ornant accidentia.

Nullum culpæ opprobrium
In te est, cui proprium
Nec peccare nec errare
Posse : ad quem ordinare
Debet homo se et sua,
Sciens cuncta esse tua.

Quum sis rerum summus finis, B
Quando mentem sibi sinis,
Peccat, a te recidendo.
Quum ad nullum ordineris,
Finis tibi sed voceris,
Nusquam peccas in agendo.

Quid nam labi et peccare,
Nisi a te deviare
Rerum ultimato fine?
Hinc nos in te roborare,
Deus, semper tu dignare,
Et intrare ad te sine.

Omnes nostræ justitiæ,
Ad te fontem munditiæ,
Sunt ut pannus menstruatæ.
Universi, hæc pensate.

Sanctus in omni opere,
Te nequit quis arguere.
Adesto nobis propere;
Fac mentem te induere,
Qui in angelis peccatum
Reperisti, Ens beatum.

Tu cordis sanctimoniam
Jubes, amas, remuneras;
Munditiam idoneam
Exquirentes connumeras
Sanctis, quibus spopondisti
Te videre, ut dixisti.

Universæ sanctitatis
Origo es et ratio.

A Lucem tuæ puritatis
Mea petit precatio.

Solus mundas inquinatum,
Solus solvens es peccatum :
Omni ab iniquitate
Munda nos immaculate;
Sanctitate incessanter
Nos perorna miseranter.

Nobis purum da affectum,
Illustratum intellectum,
In te mundam memoriam
Fixam ac dilectoriam.

Tuæ, Deus, sanctitati
Honor dignus impendatur;
Tuæ sanctæ majestati
Reverenter serviatur.
Laus, honor, virtus, gloria
Tibi imperatoria.

Laus Dei ut justus.

C Justus es tu, Altissime,
Cunctis reddens æquissime
Quod est justum ac merentur;
In omni tuo opere
Æquum, pium componere
Ita vis quod commiscentur.

Pietas nam et æquitas
In omni actu, Deitas,
Tuo simul sunt permixtæ.
Semper quæram, o felix, te.

D

Dum injustis misereris,
Juste illud perhiberis
Ex parte tua agere :
Nam tanta tua bonitas,
Ut justum sit te, Deitas,
Indignis benefacere.

Justus tu es ad te ipsum,
Qui impendi vis id ipsum
Tibi, quod debetur Deo :
Obedire tibi eo

Digitized by Google

Quod sis summus Dominator,
Universique Creator.

Alteri tuam gloriam
Non das, neque sculptilibus
Das laudem tibi propriam.
Nos orna laudabilibus.

Sed honorem et gloriam
Requiris laudatoriam
Dari tibi finaliter;
Spernis a te discedentes,
Æquitatem relinquentes,
Quum sis justus veraciter.

At justus es ad alios,
Qui jubes inter famulos
Tuos servari æquitates,
Qui nec malum impunitum,
Neque bonum non sortitum
Digna linquis per ætates.

Justum facis judicium
Angelis et hominibus;
Gaudium aut supplicium
Cunctis confers spiritibus.

Ubicumque ceciderit
Lignum, nonne erit ibi?
Sic quo statu obierit
Homo, adducetur tibi,
Hacque in affectione
Manet sine versione.

Immensa tua æquitas
Est adoranda, Deitas :
Ob id nil inordinatum
Derelinquis, sed peccatum
Ordinas per justam pœnam,
Justis præbens te amœnam.

Qui peccando, voluntati
Suæ nimis contra tuam
Hæsit, favens pravitati,
Juste pœnam contra suam
Voluntatem luit reus,
Juxta tuum velle, Deus.

Quam incomprehensibilis
In multis est justitia

A Tua, Deus horribilis,
Cujus exstant judicia
Tanquam pelagus immensum :
Nam transcendunt omnem sensum.

Nil permittis nec quid facis
Sine justa ratione.
Nullum premis, Deus pacis,
Vi : sine acceptione
Personarum tu judicas,
Absque rancore vindicas.

B Perpessis ignominiam,
Justum facis judicium;
Nullamque injustitiam
Valet quisquam aut vitium
In te, Deus, protestari,
Neque te calumniari.

Tua virtus, initium
Est totius æquitatis,
Mensura et principium
Omnis legis, veritatis.

Creatis intellectibus
C Impressisti synderesim :
Quos doces in affectibus
Ut odiant hypocrisim.

Tibi juste famulemur;
Æquo zelo inflammemur;
Operantes et discrete,
Omnem culpam detestemur;
Tuæ menti conformemur,
Obsequentes tibi læte.

Tibi superjusto Deo,
D Pleno, summo bono meo,
Perennis reverentia,
Hymnus, magnificentia
Incessanter immoletur,
Et mens in te inflammetur.

Laus Dei ut misericors.

O Deus suavissime,
Tu pius naturaliter;
O princeps clementissime,
Benignus es totaliter.

Digitized by Google

Tam paratus indulgere,
Ut quocumque in momento
Ingemiscit homo vere,
Mox purgetur fœdamento.

Proprium ac naturale
Tibi, Deus, ens magnale,
Misereri et parcere ;
Sed ulcisci ac perdere,
Ex nostro tibi competit,
Ut peregrinum suppetit.

Alienum, peregrinum
Opus hoc, o Ens divinum,
Tibi. Deus sempiterne
Bone, pie nos concerne.

Ex te sumis unde nobis
Præbeas te gratiosum ;
Sed ex nostro, nostris dolis
Ut te monstres rigorosum.

Misericors, longanimis,
Mitis quoque et patiens
Faris a piis animis,
Quibus es benefaciens.

Passiones per affectum
Non hæ tibi adscribuntur,
Verum parem per effectum
In te esse disseruntur :
Cujus mens immutabilis
Non est passionabilis.

Jubes misericordiam,
Ei promittis gloriam :
Misereri clementibus
Te pronum spondes mentibus.

Cujus miserationes
Super operationes
Tuas sunt omnes ceteras,
Te laudantes non deseras.

Immensa, ineffabilis
Tua, Deus, clementia :
Aliter nostra fragilis
Qualiter subsistentia

A

Ferret te, et salvaretur,
Et non magis damnaretur?

Desperare non possumus,
Qui te tam pium noscimus :
Hinc grandi confidentia
Spero in tua clementia.

Sed ne nobis desit timor,
Tuus rigor, sicut rimor,
Tua pietate minor
Non est : hinc vereri sinor.

B

Mille modis quotidie
Parcis nobis eximie :
Juvas, sanas et ignoscis,
Nos converti ad te poscis.

Imbrem cœli, solis lumen,
Bonis, malis das, o Numen,
Semper reconciliari
Promptus atque suffragari ;
Dona insuper naturæ
Nulli negas creaturæ.

C

Reos nos et transgressores
Tu offensus ad te vocas ;
Tam ingratos offensores
Pœnitentes in te locas,
Ut tui fiant filii
Invitas, fons auxilii.

Tam immensam pietatem
Quis miretur satis digne?
Tuam, Deus, bonitatem
Adoramus, Rex benigne.

D

Mentem da misericordem,
Dulcem, piam et concordem,
Clementem omni proximo ;
Omnem aufer cordis sordem,
Intellectumque vecordem.
Tibi jungamur optimo.

O fons omnis pietatis,
Tibi semper a creatis
Laus et honor impendatur ;
Rex, tibi clementissime,

Digitized by Google

Deus amabilissime,
Omnis homo obsequatur.

Laus Dei ut amans.

Ignis, amor appellaris,
Qui a piis præamaris ;
Tu amor per essentiam ;
Amoris vehementiam
In affectu tu succendis,
Statim flammam hanc impendis.

Vitiorum rubiginem,
Carnis quoque pruriginem
Tu consumis isto igne.
Nobis confer cor insigne.

Ignis ardens non nocenter,
In me arde vehementer.
Te amor sine germine
Non reliquit, pulcherrime :
Nam amore cuncta gratis
Es molitus pulchre satis.

Nil servas tibi proprium,
Totum te communicando ;
Non tibi hoc inglorium,
Dona nam multiplicando
Per omnem gyrum entium,
Misereris egentium.

Nil odisti quod fecisti,
Quoad id quod tribuisti,
O amator animarum.
Manens tuo in amore
Vivit gratiæ splendore,
Revelator Scripturarum.

Amans vere in te manet ;
Habitas in te amante.
Amor nostra corda sanet ;
Tuus sim corde æstuante.

Ut voluntas ita amor
Inest tibi, quem non clamor
Est oblectans, sancte Deus,
Sed devotionis fervor.

A

Mentis viribus enervor,
Dum tepesco frigens reus.

Cuncta te amare scimus :
Conformata nam sentimus
Ea tuæ bonitati,
Cui simus semper grati.

Tu ros ardens, ardor rorans.
Te mens nostra sit implorans,
Qui te amas infinita
Caritate perignita,

B

Cum gustu prædulcissimo,
Æterno, jucundissimo.

Omnis nostri boni causa
Tuus amor est ; repausa
In cordis nostri thalamo,
Scribe mentis cum calamo.

Tuæ, Deus, caritati
Grates semper referamus ;
Præsta ut immaculati
Te colendo maneamus.

C

Caritate nos accende
Tam divina quam fraterna ;
Ad te ipsum cor suspende,
Contemplemurque superna.

Tibi honor, laus et decus ;
Menti fulge, quum sim cæcus ;
Deus, a quo purus amor,
Te honorans, felix famor.

Laus Dei ut æternus.

D

Te æternum reveremur ;
A te cuncta confitemur
Emanare, dependere ;
Præter te nil æternale,
Nil independentiale ;
Cuncta constat te egere.

Vitæ interminabilis
Consummata perfectio,
Tota simul, non labilis,
In te, summa dilectio.

Digitized by Google

Itur non in infinitum :
Ergo est ens nil sortitum,
Increatum, incausatum,
Deus rite nominatum ;
Idque Deus tu deorum,
Pater et Rex sæculorum.

Scimus hanc æternitatem
Tuam esse deitatem,
Quæ omnes differentias
Temporis, extendentias,
Simpla in se comprehendit,
Super cuncta se extendit.

Omni horæ coadsistit,
Inextensaque consistit.
Anni innumerabiles,
Ad te ut punctum labiles.

Illo nunc simplicissimo
Quo ante cuncta sæcula
Fuisti stabilissimo,
Es nunc temporum regula :
Nequaquam factus senior,
Sed neque inamœnior.

In æterna præsentia
Es, o summa essentia :
Cui fore et fuisse
Adscribuntur, sed demisse.

Nam tu, Deus, ipse idem,
In quo nec cras neque pridem,
Sed inextensum hodie.
Me tuæ do custodiæ.

Nullum tempus te metitur,
Tuum esse non finitur ;
Tuum nunc æternitatis
Est natura deitatis,
Fixa manens, nunquam fluens,
Nusquam mota, suos tuens.

Tempus ab ævo jussisti,
Ævum quoque ab æterno
Ire : rebus qui dedisti
Instituto tu superno
Durationis mensuras,
Dum plasmasti has facturas.

Tuæ ad æternitatis
Nos deduc participium ;
Mentem vanis a creatis
Reduc ad te eximium.

Ad æterna contemplanda
Mentem semper clarifica ;
Ad divina amplexanda
Christianos dignifica.

Claritas, benedictio,
Omnis laudis conscriptio
Tibi summæ Deitati,
Adorandæ majestati.

Laus Dei ut incomprehensibilis et ineffabilis.

Mentis tu capacitatem
Es transcendens infinite :
Cujus actualitatem
Infinitam scimus rite.
Hinc comprehensive noscere
Te, fatemur nullum posse.

Ob cognoscibilitatis
Tuæ præeminentiam,
Superas capacitatis
Nostræ intelligentiam :
Omne mentis hinc acumen
Vincis, adorandum Lumen.

Nemo vita in præsente
Utens sensu, nedum mente,
Conspexit te per speciem :
Nempe per hanc manere fiem
Te videre, felicitas
Patriæ est, o Trinitas.

Porro quod perfectionis,
Lucis ac stabilitatis
Sis immensæ, rationis
Probat vigor ex creatis.

Ob id te comprehendere,
Te complete intendere
Nequit mens, ni cujus vigor
Sit immensus, sub quo ligor.

Digitized by Google

Et hæc nulla nisi Deus
Ipse tu, rex, Deus, meus.

Quia causam nullam habes,
Palam quod non sciri vales,
Quum scire sit cognoscere
Rem per causam : hinc noscere
Te plene, tibi proprium,
O primum directorium.

Tua quoque simplicitas,
Te, beata Divinitas,
Dat incomprehensibilem
Nobis, et indicibilem. .

Quis enim queat capere,
Esse, posse et agere
Quo sint modo in te idem,
Quum noscamus te, per fidem,
Esse liberum agendo,
Necessarium essendo,
Liberum operarium,
Quum ens sis necessarium?

Tu tenebras latibulum
Ponis tuum, ut vestibulum :
Lumen inaccessibile
Habitas, invisibile.

Immensa tua claritas,
Quam non valet capacitas
Nostra clare conspicere,
Hæc est caligo divina,
Intueri quam supina
Mens non valet splendifere.

Te per abnegationem
Melius intelligimus
Quam per affirmationem,
Quem altiorem dicimus
Cunctis prorsus infinite.
Mihi semper da cor mite.

Hoc te vere cognoscere,
Ut constat te deposcere,
Te supersubstantialem,
Superaltum, abyssalem,

A

Supersubstantialiter
Laudare devotaliter.

Tibi enim et creatis
Univoce nil competit :
A te fonte majestatis,
Universum ut expetit,
Mens occumbit in immensum.
Fleo te a me offensum.

Quid non sis, Deus, quam quid sis,
Melius nunc concipimus :
B Imo ignorantes quid sis,
Quid tu non sis adspicimus.

Tuam sanctam essentiam
Nemo valet enarrare :
Juxta nostram potentiam
Non cessamus hanc laudare.

Hinc scrutator majestatis
Opprimetur a gloria;
Causam universitatis
Te, Mens summa rectoria,
C Penetrare qui nititur,
Præsumptuosus dicitur.

Ex lege, actu, ordine,
Cursu naturali rerum,
Te speculamur, Domine,
Institutor specierum.

Ex fide et miraculis,
Scripturis et oraculis
Altius te contemplamur
Ampliusque admiramur.

D

Ut effectus effectorem
Modo quodam repræsentat,
Sic te summum Conditorem
Universum hoc ostentat.

Nam creatura radius
Creatoris perhibetur;
Et cursus ordinarius,
Lex naturaque censetur
Scala ad cognitionem
Tuimet per rationem.

Digitized by Google

Leva nos ad gratiosam
Tui contemplationem,
Præsta fidem radiosam
Ac beatam visionem.

Honor, virtus, munditia
Cum ingenti lætitia
Offerantur Altissimo,
Tibi Deo dignissimo,
Cujus exstant judicia
Incomprehensibilia
Tanquam abyssus nimia.

Laus Dei ut excellens.

Universis sublimior,
Perfectior, felicior
Es tu solus infinite,
Deus sancte, lumen vitæ.

Totus mundus quantitate
Non sic excedit pulverem,
Quantum tu in dignitate
Cuncta. Mentem non vulnerem.

Nec parem nec contrarium
Habes, Creator marium,
Sed rebellem conversatu.
O summum diligibile,
Nil tibi fertur simile,
Ni distanti imitatu.

Major omni præconio,
Voto, cultu idoneo,
Immensa reverentia
Dignus, quem tremunt entia.

Tam profunde, humiliter,
Decenter ac serviliter
Nulla valet creatura
Tibi, o majestas pura,
Se subdere ac spernere,
Inclinare, prosternere
Ut est dignum per respectum
Ad te primum intellectum.

Omnis namque sublimitas
Angelorum stationis

A Distat a te, Divinitas,
Graduum perfectionis
Infinitis distantiis.
Nos purga ignorantiis.

Da sincere contemplari,
Amorose amplexari
Tuam præexcellentiam;
Hanc solerter venerari,
Sapienter admirari,
Per tuam influentiam.

B Tibi Regi altissimo,
Inclyto, potentissimo,
Sit summa veneratio,
Æterna adoratio.

Laus Dei ut idea et exemplar.

Tua, Deus, essentia
Est idea omnis entis,
Ut est a sapientia
Tuæ sempiternæ mentis
C Concepta imitabilis,
Rebus participabilis.

O Mens sapientissima,
Cuncta agens intellectu
Ratione certissima,
Te spectemus cum affectu.

Casu sive fortuito
Nihil prorsus operaris,
In instanti gratuito
Facis id quo delectaris.

D

Hinc formam tui operis
In te videre poneris,
Qui distincte cuncta noscis,
Actuumque causas poscis.

Nec tu primus auctor rerum,
Æternus, immutabilis,
Aliunde sumis verum,
Aut cujusquam creabilis
Rationem exemplarem
Speciemque idealem.

Digitized by Google

Universa in te splendent,
Ut, o Deus, a te pendent :
Hæc distincte contemplaris,
Propriisque operaris
Formis cum idealibus,
Æternis, exemplaribus.

Idearum pluralitas
In te est, quoad creata :
Tua cui singularitas
Non obsistit, lux beata ;
Neque summa simplicitas,
Superpura Divinitas.

Hæ ideæ in te, Deus,
Lux, vita sunt et veritas ;
Suntque, o Creator meus,
In quo plena amœnitas,
Cognoscendi principium
Agendique initium.

Hæ sunt formæ principales,
Summæ, fixæ, æternales,
Juxta quas a te formatur
Quidquid agis aut creatur ;
Hi fontes splendidissimi,
Uberrimi, plenissimi.

Tanta inest vis ideis,
Sapiens ut sine eis
Nullus queat consistere ;
Nullus absque his salvatur,
Nil servatur, gubernatur :
Has, Deus, opto discere.

Hæ sunt mundus archetypus
Arsque tuæ summæ mentis ;
Ab his rerum ordinibus
Formæ sunt pro ornamentis ;
Cordis anachoreticus
Contemplatur has splendentis.

Per exemplar formaliter,
Ratione finaliter,
Clarum est te operari,
Efficientialiter
Per ideam ; nec aliter
Debet quisquam operari.

A

Tu nam cunctorum ratio
Es, exemplar et idea,
Neque horum distinctio
Realis, salus mea.

His ideis concupimus
Illustrari, quamvis limus.
Per has fac nos sapientes,
Ad te semper intendentes :
Cui honor, laus, potestas,
Adorandaque majestas.

B

Laus Dei ut providentiam habens.

Tibi summo opifici
Competit providentia
Universi pulchrifici,
Cunctorumque regentia.

Nempe quem constituisti
Alium super fabricam
Mundi, quem tu condidisti ?
Mentem præsta almaticam.

C

Porro decoro ordine
Mundum gubernas, Domine,
Per naturas spiritales,
Res regendo corporales,
Hierarchiam per cœlestem,
Nostram regens hanc terrestrem.

Regendi exsecutio
Inest quibus commisisti,
Fontana institutio
In te, qui et decrevisti
Summa per te gubernare,
Voluntates immutare.

D

At te regem principalem
Et rectorem exemplarem,
Gubernantes subsequentes,
Sunt ministri servientes
Tanquam tua instrumenta ;
Mente tremant te intenta.

Solus tua potentia,
Propria sapientia,

Digitized by Google

Auctoritate propria,
Provides præceptoria.

A te omnis nam potestas.
Plebis culpa, o Majestas,
Regnare das hypocritas.
Reges justos da, Bonitas.

Juxta hominum merita,
Quæ vides ab his edita,
Sæpe confers præsidentes.
Fructuosos da regentes.
Dabo, inquis tu per legem,
In furore meo regem.

Quædam regis sic, ne errent
A te fine, sed enarrent
Tuam semper clementiam;
Quædam ita quod falluntur
Certis horis et labuntur
Per insufficientiam.

Juxta suas nam naturas
Cunctas regis creaturas,
Rectis nec necessitatem
Imponis per potestatem.

Hinc a fine usque ad finem
Attingis, Deus, fortiter,
Et a summo usque crinem,
Cuncta disponis suaviter.

Sic regis immortalia,
Ut irrationalia
Non relinquas usquequaque,
Bruta pascens, flores ornans,
Provisive cuncta tornans.
Nos guberna undequaque.

Hominum actus amplius,
Verba, gressus, cogitatus
Attendis vigilantius.
Vereor, hæc meditatus.

Magna nobis est indicta
Justæ vitæ necessitas :
Namque coram te, invicta
Majestas quæ nos sospitas,

A Ubique semper vivimus,
A te vicem suscipimus.

Te esse providissimum,
Uniforme ac stabile
Mundi pandit certissimum
Regimen admirabile :
Cui hymnus, honor, grates,
Judex juste, qui non lates.

Laus Dei ut prædestinator et reprobator.

B Ut res intellectuales
Primum gradum sortiuntur
In creatis, ita tales
Eminentius reguntur
A te, ac singulariter
Curantur paternaliter.

Nam ad supernaturalem
Finem, Deus, has fecisti :
Equidem ad facialem
Tuum adspectum has egisti.

C Tibi liberalissimo,
Superbono, sanctissimo,
Non sufficit naturalem
Propter finem, mentem talem
Procreare, nec naturæ
Ornas eam donis pure :
Nam supernaturaliter
Hanc perficis totaliter.

Ad hunc supernaturalem
Nequit finem elevari,
Ni per opem gratialem
D Condigneris suffragari,
Gratias per consummatas,
Juvans mentes has creatas.

Ergo hos prædestinasse
Ab æterno perhiberis,
Quos ad finem ordinasse
Hunc beatum tu censeris,
Quibus parasti media
Ad finem hunc egregia.

Quid nam prædestinatio

Digitized by Google

Est, nisi præparatio
Gratiæ nunc in præsenti,
Gloriæque in sequenti?

Non sic omnes, metuende
Deus, tu prædestinasti :
In quibusdam, reverende,
Æquitatem cogitasti
Tuam juste declarare,
Quos te scimus reprobare.

Ad salutem ordinati,
Sunt electi appellati,
Ad infernumque præsciti,
Reprobi sunt definiti.

Cuncta ob te operatus
Es, Deus inscrutabilis :
A te mundus est creatus,
Ut tua ineffabilis
Perfectio in entibus
Luceret nostris mentibus.

Quum pietas et æquitas,
Perfectiones, Deitas,
Tuæ exstent dignissime,
Voluisti rectissime
In quibusdam pietatem,
In nonnullis æquitatem
Tuam plene declarare :
Te oportet formidare.

Sic fecisti vasa iræ,
Vasa item clementiæ.
Tua in manu sumus mire,
Deus fons sapientiæ,
Ut lutum manu figuli :
Tibi subdamus singuli.

Hoc secretum judicium,
Venerandum, non rimandum :
Misereris initium
Cujus tu vis, ad salvandum ;
Quem vis induratum linquis.
Tibi væ qui contra inquis.

Quamvis tua judicia
Incomprehensibilia
Sint, non tamen sunt injusta,
Sed tam æqua quam venusta :
Nam idem in te æquitas,
Voluntas, sagax veritas.

Eo ipso hinc quo quid vis,
Sapienter, juste id vis :
Tua irrationalia
Non sunt judicialia.

Nemo venit ad te Deum,
Nisi clemens trahas eum :
Quem vis trahis gratiose,
Quem vis linquis rigorose.

Tua prædestinatio,
Liber vitæ appellatur ;
Electorum signatio
In divina mente fatur.

Quam beati sunt electi,
Quidquid modo patiantur !
Heu, quam miseri, dejecti
Reprobi sunt, provehantur
Quantumcumque divitiis,
Honore ac deliciis !
Imo quo plus prosperantur,
Magis miseri probantur.

Electorum collegio
Nos, Salvator, connumera ;
In horum nobis medio
Gloriæ confer munera :
Cui honor, laus perennis ;
Nos virtutum orna pennis.

Laus Dei ut terribilis.

Amor, dulcor, clementia,
Te præbent præamabilem ;
Æquitas, ulciscentia,
Te monstrant formidabilem.

Tremendus in consiliis
Super filios hominum,
Sicut et in judiciis
Angelorum te Dominum

Digitized by Google

In primis offendentium,
Ob idque mox ruentium.

O Deus præterribilis,
Pro culpa momentanea
Condemnas inflexibilis,
Vindicta subitanea,
Angelorum pulcherrimum,
Effectum nunc teterrimum,
Cum cunctis adhærentibus,
Secum vane tumentibus.

Quam pavendus es infligens, B
Temporale ob delictum,
Pœnam sempiternam, figens
Reum in gehenna victum,
Æternali supplicio
Vexans pro quovis vitio?

Iræ tuæ obviare,
Quem contemnis, emendare,
Rem testor impossibilem.
Te servili cum pavore
Pravi timent abs amore,
Et ultorem horribilem. C

Sed timore filiali
Tanquam pater es timendus,
Cum affectu cordiali
Incessanter reverendus :
Quum peccare pravissimum,
A te linqui tristissimum.

Reverenti cum pavore
Tibi mentes angelicæ
Adstant, atque hoc timore
Plenus exstat nunc cœlice D
Christus homo, atque mentes
Universæ te fruentes.

Pœnæ nil hic habet timor :
Reverentes, attonitos,
Te fruentes dat, ut rimor.
Nos bonis fac inolitos.

Tuæ, Deus majestatis,
Ex adspectu claritatis,
Caste, sancte, reverenter A
Timens sit indesinenter
Tota nostra te natura,
O majestas simpla, pura.

Timorate, sollicite
Operemur nunc salutem
Nostram : clementer solite
Tantam, Deus, da virtutem.

Tuo namque tribunali
Nos oportet præsentari,
Et a te ultore mali
Tam districte judicari. B

Tibi honor, laus æterna,
In hac luce et superna.

Laus Dei ut dulcis.

Vere dulcis es, Creator,
Dulcis in te, pie sator
Universæ dulcedinis,
Causa omnis claredinis. C

Omnem convenientiam,
Odorum redolentiam,
Cunctamque suavitatem,
Proportionalitatem,
Harmoniam, melodiam,
Pacem atque concordiam
Contulisti fontaliter,
Contines exemplariter.

Ratio jucundissima,
Origo amœnissima
Omnis es jucunditatis D
Bonæ cunctis in creatis.

Dulce, sensum quod delectat,
Fertur in re corporali;
Mentem quoque quod oblectat,
Dulce est in spiritali.

Hinc tu, Deus, dulcissimus,
Proportionatissimus
Es nam prorsus tuæ menti
Ac convenientissimus,

Digitized by Google

Itemque sapidissimus
Tibi ipsi es volenti.

Tu dulcedo infinita,
Pura, separata, ita
Plena ut in se subsistat.
O dulcedo idealis,
Sancta, intellectualis,
Nunquam cor a te desistat.

Tua, Deus, est natura
Pax suavitasque pura,
Immensa delectatio,
In qua completa ratio
Omnium deliciarum
Abs mensura est earum.

Summa tua suavitate,
Cum jucunda plenitate
Sunt Beati perfruentes,
Pleno ore combibentes
De torrente voluptatis:
Qua potemur cum Beatis.

Et devoti viatores,
Tui puri zelatores,
Vicissim brevi morula,
Ut contemplandi horula,
Gustant quam sis dulcis vere,
Delectati te sincere.

Omni menti puræ clare
Tu sapis suavissime,
Quæ exorsa te amare,
Fastidit nobilissime
Viles carnis delicias
Tanquam fœdas spurcitias.

Quum his inferioribus,
Balsamo, melle, floribus,
Tanta insit suavitas,
Quanta, summa veracitas,
Dulcedo tua increata,
Nullo fine terminata?

Ab hac immense deficit,
Omne quod gustum reficit,
Odoratumque oblectat.

A

B

C

D

Dulcior es infinite
Cunctis simul, o fons vitæ:
Me præsertim id delectat.

Quam magna suavitatis
Tuæ, Deus, multitudo!
Quam celas timiditatis
Cordibus, o plenitudo.

Hanc a vanis elongasti,
Te amanti hanc monstrasti:
Renuentes consolari
In caducis carnalibus,
Hac merentur recreari,
Saporibus suavibus.

Da gustare et videre
Quam suavis es, Domine,
Tota mente abhorrere
Omne quod absque ordine
Nos delectat in creatis,
Ne æquemur insensatis.

Corporalem mollitiem
Incessanter respuamus;
Mentalem superficiem
In te fixam teneamus.

Laus tibi, salus, gloria,
O Mens consolatoria.

Laus Dei Patris.

Bonum sui diffusivum
Est et communicativum:
Communicabilitatis
Tuæ hinc, ut bonitatis,
Non est finis, sancte Deus,
Adorande factor meus.

Hinc fatemur emanare
A te germen æternale,
Id te vere generare,
Tibi proportionale,
Coæternum, coimmensum,
Quod transcendit omnem sensum.

In te est generatio

Digitized by Google

Vera, intellectualis,
Æterna emanatio,
Pura, non materialis,
Immanens, immutabilis,
Nequaquam perscrutabilis.

Tu mens actualissima,
Simplex ac fecundissima,
Deus : hinc te intuendo,
Verbum in te profers, gignis.
Nempe quod intelligendo
In te vides, Mens insignis,
Tu in te es loquens plene,
Prolem gignens sic amœne.

Tu conceptum subsistentem
Generas æternaliter,
Præsentantem, continentem
Plene, splendentialiter,
Quidquid in sapientia
Splendet tua et essentia.

Hoc Verbum, sapientiæ
Tuæ plena expressio
Est, o Pater scientiæ :
Hæc fidelis confessio.

Lucis a luce fusio,
Actus ab actu fluxio,
Dei a Deo natio,
Est ista generatio.

In qua nec imperfectio
Est, neque dependentia,
Verum pura profectio,
Perfecta effulgentia.

Hinc producti essentia
Gignente non inferior,
Amborum subsistentia
Una, qua nulla verior :
Actus namque et natura
Patris sunt res una, pura.

Rite Verbum hoc vocatur,
O Pater, tuus Filius :
Nam a te originatur
Germen quo nil sublimius,

A Juxta similitudinis
Rationem, fons luminis,
Naturæ identitate,
Et ejusdem unitate.

Quum ipsa generatio
Consistat emanatio
Excellens, perfectissima,
Tibi primo principio,
Omnis boni initio,
Inest vere dignissima.

B Non quis esse infecundus,
Per quem fertilis est mundus;
Qui das rebus generare,
Sterilis non debes stare.

Dilectum et condilectum
Habes, Pater, tu perfectum,
Parem tuæ bonitati,
Ac immensæ caritati :
Hoc vult plena felicitas,
Summa delectabilitas.

C
His amoris deliciis
Nil suavius sentitur :
Caritatis divitiis
Dulcius nil experitur,
Amorisque complexibus
Nil dulcius ac nexibus.

Tu, o Pater adorande,
Præamande, prædicande,
Natum habes coæqualem,
Summum, consubstantialem
D Omni in perfectione :
Tibi parem me compone.

Infinito, præflagranti,
Pleno, superæstuanti
Amas, Pater, hunc amore,
Infinitum in splendore.

Cum incomprehensibili,
Immenso, indicibili
Ardore hunc amplecteris,
Filium tui pectoris.

Digitized by Google

Immensa cum lætitia
Sempiternoque gaudio,
Superclara notitia,
Pater sancte, ut audio,
Unigenitum inspicis
Verbum cordis tui felicis;
Hunc non minus quam te ipsum
Amas, Pater, ens id ipsum.

Immensam complacentiam
Habes per intuentiam
In hoc, tibi simillimo,
Nato ob nos humillimo, B
Superdulci, pulcherrimo,
Concordi, celeberrimo.

Unum dumtaxat Filium
Gignis, Pater humilium :
Uno Verbo nam dixisti
Te et cuncta quæ scivisti.

Pater pie, altissime,
Omnis fons paternitatis,
Nos age clementissime,
Natos tuæ pietatis. C

Te Patrem filialiter
Colamus, integraliter
Honorem, laudem, gloriam
Promamus tibi propriam.
Summe Deus benedicte,
Diligamus te invicte.

Laus et regratiatio
Omnisque honoratio
Tibi Deo uni, trino,
Præamabili omnino. D

Laus Filii Dei.

Tu imago Patris paris
Plena, vera, naturalis,
Ratioque exemplaris
Omnis entis mundialis.

Una contemplatione
Se et cuncta intuetur
Pater : generatione
A Hinc et una perhibetur
Te Verbum suum gignere :
Cujus dotemur pignore.
Tu imago te gignentis,
Et exemplar omnis entis.

Tu nata Sapientia
Es, plena rationibus;
Splendor gloriæ, entia
Suis ornans splendoribus;
Gloriaque Genitoris,
Verbum quoque sui oris.

Sincera emanatio
Lucis es omnipotentis,
Internaque prolatio
Dei intra se loquentis;
Speculum immaculatum
Majestatis es paternæ,
Virtus prima potestatum,
Sermo Mentis sempiternæ.

Tu character substantiæ
Patris, fons elegantiæ;
In te summa pulchritudo,
Potestatis plenitudo,
Species in imagine :
Non nostra id indagine
Scimus, Christe. Æqualitas
In te cum Patre, paritas.

In te cuncta intuentur
Sancti qui te perfruuntur;
A te mentes edocentur
In hac via et visuntur.

Fons quippe sapientiæ,
Verbum Dei in excelsis,
Unius es potentiæ
Cum Patre. Mihi tu mel sis.

Mundum Patre producente,
Cuncta secum componebas;
Omni die gaudens mente,
Semper coram hoc ludebas.

Sis quamvis beatissimus
In te ac perfectissimus,

Digitized by Google

Tuas tamen delicias,
Tu omnes dans divitias,
Ais cum natis hominum
Esse. Te laudo Dominum.

Comprehendis prorsus plene,
Amas Patrem præamœne,
Intuens æternaliter,
Supereffectualiter.

At quidquid es, potes, habes,
Te a Patre scis sumpsisse :
In hac fide nulla labes,
Quam et scimus te dedisse.

Amore superfervente
Penitusque infinito,
Patrem amas tam intente :
Id degustem corde læto.

Immenso demum gaudio,
Ad hunc Patrem te convertis :
Negantem hæc non audio;
Fides certa hæc expertis.

Tu in Patris sinu mente
Quiescis æternaliter;
Delectaris in gignente
Te, interminabiliter.

Universæ rationes
Caritatis sanctæ, mere
Per considerationes,
Inter te et Patrem vere
Esse, plene comprobantur
His qui a te illustrantur :

Ut mutua amatio,
Plena communicatio,
Identitas essentiæ,
Claritas intuentiæ,
Voluntatis conformitas,
Nulla culpæ enormitas;
Summaque similitudo,
Infinita pulchritudo,
In uno generatio,
In altero filiatio.

A

O Patris Sapientia,
Mane in conscientia;
Via nobis sis ad Patrem,
Nostrum te fecisti fratrem.

In te semper gradiamur,
Christe, via ac veritas,
Et felices perducamur
Ad te, lux, vita, Deitas.

Laus, virtus, adoratio,
Sempiterna laudatio,
B Tibi Patre cum non nato
Spirituque increato.

Laus Spiritus Sancti.

Ex Patre atque Filio
Ut ab uno principio
Procedis, Sancte Spiritus,
Ut docemur divinitus,
Deus verus ab æterno,
Cuncta regens de superno.

C

Pater quippe et Filius
Unum, nil mirabilius,
Quo te spirant, consistentes
Unum sunt, non differentes.

Es namque emanatio
Voluntatis tanquam amor;
Hancque fidelis latio,
Philosophicus non clamor,
In te Patre atque Prole
D Unam pandit. Tu nos cole.

Pater et Unigenitus
Invicem se diligentes
Te spirant (sic es editus),
Condilectum te habentes,
Te amantes infinite,
Tantum ut se : tu fons vitæ.

Patris Filiique nexus
Es, dulcissimus complexus,
Amor, osculum amborum,

Digitized by Google

Præsincera pax duorum,
Infinita communio,
Plena item diffusio.

Tu immensa suavitas,
Superæstuans caritas,
Liberalitasque plena,
Et tranquillitas serena,
Æternalis lætitia.
Absterge cuncta vitia.

Simul spirant, amplexantur,
Incessanter contemplantur
Te, prædulcis Consolator,
Omnemque opulentiam,
Gloriam, eminentiam
Suam, tibi dant, Creator.

Summa suavitudine,
Immensa quietudine,
Tantaque hilaritate
Ac deliciositate,
Simul stant ad te conversi,
Et tu ad hos, lux detersi.

Quiescis æternaliter,
Es individualiter
In gignente et genito :
Manas hinc individenter,
Et procedis immanenter.
Me clementer protegito.

Benignitas, suavitas,
Bonitas, dulcor, caritas,
Tibi vere propriantur;
Tibi quoque deputantur
Horum operationes,
Gratiosæ actiones.

Tu mœstorum consolator,
Impiorum emundator,
Donum Dei altissimi,
Vivum flumen ditissimi,

Voluptatis deificæ
Torrens plenus et inundans,
Omnis mentis gratificæ
Adimpletor præabundans.

A In te vera divinitas,
Infinita felicitas;
Tu summe præamabilis,
Dulcis, desiderabilis.

Donum tu es largissimum,
Primum, opulentissimum,
In quo datur omne datum,
A datore primo latum.

Tu septiformis gratia;
Tanta tua et plenaria
B Bonitas et clementia,
Amor, munificentia,
Ut des te ipsum mentibus
Dona tua sumentibus :
Hæc summa liberalitas,
Consummataque caritas.

Tu abyssum pietatis
Et ardorem caritatis
Tuæ super nos declara;
Corda nostra tibi para,
Semper fove et tuere,
C Prout nosti nos egere.

Nos illustra et accende,
Vitam sanctam nunc impende,
Pietate mirifica
Nos propter te deifica.

Tibi, Patri ac Filio
Laus, honor cum consilio,
Perennis adoratio,
Jugis regratiatio.

D *Laus superbenedictæ Trinitatis.*

O gloriosa Trinitas,
In te nulla est finitas,
Superfelix et perfecta,
Nusquam plene intellecta.

Mutua tua caritas,
Mutua complacentia,
Mutua perspicacitas,
Mutua perfruentia
Infiniti est fervoris,

Digitized by Google

Infinitique dulcoris,
Infinitæ claritatis,
Tantæque jucunditatis.

Omnis tu felicitatis
Possides plenitudinem;
Omnis optabilitatis
Habes perfectitudinem.

In te plena communio,
Superlæta diffusio,
Voluptuosa unio :
Tua fide me munio.

Sola supergloriosa,
Infinite luminosa,
Tibi soli plene nota,
Audi clemens nostra vota.

In te personæ singulæ
Sunt in singulis perbonæ,
Circumincessibiliter
Et inconfusibiliter,
Incomprehensibiliter,
Vere indicibiliter.

O præeminens Trinitas,
Felicitatis gloria
Tuæ, simplex Divinitas,
Inclyte tibi propria,
Infinita perhibetur :
Hinc cor meum gratuletur.

Tu supersplendidissima,
Superopulentissima,
In te tibi sufficiens,
Universa efficiens,
Implens, servans moderanter,
Intuens nos incessanter.

Sola es incircumscripta,
Adoranda, benedicta,
Tua in simplicitate
Manens fixa veritate,
Superessentialiter,
Summe ac æternaliter.

O supersancta Trinitas,
Superpulchra Divinitas,

A Tu una es essentia,
Unaque sapientia,
Unus simplex intellectus,
Unus insuper affectus,
Una virtus, una vita,
Et voluntas non partita.

Quod absolute dicitur,
In te idem suscipitur.
Super mundum, subter mundum,
Extra mundum, intra mundum,
Ante cuncta, trine Deus,
B Et post cuncta, o Rex meus.

Super orbem, subter orbem,
Extra orbem, intra orbem,
Ante cuncta, trine Deus,
Et post cuncta, es, Rex meus.

Super cuncta non elatus,
Infra cuncta non substratus;
Intra cuncta non inclusus,
Extra cuncta non exclusus.

C Totus superpræsidendo,
Totus subter sustinendo;
Totus extra complectendo,
Totus intra adimplendo,

Intra res non coarctaris,
Extra has non dilataris;
Subter nullo fatigaris,
Supra nullum sustentaris.

Cuncta movens, non moveris,
Locum tenens, non teneris,
Tempus mutans, non mutaris,
D Vaga firmans, non vagaris.

Absolutam, puram, fixam
Præsta mentem et innixam
Tibi summæ Trinitati,
Contemplantem te amanter,
Suspirantem æstuanter
Tibi puræ Deitati.

Honor, regnum, imperium,
Laus, virtus et mysterium
Tibi, Deus, in æternum.

Digitized by Google

Tu nos transfer in supernum,
Ad te laudandum jugiter,
Videndumque salubriter.

Laus Verbi incarnati.

Te Patris Unigenitum
Fatemur vere editum
Hominem temporaliter,
Ex vera matre homine,
Quam tu creasti, Domine,
Electa æternaliter.

Mater Virgo est Maria,
Tota gratiosa, pia :
Cujus juvamur precibus,
Purgamur culpæ fœcibus.

Tu pro nobis incarnatus,
Inter nosque conversatus,
Perfectam humanitatem
Per immensam pietatem
Unisti hypostatice
Deitati viatice.

Non personam, sed naturam
Nostram, tuam plasmaturam,
Tibi suppositaliter
Junxisti integraliter.

Simul ventre in materno,
Corde manens in paterno,
Corpus tuum tu formasti,
Animamque tunc creasti.

Et hæc duo conjunxisti
Invicem ac formaliter,
Sicque juncta assumpsisti
Tu Verbum personaliter.

Assumpta est humanitas
Ad æternum Verbi esse :
Una est personalitas
Tua, Christe, proles Jesse.

In hoc esse personali,
Increato, æternali,

A

Est subsistens humanitas,
Quam Verbo junxit caritas.

Persona, filiatio
Una tibi tribuitur ;
Natura, generatio
In te duplex adstruitur.

Ipsa namque filietas
Est respiciens personam ;
Sed naturam nativitas.
Nobis vitæ da coronam.

B

Pura et inviolata
In te, Christe, manet rata
Natura tua gemina,
Proprietate servata
Utriusque inturbata.
Ob nos natus de femina,
Virtutum confer semina.

Te decebat incarnari,
Cui constat propriari
Patris similitudinem,

C

Quam homo atque angeli
Appetendo, sunt scandali
Passi vicissitudinem.

Hinc utrumque, pro te zelans
Pater mox damnavit, velans
Eis lucem clementiæ.
Patrem cernens sic zelatum
Pro te, cultumque privatum
Debitæ reverentiæ,
Ut honorem reparares,
Ejus regnum restaurares,

D

Es dignatus incarnari,
Volens hominem salvari.

Quum paterni intellectus
Sis clara emanatio,
Hinc tum, quamvis sis perfectus,
Quædam communicatio
Tibi exstat cum homine
Specialis, o Domine.

Homo nam ab intellectu
Habet speciem effectu.

Digitized by Google

Ob id fieri hominem
Decuit te imaginem
Dei, cujus est imago
Homo. Corde sim præsago.

Porro Personæ mediæ
In divinis, egregie
Ratio mediatoris
Congruit et salvatoris.

Reconciliare Patrem,
Itemque habere matrem,
Plus competebat Filio,
Sano constat consilio :

Ut qui Patrem sine matre
Fuit habens ab æterno,
Matrem quoque sine patre
Esset habens in externo :

Quo propter nos humilior,
Eo imitabilior,
Dulcior, amabilior
Et appretiabilior.

Nostra deificatio
Sit tua incarnatio ;
Tua ima descensio,
Nostra fiat ascensio ;
Tua summa dignatio,
Sit nostra exaltatio.

Tibi hinc ac Patri sancto,
Ac Paracletoque tanto,
Jugiter regratiamur,
Inflammamur, famulamur.
Tribus honor et gloria,
Qui lux una sunt propria.

Laus Dei de rationibus incarnationis.

Non valebat liberari
Aptius et subtilius
Homo, quam quod incarnari
Volebas, Dei Filius.

Hoc in modo redimendi,
Tua, Deus, miserendi

A Bonitas, sapientia,
Æquitas et clementia,
Caritas et potentia,
Virtus, munificentia,
Ostenduntur splendidius,
Lucentque eminentius.

Rei nam difficillimæ
Comperisti facillime
Optimam solutionem,
Tuam per cognitionem.

B Tua quoque justitia
Culpam liquit non inultam ;
Pietas delens vitia,
Est largita opem multam.

Distantia longissime
Conjunxit propinquissime
Tua omnipotentia ;
Se effudit largissime,
Juvit fructuosissime
Tua munificentia.

C Amor fuit plenissimus,
Quod tu Deus altissimus
Intime, propinquissime
Conjunxisti dulcissime
Temet nobis, personali
Unione benignali.

Nulla fuit ad salvandum
Hoc humanum genus digna
Pura creatura : dandum
Eras, Verbum. Tu nos signa.

D Tanta gratiæ dignitas
Et gloriæ insignitas,
Culpæ tanta impietas,
Ac communicabilitas
Tanta, Deus, est naturæ
Tuæ majestas tam puræ,
Gratiam ut reparare,
Gloriam recuperare,
Deoque satisfacere,
In naturam sic agere,
Nulli queat creaturæ
Usque convenire puræ.

Digitized by Google

Sed, o tu Dei Filius,
Quum te nil sit sublimius,
Ad ista eras aptissimus,
Prorsusque potentissimus.

Tibi per humanitatem
Mereri, satisfacere,
Porro per divinitatem
Idoneitas agere,
Ita, Christe, competebat,
Sic salvare te decebat.

Ut a culpa actuali
Itemque originali
Emundemur, incarnatus
Es pro nobis, et oblatus.

Et ut nobis elucescat
Amor tuus, mens fervescat,
Tuaque conversatio,
Nostra sit informatio.

Fac nos incarnationis
Tuæ fructum sortientes,
Tuæ miserationis
Dona grate conquirentes;
Fac nos tibi, o Salvator,
Semper gratos, legislator.

Hymnus, honor, munditia,
Grates, splendor, lætitia,
Tibi, beata Trinitas,
Vera, simplex Divinitas.

Laus Dei de perfectione humanitatis Christi.

A nunc incarnationis
Suæque creationis,
Tua anima, o Christe,
Quo salvatur mundus iste,
Deo plene fruebatur,
Clare hunc intuebatur.

Ex tunc eras comprehensor,
Juste meritorum mensor,
Deum cernens per speciem,

A

Quoad hoc habens requiem,
Tam beate ac sincere,
Sicut nunc ut homo vere.

Hoc momento est impleta
Mens creata tua læta,
Gratiæ plenitudine,
Gloriæ item lumine.
Absque mensura gratiam
Hanc sumpsisti plenariam.

Gratia habitualis
B In te, o Christe, trinalis
Fuit essentialiter,
Immensa aliqualiter.

In se quippe continuit
Quidquid plane pertinuit
Ad plenitudinem gratiæ,
Totam appetitivitatem
Mentis et capacitatem
Implens. Tua fruar facie.

Fonti demum gratiarum,
C Verbo, causæ naturarum,
Unita personaliter
Fuit, Christe, veraciter
Tua anima beata,
Præ cunctis bonificata.

Habitualis gratia
In animæ essentia
Est tuæ, hanc perficiens,
Gratia dicta capitis,
Qua membris a te habitis
Dona tua es injiciens.

D

Tu, Christe, ut passibilis,
Ad viresque sensibilis
Partis, fueras viator;
Item, ad superiores
Vires mentis puriores
Comparatas, o Salvator,
Ad subjectum passibile
Suum, prædiligibile.

Gratiæque gratis datæ
Tibi erant condonatæ

Digitized by Google

Cum summa excellentia,
A divina potentia.

Et virtutes non claudentes
Quam in sua ratione
Imperfectionem, entes
In te erant, Jesu bone :
Ut sunt intellectuales,
Et morales, cardinales.

Spes, fides, pœnitentia,
Loco in te hinc carebant :
Dona cum excellentia
In te sunt et consistebant.

Tibi nil promeruisti
Essentiali præmio :
Totum nobis impendisti,
Nos tuo fovens gremio.

Pie, semper, copiose,
O Salvator virtuose,
Tuam nobis pereffunde
Plenitudinem fecunde.

Laus decora et jucunda
Tibi, Christe, nosque munda;
Patri, Sancto Spiritui,
Hymnum canant æditui.

Laus Dei de sapientia Christi.

Tam divinæ quam humanæ,
Inconfusæ manent sane,
Vires ac proprietates
In te, Christe, qui das Vates.

In te duplex intellectus
Et voluntas seu affectus,
Duplex virtus et actio,
Amor duplex et factio :

Illis ad divinitatem,
Hisque ad humanitatem
Tuam, Christe, spectantibus,
Te quoque decorantibus.

Sic duplex sapientia,

A

Duplex atque potentia,
Increata et creata,
In te, Christe, est monstrata.

Sapientia patriæ,
Qua cuncta vidit facie,
Sapientia indita
In tua anima inclyta
Fuit, qua tu cuncta cernis.
Me conjunge tuis vernis.

Quæ concernunt mysterium
B Nostræ liberationis
Noveras, qui imperium
Omnis habes rationis.

Quidquid Deus intuetur
Visionis scientia,
Tua anima narretur
Scire cum eminentia,
Præsentia, præterita
Et futura, ac merita.

At Deum comprehendere,
C Ejus plene perpendere
Potestatem, et videre
Actu infinita, veræ
Divinitati est proprium,
Idque doctis notorium.

Jesu Christe, profecisti,
Qui nos omnes redemisti,
Gratia, sapientia,
Coram plebis frequentia,
Usu, declaratione
Habitus, non auctione.

D

Unge, igni et illustra
Corda nostra, nec sint frustra
Nobis tua mysteria
Impensa tam egregia.

Tibi, beata Trinitas,
Vera, sancta Divinitas,
Pater ac Unigenite,
Spiritus ab his edite,
Hymnus, honor, munditia,
Grates, splendor, lætitia.

Digitized by Google

Laus Dei ex Evangelio, de Christi divinitate.

Tu, Verbum, in principio
Eras, nullo initio
Inchoans creatione,
In Patre æternaliter
Manens, intemporaliter
Prior cunctis natione.

Confusi sunt hæretici,
Te ex matre aut tempore
Incepisse maledici
Adstruentes et corpore,
Sic quod prius non fuisti :
Hinc mentiti exstant isti.

Per te cuncta sunt plasmata,
Christe, virtus increata;
Per te facta sunt omnia,
Qui doces et per somnia,
Sempiternaque gloria,
Lux summe amatoria,
Eras apud Patrem Deum,
Deus verus apud eum.

Non ut per instrumentalem
Causam Patri diversalem,
Est creatus per te mundus,
Sed ut per comprincipalem
Causam, primam, exemplarem.
Per te bonis sim abundus.

Cum Patre et Paraclito
Idem rerum principium
Te fatemur. Nos alito,
Æternale initium.
Nempe una essentia
Est trium ac potentia.

Ut per causam exemplarem
Fecit Pater mundialem
Per te grandem hanc facturam :
Nam Verbum ejus legeris,
Quo cuncta loquens, ceteris
Dedit esse ac naturam.

Abs te nihil et peccatum
Factum est, non habens ratum
Esse, quantum ad formale,
Quod non est quid positale.

Creaturæ in te vita
Erant, o lux infinita :
Nam in te idealiter
Exstiterunt, vitaliter.

Et tu vita ista eras :
Simplex quippe perseveras.
Tu vita, es lux hominum
Lucens menti, te Dominum
Nusquam comprehendentium,
Tenebræ exsistentium.

Misit Pater Præcursorem,
Vitæ tuæ paratorem,
Ante te testimonium
Ferentem et præconium.

Ille enim lux non erat,
Tu lux vera, quæ nos ferat,
Lux plane per essentiam
Immensamque splendentiam.

Omnem tu illustras mentem
In hunc mundum venientem :
Das nam lumen naturale,
Lumen item gratiale;
Neque quisquam hæc sortitur
Nisi a te, sicut scitur.

Tu in mundo eras semper
Per immensam deitatem;
Mundus vero te lucenter
Non cognovit veritatem.

Venisti et in propria,
Potestas creatoria.
Tua plebs te non recepit,
Te contemnens, se decepit.

Judæi nam increduli
Manserunt culpis seduli :
Quidam horum te ceperunt,
Tibi digne crediderunt.

His dedisti potestatem
Filios Dei fieri,

Digitized by Google

Qui per tuam pietatem
Effecti sunt deiferi.

Hi non nati carnaliter,
In hoc esse filiali ;
Sed nati spiritaliter
Ex te, Deus, esse tali.

Tu, Verbum, caro factum es ;
Homo verus tu actus es :
Nam naturam redimendam
Decernebas assumendam.

Inter homines moratus,
Et cum eis conversatus,
Viderunt tuam gloriam,
Majestatem rectoriam,
Qualem vere te decuit,
Deus Pater quem genuit.

Veritate et gratia,
Virtute, sapientia
Plenum hi te conspexerunt,
Qui divina in natura,
Virtus veritasque pura
Es, ut Sancti conscripserunt.

De tua plenitudine
Universi accepimus ;
Ex tua largitudine
Gratiam gratis legimus.

Virtute tuæ gratiæ
Plenæ et exuberantis,
A pia tua facie
Mentes plebis exsulantis,
Particulari gratia
Implentur multifaria.

Legem Moysi dedisti,
Per te gratiam fecisti,
Veritatemque Scripturæ,
Eam per te implens pure.

O Fili unigenite,
Ens in sinu Dei Patris,
Docuisti nos, edite
Virginali alvo Matris,

A

Per te ipsum terrestribus
Enatans de cœlestibus.

Vera, certa, immobilis,
Nostræ legis traditio
Evangelicæ nobilis,
Datæ a Dei Filio.

Precamur cordialiter,
Benigne, liberaliter
Nobis de plenitudine
Tua fer ac lumine.

B

Quum sis caput Ecclesiæ,
Tuis membris da egregie
Motum vitamque gratiæ ;
Tua fruamur facie.

Tibi, beata Trinitas, *etc.*

Laus Dei ex Evangelio, de Christi præcursore.

Zachariæ prædixisti,
C Deus, præcursorem Christi
Mox de eo generandum,
Atque ad id nuntiandum
Destinasti Gabrielem.
Fac me verum Israelem.

Justo illi veterano,
Infecundo, mente cano,
Ex uxore infecunda,
Anu sancta ac profunda,
Joannem dabas gignere,
Hos tanto ditans pignore.

D

Sancto Spiritu implesti
Hunc in suæ ventre matris :
Cui nato mox molesti
Erant mundus, opes patris :
Hinc deserta est ingressus,
Tibi vacans indefessus.

Hic, o Christe, te præivit
Vi ac spiritu Eliæ,
Et Judæos erudivit,
Tibi parans hos Messiæ.

Digitized by Google

Zachariæ non credenti
Abstulisti mox loquelam :
Cujus prole orienti
Impendisti, Rex, medelam.

Sancto Spiritu dignare
Corda nostra occupare,
Semper clemens decorare,
Jugiter inhabitare.

Tibi, beata Trinitas, *etc.*

Laus Dei ex Evangelio, de Christi incarnatione.

B

Eumdem per Archangelum,
Gabrielem hunc angelum,
Verbi incarnationem,
Propter summam rationem,
Virgini prænuntiasti,
Quam ad hoc præordinasti.

Hac consensum conferente,
Sancto Spiritu agente,
Verbum tuum mox concepit,
Virtus tua ut præcepit.

C

Quo peracto visitavit
Neptem, hancque salutavit
Genitricem Præcursoris,
In qua is tunc exsultavit,
Et præsentem declaravit
Sic personam Salvatoris.

Præcursoris mater pia
Benedixit te, Maria,
Super cunctas mulieres ;
In te Christum quum haberes,
Tua dixit præsentia
Indignam se prudentia.

D

Nostrum corpus induisti,
Sicque natum te fecisti
Sanctorum Patriarcharum,
Juxta verba Prophetarum.

Sponso Virginis jussisti,
Et per angelum dixisti,
Ut hanc tute acciperet,
Et nequaquam abjiceret,
Quum concepisset cœlitus.
Tibi semper sim deditus.

Joseph demum præcepisti
Jesum vocare puerum,
Ad salvandum quem misisti
Virginalem in uterum.
Per hunc, Pater sempiterne,
Purga, salva nos interne.

Tibi, beata Trinitas, *etc.*

Laus Dei ex Evangelio, de Christi humana generatione.

Tu, o Virgo gloriosa,
Peperisti gaudiosa
Salvatorem in Bethlehem ;
Pannis hunc tunc involvisti,
In præsepe posuisti,
Summum factum tam humilem.

Concepisti abs ardore
Carnis concupiscentiæ ;
Peperisti abs dolore
Totius corrumpentiæ.

Apparuit pastoribus
Angelus cum splendoribus,
Denuntians lætitiam
Omni plebi eximiam :
Natus, inquit, est Salvator
Vobis, Christus dominator.

Angelorum multitudo,
Ut decrevit plenitudo
Tuæ, Deus, potestatis,
Te cum illo tunc repente
Est exorsa læta mente
Collaudare pietatis.

Gloria in sublimibus
Deo, paxque hominibus
Qui sunt bonæ voluntatis,
Dei velle conformatis.

Digitized by Google

Vel sic :

In excelsis sit gloria
Tibi, o Deus, propria ;
In terra pax hominibus,
Gratiarum luminibus.
Factis bonæ voluntatis,
Tuo velle conformatis.

Te pastores invenerunt,
Ut de cœlo audierunt :
Hincque Deum laudaverunt,
Christe, natum te dixerunt.

Stella duce properantes
Magi, teque adorantes,
Aurum, myrrham offerentes
Et thus tibi, procidentes.

Te in templo præsentatum
Simeone timorato
Scimus, Christe, complexatum,
Illo hinc lætificato.

Responsum namque cœlitus
Accepit certum penitus,
Quod non prius moreretur,
Nisi te intueretur.

Porro Anna prophetissa,
Vidua beatissima,
Tunc a Deo vere missa,
Cum mente devotissima
Te, o Christe, est professa,
Plebi de te est confessa.

Post hæc in Ægyptum vexit
Te, quem Pater prædilexit,
Joseph tua cum parente,
Angelo id admonente.

Nam Herodes nitebatur
Te necare : verebatur
Quippe per te spoliari
Regno atque expugnari.

Duodecennis sedisti
Inter Scribas, et quæsisti,
Hos tua sapientia

A Implens obstupescentia.
Cum parentibus rediens,
Eis eras obediens.

Tuæ nos humilitatis,
Paupertatis, subditatis,
Fac nos veros sectatores
Gratosque æmulatores,
O Salvator adorande,
In æternum præamande.

Tibi, beata Trinitas, *etc.*

B

Laus Dei ex Evangelio, de Christi baptismo, tentatione, ac aliis.

Quum jam velles prædicare,
Et te ipsum declarare,
Tuus præco baptizare
Cœpit, viamque parare
Tibi, Christe, rex Messias,
Ut prædixit Isaias.

Baptizavit hic Judæos,
C Dire increpavit eos.
Christum esse se putantes,
Testabatur deviantes;
Esse Christum te ostendit,
Testimonium impendit :
Baptizo aqua, inquiens,
Baptizabit vos veniens
Sancto Spiritu et igne.
Salva, Christe, nos benigne.

Indignum se perhibuit
Calceum tuum solvere :
D Tantum tibi adhibuit,
Ut coram te procumbere
Se indignum affirmaret.
Plebem ut ad te vocaret,
Te ostendit venientem,
Ad baptismum accedentem,
Dicens : Ecce Agnus Dei,
Qui peccata tollit mundi.

Advenisti, Rex cœlorum,
Tanquam unus peccatorum,
Inter eos in Jordanem,

Digitized by Google

Temet nobis præbens panem,
A Joanne baptizari
Volens et humiliari.

Ille tuam majestatem
Pensans ac humilitatem,
Vehementer mox expavit,
Te lavare recusavit,
Seque a te baptizandum
Fatebatur ac purgandum.

Baptizato te orante,
Cœloque se reserante,
Descendit visibiliter
Et mansit sensibiliter
Super te Sanctus Spiritus :
Quo ungamur divinitus.

Tunc et Pater non tacuit :
Hic est in quo complacuit
Mihi bene, meus natus,
Præelectus, præamatus.

A Jordane hinc regressus,
Ad desertum es ingressus,
Ut ibidem tentareris,
Nobis palmam merereris.

Facto quadragesimali
Jejunatu loco tali,
Sponte famem pertulisti,
Hominem te ostendisti.

Tentatione triplici,
Fructu vere multiplici,
Impugnari es dignatus
A dæmone nequissimo :
Ut modo congruissimo
Nos juvares, sic probatus,
Superandi pandens modum,
Tentantique solvens nodum.

Eras cum animantibus
Brutis tibi adstantibus,
Angelis ministrantibus.

En vere Israelita,
Dixisti ad Nathanael,

A Qui rependit vicem ita :
Rabbi, tu es Rex Israel,
Tu exstas Dei Filius.
Quid his delectabilius ?

Aquam, Christe, convertisti
Vinum in prævirtuosum :
Potestatem ostendisti
Tuam, teque gloriosum.

Sit tua baptizatio
Nobis plena purgatio ;
B Tua quoque tentatio,
A tentante salvatio ;
Tuaque abstinentia
Nos ornet sapientia.

Tibi, beata Trinitas, *etc.*

Laus Dei ex Evangelio, de sermone Christi ad Nicodemum.

Ascendisti Jerusalem,
Tensor vitæ Mathusalem ;
C In templo negotiantes
Et ibidem commutantes
Expulisti, ejecisti :
Zelo Dei id egisti.

O quam grande miraculum,
Deitatis signaculum,
Tot mentes sic compescere,
Voluntates arcessere !
Tunc ibidem multa signa
Perpetrasti fide digna.

D Te accessit Nicodemus :
Rabbi, inquiens, videmus
Te a Deo advenisse :
Signa namque quæ tu facis,
Nullus agit, nisi pacis
Deus velit hunc juvisse.

Nisi homo sit renatus
Aqua et Sancto Spiritu,
Ut tu, Christe, es testatus,
Pelletur ab introitu
Regni ; idque retulisti

Digitized by Google

Ad tempus Evangelii
Divulgati, quod dedisti.
Opem confer remedii.

Scimus, ais, quæ effamur,
Et quod vidimus testamur.

Ut serpentem exaltavit
Legislator in deserto,
Sic te Christum affirmavit
Oportere in aperto
Exaltari, tua lingua
Omni prorsus laude digna,
Vitam in te ut credentes
Sint æternam sortientes.

Mundum Pater sic dilexit,
Quod in eum te direxit
Filium unigenitum,
Salutis dare reditum.

Non ut mundum judicares,
Sed ut eum liberares,
Pater te in mundum misit.
In te credens permanenter,
Non censetur pereunter.
Per te Pater nos invisit.

Qui non credit, judicatus
Exstat atque reprobatus :
Nam in te Unigenito
Non credit nobis dedito.

Te in cruce intueri
Fac nos sic, et revereri,
Mereamur ut defendi
A te, tibi uniendi.

Præsta fidem stabilitam,
Caritate redimitam,
Cursum digne consummatum,
Cor amore inflammatum.
Tibi, beata Trinitas, *etc.*

Laus Dei ex Evangelio, de Christi signis et verbis, et de documentis Præcursoris.

Uno actu copiosam
Piscium collectionem
Cepit Petrus, virtuosam
Tuam implens jussionem :
Sic quod rete rumpebatur,
Geminaque implebatur
His piscibus navicula.
Cuncta tolle pericula,
Cui pisces obediunt,
Et quo jubes conveniunt.

Reprobas philargyriam.
Tua implevit Syriam
Fama : mira nam patrasti
Ibi, ægrosque curasti,
Obsessos, paralyticos,
Lunaticos, tristificos.

Pravis atque publicanis
Commandebas causis sanis,
Necessarium medicum
Ægris docens beneficum.

Medicus tu animarum
Reparator miserarum,
Reos ad pœnitentiam,
Per immensam clementiam,
Advenisti revocare,
Eosque justificare.

Nil valet quis accipere
Ni e cœlo conferatur,
Quum a te Deo libere
Omne bonum emittatur.

Tu de cœlo descendisti,
Omnes solus excessisti ;
Et qui tuum acceptavit
Testimonium, signavit
Deus verus quod consistat,
In te esse nec desistat.

Tu nam missus es a Deo,
Verba ejus loquens, eo
Quod non dedit mensurate
Tibi Spiritum, beate.

Pater amat te Filium
Unicum ac naturalem :
O amator humilium,
Omnem tibi subjectalem
Fecit prorsus rem creatam.
Mentem da in te firmatam.

Digitized by Google

Te secundum deitatem
Amat plene infinite,
Juxtaque humanitatem
Toto mundo magis, rite.

Bonum quippe præstantius
Cunctis simul creaturis
Contulit, abundantius
Universis præ facturis,
Assumptæ humanitati,
Esse Verbi increati,
Esse junctam deitati
Unione personali.
Salva nos a casu mali.

Cuncta denique creata
Tuæ erant subjectata,
O Christe, humanitati,
Ut conjunctæ deitati,
A nunc incarnationis,
Ratione unionis.

Idcirco per imperia
Agens eras egregia
Signa ad nutum, Domine :
Nempe tu imperiali
Hac virtute singulari
Præfulsisti et nomine.

Fac nos tuam sanctitatem
Sequi, et impuritatem
Omnem semper detestari,
Læsos mox a te curari.

Tibi, beata Trinitas, *etc.*

Laus Dei ex Evangelio, de verbis Christi ad Samaritanam.

SAMARITANÆ feminæ,
Natæ gentili semine,
Christe, via fatigatus,
Alta ista es effatus :

Bibens aquam quam donabo,
In æternum non sitiet :
Imo aqua quam præstabo,
In eo fons exsiliet

Aquæ in æternam vitam
Profluentis, me fulcitam.

Das aquam sapientiæ,
Aquam præstas sagaciæ
Salutaris et gratiæ,
Quæ fons est meritorii
Actus, introductorii
Ad conspectum tuæ mentis
Universa intuentis.

Veri adoratores,
Tui, Pater, jam cultores,
Spiritu et veritate
Adorabunt timorate.

Spiritus incircumscriptus
Es tu, Deus benedictus :
Hincque vere et interne
Es adorandus, Æterne.

Patris tui voluntatem
Adimplere, firmitatem,
Cibum seu refectionem
Tui, Christe, perhibebas,
Cui semper tu parebas
Quoad humanationem.

Tuis visis olim actibus,
Auditisque sermonibus,
Statim te Samaritani
Asserebant Salvatorem
Et Messiam. Tu errorem
Aufer, ut non simus vani.

Febri gravi morientem
Natum reguli curasti :
Quem cum suis mox credentem,
Mente protinus sanasti.

Christe, dum præcipitare
Te de monte attentarent
Cives tui tam amare,
Sic abisti, ne spectarent
Quonam modo abieris
Atque eos reliqueris.

Sic corpus tuum animæ

Digitized by Google

Fuit subjectum intime,
Ut jubente ratione,
Mox ab immutatione
Oculorum præsentium
Cessaret attendentium.

Salubri sapientia
Nos pota liberaliter;
Patrem jugi frequentia
Da orare mentaliter.

Patris velle perficere,
Prædulce sit reficere
Nostræ mentis, Jesu Christe,
Precor ego reus iste.

Tibi, beata Trinitas, *etc.*

Laus Dei ex Evangelio, de diversis Christi miraculis.

Dum obsessum liberasses
Civitate Capharnaum,
Idque verbo imperasses,
Rex, Christe, Principatuum,
Potestatem ac doctrinam
Tuam altam et divinam
Admirari mox cœperunt
Cuncti qui tunc adfuerunt.

Tanquam habens potestatem,
Non vanam verbositatem,
Docuisti, o Salvator :
Ob id in verbis gratiæ
Tuæ summæ sagaciæ
Sunt mirati, o Creator.

Tunc in omnem Galilæam
Rumor de te est diffusus.
Doce, Christe, mentem meam,
Ne errore sim delusus.

Socrum Petri febre stratam,
In instanti tu curasti;
Omnem infirmorum latam
Ad te turbam tunc sanasti,
Cunctis manum imponendo,
Et repente, ac jubendo.

A Curasti paralyticum,
Verbum loquens mirificum :
Surge, tolle tuum lectum.
Turba pavit hunc profectum.

Per vestis et tangentiam,
Sanguinis profluentiam
Annis passa duodenis,
Est curata cunctis venis.

Archisynagogi natam
Suscitasti deploratam :
B Hinc parentes congaudebant,
Vehementerque stupebant.

Duos cæcos illustrasti,
Mutum obsessum sanasti.
Circuibas Galilæam,
Omni ægro dans medelam,
Ubique quoque prædicans,
Animabusque medicans.

Montem solus ut orares
Ascendisti, sicque dares
C Formam Deum exorandi,
Et in prece pernoctandi
Clam, intente et instanter :
Nam orasti pernoctanter.

Omnes tangere quærebant
Te : prodire nam cernebant
De te vim potestativam,
Omnis morbi curativam.

Oculos unge animæ,
Christe doctorum maxime;
D Fac nos Deum exorare
Cum fervore semper clare.

Tibi, beata Trinitas, *etc.*

Laus Dei ex Evangelio, de sermone Christi in monte.

Tu, Christe, novus legifer,
Novam legem advexisti;
Evangelii signifer,
Documenta effudisti

Digitized by Google

Omnino saluberrima,
Perfecta et pulcherrima.

Spiritalem, cœliformem
Consummatamque per orbem
Legem sanctam seminasti,
Multis modis confirmasti.

Octo beatitudines,
Mentis perfectitudines,
Docens, pauperes spiritu,
Fers beatos adhibitu :
Quoniam quidem ipsorum
Regnum vere est cœlorum.
Spe tantæ opulentiæ
Congaudeant egentiæ.

Mites atque pie flentes,
Æquitatem sitientes,
Pios seu misericordes
Hominesque mundicordes,
Pacificos, patientes
Adversa pro justitia,
Omnes hos beatos entes
Doces, spondens eximia.

Cunctis munerationem,
Aptam præmiationem,
Christe judex, promisisti,
Quod sint Dei nati isti :
Mundis, Dei visionem ;
Ejus filiationem
Pacificis spopondisti.

Æquitatem optantibus,
Intimam saturitatem ;
Piis ac miserantibus
Promisisti pietatem ;
Adversa tolerantibus,
Cœlestem hereditatem.

Verum unusquisque horum
Cuncta ista sortietur.
Sed tu, Christe doctor morum,
Quem cor omne veneretur,
Fers pulchram per scientiam
In his correspondentiam
Præmii atque meriti,
Dux cordis tibi dediti.

A

Tu pastores et doctores,
Terræ sal et lucem mundi
Ais. Nostros rege mores,
Sensum cordis da profundi.

Luceat lux vestra, doces,
Christe, sacras promens voces,
Palam coram hominibus,
Ut cernant cum luminibus
Actus vestros virtuosos,
Deum laudent, non vanosos.

B

Id ad actus exemplares,
A te jussos, salutares,
Retulisti, Deus verus.
In te mente sim sincerus.

Fratri suo irascentem,
Reum ais judicio ;
Raca ei proferentem,
Dicis reum consilio ;
Stultum eum exprimentem,
Gehennali supplicio.

C

Cupientem quid offerre
Tibi, cultumve afferre,
Vis primum satisfacere,
Aut voto id peragere.

Mulierem contemplantem
Concupitu dominante,
Ais esse hunc mœchantem,
Animo prævaricante.

Membra scandalizantia
D Jubes tolli quoad usum ;
Ad culpam inductantia
Vis præscindi ob abusum.

Conjugem vis non relinqui
Ni ob fornicationem ;
Omne juramentum linqui
Vis, ob perjurationem.

Vis ne malo resistamus,
Sed cædendam præbeamus
Unam genam, una cæsa,
Mente prompta et non læsa.

Digitized by Google

Jubes æmulos amemus,
Bona insuper præstemus
Nobis maledicentibus,
Nos item persequentibus,
Et ut pro his mentaliter
Oremus te veraciter,
Ut cœlestis Patris nati
Simus, eum imitati,
Qui oriri facit solem
Atque pluit super prolem
Omnem, bonam ac perversam.
Mentem tibi da immersam.

Perfectos, misericordes,
Omnes abluentes sordes
Vis nos esse, Fili Dei,
Ut assimilemur ei
Qui in cœlis est, benigno
Et perfecto Patri digno.

Claris jubes nominibus,
Ut non coram hominibus
Bona nostra operemur
Ut ab illis conspectemur.

Clauso thalamo orandum,
Læta mente jejunandum
Doces, Christe : da implere
Cuncta hæc devote vere.

Tibi, beata Trinitas, *etc.*

Laus Dei ex Evangelio, de eodem.

Jubes non thesaurizare
In hac terra, sed in cœlo :
Ibi cor versare, clare
Constat, quo thesaurum velo.
Hinc virtutes congregemus,
Actus sacros cœlo demus.

Quum recta est intentio,
Bona (inquis) est actio.
Nullum posse deservire
Dominis discordantibus,
Motibusque contraire
Nos et sollicitantibus

A

Doces, Christe, fersque curam
De futuro, nocituram.

De amictu atque victu
Curam vetas superfluam,
Et conformi jubes dictu
Spem in Deo uberrimam.

Verbum consolatorium
Ad electos direxisti ;
Ne quid tribulatorium
Vereantur, monuisti :

B

Ne formides, grex pusillus,
Nec te cursus turbet ullus,
Quia tibi regnum dare
Placet Patri salutare.

Judicare, condemnare
Inordinate, prohibes ;
Indulgere et donare,
Doces, Rabbi, non cohibes.

Parva mala aliorum
C Seu festucas attendentes,
Et suorum vitiorum
Trabes non inspicientes,
Christe Jesu, increpasti ;
Trabes tollant, imperasti.

Ne sanctum demus canibus,
Nec gemmas porcis talibus,
Jubes, ut capacitati
Hominumque dignitati,
Quæ promuntur, coaptentur.
Tibi corda præparentur.

D

Ut oremus confidenter,
Protestatus es clementer,
Hunc qui petit, impetrare,
Et quærentem inventare :
Omnis qui petit, accipit ;
Omnis qui quærit, invenit ;
Pulsanti reserabitur,
Confidens non frustrabitur.

Quum carnalis pater proli
Bona donet postulanti :

Digitized by Google

Nonne plus tu, Pater poli,
Summe Deus, deprecanti
Filio dabis Spiritum
Paracletum præinclytum?

Vis ut proximis agamus
Nobis quæ ab his optamus :
Hoc nam lex est et Prophetæ.
Caritati vacem mente.

Per angustam portam ire,
Arctam viam introire,
Ut salvemur, exhortaris :
Viam nam perditionis
Latam, et damnationis
Portam spatiosam faris.

Pseudo doces evitandos,
Deceptoresque damnandos.
Bonos et de bono corde
Bona loqui protestaris;
Malos fundo de vecorde,
Mala ferre tu profaris.

Ex cordis abundantia
Prodit oris effantia;
Sermo quoque est imago
Cordis, signum et indago :
Qualis vir, et sermo talis.
Fando sis prudentialis.

Non omnem qui te Dominum
Vocat perhibes salvandum;
Sed unumquemque hominum
Asseris glorificandum,
Qui cœlesti Patri paret,
Et mortali culpa caret.

Dominum te appellare,
Et mandata non servare,
Quid est, nisi mendacium?
Esto nobis solatium.

Multi die judicii
Dicent metu supplicii,
In te signa se fecisse,
Dæmonesque expulisse,
Ac virtutes peregisse.

A

Quibus dices : Non vos novi
Per prædestinationem;
Maledicti, sicut vovi,
Ite in damnationem.

Verba tua percipiens,
Et actu hæc perficiens,
Similatur sapienti
Supra petram construenti.

Audiens nec perficiens,
A te fertur insipiens,
B Super arenam ut construens,
Cujus domus est concidens.

Universa adimplere
Documenta hæc, Salvator,
Semper da, ut obtinere
Mereamur a te, dator,
Dictarum beatitudinum
Præmia, o fons luminum.

Tibi, beata Trinitas, *etc.*

C *Laus Dei ex Evangelio, de diversis Christi miraculis.*

Leprosum cum imperio
Sanans, hoc magisterio
Famulo centurionis
Gratiam sanationis
Absens carne impendisti,
Quem vicinum morti scisti.

Unicum natum viduæ
Dilectum individue,
D Suscitasti coram plebe :
Hincque mater est lætata,
Turba quoque admirata.
Nos illustra, summe Phœbe.

Tantæ eras paupertatis,
Dator omnis bonitatis,
Ut quo caput reclinares,
Te carere affirmares.

Quid ergo in divitiis
Relaxas te deliciis,

Digitized by Google

O infelix Christiane?
Christum pensa, o insane.

Orta tempestate maris
Dum in navi ferebaris,
Ventum, mare increpasti,
Et cessare imperasti,
Dicens : Mare, obmutesce.
Et quievit. Nos compesce.

In terra Gerasenorum,
Duorum sævissimorum
Dæmoniacorum mentes
Sanas suique valentes
Agens, unum legione
Dæmonum curasti, bone.

Legionem id petentem,
Porcos sinebas ingredi :
Quo te scimus tam potentem,
Ut ni permittas, invidi
Nulli queant hi nocere.
Ab his, Christe, nos tuere.

Dixisti paralytico
Per triginta octo annos
Ægro, jussu salvifico :
Surge, lectum fer. Tyrannos
Id Judæos conturbavit,
Festo lectum quod portavit.

In tuis mirabilibus,
Ingeniis habilibus
Modus agendi clarior
Constat factis ac rarior,
Quod tam imperialiter
Egisti, ac subitaliter.

Tua, Christe, paupertate
Omni dita nos virtute.
Te sequamur timorate,
Perfruamur te salute.

Tibi, beata Trinitas, *etc.*

Laus Dei ex Evangelio, de sublimibus quibusdam Christi documentis.

Pater tuus, ut testaris,
Usque modo operatur ;

A

Et tu, Christe, operaris.
A te mea mens regatur.

Operatur incessanter
Pater tuus, incunctanter,
Totum mundum gubernando;
Item animas creando,
Panem transsubstantiando,
Esse rerum conservando.

In intellectualibus
Summis ac infernalibus,
B Mediisque terrestribus,
Mentibus subcœlestibus
Plurima indesinenter
Agis, Pater, excellenter.

Non potest tuus Filius,
Quo nihil amabilius
Aliquid a se facere,
Ni quod te cernit agere :
Non est enim a se ipso,
Sed omnino a te ipso.

Quidquid facit Pater tuus,
C Facis et tu, natus suus,
Similiter, veraciter,
Seu æque principaliter,
Non ut homo, sed ut Deus.
Sis in cunctis rector meus.

Te nam Pater amat vere,
Cuncta facta sua mere
Monstrat tibi, quem gignendo
Egit plenum in sciendo,
Dans tibi sapientiam,
Suam dando essentiam.

D

Tuus Pater ut suscitat
Mortuos et vivificat ;
Sic tu, quos vis vivos facis,
Sed eosdem, Christe, pacis
Unus ens cum Patre actor,
Atque indivisus factor.

Pater nullum est judicans
Latione sententiæ :
Judicium communicans
Tibi actu loquentiæ

Digitized by Google

Censuræ judicialis,
Causa formæ humanalis,
Ut te omnes honoremus,
Et ut Patrem adoremus.

Qui nam te non veneratur,
Patrem tuum aspernatur ;
Qui te non honorificat,
Patrem tuum vilificat.

Incessanter opereris
In nobis per clementiam,
Pater, neque dedigneris
Sacram dare scientiam ;
Actua, serva, perfice
Mentem, culpas interfice.

Tibi, beata Trinitas, *etc.*

Laus Dei ex Evangelio, de Christi divinitate.

VENIT, nunc est, inquis, hora,
Qua me audient mortui :
Voce tua nam sonora
Humano præes ortui.

In hoc mundo conversando,
Per te tuosque legando,
Mortuos resuscitasti,
Et clementer reparasti
Aliquos corporaliter,
Plurimos spiritaliter.

Nam ut Pater in se ipso
Habet vitam, ut fons vitæ ;
Ita tibi in te ipso
Dedit vitam, qui es rite
Secum una simplex vita,
Superlæta, infinita.

Tibi dedit potestatem
Faciendi judicium :
Quoniam humanitatem
Assumpsisti, non vitium.

Nam humiliatione
Tua atque passione,

A Christe, exsecutionem
Meruisti judicandi,
Plenam quoque rationem
Te præ cunctis exaltandi.

Illa hora est ventura,
Qua detenti sepultura
Vocem tuam audituri
Sunt, et inde exituri.

Ut audis, Christe, judicas.
Christo, Pater, communicas
B Omnem tuam scientiam :
Hinc per certam noscentiam,
Christe, judicasti juste,
Patrem quærens tam venuste.

Opera tibi dedita,
Virtute Patris edita,
Christum esse te testantur,
Idemque testificantur
Deus Pater et Scripturæ.
Nos tuere, Jesu pure.

C Claritatem recipere
Sprevisti ab hominibus.
De te constat conscribere
Moysen in codicibus.

Gratia nos vivifica,
Imbecilles fortifica,
Ut futuro judicio
Eruamur supplicio,
Et humanum nunc honorem
Aspernemur ut fœtorem.

D Tibi, beata Trinitas, *etc.*

Laus Dei ex Evangelio, de dictis factisque Christi.

QUUM sit messis modo multa,
Et pauci operarii ;
Ne erremus ut gens stulta,
Condigni sint vicarii
Tui, Christe : tales dona,
Quorum vita exstet bona.

Digitized by Google

Tu Apostolos misisti
Nondum passus, combinatos ;
Prædicare hos jussisti,
Dæmones arctare stratos.

Ægros, inquiens, curate,
Mortuosque suscitate,
Et leprosos emundate,
Dæmones et propulsate ;
Gratis dedi, gratis date :
Hæc dixisti, potens rate.

Nam sermone efficaci
Hæc, Salvator, es locutus,
Quem historia veraci
Mox effectus est secutus.

Nam hæc loquens, es largitus
Potestatem sic agendi,
Qui loquendo es molitus
Vim essendi ac vivendi :
Etenim tuum dicere,
O Christe, est efficere.

Tuis jubes ut prudentes
Sint, Redemptor, ut serpentes,
Simplicesque ut columbæ.
Ut sim talis, tu incumbe.

Quanta pro te paterentur
Dicebas, ne vererentur,
Te formam patientiæ
Præbens, dux sapientiæ ;
Docesque perseverantes
Finem summum procurantes.

Corporis ne occisorem
Vereamur, jubes, Christe :
Imo summum te censorem,
Corpus animamque triste
Prævalentem projicere
In chaos et affligere.

Coram plebe te fatentem,
Coram Patre confiteris ;
At negantem te pudentem,
Apud Patrem non fateris.

A Porro pacem non carnalem,
Ensem vero spiritalem,
Christe, dare advenisti,
Et propinquos separare,
Cessent mundum ut amare,
Cuncta pro te spernant isti.

Amans nam plus te parentes,
Te indignus judicatur ;
Crucem post te non ferentes,
Te indigni comprobantur.

B Orna nos simplicitate
Columbina, Rex beate,
Vera item prudentia,
Ac jugi patientia ;
Omni tribulatione,
Fortes simus ratione.

Tibi, beata Trinitas, *etc.*

Laus Dei ex Evangelio, de diversis Christi verbis, gestis et miraculis.

C Dɛ Joanne præcursore
Es locutus sancto ore :
Inter natos mulierum
Non surrexit gyro rerum
Major Joanne Baptista.
Me accende fantem ista.

Vim cœlorum regna ferunt ;
Violenti illa quærunt ;
Promerentur, sortiuntur,
Qui a semet non vincuntur,
Sed se ipsos vincunt, frenant,
D Et a mundo alienant.

A suis sapientia
Natis est justificata :
Nam te, Christe, scientia
Est bonorum venerata ;
Tu Patris sapientia,
Ab electis approbata.

A peccatrice femina,
Qui das virtutum semina,

Digitized by Google

Es dignatus irrigari,
Tergi atque osculari,
Parcens ei abundanter,
Nam dilexit æstuanter.

Caritatis hinc fervore
Tolli constat tuo ore
Culpam omnem potissime,
O Deus suavissime.

Tu frequenter adscripsisti
Salutem omnem fidei.
Nam sanatis sic dixisti :
Fili aut filii mei,
Fides tua te salvavit;
Idque fidem commendavit.

Omnis boni principium
Ac salutis initium
Fides exstat catholica,
Ens virtus theologica.

Porro ex quinque panibus,
Item duobus piscibus,
Ut copiosis dapibus,
Dedisti quinque millibus
Edere ad plenitatem,
Præter numerositatem
Feminarum, parvulorum,
Plane sic, quod fragmentorum
Cophini tunc duodeni
Sunt collecti mire pleni.

Super mare ambulasti,
Navim quoque sic intrasti,
Et repente est adducta
Navis terræ absque lucta.

Ægros Genesareorum
Omnes, Christe, consanasti,
Morbosque universorum
Quibus vestis tunc donasti
Tuæ fimbriam tangere.
Te non cessemus pangere.

Non erit ad te veniens
Famem mentis compatiens;
In te credens stabiliter,
A Non sitiet labiliter,
Quasi cibi internalis
Expers, atque potus talis.

Omne quod dat Pater tibi,
Ipse quod prædestinavit,
Venit ad te; neque sibi
Tua mens se denegavit.
Non hunc pellis aut deseris;
Suspiranti non deeris.

Nam de cœlo descendisti,
B Non ut tuam voluntatem
Agas, sed ut Patris, scisti,
Docens sic humilitatem.
Voluntate de creata
Secundum se sunt hæc lata.

Fac nos bene violentos,
Ad vincendum nos intentos;
Post hanc vitam bene ventos
Tibi, nec in bonis lentos,
Sicque regnum adipisci,
Ad te digne proficisci.

C Tibi, beata Trinitas, *etc.*

Laus Dei ex Evangelio, de vocatione interna et Eucharistia, aliisque verbis ac signis Christi.

Nemo, Christe, quit venire
Ad te, nisi prævenire
Hunc dignetur attrahendo
Pater intusque agendo.

D Ab hoc Patre qui audivit,
Discens a Sancto Spiritu,
Quem interne erudivit
Pater suo adhibitu,
Venit ad te, Fili Dei.
Pie esto memor mei.

Non quod Patrem quis adspexit,
Nisi tu qui es ab eo.
Neque verbum hoc evexit
Sanctum Spiritum a Deo

Digitized by Google

Patre clare intuendo,
Pleneque comprehendendo.

Panis vivus tu descendens,
Desuperque nos perpendens :
Qui manducat te condigne,
Gratiose vivet, igne
Caritatis inflammatus,
Tota tibi mente gratus.

Caro tua cibus mentis,
Sanguis tuus potus entis
Hujus est, o benedicte :
Nisi carnem sumpserimus
Tuam atque biberimus
Tuum sanguinem non ficte,
Vita mentis gratiosa
Deerit ac virtuosa.

Spiritus est vivificans,
Caro nihil fructificans,
Intellecta carnaliter,
Per seque principaliter.

Vita exstant et spiritus
Quæ dixisti divinitus,
Sumenda spiritaliter,
Dantque vitam causaliter.

Porro omnis plantatio
A te, Pater, non plantata
Evelletur : nam natio
Ens a te non irrigata,
Non salvatur, sed damnatur.
A te nostra mens figatur.

Filiam Syrophœnissæ
Curans, Christe, te venisse
Ais ad oves Israel
Perditas, rex Emmanuel.

Cæcum mutumque curasti ;
Cæcos, mutos tunc sanasti
Quamplurimos ac debiles.
Sana, salva nos flebiles.

Post hæc, ex septem panibus,
Paucis quoque pisciculis,

A Escam fame inanibus
Contulisti discipulis,
Quatuor plebis millibus
Jam ætate virilibus.

Scribas, item Pharisæos,
Discredentesque Judæos,
Signum inde expetentes
Quod Messias esses, mentes
Cæcas possidere faris,
Quia signum salutaris
Tui adventus Daniele
B Non pensabant. Culpas dele.

Corpus sanguinemque sanctum
Tuum, sacramentum tantum,
Fac nos digne suscipere,
Et grates semper dicere.

Tibi, beata Trinitas, *etc.*

Laus Dei ex Evangelio, de Christi transfiguratione, miraculis et doctrina.

C Christe, te transfigurasti,
Ut sol vultus tuus luxit.
Tunc adesse imperasti
Viros quorum tempus fluxit,
Qui sunt Moyses, Elias.
Da cœlestes theorias.

Tunc præsentes obumbravit
Clara nubes, et clamavit
Vox paterna : Hic est natus
Meus, vere præamatus.

D Hunc Eliam præcursurum
Doces ultimum adventum
Tuum, cuncta restituturum :
Qui Judæos ut jumentum
Tibi subdet et convertet.
Contra culpam cor decertet.

Dæmonem, o Jesu dive,
Surdum, mutum effective,
Jecisti a lunatico
Sermone imperatico.
Genus hoc dæmoniorum

Digitized by Google

Non nisi jejuniorum
Orationumque vigore
Pelli doces sancto ore.

Montes, arbores transferre
Ais nos valere terræ,
Si fidem habuerimus
Plenam, nec nutaverimus.
Fers cuncta possibilia
Credenti credibilia.

Cuncta jussa dum implemus,
Vis indignos nos vocemus,
Servos quoque inutiles,
Ut simus semper humiles :
Nil quippe exhibuimus
Quam quod tibi debuimus.

Nisi instar parvulorum
Convertamur, et illorum
Qualitatem assequamur,
Ut testaris, non salvamur :
Innocentes, placabiles
Hinc simus et affabiles.

Præcipis terribiliter
Parvos ne scandalizemus ;
Edocesque utiliter
Ut et membra resecemus
Quæ nos, Christe, scandalizant,
Quoad usum quo damnizant.

Manum, pedem amputemus,
Magis quam scandalizemus,
Aut quid mali practicemus :
Tuis verbis fixi stemus.

Ponenti offendiculum
Væ tu, Judex, comminaris.
Ne dæmonum ridiculum
Simus, opem largiaris.

Et ut sal sapientiæ
Pacemque conscientiæ
Habeamus, es hortatus.
In te semper sim pacatus.

Ne pusillos aspernemur
A Jubes, imo veneremur :
Habent nam custodientes
Vultum Patris intuentes
Angelos : quo animarum
Dignitas est potens harum.

Nec vis, Pater, quem pusillum
Disperire, hunc aut illum ;
Sed de uno pœnitente
Vere atque tota mente,
Angelorum militiam
Vis habere lætitiam.

B
In nobis fidem perfice,
Omnem culpam interfice.
Præcepta mens humiliter
Cuncta servet agiliter.

Tibi, beata Trinitas, *etc.*

Laus Dei ex Evangelio, de variis doctrinis Christi.

Summe Doctor, Rex beate,
C Vis peccantem ordinate
Emendari : et clam primo
Increpando hunc ex imo ;
Post hæc testes adhibendo ;
Inde causam referendo
Ecclesiæ : si spreverit
Hanc, ut ethnicus deerit.

Deprecantes concorditer
Patrem ais exaudiri,
Teque misericorditer
Inter eos inveniri
D Qui in tuo nomine
Congregantur, o Domine.

Vim ligandi et solvendi
Tu Apostolis dedisti.
Da virtutem prævalendi
Tentatis. Ut tu dixisti,
Proximis qui non indulget,
Deus, apud te non fulget.

Non ignoscens proximis,
Non purgatur a noxiis,

Digitized by Google

Neque reconciliatur
Tibi, Pater, nec salvatur.

Totum mundum si lucremur,
Et nos ipsi pigritemur,
Nil, o Christe, proficimus,
Nec ordinate vivimus.

Deo abominabile
Ais, quod venerabile
Exstat coram hominibus,
Idque Deo laudabile,
Quod est vituperabile
Coram horum luminibus.

Ut amicos faciamus
De mammona vis vitii,
Ut per hos introeamus
Regnum primi principii.

At fidelem in minore,
Fidum dicis in majore,
Et in minimis iniquum,
Hunc in maximis obliquum.

Epulonem purpuratum,
In inferno tumulatum,
Lazarumque aspernatum
Ægrum, perhibes delatum
In sinum illum Abrahæ.
Ad te, Deus, nos attrahe.

Correctionis seriem
Fac fraterne nos servare;
Salubremque pauperiem,
Puro corde adamare;
Increpantem mox audire;
Indulgere, non sævire.

Tibi, beata Trinitas, *etc.*

Laus Dei ex Evangelio, de variis Christi documentis et verbis.

Parvulos, inquis, sinite
Ad me venire licite :
Horum regnum est cœlorum.
Hos dignatus es amplecti.

A Benedicti a te, lecti
Sunt, amator purgatorum.

Solum Deum dicis bonum;
Ad cœlestem quoque thronum
Pervenire cupientem,
Cuncta jussa adimplentem
Esse, Christe, oportere.
Vere, plene da parere.

Optanti perfectionem,
Dedisti instructionem,
B Omnia sua vendĕre,
Egenisque impendere,
Et te sequi viriliter.
Nos perfice stabiliter.

Divites, pecuniosos,
Difficulter virtuosos
Gloriososque fieri
Fers, Christe : hinc sunt miseri.

Insuper possibilius
Ais tu Dei Filius,
C Per foramen acus ire
Camelum, quam introire
Divitem in paradisum.
Ibi fac te nobis visum.

Apostolis sequentibus
Te, cunctaque linquentibus,
Spopondisti residere
Tecum, denique censere
Die illa judicii
Tribus Israel vitii.

D Fratrem, agrum aut uxorem,
Patrem, matrem aut sororem
Ob te relinquentem, Christe,
Centuplum nunc accipere,
Patriamque acquirere :
Nam divina sumit iste,
Hic quippe bona gratiæ,
Et illic bona gloriæ.

Multi, ais, sunt vocati,
Paucique prædestinati.
Illic ergo ut beati

Digitized by Google

Simus, simus timorati :
Nam hoc verbo terruisti
Nos, o Rex, et concussisti.

Animas non disperdere,
Sed salvare, descendisti :
Qui per loca dispergere
Judæorum voluisti
Septuaginta et duos
Discipulos, sane tuos.

Tanquam agnos inter lupos
Hos misisti te imbutos,
Jubens evangelizare
Eis, ægrosque sanare.

Tuis ais vicariis,
Vineæ operariis :
Qui vos audit, is me audit ;
Qui vos spernit, hic me spernit,
Patrem meum aspernatur,
Direque prævaricatur.

Vidisti Satan ruere
Ut fulgur, pompam luere.

Tuis demum discipulis,
Manus tuæ manipulis,
Es largitus vim calcandi,
Prosternendi, superandi
Scorpiones et serpentes,
Dæmones ac invidentes.

Verum ne in hoc gauderent
Quod his cunctis prævalerent
Præcepisti, o Rex regum :
Gratiæ nam gratis datæ
Bonis malisque collatæ
Sunt hæc, institutor legum.

Porro de hoc lætarentur,
Deo regratiarentur,
Quia sunt in libro vitæ
Scripti nominatim rite.

Da perfecte ambulare,
Prælatis obtemperare
A Cum omni promptitudine,
Digna sollicitudine.

Tibi, beata Trinitas, *etc.*

Laus Dei ex Evangelio, de sublimi Christi doctrina atque miraculis.

Spiritu exhilaratus,
Christe, Patrem es affatus :
Tibi, Pater, confiteor,
Cœli, terræ dominator,
B Te laudo, id profiteor :
Quia ista abscondisti
Nec referre voluisti
Sæculi sapientibus,
Et coram se prudentibus,
Sed parvulis, humilibus,
Horum susceptibilibus.

Cuncta Pater tibi dedit ;
Præter te hunc nullus sedit
Videns, sciens, comprehendens :
Quem et quivis est intendens
C Quantum ei tu revelas,
Qui superbis tua celas.

Omnis tibi ut es homo,
Est subjecta creatura ;
Utque Deus es, id promo,
Patris data est natura.

Virtuose laborantes,
Et adversa tolerantes,
Jubes ad te convenire,
Promptus eis impertire
D Tuam, Christe, dulcedinem,
Opem, mentis pinguedinem.

Jugum tuum vis tollamus,
Imitandoque discamus
Quod sis humilis ac mitis,
Præfecunda, vera vitis.

Jugum tuum est suave,
Onus leveque amanti.
Illud defer, o ignave.
Corde portem æstuanti.

Digitized by Google

Unum est necessarium,
Amandum omnifarium,
Quod es tu, o summe Deus,
Rerum vertex, finis meus.
Te videre qui satagit,
Partem optimam elegit.

Sabbati, Christe, dominus,
Temporis nihilo minus
Dominus auctoritate
Vera, plenus deitate.

Te jubente arefactam
Manum suam vir extendens,
Mox eamdem sanefactam
Traxit, grates hinc rependens.

Universique obsessi
Te videntes, prociderunt.
Qui calamitate fessi,
A te curam susceperunt :
Nam quassatam arundinem
Annullare non volebas,
Neque velut arundinem
Linum fumans exstinguebas.

Cæcum, mutum et obsessum
Curans, Christe, tam oppressum,
Tria simul in hoc signa
Perpetrasti fide digna.

Principi dæmoniorum
Excæcati Judæorum
Divina tua opera
Adscripserunt. Nos robora.
Porro in Dei digito
Ejecisti dæmonia.
Cordi meo infigito
Cuncta ista præconia.

Fortem armatum ligasti.
Dæmonem nam superasti,
Vasa ejus diripiens,
Peccatores suscipiens.

Non ens tecum adversatur
Tibi, et dispergens fatur
Qui non colligens est tecum.
Gratiose esto mecum.

A

Culpam in Sanctum Spiritum
Ais irremissibilem,
Per sermonem explicitum
Justum esse dicibilem
Unumquemque aut damnandum.
Fac nos cautos ad profandum.

Jugum tuum comportemus
Amorose, salubriter.
Mites, humiles exstemus
Te assequendo jugiter.
A te nunc reficiamur,
B Pacem plenam sortiamur.

Tibi, beata Trinitas, *etc.*

Laus Dei ex Evangelio, de variis Christi doctrinis, et de die judicii.

Felix venter est Mariæ,
Quæ te, Christe, bajulavit,
Uberaque ejus piæ,
Quæ amanter te lactavit.
Dei verbum audientes,
C Adimplentes, retinentes,
Tu beatos contestaris.
Tu nos, Christe, tuearis.

Jussa Patris adimplentes,
Matrem, fratrem et sororem
Vocas : nam concipientes
Sunt te cordis per splendorem.

Cognoscendo concipiunt,
Ad regnum sic proficiunt;
Operando parturiunt,
D Diligendo enutriunt.

A curis, voluptatibus,
Ærumnis, vanitatibus
Mundi ais suffocari
Verbum Dei in hoc mari,
In nostris plane mentibus.
Ab his nos purga sentibus.

Ut metimur, sortiemur
A te, Christe. Ne damnemur,
Da ut juste mensuremus,
Omne pravum devitemus.

Digitized by Google

Mittes et in mundi fine
Angelos, qui tunc divine
Scandala mox abjectabunt,
Bonos malosque locabunt
Singulos loco debito,
Decreto a te edito.

Malos mittent in infernum,
Fletus, stridor quo æternum.
Ut sol justi tunc fulgebunt
Regno Patris, quo manebunt.

Advenisti caritatis
Ignem nobis dare gratis.
Incarnatum te fatemur,
Ut hoc igne inflammemur.

Vere ni pœniteamus
Censes omnes pereamus.
A te scimus reformatam
Mulierem inclinatam
Ab annis decem et octo.
Me secerne ab indocto.

Sanasti et hydropicum,
Promens verbum eulogicum,
Ut in mensa eligamus
Locum imum, ut scandamus;
Nec ad mensam invitemus
Caros, divites, cognatos,
Ne ab his quid receptemus,
Sed egenos, pauperatos,
Ut a Deo præmiemur,
Ejus vultu satiemur.

Felix qui in regno Dei
Panem edet Dei mei.
Est hic panis fruitio.
Hæc nostra sit nutritio.

Tuus esse discipulus
Nequit homo vermiculus,
Nisi quæ sunt mundi cunctis
Sit renuntians conjunctis.

Mundus, Christe, te odivit,
Quia pravitatem scivit
Suam a te increpari,
Quem contempsit imitari.

A Da ut verba audiamus
Tua, Deus, cum fervore,
Eaque custodiamus
Mente, actu, digno more :
Mater, frater, soror simus
Tui, fit si obedimus.

Tibi, beata Trinitas, *etc.*

Laus Dei ex Evangelio, de aliquibus verbis Christi sublimibus.

B Tuam, Christe, affirmasti
Doctrinam non esse tuam :
Patris hanc insinuasti,
Non tuam ut homo, suam
Tanquam causæ principalis,
Tuam ut instrumentalis.

Implens Patris voluntatem
Scit dogma tuum divinum :
Nam cognoscet veritatem
Ejus, manens intra sinum
Sanctitatis ac virtutum,
C Per saporem distributum.

Loquens, docens a se ipso,
Non ut habens a te ipso,
Gloriam quærit propriam;
Sed tu, Christe, justus, verus
Eras prorsus et sincerus,
Patris perquirens gloriam.

Non juxta apparentiam
Jubes dari sententiam,
Nec ferri juxta faciem
D Judiciorum aciem;
Sed ut juste judicemus,
Et nos ipsos adspectemus.

De in te credentis ventre
Rivi fluunt aquæ vivæ :
Manant nam de ejus mente
Dona Spiritus, o dive,
Actus quoque virtuosi
Aliisque fructuosi.

Tanta erat sapientia
Tua et eloquentia,

Digitized by Google

Ut coacti sint testari
Missi tibi adversari :
Nunquam homo est locutus
Sicut iste vir acutus.

Lux es mundi : te sequentes,
Non erramus gradientes.
Tu de cœlo, non de mundo,
De te loquens ex profundo
Corde Judæis æmulis,
Tibi dire incredulis :

Quando exaltaveritis
Filium ecce hominis,
Tunc cognoscentes eritis
Virtutem mei nominis :
Dicens hoc de passione,
Post quam te noverunt, bone.

A me, inquis, nil facio,
Sed in mundo hæc aio
Sicut Pater me docuit.
Per te nobis innotuit,
A quo quidquid es et habes,
Accepisti : non hic labes.

Te solum non deseruit
Pater, sicut disseruit :
Quia ei placentia
Egisti, Sapientia.
Porro inseparabilis
Est a te, præamabilis,
Tecum idem in natura.
Non es pura creatura.

Si in tuo manserimus
Sermone, vere erimus
Tui, Christe, discipuli,
Noscemusque clericuli
Veritatem, o Salvator,
Quæ salvabit nos, Creator.

Da non quærere propriam,
Sed tuam, Deus, gloriam,
Et in omni vita lucem
Te sectari, certum ducem.

Tibi, beata Trinitas, *etc.*

A *Laus Dei ex Evangelio, de alta Christi doctrina.*

Servum culpæ fers peccantem,
Vitio nam subjugatur ;
Domi nec perseverantem
Semper hunc qui famulatur
Serviliter, sed jugiter
Filium ac salubriter.

Homicidam fers fuisse
Dæmonem ab initio,
B Veritati nec hæsisse,
Sed pompæ atque vitio.

Loquens quippe ex proprio,
Ex corde deceptorio,
Mox mentitur : nam mendosus
Falsi pater est dolosus.

Qui est ex te, summe Deus,
Per prædestinationem,
Verba tua audit, Rex meus,
Implens hæc per actionem.
C

Qui sermonem tuum, Christe,
Servat, non videbit iste
Mortem culpæ et gehennæ,
Sumet gaudium perenne.

Abraham hinc exsultavit
Diem tuum ut videret :
Vidit, mente hilaravit,
Quum hunc Spiritus doceret.

Ante Abraham fuisti,
D Sempiternus deitate.
Cæco nato contulisti
Visum ex benignitate.
Te colentem et parentem
Audis, recte te petentem.

Tu ostium es ovium,
Per te intrans liberatur ;
Tu pastor bonus omnium,
Qui pro suis commendatur
Ovibus se posuisse,
Mortem pro his pertulisse.

Digitized by Google

Noscis, Christe, tuas oves,
Ab eisque cognosceris.
Ad virtutes tu nos moves,
Si a nobis id posceris.

Nemo a te auferebat
Animam tuam propriam,
Sed tu eam, ut decebat,
Posuisti ad gloriam
Dei Patris pro salute
Nostra, Christe, cum virtute.

Hanc ponendi et sumendi
Habuisti potestatem :
Hanc a Verbo dividendi
Non est habens facultatem.

A peccati servitute
Salva tu nos, et acute
Da audire inhianter
Dei verbum incessanter.

Tibi, beata Trinitas, *etc.*

Laus Dei ex Evangelio, de Christi divinitate.

Oves tuæ te sequuntur,
Et æternam sortiuntur
A te vitam : quas rapere
Nullus valet aut capere
De tuis, Christe, manibus;
Prævales nam hominibus.

Pater tibi quod donavit
Majus exstat universis :
Gignens nam communicavit
Tibi, constat id conversis,
Totam suam essentiam,
Plenam omnipotentiam.

Pater et tu unum estis,
Hujus ipse et tu testis;
Sicutque de manu Patris,
Sic de manu tua, fratris
Nostri, nullus potest diripere
Oves electas libere.

A

B

C

D

Hos Propheta ait deos,
Ad quos sermo Dei factus.
Altius tu super eos,
Qui in mundum hunc redactus
Es, a Patre missus vere,
Deus dictus es sincere,
Pater quem sanctificavit,
Et præ cunctis sublimavit.

Tu vita, resurrectio,
In te summa perfectio.
Credens et si moriatur,
Vivet : quia non privatur
Gratiæ atque gloriæ
Vita, dator victoriæ.

Omnis vivens in te credens
Persistenter, nec recedens,
Non in ævum morietur,
Quum in te felicitetur :
Tu es enim Christus Dei,
Salus nostra, virtus mei.

Mariam, Martham, Lazarum
Amasti, vincens tartarum;
Videnque Mariam flentem,
Te ardenter diligentem,
Te turbasti ac flevisti,
Spiritu infremuisti.

Istas quippe passiones,
Magisque propassiones,
Sponte potens assumpsisti ;
Hominem te ostendisti,
Prævia ex ratione
Agens te hac motione.

In te si crediderimus
Constanter, salvi erimus :
Cernemus Dei gloriam,
Post mortem carnis propriam.

Oculis tu elevatis
Patri gratias egisti,
Quod te exaudivit satis :
A quo semper te dixisti
Exaudiri. Ut es homo
Ista de te dici promo.

Digitized by Google

Lazarum resuscitasti
Mortuum quatriduanum :
De sepulcro imperasti
Hunc exire factum sanum ;
Manus pedesque institis
Ligatus venit insitis.

Tu pro gente moriturus
Eras, et congregaturus
Dei filios dispersos,
Hic in unum ad te versos
Adunando gratiose,
Consummando gloriose.

Te pastorem altissimum
Sequi cum innocentia
Da, corque subjectissimum
Omni obedientia.

Tibi, beata Trinitas, *etc.*

Laus Dei ex Evangelio, de diversis magnificentiis Christi.

Tuam, Christe, passionem
Atque resurrectionem
Tuis sæpe prædixisti ;
Et nos omnes docuisti :

Inter vos qui eminere
Cupit, vester sit minister ;
Primus optans apparere,
Servus erit, fert Magister.

Nam tu, Christe, non venisti
Ministrari, sed servire :
Tuam animam dedisti
Ob nos, volens subvenire.

Cæcum decemque leprosos
Duos cæcosque curasti :
Ægros nos infructuosos
Cura mente, ut firmasti.

Habenti, inquis, dabitur,
Et in donis abundabit ;
Non habenti id capitur
Quod habere se putabit.

A

Tuis donis utens recte,
Ampliora nunc sortitur ;
Data perdit is directe,
Qui ingratus comperitur.

In profesto tu Palmarum
Quum venisses Bethaniam,
Cœnam quædam personarum
Non sequentes insaniam
Judæorum, exhibebant
Tibi, tecumque edebant.
Discumbentium tunc unus
B Fuit Lazarus post funus.

Urbem sanctam ingressurus
Die sancto tunc Palmarum,
Paupertatem nos docturus,
Super pullum asinarum
Resedisti humillime.
Te sequamur agillime.

Tunc cum ramis occurrentes,
Frondes vestesque sternentes,
Deum orsi sunt laudare,
C Et virtutes enarrare
Tuas, Christe, quas viderunt ;
Voce consona dixerunt :

Hosanna filio David ;
Israel rex benedictus,
Qui in Dei adventavit
Nomine, qui dux invictus ;
Gloria in altissimis,
Hosanna in celsissimis.

Hunc honorem voluisti
D Plebem tibi impendere,
Ut per Vates prædixisti,
Et te Christum ostendere.

Porro videns civitatem,
Ejus mox calamitatem
Deplorasti, quam ingressus
Benefactor indefessus,
Cæcos claudosque sanasti,
Et mercantes propulsasti
De templo vi mirabili,
Zelo nobis sectabili.

Digitized by Google

Erat turba universa
In doctrina tua mirans,
Tota mente plebs immersa
Ei fuit, ad hanc spirans.

Necnon te maledicente,
Ficulnea mox aruit :
Nam te quid præcipiente,
Omnis natura paruit.

Lepram, cæcitatem mentis,
Christe, semper prorsus munda :
Tibi cordibus intentis
Obviare nos fecunda.

Tibi, beata Trinitas, *etc.*

Laus Dei ex Evangelio, de variis Christi doctrinis.

Granum eras tu necandum
Pravitate Judæorum,
Denique multiplicandum
Fide prædestinatorum.

Suam animam qui amat,
Perdet eam, tuum os clamat;
Qui hanc in hoc mundo odit,
In æternum hanc custodit.

Amans quippe carnaliter
Hanc, perdit æternaliter ;
Et qui odit castigando,
Salvat juste conversando.

Mihi, inquis, deserviens,
Me sequatur : id sentiens
Quia mecum semper erit,
Et cœlestis Pater quærit
Eum honorificare,
In æternumque beare.

Pater te clarificavit,
Christe, ante passionem,
Quum per angelum formavit
Verba per tonationem,
Ut tonitru sonantia
Coram plebis adstantia.

Te in mundo conversante,
Censura discretionis
Fuit, mundo te profante :
Principem transgressionis
Foras dæmonem ejecisti,
Quando tantos convertisti.

In te credens, Jesu Christe,
Et in Patrem credit iste :
Tu in mundum lux venisti,
Et nos per te docuisti,
Omnes ut in te credentes,
Non in culpis sint pergentes.

Verba tua contemnentem,
Neque hæc custodientem,
Sermo tuus judicabit,
Die ultimo damnabit :
Non a temet loquebaris,
Sed ut Patre jubebaris.

Ad orandum confidenter
Mones, dicens infallenter :
Quæcumque petieritis,
Accipientes eritis.

Regnum Dei abstulisti
A Judæis, et dedisti
Illud præelectæ genti,
Fructus ejus facienti.

Sine veste nuptiali
Introgressum, infernali
Damnasti, Christe, carcere.
Dignare nobis parcere.

Sæculi non violasti
Potestatem. Nam mandasti :
Cæsari sua solvite,
Nec Deo sua tollite.

Animas virtualiter
Da odire ac perdere
Pro te, et æternaliter
Has salvare, te cernere.

Tibi, beata Trinitas, *etc.*

Digitized by Google

Laus Dei ex Evangelio, de variis Christi documentis.

Tu post resurrectionem
Nullam generationem
Doces, Christe : nam electi
Tunc ut angeli erecti
Prorsus erunt ad divina.
Nos præserva a ruina.

Dicens te Patriarcharum
Deum, juxta Scripturarum
Veritatem, defunctorum
Constat corpora istorum
Denuo resuscitanda,
Corda viva reputanda.

Summam jussionem legis
Ais, Christe, Fili Regis,
Totis corde et anima,
Mente, virtute maxima
Deum verum diligere,
Et proximum ut se libere.

His duobus in præceptis
Pendet lex ac prophetia.
Nos conjunge te adeptis
In cœlesti symphonia.

Verum Deum te probasti
Verbis David quæ narrasti.

Ne magistri appellemur,
Aut in terra patrem femur,
Doces, o Sapientia :
Cujus verba arcentia
Omnem exstant vanitatem,
Omnemque carnalitatem.

Ut ad mortem præparati
Semper simus, informati
Sumus a te qui ignota
Hora es venturus, nota.

Dedisti sapientiam
Tuis tantam discipulis,
Quod nullam resistentiam
Perferebant ab æmulis.

Usque finem sustinentem
Ais, Christe, tu salvandum ;
Nec capillum corruentem
Ejus quem fers liberandum.

In vestra patientia,
Ais clara sententia,
Animas possidebitis
Vestras, mecum manebitis.

Secundum tuum adventum,
Ut testatus es, lamentum,
Summæ tribulationes
Anteibunt, torsiones
Antichristi afflicturi
Christianos et victuri.

Is adventus repentinus
Tuus erit tam festinus,
Ut est fulgur egrediens,
Tam repente præteriens.

Da præcepta caritatis
Observare non lassatis
Corde ac vi et affectu ;
Fulgeamus intellectu.

Tibi, beata Trinitas, *etc.*

Laus Dei ex Evangelio, de futuro judicio.

Anteibunt hunc adventum
Signa multa perhorrenda,
Circa ipsum firmamentum,
Solem lunamque stupenda,
Et pressura populorum,
Ex confusa marinorum
Fluctuum sonitione,
Gurgitumque motione.

Sol et luna fuscabuntur,
Stellæ labi videbuntur ;
Metu homines arescent
Malorum imminentium,
Et virtutes expavescent
Cœlorum, Judex gentium.

Digitized by Google

Tunc in cœlo apparebit
Signum crucis, o Salvator.
Venientem te videbit
Omnis homo, o scrutator,
Cum gloria in nubibus
Supernisque virtutibus.

Ad tribunal adducentur
Tuum et discutientur
Cuncti homines, et dabis
Singulis quod meruerunt.
Tunc districte judicabis
Hos qui te non curaverunt.

Tunc videntes, Christe, erunt
Te hi qui te pupugerunt,
Et ingrati qui fuerunt,
Nec secundum te vixerunt.

Communis resurrectio
Fit repente, te jubente,
Cinerumque collectio
Subito, te disponente,
Fiet per sanctos angelos,
Per omnes terræ angulos.

Hanc censuram formidare
Et ad eam nos parare
Da, o Judex metuende;
Jugem opem tu impende.

Tibi, beata Trinitas, *etc.*

Laus Dei ex Evangelio, de variis Christi doctrinis atque mysteriis.

Tanquam justi confidentes
In se atque contemnentes
Alios, condemnas, Christe.
Humiles nam pœnitentes,
Non justos superbientes,
Præfers. Juvans non desiste.

Voluntatem sciens tuam,
Nec eidem subdens suam,
Scita digne adimplendo,
Plus hunc tuum os damnabit,
Plagis multis vapulabit,
In infernum retrudendo.
Qui non novit, et offendit,
Mitius condemnabitur.
Cui namque plus impendit
Deus, hunc plus causabitur.

Jubes, Christe, ne gravemur
Crapula, ebrietate,
Curis mundi, sed precemur
Semper, vigilantes rate,
Stare ante te ut digni
Consistamus, et benigni.

Dices ad dextram stantibus,
Te ex corde amantibus :
Advenite, benedicti
Patris mei, non relicti;
Regnum vobis præparatum
Acceptate consummatum.

Ad lævam consistentibus
Nunc inobedientibus
Dices : Ite, maledicti,
In æternum ignem, ficti,
Præparatum diabolo,
Omnique ejus zabolo.

Post hæc verba prædixisti
Tuis, Christe, te passurum;
Diem quoque præfixisti,
Hoc te ferens moriturum.

Scitis, inquit, quia fiet
Pascha legis post biduum,
Et plebs me mox crucifiget,
Qui resurgam post triduum.

Sacerdotes congregati
Sunt, Scribæ et Pharisæi,
Inter se consiliati,
Qualiter te Verbum Dei
Traderent et suspenderent
Sic ne turbam offenderent.

Tunc te Judas his vendebat,
Bonis mala rependebat.
Quo audito congaudebant,
Nummos dare promittebant.

Digitized by Google

At in die sanctæ Cœnæ,
Quæ futura sciens plene,
Petro et Joanne missis,
His dedisti in commissis
Pascha tibi præparare,
Quod volebas manducare
Amanter cum discipulis,
Locum præbens decipulis.

Desideravi (inquiens)
Vobiscum pascha edere
Hoc, antequam sim patiens.
Tunc curasti disserere
Tuis, a quo tradereris,
Et a quibus necareris.

Christe, da ut operemur
Quæ cognoscimus agenda,
Ut a te glorificemur
Die illa perhorrenda.

Tibi, beata Trinitas, *etc.*

Laus Dei ex Evangelio, de Cœna Domini.

Ante diem festum Paschæ,
Sciens, Christe, adventasse
Horam qua ad Patrem ires,
Et ut homo hinc abires,
Quum amasses hos qui erant
Tui in mundo, ut te quærant,
Hos in finem dilexisti,
Et pro eis te dedisti.

Pedes tunc discipulorum
Abluisti, extersisti :
Ante pedes piscatorum,
Rex cunctorum, te flexisti,
Ut nos ita faciamus,
Invicemque serviamus.

Pedes quoque traditoris
Tunc lavisti, fons splendoris,
Doctor tu humilitatis,
Deus et Rex majestatis.

Illis tecum cœnantibus,
Corpus tuum consecrasti

A

Sanguinemque, tristantibus
Hæc sumenda condonasti,
Summam nobis caritatem
Per hanc monstrans largitatem.

Caritatem tunc jussisti,
Quum eisdem præcepisti :
Novum vobis do mandatum,
Speciale, summum, ratum,
Invicem ut diligatis.
Hoc, o omnes, impleatis :
Nam non eritis aliter

B

Servi Christi veraciter.

Quidnam quæris, o magister
Pacis atque unitatis,
Tuus quam omnis ut minister
Jus conservet caritatis?

Te, egresso proditore,
Dixisti clarificatum,
Hunc a grege sanctiore
Tuo cernens elongatum.

C

Tuam digne da sectari
Stupendam humilitatem,
Et sincere conversari,
Conservando caritatem.

Tibi, beata Trinitas, *etc.*

Laus Dei ex Evangelio, de sermone Christi post Cœnam.

Veneranda facta Cœna,
Voce, Christe, præserena
Discipulis es locutus,

D

Ad hos et es prosecutus :

Non cor vestrum conturbetur,
Nec timore dejectetur ;
Creditis in Deum verum,
Credite in me sincerum.
Id dicendo te ostendis
Deum verum, nec offendis.

Multæ exstant mansiones
In cœlesti tua domo,

Digitized by Google

Præmii distinctiones
Quod nunc promeretur homo.

Ascendisti et parasti
Locum nobis in patria.
Rediturum te narrasti,
Ut loces nos in gloria.

Tu via, vita, veritas :
Per nullas quisquam semitas
Nisi per te it ad Patrem,
Qui te nostrum fecit fratrem.

Hinc ut homo, mediator
Es et via, o Salvator.
Porro vita et veritas
Es, ut Deus ac Deitas :

Via per quam nunc tendimus,
Veritas in qua gradimur,
Vita ad quam ascendimus,
Finis in quo non labimur ;
Via per quam, veritas in qua,
Vita ad quam, finis in quo.

Qui te noscit, Patrem noscit,
Idque veritas deposcit,
Quum sis ei simillimus,
Tu summus et humillimus,
Nec distinctus in natura,
Et ad hunc correlatura.

Qui te videt, Patrem videt :
Hic per fidem, ibi clare.
Te intendat et formidet
Omne cor, o Salutare.

En qui in te crediderunt,
Signa tua peregerunt,
Et nonnulli ampliora,
Ut spondebas Cœnæ hora.

Si Patrem petierimus
Recte in tuo nomine,
A te, ut spondes, erimus
Id sortientes, Domine.
Jubes ut te diligentes,
Præcepta sint tua implentes.

A Deum Patrem te rogante,
Tuis dedit Paracletum,
Quem non potest, te testante,
Mundus capere, Spiritum
Veritatis, pacis, lucis
Omnis, fontemque virtutis.

Non orphanos discipulos
Reliquisti clientulos,
Sed post resurrectionem
Te viderunt, et sermonem
Ex te læti audierunt.
B Ex tunc certe cognoverunt,
Quod sit Pater in te vere,
Et in eo tu sincere.

Te amantem Pater amat,
Cujus sermo id exclamat ;
Tuque, Christe, hunc amabis,
Et te ei revelabis.

Tuam nempe deitatem
Cernet visu internali,
Tuamque humanitatem,
C Oculari ac mentali.

Trinitas ad te amantem,
Christe, jussaque servantem
Veniet beatissima,
Manens ibi dulcissima.

Da cor firmum, inturbatum,
Sancto Spiritu dotatum,
Qui nobiscum in æternum
Manens, ducat ad supernum.

Tibi, beata Trinitas, *etc.*

D

Laus Dei ex Evangelio, de eodem.

Patre missus Paraclitus
Apostolos edocuit,
Suggerens eis halitus
Quodcumque his innotuit,
Ad tuos, Christe Domine,
Missus in tuo nomine.

Gloriamur ascendisse
Te ad Patrem, te majorem

Digitized by Google

Quoad formam quam sumpsisse
Fatemur te humiliorem.

Fuit quippe is ascensus
Tuæ glorificativus
Humanitatis, impensus
Ut esset præmiativus
Quantum ad accidentale
Præmium, non principale.

Passione imminente,
Princeps mundi ad te venit ;
Sed te culpam non habente,
Suum in te nil invenit.

Patrem vere dilexisti,
Et ut jussit peregisti.

Tu es, Christe, vitis vera,
Tuus Pater agricola,
Colens mentem, et sincera
Agens corda cœlicola.

Omnem hominem carentem
Fructu bono condemnabit;
Fructum vero facientem
Purgans, magis fecundabit.

Sicut palmes non fert fructum,
Nisi in vite manserit ;
Sic nec nos, si non reductum
In te cor se expanderit.

Nam nulla meritoria
Actio sine gratia,
Nec condignum est gloria,
Quod fit virtute propria.

In te stantes impetramus
Quidquid rite exoramus ;
Et in hoc clarificatur
Pater atque honoratur,
Ut discipuli fiamus
Tui, fructumque feramus.

Sicut Pater te dilexit,
Tu nos quoque dilexisti :
Nam ad pœnas te direxit,
Sic tu tuos direxisti.

A

Hinc in tua caritate
Par manere est nos rate.

Tua jussa observando,
Tuo in amore manemus,
Sicut te obtemperando
Patri, mansisse tenemus
In ipsius caritate.
In hac fige nos, beate.

Hæc fers ut exsultatio
Tua sit in nobis semper,
B Et nostra gloriatio
Plena sit indesinenter.

Fac nos in te permanere,
Amorose te tenere,
Semperque fructificare
Pure, et in te sperare.

Tibi, beata Trinitas, *etc.*

Laus Dei ex Evangelio, de eodem.

C Te majorem caritatem
Nullum constat habuisse,
Temet quem per pietatem
Ob nos scimus posuisse.

Appellasti discipulos
Non servos clienticulos,
Sed amicos : nam dixisti
His secreta quæ audisti
A cœlesti Genitore.
Tuo orna nos fulgore.

D Non te, Christe, elegimus,
Sed nos prior elegisti ;
Nec digna isto fecimus,
Sed clementer sic egisti.

Vis ut si nos odit mundus,
Recordetur mentis fundus,
Quod priorem te odivit,
Suosque amare scivit.

Quia non de mundo estis,
Ais tuis, Christe testis,

Digitized by Google

Sed de mundo vos elegi,
Hinc vos odit, nolens regi.

Ut te mundus persecutus
Est, tuosque persequitur.
Ut contempsit quæ locutus
Es, spernit et insequitur
Verba tuæ plebis, Christe.
Tu in nobis semper siste.

Si tu ipse non venisses
Et locutus exstitisses,
Tantam culpam non haberent
Judæi, qui culpæ hærent;
Nunc autem excusatio
Non est eis, nec ratio.

Si in eis non fecisses
Opera quæ nemo fecit,
Non peccato adstrinxisses
Plebem hanc quæ te projecit,
Sed te Patremque odivit
Gratis, neque te audivit.

Die Pentecostes sancto,
Spiritus Sanctus cum tanto
Rore gratiarum splendens,
Tuis large se impendens,
Præbuit testimonium
Tibi, clarum præconium.

Tunc nam verbis docuerunt,
Per Scripturas probaverunt,
Magnis signis firmaverunt,
Multis linguis ostenderunt
Christum vitæ te auctorem,
Regem, mundi salvatorem.

Nisi, inquis, abiero,
Paracletus non veniet;
Si ad Patrem transiero,
Mittam illum, adveniet.

Non est dignus suscipere
Dulcem hunc consolatorem,
Nisi curans abjicere
Sensualem mox amorem.

A Ut ais, Sanctus Spiritus
A se ipso non loquetur;
Sed quod audit divinitus,
Id ab eo proferetur.

Non est enim a se ipso,
Sed a Patre et te ipso,
Et procedendo suscipit
Quod est, habet, et inspicit.

Tua cuncta sunt et Patris,
Fili virginalis Matris:
B Hinc de tuo Paraclitus
Suscipit, non humanitus.

Mundo vane gloriante,
Tui plorant et tristantur:
Ideo pœnas tolerante
Infernales, consolantur
Isti, quorum brevis luctus
Æternales habet fructus:
Pro brevi hac tristitia,
Cœli gaudent lætitia.

C Da sic tibi adhærere,
Nos dignare sic docere,
Tui ut amici simus:
Nisi adsis, nos perimus.

Tibi, beata Trinitas, *etc.*

Laus Dei ex Evangelio, de eodem.

Tuis, Christe, loquebaris,
Et per eos nobis faris:
Nunc mœrorem vos habetis,
D Mihi qui jam adhæretis;
Rursus autem vos videbo,
Qui jucundus apparebo.
Tunc ex corde gaudebitis:
Nam me semper habebitis,
Et nemo vestrum gaudium
A vobis tollet hostium.

Erit quum annuntiabis
Nobis de tuo Patre clare,
Quum in regno demonstrabis
Vultum ejus nobis care.

Digitized by Google

Pater amat te amantes,
Te ab eo affirmantes
Exivisse, ac venisse
Nosque pie redemisse,
Qui in mundum hunc te misit,
Per te pie nos invisit.

Mundum, Christe, reliquisti
Corporali præsentia,
Et ad Patrem perrexisti
In assumpta essentia.

Ais hæc, ut habeamus
In te pacem, quamvis foris
Aspera sustineamus,
Ut electis exstat moris,
Qui pressuram patiuntur
In hoc mundo, nec vincuntur,
Confidentes, ut dixisti,
Quia mundum tu vicisti.

Oculis tu elevatis,
Patrem orans bonitatis :
Pater, inquis, clarifica
Me, Filium glorifica,
Ut te ego clarificem
Et digne honorificem.

Pater te clarificavit,
Multis modis honoravit,
Corpus tuum glorificando,
Spiritumque destinando,
Ad te mundum convertendo,
Signa magna faciendo.

Omnis carnis potestatem
Dedit Pater tibi, Christe,
Cunctis ut felicitatem
Dares, quos donavit iste
Pater tibi. O Salvator,
Esto nobis liberator.

At æterna hæc est vita,
Te docente vere ita,
Ut noscamus Patrem Deum,
Et quem misit Christum eum,
Palam quod et Paraclitum :
Quo cor meum sit alitum.

A Da nunc tuis cum electis
Sic affligi et tristari,
Ut cum Sanctis prædilectis
Simus digni consolari
In cœlesti paradiso,
Perfruentes te inviso.

Tibi, beata Trinitas, *etc.*

Laus Dei ex Evangelio, de eodem.

Ego te clarificavi
B Super terram, Patri faris;
Opus quoque consummavi
Mihi quod largiebaris :
Et nunc, Pater, clarifica
Apud te me claritate
Quam habebam deifica
Ante mundum deitate.

Christe, tu manifestasti
Nomen Patris hominibus
Quos de mundo congregasti
Gratiarum luminibus,
C Quos Pater tibi tribuit,
Et de mundo eripuit.

Hi prædestinatione
Erant Patris, qui donavit
Tibi hos vocatione,
Qui sunt plebs quæ conservavit
Fide, actu, verba tua,
Hæc in mente scribens sua.

Isti noscunt tua cuncta
Quod a Patre sint et uncta :
D Verba nam a Patre data
Tibi, a te his sunt lata,
Qui et ea acceperunt,
Et agendo impleverunt.

Pro his Patrem exorasti,
Non pro mundo reproborum,
Qui petita impetrasti
Absolute volitorum.

Omnia tua Patris sunt,
Et cuncta Patris tua sunt :

Digitized by Google

Quorum una est natura,
Indivisa, simplex, pura.

Pro electis supplicasti :
Serva, Pater, quos donasti
Mihi, in tuo nomine,
Ut sint unum diligendo,
Ut nos unum in essendo,
O sempiterne Domine.

Dum cum eis, inquis, essem,
Quum nec carne his deessem,
In te, Pater, hos servavi,
Incessanter defensavi.

Sed nunc ad te proficiscor,
Mundo fari hæc nanciscor,
Ut gaudium hi habeant
Meum in se ipsis plenum,
Nec quidquam ultra paveant,
Possidentes me serenum.

Mundus quoque hos odivit,
Pater sibi quos præscivit :
Nam de mundo non consistunt,
Ut nec tu, quem summe gliscunt.

Non, o Pater, rogo, inquis,
Qui in lingua non delinquis,
Tollas eos ut de mundo,
Sed ut serves ab immundo.

Eos, Pater, sanctifices
Vere, atque salvifices.
Sermo tuus est veritas,
Verbum tuum sinceritas.

Cunctis pro electis poscens,
Qui electos es cognoscens,
Omnes, ais, exstent unum,
Ut tu in Patre, et is in te,
Ut sint ipsi quoque unum,
In Patre tuo et in te.

Pater (inquis) sancte, volo
Ut quo ego hi sint mecum,
Contemplentur ut in polo
Claritatem meam tecum,

A

Quam dedisti ante mundum
Mihi, summe ens jucundum.

Eis te notificavi,
Ut sit tua dilectio
In eisdem, quos amavi,
Mentis horum directio.

Fac nos unum in te, Deus,
Dux, rex, virtus, plastes meus;
A te nunquam separemur,
Teque semper veneremur.

B

Tibi, beata Trinitas, *etc.*

Laus Dei ex Evangelio, de passione Christi.

His completis, es egressus
Trans torrentem Cedron, Christe,
Cum Apostolis ingressus
Villam Gethsemani; triste
Cor habebas intrans hortum,
Qui salutis præstas portum.

C

Patrem ter tunc exorasti,
Qui sic sponte formidasti,
Ut si esset possibile,
Genus illud terribile
Mortis a te amoveret,
Nec te hostis sic deleret.

Metu mortis naturali
Guttas sanguinis sudasti.
Agonia in pœnali
Tunc prolixius orasti.

D

Angelus tunc apparuit,
Te confortans, ut claruit.

Tua anima tristabatur,
Usque mortem lassabatur.
Obviam hinc processisti
Hostibus, nec timuisti.

Quum te Jesum affirmares,
Et quæsitum te monstrares,
Mox retrorsum abierunt,
Et in terram corruerunt,

Digitized by Google

Nec quibant se erigere
Donec sivisti libere.

Ut tu ipse asserebas,
Obtinere tunc valebas
Duodenas legiones,
Imo plures conciones
Angelorum, amputatam
Aurem hosti dans sanatam.

Manus tibi injecerunt,
Catenarunt, ligaverunt.
Tunc timentes aufugerunt
Tui, solum te liquerunt.

Quum responsum pontifici
Dares, tibi opifici
Mundi dedit quis alapam.
Tunc ductus es ad Caipham.

An sis Christus adjuratus,
Respondisti vera ratus,
Quod te Christum conspecturi
Essent in Patris dextera,
Venientemque visuri
Judicare in aera.

Hoc audito, morte dignum
Ac blasphemum te clamabant,
Et tenentes te benignum
Irridebant et velabant,
Vultum tuum conspuentes,
Colaphizantes, cædentes,
Fantes : Prophetiza, Christe,
Quisnam exstat cæsor iste.
Plurimaque blasphemantes
Erant in te jactitantes.

Tunc te Petrus ter negavit,
Tuum ut os prænuntiavit :
Quem clementer adspexisti,
Quod se flevit præstitisti.

Mane facto, te ligatum,
Consputum, discoloratum
Præsidenti offerebant,
Falsaque objiciebant,

A Ut quod plebem seduxisses,
Cæsaremque offendisses.

Te Patris sapientiam,
Æquitatem, splendentiam,
Scelerati sic tractabant ;
Te spernebant, subsannabant
Herodes ac obsequentes,
Alba veste induentes.

Vestibus te exuerunt,
Et flagellis percusserunt,
B Caput spinis transfigentes,
Et arundine cædentes.
Purpura te vestiebant,
Inclementer impellebant.

Vultu sanguine perfusum,
Consputatum ac illusum,
Purpuratum, coronatum,
Te eduxit ad iratum
Agmen præses, ut placaret
Illud, teque liberaret.

C Sed te viso ululabant :
Tolle, tolle, crucifige.
Et clamare non cessabant,
Donec acquievit brigæ.

Tibi, Christe, conformemur,
Passionem imitemur
Tuam cunctasque virtutes
Quas monstrasti, ne refutes.

Tibi, beata Trinitas, *etc.*

D *Laus Dei ex Evangelio, de eadem Christi passione.*

Crucem ferens, es egressus,
Jesu pie, nimis fessus.
Te in ligno suspenderunt,
Inter reos erexerunt.

Manus, pedes perforabant
Diris clavis sævissime,
Et aceto te potabant

Digitized by Google

Mixto felle nequissime,
Membra tua extendebant
Prorsus violentissime.

Ruptis venis et juncturis
Dissolutis pro impuris,
Ossa quibant numerari.
Corpus cœpit desiccari,
Sic quod dire sitiebas,
Te ut aquam effundebas.

Laceratus circumquaque,
Sanguis fluxit undequaque.
Factum ut liquescens cera
Est cor tuum, mens sincera.

Ut testa virtus aruit
Tua, corpus contabuit,
Lingua adhæsit faucibus.
Pro his te colam laudibus.

Crucifixum irridebant
Te, Christe, multipliciter,
Et, Descende nunc, dicebant,
Rex Israel, agiliter;
Christus Dei præelectus
Se nunc salvet, hinc protectus.

Tunc tu, Agne mitissime,
Orasti clementissime :
Pater, eis hæc ignosce,
Quos quod agunt, scis non nosse.

Pœna inæstimabili,
Cum voce lacrimabili
Deo Patri proclamasti,
Et quid ferres demonstrasti :
Deus meus, Deus meus,
Ut quid me dereliquisti?
Horum causa ego reus,
Pro quo tanta pertulisti.

Tam acerbe torquebaris,
Tanquam Pater te liquisset;
Ut leprosus videbaris,
Ut quem Deus percussisset.

Matri tuæ carissimæ
Adstanti fidelissime,

A

B

C

D

Ultra æstimationem
Condolebas : passionem
Tuam dire sic auxisti,
Et nil tibi pepercisti.

Consummatum est, prolato,
Mentem Patri commendasti,
Capiteque inclinato,
Alte clamans, exspirasti.

Cernens ista centurio,
Corde ait industrio :
Hic vere Dei Filius
Fuit : impossibilius
Vix putans quam clamantem
Tam valenter, exspirantem.

Tunc ad tuæ deitatis
Dignam declarationem,
Moles universitatis
Miram immutationem
Sustinebat continuo.
Lætanter hæc insinuo.

Nam tunc sol obscurabatur,
Lunaque revertebatur,
Hora oppositionis
Soli sese opposuit :
Dionysius docuit,
Summæ vir religionis.

Scissæ petræ, terra mota,
Velum templi ruptum, nota.
Et te, Christe, resurgente,
Confitemur certa mente
Multos Sanctos suscitatos,
Te viventem protestatos,
Sanctam urbem introisse,
Multisque apparuisse.

Quum te tui sepelissent,
Et Judæi contulissent,
Ne tuum corpus tolleretur,
Custodes adhibuerunt,
Lapidemque signaverunt,
Ut te falsum probaretur.

Fac nos, Christe, tibi gratos,
Cruciformiter sectatos,

Digitized by Google

Condolere mentaliter,
Combeari veraciter.

Qui ardenti caritate
Et præclara pietate
Hæc pro nobis pertulisti,
Et tam care nos emisti.

Tibi, beata Trinitas, *etc.*

Laus Dei ex Evangelio, de Christi resurrectione.

A passione tertia
Die, absque inertia
Sanctæ feminæ venerunt,
Quæ te dire deplanxerunt,
Corpus tuum perungere,
Et se defuncto jungere.

Angelus his apparuit,
Te surgentem non tacuit :
Cujus metu sunt prostrati
Milites condeputati,
Et effecti ut defuncti,
Non per fidem Deo juncti.

Angelo hoc descendente,
Et ut fulgur apparente,
Niveis tecto vestibus,
Viribus mox cœlestibus
Terra motum est perpessa.
In te mens sit indefessa.

Feminis tunc consternatis,
Vultu terræ inclinatis,
Duo angeli adstabant,
Eas de te informabant.

At Maria Magdalena
Propter te dolore plena
Duos angelos adspexit,
In speluncam quum inspexit.

Surgens primo ostendisti
Te Mariæ Magdalene;
Feminis post occurristi,
Has salutans tam serene.

A

Nuntiarunt principibus
Milites quæ contigerunt,
Qui hos donis supplicibus
Ad testandum induxerunt,
Quod ipsis dormientibus
Neque istud scientibus,
Corpus tuum clam tulerunt
Tui, tibi qui hæserunt.

Die isto ostendisti
In alia effigie
Te duobus, his coisti
B Peracta jam meridie.
Tunc eisdem loquebaris :
Oportebat Christum pati.
Et cum eis vescebaris :
Sic fuerunt inflammati.

Post hæc, te monstrans facie
Disparensque ab acie,
Undecim apparuisti,
Thoma die hoc absente;
Te palpandum præbuisti,
Cum eisdem te edente.
C

Pati, mori oportebat
Te Christum et resurgere;
Prædicari condecebat
In te, tuosque currere
Ubique pœnitentiam
Docendo, indulgentiam.

Tunc per insufflationem
Sanctum Spiritum dedisti,
Et per hanc infusionem
D Potestatem contulisti
Tuis culpas remittendi
Quibus par, et retinendi.

At post dies octo rursus
Tuis te ostendens, cursus
Horum tunc lætificasti;
Cum his Thomam visitasti,
Manus pedesque palpanda
Præbens ei, vis miranda :
Beati qui non viderunt,
Inquiens, et crediderunt.

Digitized by Google

Ad mare Tiberiadis,
Distinguens res periodis,
Te discipulis monstrasti
Septem, quos et informasti.

Subito tunc concluserunt
Centum quinquaginta pisces
Et tres magnos, quos ceperunt
Te agente, quum jussisses.

Tunc ter Petrum sciscitatus,
Christe, es, an te amaret :
Qui a te est deputatus
Oves tuas ut curaret.

Tecum, Christe, consurgamus
Vere semper mentaliter,
Et divina exspectemus
Nunc sapientialiter.

Tibi, beata Trinitas, *etc.*

Laus Dei ex epistola Pauli ad Romanos.

Factus ex David semine
Es secundum carnem Patri,
Cooperante nemine
Factus proles puræ Matri.

Prædestinatus Filius
Dei exstas in virtute,
Secundum Sancti Spiritus
Sanctificationem. Tute
Claret, Christe, id tuorum
Ex surrectu mortuorum.

Gratia, pax nobis detur
Jugiterque conservetur
A te, Pater sempiterne,
Teque, Christe, Rex superne,
Qui cum Patre unus dator
Es et Deus, o Salvator.

Tuum est Evangelium
Virtus Dei, ac medium
Quo electum collegium
Salvatur, pellens tædium.

A

Nam tua, Deus, æquitas
In eo splendet ac veritas.

Tua invisibilia
Per creata cognoscuntur,
Tua virtus potens millia
Deitasque sic sciuntur.

Qui te noscunt nec honorant,
Neque grati te adorant,
Deus, inexcusabiles
Sunt, vani et damnabiles.

B

Hinc scimus hos incidere
Multas concupiscentias,
Et reprobo injicere
Se sensui, amentias
Passionum imitando,
Et immunda operando.

Judicans inordinate
Quem, est coram te, beate
Deus, inexcusabilis,
Nec censuram effugiet
C Tuam : tua vox rugiet
In eum formidabilis.

In quo nam fratrem judicat,
Semet damnat miser iste,
Dum in culpa communicat,
Agens eadem, o Christe.

Nemo tuæ bonitatis
Atque longanimitatis
Opes et patientiæ
Spernat, dux sapientiæ :
D Per tuam nam clementiam
Vocas ad pœnitentiam.

Malus juxta duritiam
Suam ac imperitiam
Iram tuam thesaurizat
Sibi, stultusque cancrizat.

Cunctis quippe es daturus
Quod merentur : collaturus
Bonis gloriam et honorem,
Pravis tartari horrorem.

Digitized by Google

At non legis auditores,
Sed factores justificas,
Deus verax; viatores,
Mendaces tu notificas.

Mendax nempe omnis homo
In terrestri ista domo :
Omnes quippe peccaverunt,
Gloria tua eguerunt.

Mortuos tu vivificas,
Et quæ non sunt entificas,
Vocans illa tanquam ea
Quæ jam sunt, o virtus mea.

Nostra, Christe, ob delicta
Te tradebas : morte victa
Surgens, justificationem
Ob nostram ac lotionem.

Legem nobis da implere,
Judicare quem cavere
Vitiose, et amare
Toto corde, honorare
Tuam longanimitatem,
Patientiam, pietatem.

Justi facti tua fide
Pacem Dei habeamus.
Omne malum tu collide,
Christe. In te quiescamus.

Per te aditum habemus
Ad hanc qua stamus gratiam ;
Tua virtute gaudemus
Spe obtinendi patriam.

In adversis gloriemur,
Patienter operemur
Virtute tuæ gratiæ.
Te decet cultus latriæ.

Tua, Christe, non confundit
Spes, sed culpas hæc retundit :
Nam divinam caritatem
Nobis das, per bonitatem
Sancti Spiritus manentis
In tuorum fundo mentis.

A Tuum, Pater, ostendisti
Amorem, qui voluisti
Christum sic pro nobis mori,
Adhuc culpa dum priori
Pravi atque inimici
Plus essemus quam quit dici.

Quumque adhuc inimici,
Simus reconciliati
Tibi, Pater; nunc amici,
Magis erimus salvati
Sanguine tui Filii
B Decretoque consilii.

Ut per Adam introivit
Culpa mundi, per hancque mors,
Christe, sic per te prodivit
Virtus, salus, vitæque sors.

Ut Adæ rebellione
Multi facti peccatores,
Ita obeditione
Tua, multi dilectores.

C Tanta est tua pietas,
Adoranda Divinitas,
Ut quo culpa abundavit,
Gratia post redundavit.

Omnes in te baptizati,
Tua morte emundati
Sumus, tibi consepulti
In sepulcro, a te fulti
In peccati interitum,
Per tuum, Christe, meritum.

D Nam si tuæ complantamur
Mortis similitudini,
Resurrectionis famur
Aptandi plenitudini.

Tu resurgens ex mortuis,
Ultra nusquam morieris.
Mundum da cor fide junctis,
Auctor vitæ, ne moreris.

Mortuus quod es peccato,
Mortuus es semel dato;

Digitized by Google

Sed quod vivis, vivis Deo,
In æternum vivens eo.

Culpa, concupiscentia
Non in nobis regnet unquam,
Et nostra servientia
Membra sint peccato nunquam,
Sed Deo et justitiæ,
Omni actu munditiæ.

Nihil est damnationis
Gratia dilectionis
In te, Christe, manentibus,
Carnem non assequentibus,
Redemptis lege spiritus
Vitæ datæ divinitus.

Tu, Pater, mittens Filium
In carne nobis simili,
De peccato flagitium
Damnasti [in carne tali].

Spiritalis prudentia,
Pax et vita affirmatur;
Mors est carnis prudentia,
Deoque inimicatur.

Non habens tuum spiritum,
Non est tuus per gratiam,
Christe; nec tibi libitum
Famur, aut ire patriam,
Juxta carnem ambulantem,
Passiones consectantem.

Pater, si in nobis manet
Tuus Spiritus, qui sanet,
Corpora vivificabis
Nostra, et nos reformabis,
Propter nos inhabitantem
Sanctum Spiritum purgantem.

Qui Paracleto aguntur,
Tui, Deus, sunt filii :
Spiritum non sortiuntur
Servitutis exsilii
In timore, sed natorum
Adoptionis tuorum :
In quo Abba (Pater) clamant,
Et te pura mente amant.

A

B

C

D

Tuus Spiritus testatur,
Pater, nostro spiritui,
Intus eum clam affatur
Quod filii æditui
Tui simus et heredes,
Atque Christi coheredes :
Dummodo compatiamur,
Ut cum Christo provehamur.

Non sunt dignæ passiones
Vitæ hujus ad futuram
Gloriam, qualem sermones
Spondent tui mox venturam.

Tui in se hic gemiscunt,
Gloriam hanc postulantes :
De hac carne solvi gliscunt,
Te videre affectantes.

Spiritus infirmitatem
Tuus nostram juvat, Deus;
Quid oremus cæcitatem
Nostram docet, o Rex meus :
Ut oportet quid oremus,
Nisi donet, non videmus.

Scimus quod te amantibus
Omnia cooperantur
In bonum, et spectantibus
Ad te, qui et appellantur
Seu vocati exstant sancti
Ex decreto Dei tanti.

Quos ad vitam præsciebas,
Verbo tuo conformari,
Pater, eos eligebas,
Volens eum demonstrari
In multis primogenitum
Fratribus, nobis deditum.

Porro quos prædestinasti,
Ad te pie hos vocasti,
Vocatos justificasti;
Cuncta mire ordinasti,
Justificasti gratia,
Magnificasti gloria.

Te pro nobis exsistente,
Contra nos quis prævalebit?

Digitized by Google

Te fatemur grata mente,
Cor pensare hæc debebit,
Proprio non pepercisse
Filio, sed tradidisse
Hunc pro nobis terrestribus
Salvandis in cœlestibus.

Nonne cuncta contulisti
Nobis, illum quum dedisti?
Quis electos accusabit,
Aut quis contra eos stabit,
Pro quibus, Christe Domine,
Tuo oras Patrem nomine?

Ergo quis nos separabit
Sancto tuo ab amore?
Nulla res nos segregabit
A te nostro Salvatore.

Da carnalem prudentiam
Vitare, et scientiam
Salutarem adipisci
A te, per hanc proficisci
Ad amorem præardentem
Tuum, indeficientem.

O Creator metuende,
Deus juste, reverende,
Cujus vis tu misereris,
Quem vis, indurare reris.

Ex eadem formas massa
Vasa iræ ex se cassa,
Vasa quoque clementiæ,
Decreto sapientiæ.

Fecisti vasa gratiæ,
Ut divitias gloriæ
In his monstres, pietatem,
Largitatem, caritatem.

Vasa iræ procreasti,
Æquitatem demonstrasti
In his, item potestatem
Juxta tuam majestatem.

Te nullus quit arguere,
Nec responsum tribuere;

A

Nec fictori fert figmentum:
Quid me sic fecisti entum?

Æquitatem nescientes
Tuam, Deus, et volentes
Propriam constituere,
Constat subdi renuere;
Nec sunt tibi hi subjecti,
Stulti, vani, non directi.

Finis legis ad salutem
Es, o Christe, dans virtutem.

B

In te credens non fallitur,
Divitem experietur
Te in omnes invocantes,
Te condigne exorantes.

Plebem tuam non repellis,
Quam te scis prædestinasse:
Hanc te cunctos qui præcellis
Constat pie liberasse
Pietatis visceribus,
Non ex suis operibus.

C

Da ne altum sapiamus
De nobis, sed timeamus,
Tuam, Deus, bonitatem,
Itemque severitatem,
Sapienter conspectemus,
Stabiles perseveremus.

O apex divitiarum
Divinæ sapientiæ,
Altitudoque earum
Æternalis scientiæ!

D

Incomprehensibilia
Tua, Deus, judicia,
Atque investigabiles
Viæ tuæ mirabiles.

Sensum tuum quis cognovit?
Consul tuus quis exstitit?
Aut quis prior te promovit
Ut reddas, qui sic adstitit?

Ex te, per te, in te, Deus,
Cuncta sunt, Creator meus:

Digitized by Google

Ex te, Pater, per Filium,
Plane in Sancto Spiritu.
Nobis pande consilium
Tuo pio intuitu.

Fac nos tibi exhibere
Corpora nostra hostiam
Sanctam, vivam; hanc placere
Per gratiæ regentiam,
Ac discrete nos habere
Per omnem servientiam.

Mundo nusquam conformemur, B
Sed in mente reformemur.
Conemur demum sapere
Sobrie, non plus capere.

Simus spe in te gaudentes,
Spiritu inardescentes,
Preci semper intendentes,
Nec putemus nos prudentes.

Non nos culpis defensemus,
Et cum cunctis peroptemus
Pacem habere; nec demus C
Malum malo, sed præstemus
Bona injuriantibus,
Mentibus vigilantibus.

Simus bona providentes,
Exemplariter viventes
Coram Deo et homine,
Spiritus Sancti nomine.

Præsidenti nos subdamus
Et libenter pareamus
Pro te, Deus, a quo fluxit D
Omnis virtus et eluxit.

Potestati qui resistunt,
Ordinatui obsistunt
Tuo, sibi acquirentes
Damnationem, amentes.

Nulli quidquam debeamus,
Quam ut simul diligamus.
Legem quippe sic implemus,
Tibi summe sic placemus :

A Legis namque plenitudo,
Amoris vicissitudo.

Nemo nostrum vivat sibi,
Sed, o sancte Deus, tibi,
Ut viventes, morientes,
Ad te simus pertinentes.

Mortuus ad hoc censeris,
Christe, ut tu domineris
Mortuorum et vivorum.
Nobis da decorem morum.

Ante tribunal stabimus
Tuum, causamque dabimus
Unusquisque pro se ipso.
Erue nos a te ipso.

Hinc non magis judicemus
Invicem, sed id curemus
Ne fratri offendiculum
Ponamus, aut ridiculum.

Regnum tuum, juste Deus,
Non est esca neque potus,
Sed justitia, dux meus,
Pax et gaudium. Sim lotus.
Gaudium (inquam) Spiritus,
Quod descendit divinitus.

Firmiori sustinere
Da defectus infirmorum,
Vane sibi non placere;
Cordibusque proximorum
Quivis nostrum complaceat
In bono, culpa careat.

Quidquid, Deus, docuisti
In Scripturis, retulisti
Nostram ad instructionem,
Ut per consolationem
Scripturarum confidamus,
Patientiam discamus.

Da, Deus patientiæ,
Per donum sapientiæ,
Dator puri solatii,
Labem pellens mendacii,

Digitized by Google

Mutuo idem sapere,
Influxus tuos capere,
Ut concordes honoremus
Te, o Pater, et amemus.

Eras circumcisionis
Minister : hanc sumens, Christe,
Causa confirmationis
Promissorum quæ tu iste
Es ad patres protestatus.
Per te fiam illustratus.

Deus spei, tu nos imple
Omni gaudio et pace
In credendo tibi simple,
Nos amoris igni face,
Ut in spe nunc abundemus,
Et virtute Paracliti,
Cujus donis exsultemus,
Luce cordis hinc aliti.

Tibi, beata Trinitas, *etc.*

Laus Dei ex Pauli epistola prima ad Corinthios.

Divites efficiamur
In te omni in virtute,
Christe, nec destituamur
Ulla gratiæ salute.

Deus Pater, tu fidelis,
Qui nos ad societatem
Christi vocasti, in cœlis
Promittens felicitatem.

In eisdem scientia
Sensuque fac nos perfectos,
O Christe sapientia
Patris, ope fac nos tectos.

Verbum crucis stultitia
Videtur pereuntibus,
Sed virtus ac peritia
Dei sursum euntibus.

Virtus ac sapientia
Patris es, Christe Salvator,

A

Cujus summa clementia
Præelegit miserator
Mundi contemptibilia,
Infirma atque vilia.

Qui mundi sapientiam
Contempsit ut amentiam ;
Sæcularem prudentiam,
Stultam fecit dementiam.

Christe, sanctificatio,
Justitia, salvatio
B Nobis et sapientia
Factus es ex clementia,
Ne in quoquam gloriemur
Quam in te, quo jucundemur.

Evangelii doctrina
Tui, Christe, vis divina,
Non in persuasibilibus
Humanæ sapientiæ
Verbis aut monstrabilibus
Fucatæ eloquentiæ
Facta est aut radicata,
C Fides nostra ne fundata
Exstet in sapientia
Hominum aut loquentia,
Sed in ostensu spiritus
Ac virtutis divinitus.

Hæc oculis non vidimus,
Nec auribus audivimus,
Nec cor nostrum cogitavit,
Tua bonitas paravit
Quæ Deus diligentibus
Te et semper hærentibus.

D

Sed hæc nobis revelasti
Spiritus Sancti lumine :
Qui, ut ipse affirmasti,
Eodem sancto numine
Cuncta plene comprehendit
Alta Dei et ostendit.

Tuum Spiritum infundis
Tuis, quos tu ipse regis,
Tua dona ut cognoscant,
Et se gratos esse poscant.

Digitized by Google

Non sit zelus, contentio
Inter nos, sed sit mentio
De te, ne inveniamur
Nos carnales, et spernamur.

Nemo valet fundamentum
Aliud a te ponere,
Christe, cujus sunt stramentum
Atque templum summopere
Fideles, Sanctum Spiritum
In se habentes inditum.

Ante tuum judicium
Non judicemus, supplicium
Id timentes quod infliges
Die illo quo castiges.

Tunc absconsa tenebrarum
Et secreta humanarum
Mentium illuminabis,
Cunctisque manifestabis.

Pascha nostrum immolatus
Es tu, Christe, morti datus.
Præsta nobis epulari,
Mente in te saginari
Azymis sinceritatis
Ac divinæ veritatis.

Nostra corpora, Salvator,
Tua membra sint; hærentes
Tibi, tecum, o Creator,
Unum simus, consistentes
Unum quidem in amore,
Unus spiritus fervore.

Membra nostra, Paraclite,
Templum tuum sint, inclyte:
Quem tu nobis præstitisti,
Christe, qui nos redemisti
Pretio præstantissimo,
Et sanguine dignissimo.

Nostro, Deus, te portemus
Corpore, glorificemus,
Illud tibi subjectemus,
Omne bonum actitemus.

A

Quilibet donum proprium
A te, Deus, est sortitus.
Quod mundo est inglorium,
Feram pro te non invitus.

Fac nos digne ambulare
Quo vocatu nos vocasti.
Non cessantem te amare,
Tibi notum affirmasti.

Pater unus nobis tu es,
Ex quo cuncta, et nos in te;
B Unus Dominus, Christe, es,
Per quem cuncta, nosque per te.

Fide Deus, nos tentari
Ultra vires non permittis:
In tentando coronari
Das, et opem pie mittis.

Calix benedictionis,
Sanguinis est communio;
Panis consecrationis,
C Corporis tui est sumptio.

Qui panem hunc comederit
Aut calicem acceperit
Non condigne, erit reus
Tuæ carnis, Rector meus,
Et sanguinis tui, Christe.
Opem ferre tu insiste.

Dominus Jesus dicere
Potest nemo cum affectu,
Aut devote concipere
Cum interno intellectu,
D Nisi in Sancto Spiritu,
Ejus pio adhibitu.

Uni per te, Paraclite,
A quo regar ut capite,
Datur vox sapientiæ,
Uni sermo scientiæ;
Uni donum sanitatum,
Uni actus potestatum;

Alteri vaticinari,
Alii interpretari;

Digitized by Google

Huic spiritus discernere,
Huic linguis exprimere.

Cuncta hæc tu operaris,
Unus idemque Spiritus,
Qui ut vis et arbitraris,
Singulis das divinitus.

Multos gradus statuisti
Ordinesque Ecclesiæ,
Qui Apostolos dedisti
Primo, hinc Vates gratiæ;

Hinc doctores, ac virtutes,
Gratias curationum,
Ordinatas ad salutes
Nostrarum conditionum;

Hinc opitulationes
Atque gubernationes,
Linguas, interpretantias,
Populi ordinantias.

Sine tua caritate
Ac fraterna, ad salutem
Nihil prodest. Rex beate,
Semper præsta hanc virtutem.

Caritas pia, patiens,
Et perperam nil faciens;
Caritas non æmulatur,
Non inanis, nec inflatur.

Neque est ambitiosa;
Denique non irritatur,
Neque malum meditatur,
Sed nec sua vult dolosa.

Hæc congaudet veritati,
Condolet iniquitati,
Cuncta credens atque ferens,
Nos ad cœli regnum gerens.

Te ex parte cognoscimus,
Te plene scire poscimus :
Nam perfecto veniente,
Quod ex parte est, intente

A Credimus evacuandum,
Teque ut es conspectandum.

Te per speculum videmus
Nunc, Deus, in ænigmate;
Facie conspiciemus
Te tunc abs paradigmate,
Id facie ad faciem
Per claram mentis aciem.

Parvuli efficiamur
Sensu non, sed pravitate;
B Cuncta nostra moliamur
Ordinata honestate.

Pacis, non dissensionis
Deus es, fons notionis :
Qui ignoras ignorantem
Te, et tua non pensantem.

Petro, turbæ hinc undenæ,
Post quingentis plus fratribus,
Jacobo post, duodenæ
Post turbæ atque matribus,
C Paulo demum te pandisti,
Christe, postquam surrexisti.

Quod sum, tua sum gratia,
Qua vitatur fallacia.

Tu a morte surrexisti,
Primitivus dormientum :
Ut in Adam occidisti,
Sic per te est morientum,
O Christe, resurrectio,
Qui vitæ es directio.
D

Ut in Adam moriuntur
Omnes, sic reficiuntur
Atque vivificabuntur,
In te, Christe, qui sequuntur.

Hinc finis, quum donaveris
Regnum Patri bonitatum,
Quum et evacuaveris
Universum principatum,
Potestatem et virtutem,
Plenam præstans tunc salutem.

Digitized by Google

Tibi, Pater, quum subjecta
Erunt cuncta, tunc et Natus
Tuus erit mente recta
Tibi coram Sanctis stratus,
Quoad formam quam assumpsit.
Sermo tuus id deprompsit.

Ut in omnibus omnia
Sis, o Deus, in gloria,
Non inhærens formaliter,
Sed præsidentialiter,
Ens Beatis objective
Cuncta atque fruitive.

In te nam simplicissimo,
Summo bono, dignissimo,
Habent cuncta, quod cernentes,
Habent quidquid sunt volentes.

Corpora tunc electorum
Donis quatuor ornabis,
Omnium quum defunctorum
Corpora resuscitabis.

Clara, impassibilia,
Subtilia, agilia
Erunt valde, te agente,
Carne vera remanente.

Adam de terra terrestris,
Christus de cœlo cœlestis.
Sicut illi conformati
Sumus actibus peccati,
Ita tibi conformemur,
Tuos actus consectemur.

Universos suscitabis,
Sed electos immutabis
In momento, id repente
Ages vi omnipotente.

Data immortalitate
Corporibus mortalibus,
Erit mors in veritate
Absorpta tunc in talibus.

Tunc virtute ac merito,
Christe, tuæ passionis,

A [A Deo dilectionis]
Dabitur gregi dedito
Tibi impassibilitas,
Immortalis stabilitas.

Gratis, Pater, victoriam
Qui das per Christum, gloriam
Nobis confer in patria,
Nuncque fructum in gratia.

Stabilem et immobilem
Da mentem, vere nobilem,
B Omni actu affluentem,
Et in bonis perardentem.

Scimus, non infructuosus
Erit labor virtuosus
Apud te, sed gloriosus,
Deus judex seriosus.

Per te mente vigilemus,
Et in fide certe stemus,
Agamusque viriliter,
Et cuncta amabiliter.

C Tibi, beata Trinitas, *etc.*

Laus Dei ex epistola secunda Pauli ad Corinthios.

Benedictus es, o Deus,
Pater sancte Jesu Christi,
Salus, virtus, plastes meus,
Qui tam pie subvenisti.

Tu misericordiarum,
Omnis consolationis
D Pater, dator gratiarum
Puræque lætationis,
Qui in omni consolaris
Nos afflictu, ut testaris.

Sicut Christi passiones
Sunt in nobis abundantes,
Nostræ consolationes
Sic per Christum sunt undantes.

In te solo confidimus :
Idque, Deus, inquirimus,

Digitized by Google

Ut bona conscientia,
Nostra exstet gaudentia ;
Ejus bona testatio,
Nostra sit gloriatio.

Nos unxisti et signasti,
Pignus Spiritus donasti.
Nos in Christo triumphare,
Per nos cunctis declarare
Te, o Pater, condigneris.
Semper intus opereris.

Hanc fiduciam habemus,
Qui ex nobis nil valemus
Agere meritorie,
Nec cogitare proprie.
Nostra sufficientia
Ex tua est clementia.

Porro istam spem habentes,
Confidentia utentes
Sumus multa, o Salvator.
Bonus odor, o Creator,
Tuus simus nunc ubique,
Nec agamus quid inique.

Tu spiritus es, Domine ;
Et ubi tuo nomine
Est Paracletus, sincera
Est libertas mentis vera
A jugo culpæ, dæmonum,
Cœlestium fundus seminum.

Hæc servitus ingenua
Tuo, Deus, sub præcepto :
Quæ nobis sit congenea,
Purgans omni ab inepto.

Da revelata facie
Tuam, Deus, speculari
Gloriam, ope gratiæ
In eamdem transformari
Imaginem a Spiritu
Tuo, sancto adhibitu ;
Et nos duc a claritate
Tuam in claritatem rate.

Qui dixisti splendescere

A Splendorem de caligine,
In nobis fac clarescere
Lucem tuam, cœligene.

Thesaurum tui munerum
Multorum ultra numerum,
Habemus in fictilibus
Vasis, istis fragilibus
Carnibus, ut sublimitas
Sit tua, o Divinitas.

Nunc mortificationem
B Tuam, per sectationem,
O Christe, circumferamus,
Ut in corpore ostendamus
Vitam tuam, Rex cunctorum,
Dominator dominorum.

Quamvis homo exterior
Noster, Christe, fatigetur,
Homo tamen interior
Omni die renovetur.

Levis ac momentanea
C Hæc nostra tribulatio,
Supra modum in patria
(Ut vera credit ratio)
Æternum pondus gloriæ
Agit in nobis proprie,
Dum terrena aspernamur,
Et superna contemplamur.

Domum tu non manufactam,
Æternalem et compactam,
Nobis, Deus, præparasti,
Et in cœlis adornasti,
D Ad quam pie suspiramus,
Exsulantes hanc optamus.

Dum in corpore moramur,
Heu ! a te peregrinamur :
Nam per fidem ambulamus,
Non per speciem spectamus.

Tu pro cunctis es occisus,
Ut qui vivunt, agant nisus
Tibi non sibi vivere,
Nec se a te dividere,

Digitized by Google

Christe, in quo Pater fuit
Mundum liberans, qui ruit.

Nulli quam offensionem
Demus per transgressionem,
Ne nostrum ministerium
Incurrat vituperium.

Nos in cunctis exhibentes
Simus tibi obsequentes
In multa patientia,
Cum finali manentia.

Omni nos ab inquinamento
Carnis atque mentis munda,
Perfice nos ornamento
Sanctitatis, et fecunda
Nos timore filiali,
Casto, sancto, perennali.

Ob nos factus es egenus,
Dives exstans, Rex amœnus,
Tua ut locupletaremur
Paupertate, et salvemur
Ejus merito, sumentes
Dona tua ac tenentes.

Potes, Deus, abundantem
Omnem in nobis gratiam
Facere. Da æstuantem
Caritatem ac latriam.
Amas hilarem datorem,
Celeremque solutorem.

In hac carne ambulantes,
Carnee non militemus;
Et qui sumus gloriantes,
In te, Deus, exsultemus :
Neque enim est probatus
Laudans se, sed te laudatus.

Tu in cœlum rapuisti
Paulum et in paradisum;
Huic arcana ostendisti,
Quæ non ad humanum visum
Sive mentem licet fari.
Dona nos te contemplari.

A

Pacis et dilectionis
Deus, locum mansionis
Facis in diligentibus
Pacem hancque tenentibus.

Gratia, Unigenite,
Tua, Pater ingenite,
Fervens tua amatio,
Tua et communicatio,
Sancte Spiritus, nobiscum.
Pravitatis tolle viscum.

B

Tuis ineffabilibus
Donis, incessabilibus
Gratibus regratiamur
Tibi, Deus, quem miramur.

Tibi, beata Trinitas, *etc.*

Laus Dei ex epistola Pauli apostoli ad Galatas.

Te in mortem obtulisti
Nostras culpas ob tollendas;
C Juxta Patris id fecisti
Voluntatem. Nos accendas.

Tanta, Christe, sinceritas,
Certitudo ac veritas
Legis tuæ evangelicæ,
Ut si angelus cœlice
Sive Paulus loqueretur
Contra hanc, id mentiretur.

Quærens homini placere,
Tibi nequit complacere,
D Tuus esse et servus verus,
Christe Jesu, rex sincerus.

Tu non accipis personam
Hominis, hanc neque bonam
Censes legis operibus,
Legalium oneribus,
Sed fide et Evangelio
Salvas tuo mysterio.

Tibi cruci sum confixus :
Vivo jam non ego, nixus

Digitized by Google

Tibi ; sed tu in me vivis,
Christe, et non alter quivis.

Sed in carne quod nunc vivo,
Tua vivo fide, divo
Jesu, qui me dilexisti,
Teque pro me tradidisti.

Non sic stulti comprobemur,
Ut in carne consummemur,
Quum spiritu cœperimus :
Nam tui sic non erimus ;
Sed in bono inchoato
Cum profectu nos servato.

Tu a legis maledicto
Nos salvasti, cum invicto
Corde factus maledictum
Ob nos. Menti fer amictum.

Pater, omnes tui nati
Sumus, mente renovati
Per fidem Unigeniti
Tui, nobis a te dediti.

Quum venisset plenitudo
Temporis, hunc destinasti :
Virginis hunc puritudo
Peperit, quem subjectasti
Legi, salvet ut legales.
Tibi det nos filiales.

Quia sumus adoptivi
Tui nati, Pater pie,
Flamen sanctum tui vivi
Nati immisisti die
Lucis in nostris mentibus,
Abba per hunc dicentibus.

Hinc amicus, proles, heres
Tuus exstat Christianus,
Nec ut servum hunc haberes,
Si præberet tibi manus.

Bonum semper æmulemur,
Et te Christum amplexemur,
In quo nec circumcisio
Quid valet nec præputium,

A Sed fides, ut suspicio,
Et caritas, nec dubium.

Nunc aufer carnis opera,
Nosque implere propera
Fructibus Sancti Spiritus.
His orna nos divinitus :
Caritate, mititate,
Gaudio, patientia,
Castitate, bonitate,
Pace et continentia.

B Vanam gloriam spernamus,
Nemini invideamus,
Invicem non provocemus,
Lapsum pie reformemus,
Et nos ipsos contemplemur,
Ne et ipsi nos tentemur.

Da carnem crucifigere,
Culpas, concupiscentias;
Proximum non affligere,
Verum deficientias
Ejus ferre ac onera.
C Nostra spernamus opera.

Spiritu da seminare,
Et interne ambulare,
Semper nos humiliare
Et ut nihil reputare,
Æternalem ut metamus
Vitam, et te diligamus.

Quum est tempus operemur
Bona cunctis, plus credenti;
Nec in quoquam gloriemur
D Quam in cruce ac pendenti.

Per quem nobis crucifixus
Mundus, et nos mundo,
Tibi semper sim innixus,
Summo Christo præfecundo.

Stigmata tua, Domine,
Te sequens, tuo nomine
Corpore in meo jugiter
Portem vere salubriter.

Tibi, beata Trinitas, *etc.*

Digitized by Google

Laus Dei ex epistola Pauli apostoli ad Ephesios.

BENEDICTE Pater Christi,
Miserere reo isti.
In Christo benedixisti
Nos per dona quæ dedisti,
Omni benedictione,
Spiritali unctione.

Nos in Christo elegisti
Ante mundi factionem,
Ut essemus (id egisti
Per prædestinationem)
Sancti et immaculati,
Caritate consummati.

Deus, nos prædestinasti
Prolis in adoptionem :
Id per Christum actitasti
Tuam per volitionem,
In laudem tuæ gloriæ
Et gratiæ unctoriæ.

In qua nos gratificasti
In caro tuo Filio,
Per quem, Pater, nos salvasti
Sanguinis ejus pretio.

Cuncta, Deus, operaris
Mentis tuæ consilio ;
Nos creasse commendaris
Tuam in laudem initio.

Sancto Spiritu signasti
Fidos, quibus hunc donasti,
Pignus qui hereditatis
Nostræ exstat per te gratis.

Pater Christi, Rex gloriæ,
Sapientiæ propriæ
Spiritum agnitione
Veritatis fer optime,
Nostræ ut vocationis
Arcemque electionis
Ut condigne contemplemur,
Teque semper veneremur.

Tuam, Deus, potentiam,
Christum suscitans monstrasti,
Quem juxta congruentiam
Tua in dextera locasti,
Super omnem Principatum,
Potestatem, Dominatum
Et Virtutem atque cuncta.
Tibi corda sint conjuncta.

Hunc dedisti Ecclesiæ
Caput, Pater egregie :
Imo omni hierarchiæ
Prætulisti eum pie,
Huic ecclesiasticæ,
Cœlesti theorasticæ.

Deus dives pietate,
Nimia et caritate
Ad nos, nos mortificatos
Peccatis, vivificatos
Fecisti Christi merito
Obedienter edito.

Salvati tua gratia,
Ingressi tua atria
Sumus, Christe, tua fide,
Non ex nobis. Tu nos vide.

Tuum quippe est hoc donum,
Non ex nostris operibus,
Ne quis glorietur bonum
Se ex se in visceribus.

Tua, Pater, nos factura ;
Nos in Christo recreasti
In bona operatura :
Quam tu, Deus, præparasti,
Ut in ea ambulemus,
Bonis actibus vacemus.

Christe nostra pax, fecisti
Unum ambo dum obisti,
Cruce inimicitias
Necans, tollens nequitias.

Per te nobis est accessus
Ad Deum, ut es professus,

Digitized by Google

In uno plane Spiritu,
Gratioso adhibitu.

Nos Sanctorum, Christe, cives
Fecisti, et domesticos
Dei : simus ne, Rex dives,
Hospites inter besticos.

In te, Christe, coheredes,
Concorporales, consortes
Gentes factæ, tuæ sedes :
Quæ et tuæ sunt cohortes
Divinæ promissionis
Ac beatæ visionis.

Pater Christi, ex quo cuncta
Nominatur paternitas,
A te nostra mens sit uncta ;
Daque, summa æternitas,
Mente semper roborari,
Per Paracletum firmari,
Ut in nobis commoretur
Christus fide et servetur,
Juxta tuæ divitias
Gloriæ, nec despicias.

Fac nos supereminentem
Scire Christi caritatem,
Impleamur ut in mentem,
Per immensam pietatem,
In omnem plenitudinem
Ac tuam sanctitudinem.

Vales cuncta abundanter
Facere plus quam poscimus,
Et implere redundanter
Nos plus quam ipsi noscimus,
Tuam, Deus, per virtutem.
Tibi hymnus. Fer salutem.

Fac nos digne ambulare
Quo vocatu nos vocare
Es dignatus, timorate,
Omni cum humilitate,
Patienter et mansuete,
Supportantes cum quiete
Invicem in caritate,
Solerter in veritate

A

B

C

D

Unitatem conservantes
Mentis, pace nos ligantes.

Deus Paterque cunctorum
Unus es, Rex sæculorum,
Super omnes et per cuncta
Et in nobis es omnibus.
Præsta corda in te uncta,
Nos imple sanctis promptibus.

Data gratia cuique
Est, o Christe, jam ubique,
Tuæ metro dationis.
Præsta lucem rationis.

Qui ad terram descendisti,
Idem cœlos ascendisti,
Ut impleres dominatu
Cuncta, gratiæque datu.

Non pusilli fluctuantes,
Omni vento nutitantes
Doctrinæ simus labilis,
Sed cordis vere stabilis.

Da ut mente renovemur,
Novum hominem sectemur
Veritatis sanctitate
Ac perenni æquitate.

Nos benignos et clementes,
Deus, fac, et ignoscentes,
Ut per Christum indulsisti
Nobis piusque fuisti.

Tui simus sectatores,
Filii ut carissimi,
Ut eamus viatores
Pauperes, egentissimi,
Semper in dilectione,
Ut amasti, Jesu bone,
Qui ob nos te tradidisti,
Et te Patri obtulisti
Odorem suavitatis
Hostiamque sanctitatis.

Per Christum nos Paraclito
Imple, Pater, nos alito,

Digitized by Google

Ut in hymnis colloquamur,
Tuis laudibus pascamur,
Tibi semper compsallentes,
Grates mente referentes,
Pater, in Christi nomine,
In omnibus, o Domine.

Ecclesiam dilexisti,
Pro hac, Christe, te dedisti,
Illam ut sanctificares,
In æternumque beares,
Aquæ lavacro hanc mundans
Verbo vitæ et fecundans,
Ut, o Christe, exhiberes
Tibi atque contineres
Gloriosam Ecclesiam,
Non habentem inediam
Mentis, rugam aut maculam,
Sed caritatis faculam.

Nos conforta gratiose,
Adsta semper virtuose,
Vesti tua armatura,
Per quam mens sit dejectura
Dæmonum machinamenta,
Universa tentamenta.

Nos lorica æquitatis,
Scutoque fidelitatis,
Veræ salutis galea,
Ense spiritus phalera.

Contra carnem et sanguinem
Non est nobis luctatio,
Sed contra sævum anguinem
Gravior conflictatio,
In hostes invisibiles,
Apostatas odibiles.

Da nos semper exorare,
Deus simplex, in spiritu,
Mente pura vigilare,
In vita et in obitu
Nunquam corde relaxari,
Tædere aut frigidari.

Tibi, beata Trinitas, *etc.*

A

Laus Dei ex epistola Pauli ad Philippenses.

Bona cœpta confidimus
Te in nobis completurum.
Idque, Deus, exquirimus,
Te sperantes miserturum :

Ut caritas quotidie
Crescat absque segnitie
In nobis in scientia
Cum supereffluentia,
B Ut probemus potiora,
Et exstemus omni hora
Puri, nullum offendentes,
Cuncta propter te agentes.

Reple fructu justitiæ,
Pater, nos per Salvatorem,
Ut in arce fiduciæ
Christus suum per splendorem
In carne magnificetur
Nostra, nunc et dum labetur.

C Sis nobis, Christe, vivere,
Mori lucrum arbitremur;
Carnem optem abjicere,
Tecum esse perconemur.

Non tam in Christum credere
Da, quam ob hunc non cedere
In adversis, sed gaudenter
Cuncta ferre patienter.

Vane et contentiose
Nil dicamus aut agamus,
Sed, o Deus amorose,
D Fratres nobis præferamus.

Quum in Dei esses forma,
Christe, æquitatis norma,
Non rapinam arbitratus
Nec mendose es effatus
Deo Patri te æqualem
Atque consubstantialem.

Verum te exinanisti,
Formam servi assumpsisti,

Digitized by Google

Usque mortem obedisti,
Exaltari meruisti.

Nam te Pater sublimavit,
Summum nomen condonavit,
Ut genua cœlestium
Cuncta atque terrestrium
Infernorumque flectantur
Tibi, Christe, ac subdantur,
Teque in Patris gloria
Omnis lingua fateatur
Felicitate propria
Frui, Deum te loquatur.

Operemur cum timore,
Metu jugi ac tremore
Nostram, Deus, nunc salutem.
Sic agendi da virtutem.

Tu in nobis operaris
Velle atque perficere;
Voluntate hæc laudaris
Tua pia efficere.

Absque murmuratione
Atque hæsitatione
Cuncta, Christe, peragamus,
Filii ut consistamus
Tui simpli abs querela.
Mentes nostras tu revela.

In perversa natione,
Deus dulcis, Jesu bone,
Fac nos ut luminaria
Lucere, exemplaria
Cunctis opera monstrando,
Virtuose conversando.

Quæ lucra æstimavimus,
Detrimenta nunc putemus.
Abs te, Christe, erravimus
Per hæc vana : te servemus.

Et ob tuam eminentem,
Fili Dei, scientiam,
Omnem rem hic consistentem
Per mentis sapientiam

A Contemnamus ut stercora.
Tu nos tibi incorpora.

Quæ retro obliviscamur,
In divina extendamur,
Destinatum assequentes,
Braviumque intuentes
Supernæ vocationis,
Summæ præmiationis.

Sit nostra conversatio
In cœlis, summa ratio :
B Salvatorem præstolamur,
Christe, te, quem gratulamur
Corpora reformaturum
Nostra, secum locaturum.

In te semper exsultemus;
Per modestiam micemus
Sic, ut cunctis innotescat
Mens in te et connotescat :
Nempe te nos confortante,
Cuncta quimus, te testante.

C Omnem mentem pax transcendens
Tua, Christe, sit impendens
Opem, intelligentias
Nostras servans : sic sentias.

Pudica, amabilia,
Justa, sancta, utilia,
In te, Deus, cogitemus;
Atque a te procuremus
Affectus impletionem
Et beatam visionem,
Juxta tuas divitias,
D Æternas per delicias.

Tibi, beata Trinitas, *etc.*

Laus Dei ex epistola Pauli ad Colossenses.

Imple tuæ voluntatis,
Deus, nos agnitione,
Et conforma nos Beatis,
Illustrata ratione
In omni sapientia,

Digitized by Google

Mentis intelligentia,
Ut te digne ambulemus,
Omni et virtute stemus,
Crescentes in scientia
Tua atque potentia.

Grates tibi referimus,
Qui nos dignos, ut credimus,
Fecisti sorte luminis,
Electorumque numinis,
Salvans nos de potestate
Tenebrarum, Rex beate,
Nos transponens in dilecti
Regnum Nati tui recti.

Qui tua invisibilis
Est imago, non scibilis,
Omnisque primogenitus
Creaturæ, te editus,
Per quem et in quo creata
Cuncta sunt ac reformata.

Christe, caput Ecclesiæ,
Primatum præsidentiæ
Tenens, in te habitavit
Plenitudo divinitatis
Corporaliter, nos lavit
Pater per te omnes gratis.

Tua morte fac nos sanctos
Et irreprehensibiles,
In te gratiose tantos,
Fundatos et immobiles
In fide Evangelii
Nostræ salutis medii,
Spe amoreque ferventes,
Ab his nunquam recedentes.

Omnes sunt sapientiæ
Thesauri et scientiæ
In te, Christe, absconditi,
Instar mellis reconditi.

Caput omnis principatus,
Potestatis, magistratus
Es : quo circumcisi sumus
Spiritaliter ac visione,

A In exspoliatione
Vitii a ratione.

Tecum, Christe, consurgamus ;
Quæ sursum sunt sapiamus,
Quo es in Patris dextera,
Virtus ejus non extera.

Veterem nos exspolia
Hominem et ejus actus,
Nos ruentes ut folia,
Vesti novum pie tactus,
B Tua qui agnitione
Renovatur, Jesu bone,
Juxta Dei imaginem,
A quo habet propaginem.

Pietatis visceribus
Nos imple et operibus,
Indue nos benignitatem,
Modum ac humilitatem,
Invictam patientiam,
Unctamque sapientiam,
Invicem ut supportemus,
C Ac peccanti mox donemus.

Et præsertim caritate
Vinculo perfectionis
Imple nos, Deus beate,
Cum splendore rationis.

Christe, tua pax exsultet
In nostris semper cordibus,
Et per eam mens resultet
In te, depulsis sordibus.

D Verbum tuum abundanter
In omni sapientia
Sit in nobis incessanter,
Increata essentia,
Ut docentes et hortantes
Simus invicem nos recte,
Hymnis psalmisque cantantes
Tibi, Deus præelecte.

Quidquid sumus peragentes
In verbo aut in opere,

Digitized by Google

In te, Christe, exhibentes
Simus id digne, propere.
Per te grates referamus
Deo Patri, quem laudamus.

Porro precibus instemus,
Et in eis vigilemus
Cum gratiarum actione,
Fervida devotione.

Sapienter ambulare
Da nobis ad extraneos;
Verba uncta explicare
Nos apta ad intraneos.

Verbum sagax da habere,
Ut sciamus respondere
Cunctis prorsus sapienter,
Ut oportet, et decenter.

Subditis da admonere
Præsidentes ordinate,
Ut hi curent adimplere
Diligenter, timorate,
Assumptum ministerium,
Juxta tuum imperium.

Tibi, beata Trinitas, *etc.*

Laus Dei ex prima Pauli ad Thessalonicenses epistola.

Fac nos loqui, o Domine,
Digne in tuo nomine,
Non ut homini placentes,
Sed tibi qui probas mentes.

Verba adulationis,
Deus, nunquam admittamus,
Humanæ conditionis
Gloriam non quæramus.

Nostra sanctificatio
Est voluntas tua vere,
Ut sciat nostra ratio
Corpus suum possidere

A In honore, sanctitate,
Vili non carnalitate.

In bonisque operibus,
Puris mentis visceribus,
Nos quiete da vacare
Tibi, et plus abundare;
Et honeste ambulemus
Ad hos omnes qui sunt foris,
Nec cujusquam quid optemus
Cunctis vitæ nostræ horis.

B Ut te mortuum fuisse,
Christe, ac resurrexisse
Credimus, sic confitemur,
Quod et mente reveremur,
Deum tecum adducturum
Mortuos, et id acturum
Die illa perhorrenda
Cœlum et terra qua movenda.

Nam tu, Christe altissime,
Descendes velocissime
De cœlo in jussione
C Tubæque sonitione,
Et in voce Archangeli
Ac tui summi angeli.

Et defuncti in te entes,
Primi erunt resurgentes;
Vivi qui invenientur,
Tunc cum illis rapientur
Tuum, Christe, in occursum,
Semper erunt tecum sursum.

Dies tuus instar furis
D Nocte, Christe, est venturus.
Judicabis tunc pro puris,
Impios reprobaturus:
Qui quum inter se dixerint,
Pax nobis et securitas,
Nec dolendo afflixerint
Se, tanquam sit immunitas,
Repentinus interitus
Veniet eis meritus.

Mutuo da consolemur,
Invicem ædificemur;

Digitized by Google

Ampliusque diligamus
Præsidentes, laborantes ;
Pacem cum his habeamus,
Opus horum adspectantes.

Inquietos corripere,
Infirmosque suscipere,
Solari pusillanimes,
Commorari unanimes,
Fac nos, Deus, et ad mentes
Singulorum patientes.

In te semper gloriemur,
Incessanter te precemur,
In cunctis regratiemur,
Mali specie purgemur.

Deus pacis, sanctifica
Nos, clementer deifica,
Ut in carne et in corde
Simus integri, absque sorde,
Sancte coram te vivendo,
Te ardenter diligendo.

Tibi, beata Trinitas, *etc.*

Laus Dei ex secunda Pauli ad Thessalonicenses epistola.

Fide clara concrescamus,
Caritate ardeamus
In alios instantius,
O Deus, abundantius.

Sempiternas sustinebunt
Pravi pœnas, et dolebunt
A conspectu majestatis,
Tuæ, Christe, æquitatis,
Quando tu glorificari
Venies et sublimari
In Sanctis et credentibus,
Tibi vere hærentibus.

Sancta tua vocatione
Nos dignare, Deus bone.

Tu, Christe, interficies
Et omnino dejicies
Filium perditionis,
Tuæ verbo jussionis.

Pater, qui nos dilexisti,
Et æternam præstitisti
Nobis consolationem
Bonamque sperationem,
Corda nostra exhortare,
Firma, doce, immorare.

Ab importuno homine
Libera nos, Domine,
Et a fratre ambulante
Inordinate nec ante,
Nos prudenter subtrahamus,
Ne et ipsi pereamus.

Tibi, beata Trinitas, *etc.*

Laus Dei ex prima Pauli ad Timotheum epistola.

Finis tuæ jussionis
Virtus est dilectionis
De purgato corde, bona
Conscientia : hanc dona ;
Et de fide non conficta.
Nostra aufer nunc delicta.

Sermo verax et fidelis,
Omni dignus acceptatu :
Quia missus es de cœlis,
Christe, in hunc mundum datu
Patris, reos liberare
Peccatoresque salvare,
Quorum et ego primus sum,
Qui limus atque imus sum.

Tibi Regi sæculorum,
Creatorique cunctorum,
Immortali et inviso,
Præsidenti paradiso,
Sit sempiterna gloria,
Honor, virtus, laus propria.

Obsecramus, postulamus,
Grates agimus, oramus
Te pro cunctis hominibus,

Digitized by Google

Regibus et principibus,
Ut a te sic gubernentur,
Et tam juste conversentur,
Ut tranquillam et quietam
Vitam deducamus, lætam,
In omni castimonia
Piaque sanctimonia.

Deus, omnes vis salvari,
Veritati conformari.
Unus Deus es, Creator,
Unus quoque mediator
Inter temet et nos, Jesus
Nostra pro salute læsus.

Fac orare nos ubique,
Semper, pie, non inique,
Puras manus elevando
Cum fervore, nec rixando.

Sacerdotes, pontifices
Fac virtutum opifices,
Morigeratos, prudentes,
Hospitales, continentes,
Pios, sobrios, doctores,
Christi dignos sectatores
Et irreprehensibiles,
In cunctis diligibiles.

Diaconos fac sobrios,
Ministros tibi proprios,
Non bilingues, sed pudicos,
Non avaros, sed amicos,
In pura conscientia
Vernantes continentia.

Verbum Dei incarnatum,
Pietatis sacramentum
Magnum es, præexaltatum,
Nostrum summum firmamentum :
Quod in carne declaratum,
Spiritu justificatum,
Angelis notificatum,
Gentibusque prædicatum,
Assumptum est in gloria,
Virtute præceptoria.

Et in vera pietate
Digne nunc exerceamur,

A

B

C

D

Cui spopondisti rate,
Ut reipsa protestamur,
Bona nunc et in futuro.
Te fruamur corde puro.

In te, Deus, confidimus,
Quem salvatorem dicimus
Universarum gentium,
Et præsertim credentium.

Cunctis fac nos exemplares
Verbo, vita ; caritate,
Castitate singulares,
Fide ac modestitate.

Fac prælatos lectioni,
Forti exhortationi
Et doctrinæ insudare,
Gregem suum præamare,
Tuam nusquam negligere
Gratiam, sed perficere.

Abs prævio judicio
Nil agamus, ne vitio
Corruamus, imprudenter
Quid agendo aut fallenter.

Alimenta, tegumenta
Dum habemus, contentemur ;
Fideique certamina
Forti mente præliemur ;
Spernamus avaritiam
Per divinam peritiam.

Solus potens es, Rex regum,
Mundi sator, dator legum :
Solus immortalitatem,
Inaccessibilitatem
Lucis habens ac habitans,
Quem nemo vidit flagitans.

Hic te, Christe, demonstrabit
Cunctis, quando judicabit
Per te die novissimo.
Tibi vacem mundissimo.

Da ut divites sæculi
Non sint tui æmuli,
Nec in vanis divitiis

Digitized by Google

Sperent, pompa, aut vitiis,
Verum in te Deo vero,
Corde pio ac sincero.

Non, o Deus, intumescant
Cito, Domine, assuescant
Bonis semper operibus,
Ditescant in visceribus.

Tibi, beata Trinitas, *etc.*

Laus Dei ex secunda Pauli ad Timotheum epistola.

Spiritum non præstitisti
Nobis servilis timoris,
Sed virtutis : infudisti
Tui spiritum amoris,
Veræque sobrietatis,
Deus, auctor pietatis,
Ut mentis promptitudine,
Virtutum plenitudine,
Serviamus piissime
Tibi ac devotissime.

Christe, non erubescamus
Hic tuum testimonium,
Sed secure te promamus.
Ad cœli nos duc solium.

Per te Pater nos vocavit
Gratia tua, haud merito
Nostro : qui præordinavit
Ab æterno non edito
In te conferre gratiam
Nobis, lucisque patriam.

Mortem, Christe, destruxisti,
Vitam veram reddidisti.
Si tibi nunc commorimur,
Gratiose convivemus,
Ut si digne compatimur,
Gloriose conregnemus.

Fac nos, Pater, laborare
Ut bonos Christi milites ;
Non nos sinas implicare
Rebus mundi præcipites,
Sed in cunctis intellectum
Præsta nobis, et cor rectum.

Tibi nos exhibeamus
Probatos operarios ;
Veritatis assumamus
Sermones necessarios ;
Recti, inconfusibiles
Simus ac dirigibiles.

Verba vana et profana
Devitemus mente sana ;
Nunquam verbis contendamus,
Et affectus fugiamus
Pueriles atque viles.
Tuus, o Christe, sim miles.

Servum tuum litigare
Non est decens, Jesu care,
Sed mansuetum et docilem
Patientemque sobolem,
Et modeste arguentem
Veritati resistentem.

Volentes pie vivere
In te, Christe, suscipere
Decet persecutiones
Tanquam tuas dationes,
Et has ferre glorianter,
Teque sequi æstuanter.

Da prælatis prædicare
Verbum tuum, opportune
Vigilanterque instare,
Etiam et importune,
Increpando patienter,
Obsecrando diligenter.

Tibi, beata Trinitas, *etc.*

Laus Dei ex Pauli ad Titum epistola.

Sacerdotes, pontifices,
Populi sint opifices.
Christe, tu fac hos vivere
Abs crimine, deifere.

Digitized by Google

Iram, incontinentiam,
Pompam ac vinolentiam,
Cupiditatem fugiant,
Gregumque culpas lugeant.

Fac hos, Deus, hospitales,
Pios, castos et frugales,
Justos, sanctos, eruditos,
Omni gratia fulcitos.
Agant suum officium
Condigne, non per vitium.

Senes, anus, juvenculas,
Juvenes et clientulas,
Virtutibus decentibus
Orna, Deus, in mentibus.

Tua, Salvator, gratia
Apparuit jam varia
Universis hominibus
Cum divinis luminibus,
Docens nos ut abnegantes
Culpas tibi adversantes,
Sæculi desideria
Et cuncta improperia,
Juste, pie, non gulose
Conversemur, virtuose,
Spem beatam exspectantes,
Et adventum præstolantes
Tuum, Christe, Deus sancte,
Immolate ob nos, tante.

Te pro nobis tradidisti,
Ut a culpis nos mundares;
Ob nos mortem pertulisti,
Ut nos tibi acceptares,
Teque jugiter sectemur,
Et quæ justa operemur.

Benignitas apparuit,
Humanitasque patuit
Tua, Christe liberator.
Non ex nostra, o Salvator,
Nos salvasti æquitate,
Sed tua cum pietate,
Per regenerationem
Atque renovationem
Sancti Spiritus clementer

A Tuis dati affluenter,
Tua ut justificati
Gratia ac adornati,
Simus vitæ sempiternæ
Coheredes, Rex superne.

Tibi, beata Trinitas, *etc.*

Laus Dei ex epistola Pauli ad Hebræos.

Tu, Pater, multifarie
B Olim loquens, fons gratiæ,
Priscis nostris per Prophetas,
Veritatis tuæ metas,
Nunc locutus per Filium
Nobis, tuum consilium.

Quem heredem statuisti
Secundum humanitatem
Omnium ; per quem fecisti
Secundum divinitatem
Omnia prorsus sæcula.
Non tibi sit plebs æmula.
C
Qui quum sit splendor gloriæ,
Character perfectoriæ
Tuæ, Pater, substantiæ,
Origo elegantiæ,
Cuncta sua vi sustentans,
Culpas purgans, non retentans,
Residet ad majestatis
Dexteram, fons bonitatis.

Angelis tanto melior,
Quo Filius est verior :
D Est nam proles per naturam,
Et non per imitaturam.

Nulli quippe angelorum
Es locutus, Rex cœlorum :
Tu exsistis meus Natus,
Hodie ex me generatus.

Nam administratorii
Spiritus sunt universi,
Salutis operatorii
Instrumentales, detersi,

Digitized by Google

Missi in ministerium
Ob electos egregium.

Nos oportet observare
Tua verba timorate,
Fili Dei o præclare,
Quum sint jussa tam curate
Observari verba legis
Datæ per ministrum Regis.

Legem tuam confirmasti
Signis magnis et portentis,
Et eamdem roborasti
Plurimarum munimentis
Virtutum, atque munerum
Spiritus ultra numerum.

Christo, Deus, subjugasti
Orbem terræ post futurum;
Gloria hunc coronasti
Et honore, propter purum
Passionis promeritum
Nobis clementer deditum:
Pro nobis tua gratia
Mortem tulit pro patria.

Te propter quem sunt omnia,
Per quem item sunt omnia,
Multos natos qui salvasti,
Sanguine quos liberasti,
Passione consummari
Condecebat, et his dari.

Fratres tuos hinc dixisti
Eos, qui et destruxisti
Tua morte, ac vicisti
Penitusque dejecisti
Hunc qui mortis imperium
Habuit per mysterium.

Non naturam angelicam,
Sed humanam assumpsisti,
Quam per virtutem cœlicam
Ex Abraham induisti.

Fratribus hinc similari
Tu in cunctis debuisti,
Sicque clemens declarari;
Fidus pontifex fuisti

A

Ad Deum, propitiando
Culpas plebis, temet dando.

Quo es passus et tentatus,
Es juvare potens ratus
Tentatos, tuo merito.
Tu omnes nos protegito.

Nostræ tu confessionis
Apostolus et pontifex,
Qui in domo mansionis
Patris, qui est insontifex,

B

Eras fidus et Filius.
Te nihil optabilius.

Hæc domus est Ecclesia,
Plebs fidelis egregia,
Fiduciam et gloriam
Spei servando propriam.

Nunquam corda obduremus
Auditis tuis sermonibus;
Invicem nos excitemus
Sanctis collationibus,

C

Ne quis culpæ fallacia
Vagetur per inania.

Vereamur ne relicta
Sponsione a te dicta
Intrandi tuam requiem,
Summam, plenam temperiem,
Nostrum quis inveniatur
Tunc deesse, et pellatur.

Vivus, Pater, sermo tuus,
Verbum tuum ac Filius:

D

Nos conservet vigor suus,
Quo nihil est felicius.

Sermo penetrabilior
Omni ense, agilior,
Cui nil invisibile,
Sed omne ens noscibile:
Cuncta nempe sunt aperta
Ejus oculis, ac certa.

Te habentes pontificem
Magnum, mundi artificem,
Fili Dei, accedimus

Digitized by Google

Thronum gratiæ : credimus
Nam in te, ut consequamur
Pietatem qua salvamur.

Christe, non clarificasti
Te ut pontifex fieres,
Sed quem Patrem honorasti,
Ut nos quoque redimeres :
Ad te, Meus es Filius,
Ait Pater sublimius.

Preces Patri cum clamore
Forti, lugens præ horrore,
Offerens, es exauditus,
Tua dignitate scitus.

Quumque esses Dei Natus,
Ex his quibus cruciatus
Es, parere didicisti,
Obedire docuisti,
Id experimentaliter
Discens quod scis mentaliter.

Passione consummatus,
Causa factus es salutis
Omni tui principatus
Jussa tenenti, virtutis.

Tu secundum maneriem
Melchisedech appellaris
Pontifex, qui congeriem
Culpæ amovere faris.

Sensus da exercitatos,
Solidum ut capiamus
Cibum, et illuminatos
A te sensus hauriamus.

Non es injustus, Domine,
Nostra bona obliviscens.
Illos divino nomine
Sequi nostra mens sit discens,
Qui fide, patientia,
Te possident fruentia.

Abraham longanimiter
Ferens, sponsa est adeptus.
Nos quoque fac similiter
Spe firmatos. Te sim septus.

A

Translato sacerdotio,
Vis legis sit amotio.
Ad perfectum lex nil duxit.
Per te, Christe, spes illuxit,
Per quam Deo propinquamus
Et salutem impetramus.

Æternum sacerdotium
Habes, manes nam æterne :
Hinc salubre negotium
Agis, salvans nos superne.

B

Per te Patrem es accedens
Ad precandum, nec recedens,
Monstrans latus et vulnera,
Ut mentis sanes ulcera.

Pontificem nos decuit
Te habere et eguit,
Purum, sanctum, innocentem,
Super cœlos residentem :
Qui veri tabernaculi
Et sanctorum es minister ;
Divini habitaculi,

C

Quod fixisti tu Magister.

Patri adstans futurorum
Pontifex tu es bonorum ;
Cœleste tabernaculum
Es ingressus per cruorem
Tuum, non per umbraculum
Legis aut legalem morem.

Sanguine atque cinere
Hostiarum legalium
Purgantibus facinore

D

Fœditatum carnalium ;
Multo plus nos emundabit
Sanguis Christi et salvabit,
Qui per Sanctum Spiritum
Se obtulit ad libitum
Deo Patri illibatum :
Quo cor nostrum sit beatum.

Testamenti mediator
Novi es, Christe Salvator,
Morte ut intercedente
Tua et nobis succurrente

Digitized by Google

Culpæ pro remissione,
Te fruamur, Factor bone.

Non in Sancta manufacta,
Verorum exemplaria,
Introisti, sed in acta
A te trans luminaria,
In cœlum, ut appareas
Patri ob nos ac clareas.

Semel, Christe, es oblatus
Culpas ad exhauriendas,
Et secundo, ut es fatus,
Ad personas redimendas
Exspectantes te parebis,
Impios a te delebis.

Unam pro culpis victimam
Offerens tam legitimam,
Corpus tuum, in æternum
Juxta Patrem es supernum,
Donec tui inimici
Deprimantur impudici.

Fac nos, Deus, accedere
Plenissimeque credere
Cum pura conscientia,
Perenni persistentia,
Spei nunc confessionem
Tenentes per unctionem.

O Deus, quam terribilis
Dies tui judicii,
Ignis item horribilis,
Diri causa supplicii,
Puniens adversarios
Peccati operarios !

Horrendum est incidere
Manus tuas, vivens Deus,
Quum te constet affligere
Sine fine hunc qui reus.

Tua, Deus, perpendamus,
Augentes dilectionem ;
Neque nostram relinquamus
Fraternam collectionem,

A

Ut est moris aliquorum
Pusillorum et vagorum.

Tanto hanc plus consolemur,
Quanto diem intuemur
Propinquare judicii
Ac proprii excidii.

Non nostram confidentiam
Amittamus, quæ habebit
Tuam, Deus, fruentiam,
Quæ in ævum permanebit.

B

Da, Deus, patientiam
Nobis pernecessariam,
Ut per obedientiam
Servemus omnifariam
Universa quæ jussisti,
Sortiamur quæ dixisti.

Justi fide sunt viventes.
Quod si se sint subtrahentes,
Tibi, Deus, non placebunt,
Nec superna obtinebunt.

C

In fide testimonium
Bonum atque præconium
A te senes sunt adepti,
Viri sancti, non inepti :
Qua sæcula disposita
Noscimus et edomita.

Abs fide impossibile
Tibi, Deus, est placere.
Qui habet cor docibile,
Ista debet recensere.

D

Oportet quippe accedentem
Te, sincere exquirentem,
Credere te vere esse,
Munerando non deesse.

Juxta fidem sunt defuncti
Sancti olim a te uncti,
Repromissa non sumentes,
Procul hæc adspicientes,
Salutantes, peregrinos
Se hic fantes et supinos.

Digitized by Google

Sancti fide devicerunt
Regna, justeque egerunt,
Et promissa sunt adepti,
Summa luce circumsepti.

Omne pondus vitiorum
Per te, Deus, repellamus,
Et certamen nunc laborum
Nobis positum curramus
Per jugem patientiam
Ac fixam sapientiam :

Te, o Jesu, contemplantes, B
Fida menteque sectantes,
Qui gaudio proposito
Pati malebas solito.

Te qui tanta pertulisti,
Et contemptus sic fuisti
Ab iniquis, meditemur,
Ne adversis fatigemur.

Disciplinam diligamus
Tuam, in hac persistamus.
Nam quem amas, tu castigas, C
Sic ut omnem hunc affligas
Quem suscipis in filium.
Vota imple humilium.

Si tenemur obedire
Genitori hic carnali,
Quanto plus sub te transire
Opus, Patre spiritali,
Creatore spirituum ?
Me tuum fac ædituum.

Pacem atque sanctitatem, D
Abs qua nullus Deitatem
Cernet, fac nos imitari,
A te nusquam separari.

Radix amaritudinis
Nunquam nobis innascatur,
Quam ut terram salsuginis
Vere prudens detestatur.
Nam hac multi inquinantur,
Et habentes retardantur.

Venimus ad Sion montem, A
Ad te Deum, lucis fontem,
Et Jerusalem cœlestem,
Fugientes mundi pestem ;
Atque multorum millium
Angelorum frequentiam,
Per Christum, Dei Filium,
Patrisque sapientiam.

Amorem fraternitatis
Atque hospitalitatis
Fac nos, Deus, observare,
Caritateque flagrare.

Honestum da connubium
Torumque immaculatum
Plebi tuæ, haud dubium
Christianæ. Me fac gratum.

Variis ac peregrinis
Non fallamur nos doctrinis,
Sed cor nostrum stabiliat
Gratia, quæ conciliat.

Christe, ut sanctificares
Plebem, tuum per cruorem,
In æternum hanc salvares,
Tuum ei dans fulgorem,
Extra portam es perpessus,
O amator indefessus.

Ad te ergo exeamus,
Improperium feramus
Tuum, urbem non habentes
Hic manentem, sed quærentes.

Per te, Christe, offeramus
Laudis hostiam jam Deo ;
Nec oblitui tradamus,
Toto precor corde meo,
Neque beneficentiam,
Imo nec communionem :
Per hanc nam offerentiam,
Tuam meremur visionem.

Nos præpositis parere
Fac, sic atque nos habere,
Ut gaudentes præsidere
Queant, neque nos deflere.

Digitized by Google

Deus pacis, eduxisti
Magnum de morte pastorem,
Per quem plebem redemisti,
Jesum Christum salvatorem :
Apta nos in omni bono.
Omnem in te spem repono.

Tibi, beata Trinitas, *etc.*

Laus Dei ex Canonica Jacobi apostoli.

Omne gaudium putemus,
Quum diversas sustinemus,
O Deus, tentationes,
Ut per te perfectiones
Simus integre habentes,
In nullo deficientes.

Deus, qui das affluenter
Cunctis, neque improperas,
Dona nobis miserenter
Virtuosas nunc operas,
Salubrem sapientiam,
Petendi confidentiam.

Spe est coram te beatus,
Qui suffert tentationem :
Nam quum fuerit probatus,
Sumet coronationem,
Quam promittis te amanti,
Vereque perseveranti.

Omne donum dignissimum,
Omne datumque perfectum
A te, ens præstantissimum,
Quod transcendis intellectum,
Fluit, o Pater luminum,
Origo et fons numinum :
In te nulla mutatio,
Nec vicis obumbratio.

Sponte verbo veritatis
Nos regenerasti gratis,
Ut in rebus sic creatis
Primum quoddam simus datis.

Veloces ad audiendum
Verba tua simus, Deus;

A

Tardi autem ad loquendum
Et ad iram. Precor reus
Ut sumamus mansuete
Salutare verbum de te.

Verbi tui fac actores
Nos, non vanos auditores ;
Linguam quoque refrenemus,
Religiosi ut exstemus.

Pauperes tu elegisti,
Fide divites quos scisti,
B Qui heredes exstant regni
Sponsi amanti, non segni.

Non personam capiamus ;
Totam legem impleamus,
Nec in uno offendentes,
Vivam fidem possidentes :
Nam in uno qui offendit,
Reum omnium se ostendit.

Bona conversatione
Actus nostros ostendamus,
C Et mansueta ratione
Zelum, lites repellamus :
Habens nam amarum zelum,
Non propinquans est ad cœlum.

Desursum sapientia
Pudica est, pacifica,
Modestiæ splendentia,
Suasibilis, dulcifica,
Plena miseratione
Et virtutum actione,
Nusquam simulatorie
D Censens, sed amatorie.

Amicitiæ sæculi
Tibi, Deus, adversantur,
Quia fiunt tui æmuli,
Mundi esse qui conantur :
Nam qui mundi est amicus,
Hostis tuus est impudicus.

Tibi nos obedientes,
Dæmoni fac resistentes.
Corda a duplicitate,

Digitized by Google

Manus ab iniquitate
Depuremus, et mutemus
Risum gaudiumque vanum
In mœrorem, luctum sanum.

Coram te humiliemur,
Nulli prorsus obloquendo.
Vitam nostram contemplemur
Quod sit vapor, defluendo
Parum parens : longam vitam
Præsumamus ne nescitam.

Fac nos semper patientes;
In alterutrum gementes
Nunquam simus, formam Vatum
Imitantes : nam beatum
Horum chorum prædicamus,
Patientiam laudamus.

Vitiose non juremus ;
Contristati, te laudemus,
Nunc orando, nunc psallendo,
Nunquam a te recedendo.

Ægros digne da inungi,
Et beate tibi jungi.
Mutuo confiteamur,
Et pro invicem nitamur
Exorando ut salvemur,
Te ardenter veneremur.

Tibi, beata Trinitas, *etc.*

Laus Dei ex prima Canonica Petri apostoli.

Gratia multiplicetur,
Incessanter et pax detur
Nobis a te, Pater Deus,
Auctor et salvator meus.

Secundum præscientiam
Tu nos, Deus, elegisti ;
Per tuamque clementiam
Nos a morte reduxisti
Sanguinis adspersione
Christi, obeditione.

A

Pater Christi, benedictus
Deus, es incircumscriptus,
Qui secundum pietatem
Magnam tuam et caritatem
In spem nos regenerasti
Vivam atque reformasti
Christi resurrectione,
Qua hereditatione
Sempiterna ditabimur
In cœlis, ac lætabimur.

In te, Christe, gaudebimus,
B Sed interim dolebimus,
Ut fidei probatio
Nostræ ac conversatio
Sit auro pretiosior
Tuam ad laudem, ac potior.

Te, Deus, nunc diligimus,
Credentes quem non vidimus;
Videntes te lætabimur
Gaudio ineffabili :
Fidei tunc dotabimur
Fructu desiderabili,
C Qui est salus animarum,
Finis actionum harum.

Mentis lumbos nunc succincti,
Temperati, sursum tincti
Et perfecti, confidamus
In te, Deus, nec ruamus,
Nati obedientiæ,
Innitentes clementiæ.

Nostræ non configuremur
Cæcitatis affectibus
D Pristinis, sed depuremur
Virtuosis effectibus.

Juxta Sanctum te Sanctorum,
Qui vocasti nos ut morum
Sanctitate fulgeamus,
Omni vita splendeamus.

Pretio corruptibili,
Auro aut re consimili
Non nos, Christe, redemisti :
Ob nos sanguinem fudisti,

Digitized by Google

Agne Dei illibate,
Rex virtutum, dux beate.

Animas castificemus
Obeditu caritatis ;
Mentes tibi præparemus
Amore fraternitatis,
Simplo corde diligentes
Invicem et complectentes.

Nos per incorruptibile
Semen, Pater, renovasti :
Per verbum intransibile,
Spiritu regenerasti.

Omnem dolum, malitiam,
Hypocrisim, invidiam,
Detractiones vitemus;
Puritatis lac optemus
Ut nunc geniti infantes,
Ut te simus conspectantes.

Quam sis dulcis degustemus,
Christe, ad te properemus,
Lapis vivus, reprobatus
A perversis hominibus,
Sed electus, honoratus
A Deo in numinibus.

Per te genus nos regale,
Christe, ac sacerdotale
Sumus, gens purgationis,
Plebsque acquisitionis,
Ut virtutes nuntiemus
Tuas, et te præamemus,
Qui de tenebris vocasti
Nos in lucem mirabilem,
De inferno liberasti
In splendorem optabilem.

Et nos tanquam peregrinos
Da affectus indivinos
Carnis prorsus expugnare,
Quos sentimus militare
Contra cor, ut inter gentes
Simus sancte conviventes.

Fac nos propter te subjectos
Cunctis, gratiosos, rectos,
Ut ora imprudentium
Claudamus luce mentium,
Sic ut bene conversantes,
Compescamus obtrectantes.

Fac nos omnes honorare,
Et adversa tolerare
Sine causa et illata,
Mente fixa, inturbata.

Christe, es pro nobis passus,
Formam nobis relinquendo,
Ut sequamur te qui lassus
Eras, post te gradiendo.

Quum a pravis patereris
Atque maledicereris,
Eis non maledixisti,
Neque minas intulisti.

Condemnanti te dedisti,
Nostras culpas tu tulisti,
Ut peccatis morientes,
Juste simus incedentes.

Quasi oves erravimus,
Quando non ambulavimus
Post te, Christe ; sed vertisti
Nos ad te, qui exstitisti
Esque pontifex nostrarum
Necnon pastor animarum.

Nos in fide fac concordes,
Humiles, misericordes,
Patientes, non reddentes
Malum, sed benedicentes.
Nobis nullus quit nocere,
Bonum si sectemur vere.

Christe, te sanctificemus ;
Conscientiam servemus
Bonam sancto cum timore
Et modesto semper more.

Semel ob nos es oblatus,
Fili Dei, nobis datus,
Carne ut mortificatos,

Digitized by Google

Menteque vivificatos,
Nos offerres Patri Deo,
Culpas delens coram eo.

Tu in cœlum es profectus,
Omnis chorus est subjectus
Tibi, Christe, angelorum
Ordinumque supernorum.

Pios fac nos et prudentes,
Caritatem retinentes,
In orando vigilantes,
Tuis donis radiantes.

Collatam nobis gratiam
Aliis communicemus,
Trahendo hos ad latriam,
Ut te simul honoremus,
Bonum ut dispensatorem
Decet tuæ multiformis
Gratiæ. Te Salvatorem
Secter mente deiformis.

Pater, honorificeris
In cunctis per Jesum Christum ;
Gloriosus adoreris,
Qui creasti mundum istum.

Tuæ dum communicamus
Passioni, gaudeamus,
Christe, ut in gloria
Lætemur perfectoria.

Propter te dum exprobramur,
Nos felices arbitramur :
Nam quod honoris, gloriæ
Et virtutis est proprie
Dei, super nos quiescit,
Ejus fulgor insplendescit.

Qui secundum voluntatem
Tuam, Deus, patiuntur,
Tibi per fidelitatem
Commendare se noscuntur.

Pavendum erit judicium.
Si et justus vix salvetur,

A Quale ergo supplicium
Omnis pravus sortietur?

Prælatis, senioribus
Fructuose da præesse,
Ut cum sanctis majoribus
Queant gloriosi esse.

Non sint quasi dominantes
Clero, sed sint formam dantes
Vitæ ; lucrum non sectentur
Turpe, gregi operentur.

B

Christe, fac adolescentes
Senioribus parentes ;
Invicem humilitatem
Omnes monstrent per ætatem.

Sub tua humiliemur
Manu, ut hac exaltemur
Die visitationis,
Deus gloriationis.

Sobrios et timoratos
C Fac nos, Deus, et beatos ;
Dæmoni nos ambienti,
Ad devorandum sævienti,
Fac nos digne resistere,
Fortes fide persistere.

Deus totius gratiæ,
Qui nos vocasti varie
Gloriam ad æternalem,
Et ad fontem te vitalem,
Nunc in Christo parum passos
Per labores nunquam cassos,
D Tu nos firma, fac perfectos,
Sapientes, fortes, rectos.

Tibi, beata Trinitas, *etc.*

Laus Dei ex secunda Petri Canonica.

Christe, gemma speciosa,
Felix est qui in te credit ;
Maxima et pretiosa
Nobis Pater per te dedit,

Digitized by Google

Ut per hæc efficiamur
Dei consortes naturæ,
Nec mundanæ illabamur
Fœditatem corrupturæ.

In fide administremus
Jam virtutem, per quam stemus;
In virtute scientiam,
In hacque abstinentiam;
Et in hac patientiam,
In eaque clementiam;
In hac proximi amorem,
In quo Dei perardorem.

Bona conversatione
Certa fiat, Jesu bone,
Nostra ad te vocatio
Atque prædestinatio.

Non indoctas assecuti
Fabulas, sed te imbuti,
Christe, tuam confitemur
Veritatem, reveremur
Et tuam præscientiam,
Item omnipotentiam.

Nam honorem accepisti
A Patre, necnon gloriam,
Voce lapsa quam audisti
Ab alto laudatoriam :
Natus meus es dilectus,
Beneplacens ac electus.

Non humana voluntate
Prophetia est allata;
Sed a tua pietate,
Sancte Spiritus, est data.

Angelis non pepercisti,
Mundo nec originali.
Da timere, ut jussisti,
Te timore filiali;
Nec plebs peccet, ne reddatur
Servus culpæ et prematur.

Bona scita da patrare :
Melius nam ignorare
Æquitatem, quam hanc scire
Et non actu redimire.

A

Apud te sunt mille anni,
Deus, tanquam una dies.
Veteramur tanquam panni,
In te solo nobis quies.

Qui non tardas repromissa,
Ob nos patienter
Agis, volens et amissa
Nos delere pœnitenter.

Dies tua adveniet
Ut fur, et tunc deperiet
B Cœlum, igneque solventur
Elementa, et urentur
Terra ejusque opera :
Ad succurrendum propera.

Quum hæc cuncta sint solvenda,
O Majestas metuenda,
Quam nos sancte conversari
Opus est ac præparari!

Gratia immaculatos
Menteque inviolatos
C Fac nos, Deus, inveniri,
Tua ope præmuniri.

Tuam longanimitatem
Putemus felicitatem,
Tibi semper sanctitate
Ministremus timorate.

Per te nos custodiamus,
Nec errore nos fallamus;
Tua in cognitione,
Christe, jugiter crescamus,
D Pura in affectione
Te ferventer diligamus.

Tibi, beata Trinitas, *etc.*

Laus Dei ex prima Joannis Canonica.

Verbum quod ab initio
Fuit a te principio,
Pater sancte, audierunt,
Conspexerunt, tractaverunt
Incarnatum Apostoli,
Futurorum qui præscii.

Digitized by Google

Vitam nobis nuntiarunt
Æternam ac prædicarunt
Apud te, o Pater, entem
Sempiterneque manentem,
Ut sumamus lætitiam
Plenam, claram notitiam.

Deus sancte, lux es pura,
Tenebrarum quo mixtura
Locum prorsus non sortitur.
Felix mens quæ hac vestitur.

Dicens se societatem
Tecum atque caritatem
Possidere, tenebrose
Ambulans seu vitiose,
Is non facit veritatem,
Sed incurrit falsitatem.

Si in luce incedimus,
Sicut te lucem credimus,
Ad beatam Trinitatem
Habemus societatem,
Et nos tuus sanguis mundat,
Christe, bonisque fecundat.

Si abs culpa nos dicimus,
Nosmetipsos decipimus ;
Nostras culpas confitentes,
Indulgentiam sumentes
Sumus, Pater, qui in cœlis
Exstas justus ac fidelis.

Et peccantes, advocatum
Te habemus Dei Natum
Apud Patrem, peccatorum
Propitiatorem horum.

Scimus quod te agnoscamus,
Si mandata observamus.
Nam se dicens te noscere,
Mendosus est præpostere,
Si non servat et mandata
A te, Deus noster, lata.

Verbum tuum qui custodit,
Is perfectam caritatem
Habet, Deus, nec quem odit,
Pure amans veritatem.

A

Dicens se in te manere,
Instar tui se habere
Debet, Christe. O Salvator,
Tui dignus sim sectator.

Amans fratres, conversatur
In splendore et salvatur ;
Sed qui odit, offuscatur,
Ruit, fallit, condemnatur,
Nescitque quo gradiatur,
Mentis luce nam privatur.

B

Da ne mundum diligamus,
Sed quæ mundi contemnamus :
Mundum quippe diligentes,
Tuo amore sunt carentes.

Mundus transit per ætatem,
Ejusque concupiscentia ;
Tuam agens voluntatem,
Jugi gaudet manentia.

Tua, Deus, unctione
Imple nos instructione,
C
Ut ipsa nos erudiat,
Deus, cunctis, et muniat.

Te negans Dei Filium,
O Salvator humilium,
Tuum negat Genitorem,
Nec te habet salvatorem ;
Porro qui te confitetur,
Patrem habet ac veretur.

Caritatem ostendisti
Nobis magnam et dedisti,
D
Deus Pater, ut vocemur
Tui nati. Te sectemur.

Natos tuos nos credimus.
Nondum patet quid erimus ;
Quum autem apparuerit
Et lux tua claruerit,
Similes tibi erimus :
Nam te ut es videbimus.

Ad hoc, Christe, advenisti,
Ut succurras mundo isti,

Digitized by Google

Dæmonis solvens opera.
Ad salvandum nos propera.

Deus, qui est ex te natus,
Non est peccans finaliter :
A te nam est defensatus ;
Nec perit æternaliter,
Quia tuum semen manet
In hoc : quod meam mentem sanet.

Injustus, fratrem odiens,
Ex dæmone est prodiens,
Estque talis homicida :
Hinc amemus mente fida.

In hoc scimus caritatem
Tuam, Christe, pietatem :
Sponte nam te tradidisti
Ob nos, quos id docuisti,
Ut ob fratres nos ponamus
Vitam, causam dum spectamus.

Si cor nos non arguerit,
Tute in te confidimus,
Et precem quam effuderit,
Exauditam suscipimus.

Non omni mox spiritui
Credamus, intuitui
Inhærentes, sed probemus
An ex Deo sint : sic stemus.

In hoc, Pater, apparuit
Amor tuus et claruit,
Quod tuum Unigenitum
Misisti nobis, editum
Ex Maria, ut vivamus,
Per hunc plene gaudeamus.

Caritatem demonstrasti,
Quia prior nos amasti,
Mittens tuum Filium
Salvatorem fragilium.
Te nos ita diligente,
Proximos amemus mente.

In hoc scimus quod manemus
In te atque te habemus,
Quia Spiritum dedisti
Tuum nobis. Parce isti.

O Deus, tu es caritas,
Nos autem nil quam vanitas ;
Manensque in caritate,
In te manet, o beate,
Et in eo tu, Creator,
Manes beatificator.

Non in caritate timor
Est servilis, ut hic rimor ;
Sed pudicus, filialis,
Qui et trahit nos a malis.

Te amemus cum fervore :
Nam et prior nos amasti,
Qui beato tuo ore
Seriose imperasti
Ut hic amet omnem fratrem
Qui te amat, Deum Patrem.

Se dicens te diligere,
Si proximum sit odiens,
Se sciat se decipere ;
Neque ex te est prodiens.

Amans te qui genuisti,
Diligit tuum Filium,
Atque te qui processisti
Ex utroque, Rex millium.

Jussa tua non gravida,
Servanda mente avida :
Omnis ex te natus, mundum
Fide vincit infecundum.

Vincit mundum, qui formata
Fide credit perornata
Te Christum Dei Filium,
Qui venisti ut lilium,
Non per aquam, Deus, tantum,
Sed per sanguinem persanctum.

Sanctus Spiritus testatur
Quod tu, Christe, sis veritas.
Per te mens erudiatur,
O adoranda Deitas.

Digitized by Google

Tres in cœlo contestantur,
Pater, Verbum et Spiritus;
Et hi unum prædicantur
In natura divinitus.

Fili Dei, qui non credit
In te, Patrem facit falsum :
Testimonio non cedit,
Sed contemnit ut præfalsum,
Quod Pater tibi præbuit,
Quod acceptare debuit.

Pater, vitam præstitisti
Nobis æternalem, veram :
Hanc in Christo statuisti,
In quem credentes, per meram
Fidem vitam jam habemus
Æternam, quam spe tenemus.

Ex te nos esse fidimus,
Deus, qui nunc conspicimus
Totum mundum in maligno
Situm. Te fruamur digno.

Fili Dei, te venisse
Scimus, sensumque dedisse
Deum verum ut noscamus,
Atque in te persistamus
Ipsius vero Filio.
Tibi mentem humilio,
Qui es verus Deus, vita
Et æterna, infinita.

Tibi, beata Trinitas, *etc.*

Laus Dei ex secunda et tertia Joannis Canonicis.

Sit nobiscum gratia,
Pietas, virtus, latria,
A te, Pater, in amore,
Filioque in splendore.

Caritatem hoc fatemur,
Ut mandata operemur ;
Da ut nosmet perpendamus,
Bona facta non perdamus.

Manens, Christe, in doctrina
Tua, habet Patrem ac te :
Fige mentem in divina,
Tuo eam nutri lacte.

Gaudium sit prælatorum,
Spiritalis subditorum,
Verus, fixus, quam perfectus
Et fidelis intellectus.

Ex te est qui bene facit,
Deus ; sed qui male facit,
Non te videt : nam formata
Caret notione rata.

Tibi, beata Trinitas, *etc.*

Laus Dei ex Canonica Judæ.

Plebem, Jesu, eduxisti
De Ægypto, perdidisti
Non credentes ; qui ruentes
Angelos superbientes
In judicium servasti
Dei, vinculis ligasti
Æternis sub caligine,
Qui fuissent cœligenæ.

Gomorrha atque Sodoma,
Pravitate synonyma,
Sunt exemplum constitutæ,
Ignis æterni virtute
Tua pœnam sustinentes,
Et submersæ, non patentes.

Viam Cain assecutis,
Culpam Balaam indutis
Coreque rebellionem
Parasti damnationem.
Nam procella tenebrarum
Harum est creaturarum
Pravitati conservata,
In æternumque parata.

Multis Sanctorum millibus
Gloriosis, humilibus,
Stipatus, ad judicium,

Digitized by Google

Qui odis omne vitium,
Venies, ad arguendum
Impios ac puniendum.

Nos a murmuratoribus,
Et carnis secutoribus
Querulosisque secerne,
Deus clemens et æterne.

A semet dividentibus,
Spiritum non habentibus,
Itemque animalibus,
Sejunge nos a talibus.

Et fidei sanctissimæ
Nos superædificemus ;
Te Deum devotissime
Sancto Spiritu oremus ;
In ferventi caritate
Persistamus illibate.

Proximis misereamur,
Tuo in timore figamur,
Odientes maculatam
Carnis tunicam, fœdatam.

Potens es nos conservare
Absque culpa, et locare
In lucis tuæ gloria
Prædulci, amatoria.

Tibi, beata Trinitas, *etc.*

Laus Dei ex Actibus Apostolorum.

Te, o Christe, præbuisti
Vivum post tuam passionem,
Tuisque apparuisti
Claram per probationem,
Quadraginta in diebus
Te viventem monstrasti rebus.

His convescens præcepisti
In Jerusalem morari,
Spiritum quem promisisti
Sanctum, illic præstolari.

Spondes quod hunc susciperent,
Tibi testes exsisterent
Universa in Judæa,
Itemque Samaria,
Prædicando te, spes mea,
Per spatia tam varia,
Imo usque fines terræ.
Fac nos te in corde ferre.

Tunc in cœlum ascendisti,
Nubem claram introisti.
Quibus te deducentibus
Visu læte, stupentibus,
Angeli mox adstiterunt,
Rediturum te dixerunt
Taliter ut ascendisti.
Parce his quos redemisti.

Die sancto Pentecostes,
Christe qui vicisti hostes,
Sacrosancto collegio,
In quorum eras medio,
Destinasti Paraclitum
Igneis linguis placitum.

Scripturarum et linguarum
Eis mox universarum
Usum atque notitiam
Dedit, summam peritiam.

Hujus rei novitate
Gentes multæ sunt miratæ.
Conversa tria millia
Judæorum, ut lilia
Fuerunt tunc virentia,
Te Christum confitentia.

Manibus Apostolorum
Cumulum miraculorum
In Jerusalem fecisti,
Signa magna tunc egisti :

Sic quod omnes metuebant
Valde, et qui non credebant ;
Omnis plebis habuerunt
Gratiam, qui crediderunt.

Te, o Jesu Nazarene,
Rex virtutum præserene,

Digitized by Google

Signis et prodigiis,
Deitatis indiciis
Deo Patre approbatum,
Et virtutibus firmatum,
Traditum providentia
Patris atque consilio,
Agmina non credentia
Peremerunt supplicio.

Natum claudum integravit
Petrus per te : informavit
Tunc de te quinque millia,
Faciens hæc humilia.

O Deus Patriarcharum,
Christum tu glorificasti ;
Fontem vitæ gratiarum,
Plebs prava, trucidasti.

In te solo nostra salus,
Christe, qui non credit, malus ;
Nec est datum hominibus
Quod nomen in numinibus,
Quo salventur, nisi tuum :
Salvatorem noscant suum.

Orante te Ecclesia
Primitiva in media
Sancta urbe, movebatur
Locus quo tunc morabatur;
Spiritu tunc est impleta,
Teque protestata læta.

Vir et conjux quid furati,
Verbo Petri sunt necati
Virtute tua, Domine.
Tuo salvemur nomine.

Umbra Petri sanabantur
Per te qui infirmabantur.

Carcerem tunc patefecit,
Tuos egredi præcepit
Angelus, ut prædicarent,
Et te Christum publicarent.

Tunc Apostoli gaudebant,
Propter te quod sustinebant

A

Contumeliam, Salvator.
Esto nobis informator.

Stephanus, te concedente,
Cœlos vidit hic apertos
Et te apud Patrem mente,
Per te habens visus certos ;
Fulsitque ejus facies
Ut angeli per acies.

Multos claudos et obsessos,
Paralyticos et fessos
B Philippus in Samaria
Curavit ope varia :
Quem et angelus perduxit
Ad eunuchum, ac reduxit.

Paulo hinc apparuisti,
Persequentem prostravisti.
Ad divina rapuisti,
De secretis instruxisti,
Levans ad cœlum tertium,
Rapiens in paradisum
Hunc per mirum commercium,
C Monstrans ei te invisum ;
Hunc apostolum sacrasti :
Quam sis clemens demonstrasti.

Æneam a paralysi
Petrus per te liberavit ;
Tabitham parem silici
Hic a morte suscitavit.

Te mittente apparuit
Centurioni et claruit
Angelus tuus, Domine,
D Factas in tuo nomine
Preces, eleemosynas
Approbans, quas tu nominas.

Petro evangelizante
Ei secumque collectis,
Necdum hos quo baptizante,
Transmisisti tam electis
Flamen signo evidente,
Linguas eis dans intente.

Jesu, tu quem Pater unxit

Digitized by Google

Virtute et Paraclito,
Pertransisti, ut injunxit,
Docens corde præinclyto,
Cunctis benefaciendo,
Dæmonesque expellendo.

Tu incarceratum, vinctum
Petrum, servis circumcinctum,
Per angelum de carcere
Duxisti, volens parcere.

Et Herodem arrogantem,
Deo laudem non præstantem,
Cœlitus mox percussisti,
Vermibusque consumpsisti,
Qui divinis honoribus
Gaudebat et rumoribus.

Per te, Christe, prædicatur
Peccatorum remissio,
Quibus nemo emundatur
In lege, ubi scissio.

Te Pater lucem gentium
Posuit, ut credentium
Salus tu sis ad extremum
Terræ, Christe, ens supremum,
Qui per Paulum claudum natum
Reparasti ad prolatum.

Deus, cuncta qui fecisti,
Omnes gentes permisisti
Olim suas vias ire,
Multimodisque perire.

Nec sine testimonio
Te tunc atque præconio
Reliquisti, imbres dando,
Fecundando et cibando.

Credimus tua gratia
Salvari, Christe, varia,
Qui per fidem purificas
Corda atque justificas.

Tu qui mundum condidisti,
Vitam flatumque dedisti,
Cunctos ex uno homine
Nos formasti, o Domine.

A

B

C

D

Et statuta definisti
Tempora tu singulorum,
Terminosque præfixisti
Habitationis horum,
Ut te, Deus, semper quærant.
Implent id qui perseverant.

Non a nobis es tu longe,
Deus sancte. Tu nos unge.
In te sumus et movemur,
Vivimus : hinc te veremur.

Non in templis manufactis
Manes, Deus, nec compactis,
Deauratis, argentatis,
Sculptis, artificiatis
Simulacris, o beate
Deus superexaltate.

Prioris ignorantiæ
Dies olim despiciens,
Tempore miserantiæ
Cunctos es suscipiens,
O Salvator, ad gratiam,
Omnes hortans ad latriam.

Diem, Deus, statuisti
In quo mundum judicabis,
In viro quem posuisti,
Per quem cuncta ordinabis.

Viris fere duodenis,
Junctis pietatis venis,
Quos per Paulum baptizasti,
Sanctum Spiritum legasti,
Christe, signo visibili,
Omni lingua dicibili
Tunc eisdem præstans fari,
Fidem volens confirmari.

Ac per Paulum magna signa
Perpetrasti scribi digna,
Contactu sudariorum
Atque semicinctiorum
Ejus, ægros et obsessos
Curans, atque firmans fessos.

Per te Paulus præterea
Febribus, dysenteria

Digitized by Google

Patrem Publii vexatum
Fecit sanum, tibi gratum ;
Omnes ægros Melitanæ
Tunc curavit per te plene.

Eutychum resuscitavit ;
Vipera tactus, hanc necavit,
Nihil prorsus ab hac læsus,
Tam frequenter pro te cæsus.

Omnes secum navigantes,
Tempestate desperantes,
Propter eum liberasti
De submersu, et cibasti.

Tibi, beata Trinitas, *etc.*

Laus Dei ex Apocalypsi Joannis apostoli.

Da, Deus, pacem, gratiam
Tuam nobis multifariam,
Qui es, eras, et qui eris :
Tu æternus honoreris.

Christe, testis es fidelis,
Primitivus mortuorum,
Princeps regum ens in cœlis,
Reformator perditorum.

Tuo sanguine lavisti
Nos a culpis, et fecisti
Regnum et sacerdotes
Deo nostro : cuncta potes.

En venies cum nubibus,
Cum supernis virtutibus ;
Omnes te videntes erunt,
Et hi qui te pupugerunt.

Omnes tribus terræ flebunt
Super te se, et mœrebunt,
O finis et principium,
A et Ω, Rex, initium,
Tunc omnipotens futurus,
Cuncta justa discreturus.

Tu primus et novissimus,
Christe ; vivus, qui defunctus
Eras ut indignissimus,
Et nunc Patri es conjunctus.

In sæcula sæculorum
Vivens, felix Rex cunctorum,
Claves mortis et inferni
Habes, regni dux superni.

Vincenti dabis edere
De ligno vitæ tenere,
Quod in paradiso Dei
Est. Sis, Christe, memor mei.

Usque mortem fac fideles
Nos, o Deus, ut reveles
Mentes nostras in patria
Tua perfecta gratia,
Et æternæ vitæ bonam
Sortiamur tunc coronam.

Nulla quæ pro æquitate
Patiemur metuamus :
Nam qui vincit timorate,
Non lædetur, ut speramus,
A secunda, Deus, morte,
Non peribit prava sorte.

Tu occultum manna dabis
Superanti, et ornabis
Hunc candenti margarita,
In qua nomen scriptum ita
Erit, ut id non noverit,
Quam qui capere poterit.

Renes cordaque scrutaris,
Cunctis dare commendaris,
Deus, quidquid meruerunt,
Prout coram te vixerunt.

Porro digne triumphanti
Et in finem firme stanti,
Potestatem condonabis
Super gentes, et ornabis
Eum matutina stella.
Tua sit mens mea cella.

Effice nos vigilantes,
Nostrosque plenificantes

Digitized by Google

Actus coram te, Creator;
Qualiter acceperimus,
Jugiter meminerimus
Impleamusque, Salvator.

Vincentem albis vesties;
Neque hunc de libro vitæ
Delebis, nec hunc nescies,
Imo tuum dices rite.

Habes, Christe, sanctus, verus,
Clavem David, Rex sincerus :
Claudis, et nemo aperit; B
Aperis, et nemo claudit,
Si manus reseraverit
Tua. Me cor tuum audit.

Superantem, in tuo templo
Tu columnam das exemplo,
Super hunc tuum nomen scribens,
Ut sit fontem vitæ bibens,
Et de cœlo descendentis
Jerusalem, te videntis.

Testis tu fidelis, verus, C
Christe, rerum principium;
O amator noster verus,
Ablue omne vitium.

Aurum probatum ignitum,
Amorem, sapientiam
Da, et cor a te fulcitum,
Fer mentis opulentiam.

Nos paterne et benigne
Nunc castiga, Pater digne,
Qui quos amas, hic arguis, D
Corrigis et redarguis.

Tu ad ostium stans mentis,
Pulsans instar diligentis,
Intras ad aperientem,
Cœnas secum, non torpentem.

Das vincenti residere
Tecum, Christe, tuo throno,
Sicut tu vicisti vere,
Sedens nunc cum Patre bono,
Throno ejus in æterno.
Loca tu nos in superno.

At Beati, benedicte
Deus, semper laudant sic te :
Sanctus, Sanctus, Sanctus, Deus
Dominator omnipotens,
Qui erat et est Rex meus,
Qui veniet cunctipotens.

Dignus es, Deus Domine,
Altior omni homine,
Virtutem, laudem propriam
[Et honorem et gloriam]
Habere et accipere;
Nec debet quis præripere :
Sicut hæc nam tu creasti
Cuncta, sponte et formasti.

Summe Leo tribus Judæ,
Tu vicisti prorsus nude,
Radix David, reserare
Dignus librum, et laxare
Septem ejus signacula,
Cognoscendi obstacula.

Nam occisus redemisti
Nos cruore tuo Deo,
Pretiose nos emisti,
Grates tibi Regi meo.

Tibi millia millium
Angelorum humilium
Laudem dicunt summo Christo,
Teque laudant hymno isto :

Dignus Agnus est occisus,
Pro salute mundi nisus,
Sumere divinitatem,
Gloriam et potestatem,
Virtutem, sapientiam,
Laudem et reverentiam.

Salus Deo qui in throno
Sedet, atque Agno bono.
Te angeli glorificant,
Procidentes hymnificant :
Splendor, benedicentia,

Digitized by Google

Gratitas, sapientia,
Honor, virtus, fortitudo,
Deo semper plenitudo.

Terges tu ab electorum
Oculis omnem flentiam ;
Non famescet quis eorum,
Nec ferent sitientiam,
Neque æstu affligentur,
Fonti vitæ adducentur.

Salus, virtus, regnum Dei
Nunc est factum, Regis mei,
Et potestas Christi ejus ;
Non credenti hæc, quod pejus.

Magna et mirabilia
Opera tua, Domine :
Sunt nam inscrutabilia
Ab omni prorsus homine.

Tuæ viæ justæ, veræ,
Rex Sanctorum præsincere.
Quis te non magnificabit?
Et quis te non formidabit?

Scriptum tuo vestimento,
Mentis sanctæ indumento,
Æternali ex fœdere
Habes, Christe, ac femore :
Rex regum, dominantium
Dominator, regnantium
Regum rex, ac dominorum
Dominus universorum.

Hi beati qui vocati
Sunt ad cœnam nuptiarum,
Christe, tui, hi sunt grati
Tibi fonti gratiarum.

Ut tuam iram evadere
Possint perversi, cadere
Montes, petras affectabunt
Super se, nec impetrabunt.

Christe summæ majestatis,
Sitienti dabis gratis
Tu de fonte aquæ vitæ :
Mentes nostras imple rite.

A Servi tui obsequentur
Tibi, Deus, et fruentur
Vultu tuo, quem videbunt.
In æternum sic manebunt.

Tibi, beata Trinitas, *etc.*

Laus Dei de creationis opere.

Creasti in principio
Cœlum, terram, summe Deus :
B Nam tu, Pater, in Filio
Hæc fecisti, Factor meus.

In temporis initio,
Ex æterno consilio,
Abs prævia materia
Cuncta agens, interea
Sapienter produxisti
Cuncta invisibilia,
Angelosque distinxisti
Per agmina agilia.

C Orbes astraque cœlorum,
Ordinem elementorum,
Mixta, rationalia
Et irrationalia
Es molitus, non sortitus
Opem, tua vi fulcitus.

Hominem inter angelos
Et terrena condidisti
Medium, quem per angulos
Terræ vastæ dispersisti.

D Nos gratos beneficio,
Deus, fac creationis,
Purgatos omni vitio
In supernis pone thronis.

Tibi, beata Trinitas, *etc.*

Laus Dei de opere distinctionis et ornatus.

Universis creaturis,
Cunctis rerum tu naturis

Digitized by Google

Vires certas indidisti,
Et virtutes impressisti.

Tu cœlorum decorasti
Orbes ac pulchrificasti
Sole, luna et planetis,
Astris multis visu lætis.

Aerem volatilibus,
Terram brutis, hominibus,
Aquas piscibus ornasti ;
Cuncta apte decorasti.

Te jubente fert virentem
Herbam terra redolentem,
Arbores, flores, species,
Reparans hæc millesies.

Porro corruptibilibus
Vim gignendi contulisti :
Sic indestructibilibus,
Deus, hæc coextendisti.

Formas innumerabiles
Maris piscium fecisti,
Species admirabiles
Bestiarum produxisti,
Gryphes, elephantos, cete
Es molitus, agens læte.

At rebus non viventibus
Miras vires impressisti,
Ratione utentibus
Eas, Deus, subjecisti.
Fac nos eis utiliter
Uti atque feliciter.

Tibi, beata Trinitas, *etc.*

Laus Dei de eodem.

Auro tribuis splendorem,
Melli dulcem das saporem,
Oleo suavitatem,
Et metallis claritatem.

Herbis, gemmis pretiosas
Vires das ac fructuosas,

A

Quibus balsamum ornasti,
Hisque vinum decorasti.

Toti mundo venustatem
Miram et activitatem
Es largitus, gloriose
Deus, supergratiose.

Quidquid suavitudinis,
Decoris, plenitudinis
Habent aut perfectionis,
A te fonte dationis
B Sunt sortita et retentant.
Te excelsum repræsentant.

Mundi in creatione
Tua patet potentia,
Ejus gubernatione
Relucet sapientia,
Ejus conservatione
Bonitatis fluentia.

Te in tuis effectibus
Diligamus, contemplemur,
C Amorosis affectibus
Te ubique veneremur.

Tibi, beata Trinitas, *etc.*

Laus Dei de angelicis spiritibus.

Deus simplex, unus, trinus,
Actor primus et divinus,
Cuncta super unitatem
Fundans es ac trinitatem.

D

Novem quippe angelorum
Ordines constituisti,
Trinam hierarchiam horum
Eminenter distinxisti,
Choros tres in hierarchia
Quavis ponens, o Sophia.

In quolibetque ordine
Disposuisti, Domine,
Infimos atque medios
Supremosque egregios.

Digitized by Google

In suprema, Seraphim,
Thronos ponis ac Cherubim ;
Dominationes ponis
In secunda, et Virtutes,
Potestates quoque, donis
Implens eos, dans salutes ;
In infima Archangelos,
Principatus, ac Angelos.

Da nobis cœliformiter
Conversari, angelice,
Ut tibi deiformiter
Uniamur ac cœlice.

Tibi, beata Trinitas, *etc.*

Laus Dei de cœlo empyreo.

Angelicis spiritibus
Ornas cœlum empyreum,
Quod factum, his militibus
Ornasti ut sapphireum.

Aptam istis mansionem
In principio creasti,
Quam per summam rationem
Luminosam decorasti :
Ignea hinc appellatur
Ob splendorem quo ornatur.

Hoc cœlum visibilium
Atque invisibilium
Exsistit continentia,
Et cuncta claudit entia ;
Extra quod non invenitur
Quid creatum, sicut scitur.

Maximum est quantitate,
Et præfulgens qualitate,
Situ summum, uniforme,
Inter moles simpliforme,
Fixum, inalterabile,
Immotum, præoptabile.

Hic cœlestis paradisus,
In quo es, o Deus, visus,
Congruum habitaculum
Contemplandi, umbraculum
Voluptatis deificæ,
Locus dulcis mirifice ;
Regnum istud est cœlorum,
Terra, regio vivorum.

Nam Beatos te fruentes,
Omni luce resplendentes,
Sublimes, impassibiles,
Puritate hymnibiles,
Talis locus condecebat,
Qui sic his conveniebat.

Nostra sit conversatio
Ibi, post habitatio
Tuta, felix, sempiterna,
Deus sancte, lux superna.

Tibi, beata Trinitas, *etc.*

Laus Dei de ordine Seraphim.

In hoc cœlo altissimo,
Ordine decentissimo,
Summum chorum seraphicum
Posuisti hierarchicum.

Qui propter ardentissimam
Suæ flammam caritatis
Ad te superdignissimam
Naturam divinitatis,
Seraphim coappellatur,
Totus in te inflammatur.

Nempe ex immediata
Tui proximatione,
Ac viciniori lata
A te contemplatione,
In amore perignitur,
Et fervore pertransitur.

Dulcis sui incendii
Spargit exuberantiam
In eos qui suspendii
Norunt sursum levantiam,
Choros in subordinatos,
Ad te, Deus, elevatos.

Digitized by Google

Mentes istæ seraphicæ,
Deus, ex te hierarchicæ,
Sempiternam, incessantem,
Præacutam, præflagrantem
Ad te habent motionem
Per amoris tensionem.

Post te, o Sancte Spiritus,
Qui ignis, amor diceris,
Rite factum divinitus,
Quod tu, Seraphim, sequeris,
Ut sit similitudine
Processus a te lumine.

Habent et vim reductivam
Mentes istæ peractivam,
Mentes qua inferiores
Sursumducunt ad fervores
Ad te Deum, has purgando,
Illustrando, perfectando.

Quo clarius, vicinius
Te, o Deus, contemplantur,
Eo vere validius
Tuo amore inflammantur.

Deus supergloriose,
Nos succende caritate;
Deus nimis gratiose,
Mentes nostras consummate
In fervore diligendi
Firma teque amplectendi,
Ut in nobis sis fervescens,
Ut in Seraphim quiescens.

Tibi, beata Trinitas, *etc.*

Laus Dei de Cherubim.

Post ordinem seraphicum,
Ponis chorum hierarchicum
Cherubim sanctissimorum,
Animorum excelsorum,
Quos sublimi scientia
Ornas cum eminentia.

Thesauros sapientiæ
Splendoresque scientiæ,

A His infundis copiose,
Sic quod ipsi luminose
Fundunt choris sequentibus
De his donis fulgentibus.

Mentes istæ sunt sortitæ
A te, Deus, princeps vitæ,
Vim præclare cognitivam,
Divinorum inspectivam
Mysteriorum, capacem
Summæ illustrationis,
Et ejusdem perferacem
B Mentibus secutionis.

Fulgent, te irradiante,
Luce mire coruscante
Venustate veritatis
Et candore sanctitatis,
Te cernentes subtiliter
Et inavertibiliter.

Tua contemplatione
Nostrum imple intellectum,
Et tam fixa unctione,
C Deus, eum fac perfectum,
Ut non cesses residere
In hoc ipso et splendere.

Tibi, beata Trinitas, *etc.*

Laus Dei de Thronis.

O Deus supersapiens,
Quem nulla mens est capiens,
Post hæc Thronos statuisti,
D Quos liberrimos egisti
Ab indigna servitute
Et subjectione tute,
Elevatu eximio,
Alto gaudent dominio.

Circa te sunt collocati,
Tota vi ad te levati,
Et tuæ insidentiæ
Ac supervenientiæ
Eminenter sunt capaces,
Mansionis tuæ tenaces.

Digitized by Google

Dicuntur nam Deiferi,
Grandi luce clariferi,
Aperti singulariter
Ad te sumendum taliter.

In his consistorio
Sedes judicatorio,
Per hos tua judicia
Decernens mirabilia.

Sedes sunt pacatissimæ,
Summe tranquillissimæ,
Mira uniformitate
Tibi, Deus, præparatæ.

Per te causas veritatis
Sunt, Rex regum, discernentes,
Censuras æquitatis
Per te, Judex, exprimentes.
Instar horum nostras mentes
Tibi sedes fac fulgentes.

Tibi, beata Trinitas, *etc.*

Laus Dei de Dominationibus.

Sanctas Dominationes,
Per cœlestes stationes,
Media in hierarchia
Summas ponis, Thearchia.

Effecisti has immunes
A subjectu indecente;
Bonitate sunt communes,
Omni choro prosequente.

Quum jubere dominorum
Exstet, agant quod subjecti,
Animorum est istorum,
Deus, ordinis fons recti,
Spiritibus sequentibus
Quod agant distribuere,
Et de creatis entibus
Eosdem et instruere.

Mentes hæ supermundanæ
Sursumaguntur non vane
Ad te principem luminis,

A

Ad lucem tui numinis,
A hierarchiæ mentibus
His prime influentibus.

Nulla usquam vi premuntur;
Dominatum sortiuntur
Eminentem ad phalangas
Subsequentes. Tu nos tangas.

Veram his præsidentiam
Das, qua per appetentiam
Amorosam sunt reflexi

B

Ad te fontem dominatus :
Tota mente sunt connexi
Sine fastu imperatus.

Ordinum sunt conversivæ
Subditorum ad te Deum,
Et eorum perfectivæ.
Cum his præsta jubilæum.

O dominator Domine,
Hæ mentes tuo nomine
Se inclinant, te adorant,

C

Sicque se in te decorant.

Singulari libertate
Sunt extentæ in te grate.
Inter heroas nobiles
Aulæ tuæ immobiles
Altum agunt humiliter
Dominium agiliter.

Deus sancte, immortalis,
Fortis et clementialis,
Dæmoni sic dominari,

D

Mundo, carni principari
Fac nos, ut hinc copulemur
Choro huic, et salvemur.

Tibi, beata Trinitas, *etc.*

Laus Dei de ordine Virtutum.

Choro Dominationum,
Virtutum nectis ordinem,
Quibus das ad actionum
Suarum per te cardinem

Digitized by Google

Promptam exsecutionem,
Miram confortationem.

Hinc in nullo infirmantur
Ad divina sortienda,
Inconcusse elevantur
Ad te tuaque agenda.

Ordines posteriores,
Tuos, Deus, ad splendores
Levant, tibi conformantes
Hos plus, ac deificantes.

Jussa Dominationum
Mandant exsecutioni,
Et mirarum actionum
Vacant perpetrationi.

Imbecilles nos egenos,
Deus, firma, fac serenos.

Tibi, beata Trinitas, *etc.*

Laus Dei de ordine Potestatum.

Post hos chorum Potestatum
Per processum ordinatum,
Deus sancte, statuisti;
Ordinariam dedisti
His vim ad suscipienda
Dona tua, ac tenenda.

Habent nam supermundanam
Ordinationem sanam
Spiritalis potestatis,
Qua influxum bonitatis
Imæ fundunt hierarchiæ,
Dando rivos theoriæ,
Ad divina hanc levantes,
Plusque tibi conformantes.

Dationem imperatam
A Dominationibus,
Operique mancipatam
Virtutum actionibus,
Hic custodit inturbatam
Ordo atque tenet ratam,

A Exsecutionis pellens
Destructiva, vis excellens.

Harum potestas mentium
Acherontis prementium
Colla, zelo inflammante,
Tua, Deus, est, o tante,
Ne in nostra detrimenta
Agant nimis virulenta.

Fac nos ope angelica
Prævalere dæmonibus,
B Nosque imple vi cœlica,
Supernis dita opibus;
Præsidentium mandata
Da servare illibata.

Tibi, beata Trinitas, *etc.*

Laus Dei de ordine Principatuum.

Imæ primum hierarchiæ
Ordinem Principatuum
Ponis, o fons hierarchiæ,
C Ac judex magistratuum.

Dedisti præsidentiam
His ordinum sequentium,
Quos ad primam essentiam
Erigunt lucem mentium,
Se et illos confirmare
Tibi cupientes clare.

His communis commisisti
Boni dispositionem,
Regnis eos præfecisti
D Tuam per provisionem.

In his scimus Michaelem,
Olim rexit Israelem,
Princeps factus Synagogæ.
Per hunc adversantes coge:
Nam Princeps est Ecclesiæ,
Sponsæ tuæ egregiæ.

Signifer cœli nobilis,
Paradisi præpositus,
Stat pro tuis immobilis,

Digitized by Google

Rhomphæam, ut est solitus,
Extendens victoriose,
Et propugnans gloriose.

Contra tibi adversantes
Intonat terribiliter :
Quis ut Deus ? Te amantes
Adjuvat amabiliter.

Omnem culpam expugnemus,
Nos a te non elongemus.

Tibi, beata Trinitas, *etc.*

Laus Dei de ordine Archangelorum.

His, Creator benedicte,
Archangelos substituis :
Quos, o Deus, Rex invicte,
Nuntios constituis
Grandium negotiorum,
Operum præcipuorum.

Hos illustrant Principatus ;
Puros habent affectatus,
Ut cum his ad te vertantur,
Deiformesque reddantur.

Illustras, Deus, Angelos
Per beatos Archangelos,
Qui per illos hominibus
Quædam pandunt luminibus.

Inter istos Gabrielem
Scimus, qui Emmanuelem
Te, o Christe, nuntiavit
Virgini, quam informavit.

Hic fidei mysteria
Per divina imperia
In utroque Testamento
Declaravit documento.

Merito hunc adamamus,
Ac præclare honoramus :
Cujus prece adjuvemur,
In æternumque salvemur.

Tibi, beata Trinitas, *etc.*

A

Laus Dei de ordine Angelorum.

Angelorum, Deus, chorum
Imum ponis et decorum.
Ecclesiæ tu præficis
Hierarchiæ, quam reficis,
Ordinem hunc angelorum,
Quorum exstat singulorum
Hic personas custodire,
Hominesque erudire.

B

Sunt minora nuntiantes
Ad singulos spectantia ;
Corda nostra excitantes,
Portant dona salvantia,
Juvant, regunt nos, defendunt,
Ex amore se impendunt.

Suæ hos creationis
Die, fons dilectionis,
Incorrupta vestitura
Induisti non lapsura :
Quos in tuum ministerium
C Fecisti et imperium.

Astra sunt superioris
Cœli, et interioris
Paradisi candentia
Lilia, non marcentia.

Splendent in sapientia,
Amoris vehementia
Rubent, fragrant decorati
Puritate virginea,
Deiformi ac nivea,
D Omnes sancte adunati.

Mentis suæ radicibus
Tibi hærent inaverse ;
Nostris gaudent gemitibus,
Et pro nobis orant, per se
Preces nostras offerendo
Tibi Deo reverendo.

Horum inspirationi
Sanctæque directioni

Digitized by Google

Nos semper acquiescere
Da, Deus, nec lacessere.

Tibi, beata Trinitas, *etc.*

Laus Dei de ejus dignatione ad nos.

GRANDEM hanc dignationem
Altamque dilectionem
Tuam ad nos admiramur,
Collaudamus, amplexamur,
O Creator gloriose,
Deus sancte, gaudiose,
Quod tam claros palatii
Tui cives, solatii
Causa nostri, ad nos mittis,
Ad profectumque transmittis.

Intellectus deiformes
Mentesque deificatas
Ad nos mittis tam deformes,
Ad res sic vilificatas.

Simplices has essentias,
Puras, sanctas, immortales,
Ad nostras indigentias
Mittis, et ad nos carnales,
Qui favillæ comparamur,
Vasa lutea vocamur.

Spiritus tam excellentes,
Satrapas supermundanos,
Ad in terra nos repentes
Mittis, peccatores, vanos.

Millia namque millium
Spirituum sublimium
Mox discurrunt, te jubente,
Inter te et nos repente.

Inter cœlum et nos terræ,
Proni nobis tua ferre,
Volant prorsus alacriter
Apes ut negotiosæ,
Obedientialiter
Ut gens cincta amorose.

Tuæ nos dignationi,
Deus, gratos fac, fons boni;

A Propriamque dignitatem
Perpendamus humiliter,
Et præsentialitatem
Angelorum subtiliter,
Ut in horum præsentia
Simus cum reverentia,
Et honeste conversemur
Semper coram te, salvemur.

Tibi, beata Trinitas, *etc.*

B *Laus Dei de hierarchiis communiter.*

TE, o Deus benedicte,
Infinite, non constricte,
Diligunt ardentissime
Seraphim, jucundissime.

Mente æstuantissima,
Voluptate purissima
Te fruuntur, intuentur,
Possident, ac reverentur.

C Te sincere contemplantur
Cherubim et admirantur,
Deus, et in te rimantur
Ac profunde speculantur
Rationes tuorum factorum
Et suorum objectorum.

Vertex Dominationum
Fontem elevationum
Te honorat, prompte paret,
Et parendi mora caret,
Se humillime reflectit
D In te, seque tibi nectit.

Tuæ omnipotentiæ
Sunt Virtutes inhærentes,
Placita sapientiæ
Tuæ plene exsequentes,
In te versæ totaliter,
Fruentes æternaliter.

Teque tremunt Potestates
Absque pœna, voluntates
Suas tibi substernentes,
Dulcem te experientes.

Digitized by Google

Te in cunctis venerantur
Principatus et sectantur ;
Tibi malunt famulari
Quam cuiquam dominari,
Plus subesse quam præesse.
Instar horum fac nos esse.

Quamvis omnes te Beati
Clare et immediate
Cernunt, tamen elevati
A tua divinitate,
Inferiores purgare
Fantur atque illustrare,
Et eosdem perficere,
Ad amandum allicere.

Quoad tuos id effectus
Fertur, Deus summe rectus :
Horum nam superiores,
Plures sciunt per splendores,
Et eorum rationes
Plures per distinctiones.

Tibi, beata Trinitas, *etc.*

Laus Dei de gradibus hominum electorum in patria.

Deus simplex, trinus, unus,
A quo fluit omne munus,
Anima Christi clarius
Te cunctis videt, carius
Te diligit, ardentius,
Præ cunctis vehementius.

Hinc copioso lumine
De sua plenitudine
Cunctis fundit agminibus
Angelorum et hominum,
Altior in numinibus
Erecta, per te Dominum.

Post hanc Virgo Christifera
Universis est prælata,
Magis facta Deifera,
Plus in Deum profundata,

A

In abyssum tuæ lucis
Plus absorpta, Mater Ducis.

Patriarchæ et Prophetæ
Te conspectant nimis læte,
Chorusque Apostolorum
Cum excessu gaudiorum
Te adstringunt, te fruuntur,
In te prorsus resolvuntur.

Martyres victoriosi
Te collaudant gaudiosi,

B

Viventes beatissime
In te, Deus dulcissime.

Luciformes confessores,
Puri tui sunt inspectores.

Te ordo venerabilis
Monachorum spectabilis,
Singulari libertate,
Deus, possidet beate,
Pro quo suam voluntatem
Fregit, sprevit libertatem.

C

Doctores facialiter
Te, Sancte, æternaliter
Jam conspectant prægaudenter,
Ut credebant confidenter.

Te virgines mundissimæ
Laudant præsuavissime,
Purissimis amplexibus
Te stringunt mentis nexibus.

D

Ex angelis, hominibus,
Unam facis Ecclesiam
In supernis luminibus,
Unanimem, egregiam,
Ad cunctos angelicorum
Ordinum quosdam homines
Levans, juxta meritorum
Cujusque exigentias.

Sic nunc, Deus, conversemur,
Ut post istis copulemur.

Tibi, beata Trinitas, *etc.*

Digitized by Google

Laus Dei de numero et ordine cœlestium corporum.

Tu post cœlum Beatorum,
Deus sancte, Rex cunctorum,
Posuisti crystallinum
Cœlum, inter mota primum,
Uniforme et transparens;
Instar aquæ est apparens.

Nona sphæra id vocatur;
Atque a te imperatur,
Ab ortu in occidentem
Omni die per moventem
Circumvolvi celerrime,
O Deus celeberrime.

Post hoc, cœlum est stellatum,
A te astris decoratum;
Grandi id causalitate,
Viribus, activitate
In se atque sideribus
Ornasti et operibus.

Post hoc, orbes planetarum
Locas, rector tu stellarum,
Et cuiquam das planetæ
Suum orbem, formam metæ.

Loca item, potestates,
Motus et causalitates
Et influxus nosti horum,
Quum creator sis eorum;
Sed mortales ista latent
Quoad plenum, partim patent.

Sic currendo protestantur
Se servire, et profantur
Se creata et non deos.
In te flecte actus meos.

Motus hæc velocitate
Tuam pandunt potestatem,
Et quam tibi sit parate
Parendum ob majestatem.

Quis solis pulchritudinem,
Virtutem, claritatem,
Miramque causalitatem,
Eminentem fulgitatem,
Deus, satis admiretur,
Et in his te speculetur?

Quis motuum cœlestium
Ex numero terrestrium
Exprimat velocitatem,
Tuam et penset potestatem?

Hæc corpora cœlestia,
Per quæ regis terrestria,
Ut jubes, rapidissime
Currunt, ordinatissime.

Motu ac influentia
Et luce sunt agentia
In his inferioribus.
Nos imple tuis splendoribus.

Tuæ imago bonitatis
Est sol iste visibilis,
Instar tui cunctis gratis
Lucem dans quæ sensibilis.

Hunc fecisti incessantis
Fontem lucis emicantis,
Tempora determinantem,
Fructus terræ innovantem.

O Sol intelligentiæ,
Splendorque sapientiæ,
Mentes nostras illumina,
His tua augens numina.

Tibi, beata Trinitas, *etc.*

Laus Dei de elementis et mundi dispositione.

Post corpora cœlestia
Statuisti terrestria,
Quatuorque elementa,
Quædam ut stabilimenta.

Sphæricæ sunt hæc figuræ,
Se cingentes creaturæ;

Digitized by Google

Et quæ sunt similiora,
Locasti viciniora.

Universum quoque totum
Corporali sensu notum,
Effecisti tu rotundum,
Hac figura formans mundum.

Constat hanc perfectiorem
Esse et capaciorem,
Conformem æternitati
Plus ac uniformitati.

In his orbis superior
Circuit inferiorem.
Deus cunctis celebrior,
Menti tuum da fulgorem.

Partem terræ voluisti
Esse aquis denudatam :
Ad morandum hanc dedisti
Animantibus aptatam.

Tunc ad concava duxisti
Terræ, aquas, et legisti ;
Lege, gyro has vallabas,
Ne exirent imperabas.

Posuisti et arenam
Finem mari, per serenam
Vim quoque ut in utre ponis,
Utque in thesauris bonis.

Fluctus ejus tu jussisti
Ad ipsius ripam frangi.
Adsis piæ plebi isti ;
Da clementer a te tangi.

Tibi, beata Trinitas, *etc.*

Laus Dei de dispositione terræ.

Deus supergratiose,
Superdulcis, gloriose,
Super terram tetendisti
Lineam, et tunc jecisti
Ejus fixa fundamenta.
Nostra igni corda lenta.

A In universi medio,
Instituto egregio,
Hanc ut centrum collocasti,
Mire eam fecundasti.

Dixisti in exordio
Semel, mundi primordio :
Ferat terra virescentem
Herbam. Cernimus tenentem
Eam usque nunc præceptum
Tuum hoc, secundum conceptum.

B Magnitudo est cœlorum
Tanta, ut respectu horum
Terra exstet quasi punctum.
Tibi fac cor nostrum junctum.

Qui excedis infinite
Cuncta prorsus, auctor vitæ :
Nam respectu majestatis
Tuæ, universum
Est ut pulvis exiguus.
Adjutor sis continuus.

C Habitandi distinxisti
Loca ; terram divisisti,
Deus, filiis hominum.
Te summum colant Dominum.

Metro, numero, pondere
Cuncta, Deus, condidisti.
Noli juste confundere
Nos, quos pie redemisti.

Facis sole accedente
D Æstatem : quo recedente,
Facis hiemem, qui solis
Allatione mox molis
Terræ vultum es fecundans.
Nostra corda sis emundans.

Annos, menses, noctes, dies
Tu distinguis, summa quies,
Motu solis atque lunæ ;
Bonum servans es commune,
Partes anni afficiens
Diversis qualitatibus.

Digitized by Google

Ordinate alliciens
Sis nos tibi in talibus.

Tibi, beata Trinitas, *etc.*

Laus Dei de impressionibus aeris.

Multiformes tu effectus
Agis, summe Intellectus,
Aeris in elemento.
Nobis sis pro firmamento.

Nubes et impressiones,
Ventos, exhalationes
Pluviasque hic producis,
Sempiternæ Princeps lucis.

Operis cœlum nubibus;
Fulges mire fulguribus;
Tonitrua efficiens,
Nos metu es dejiciens.

Aquas ligas seriatim
In nubibus subtiliter,
Et emittis has guttatim,
Providendo utiliter,
Pariter ne erumpentes,
Cuncta exstent subvertentes.

At per causas naturales
Secundas, instrumentales,
Varias impressiones
Facis et influxiones:

Ut cometas et halonem,
Asub, volantem draconem,
Coronas et voraginem,
Multiformem propaginem,
Grandinem, nivem, iridem,
Pruinam et caliginem,
Stellas insuper cadentes,
Capras quoque salientes.

Omnis lapis pretiosus,
Omnis liquor fructuosus,
Quidquid exstat optabile,
Tuum opus est amabile.

A Tu irrationalibus
Dedisti animalibus
Mirandas proprietates,
Actus, formas, potestates,
Naturales industrias,
Secretasque astutias.

Te in cunctis operibus
Tuis pure contemplemur,
Totis mentis visceribus
Sic tuo amore inflammemur,
Et ex cunctis inducamur
B Venerari te quem famur.

Tibi, beata Trinitas, *etc.*

Laus Dei de consummatione mundi.

Electorum consummato
Numero prædestinato,
Cessabit generatio,
Ut tua jubet ratio,
Deus, qui ob nos fecisti
Juxta hæc ut decrevisti.

C Rerum generabilium
Atque corruptibilium
Tam in parte quam in toto
Esse tunc cessurum noto.

Sed manebunt elementa
Quoad totum : nam inventa
Sunt indestructibilia.
Hæc prorsus credibilia.

Electis glorificatis,
Reprobisque condemnatis,
D Orbes, astra, elementa,
Per quæ fers emolumenta,
Immutabis in melius,
Pravis clausis inferius.

Lux solis septiformiter,
Lux lunæ soliformiter
Erit : quia augebuntur
Luce, septuplo dabuntur.

Terra clara tanquam vitrum
Erit magis quam sit nitrum,

Digitized by Google

Ut crystallus aqua erit;
Nec hæc credens miser perit.

Aer instar tunc cœlorum,
Ignis sicut astra horum;
Motus cœli tunc cessabit,
Cœlum non ut nunc causabit;
Sol et luna erunt fixa
Suis locis, te subnixa.

Cernent clare tunc Beati,
In his rebus jucundati,
Tuam magnificentiam,
Ut per experientiam.

Tibi nunc sic obsequamur,
Ut a te tunc sortiamur
Plenam beatitudinem,
Lucis æternitudinem.

Tibi, beata Trinitas, *etc.*

Laus Dei de beatitudine electorum.

Deus, ut a te procedit
Nostra anima, sic redit
Ad te, nec felicitari
Valet, nisi copulari
Tibi clare admittatur,
Idque nunc promereatur.

Bonitatis dignatio
Tuæ atque amatio
In hoc, Deus, declaratur,
Quod creasse nos monstratur
Suam ad fruitionem,
Et beatam visionem,
Claram, supernaturalem,
Indistantem, facialem.

Temet nobis præparasti
Bonum summum, infinitum:
Tam excelse nos amasti,
Ut cor nostrum te sortitum,

A

B

C

D

In te plenum contentetur,
Habens quidquid peroptetur.

Te cernemus per te ipsum,
Deus sancte, ens id ipsum:
Erit nobis essentia
Tua, o Sapientia,
Objectum atque species,
Æterna, plena requies.

Te hoc modo intuentes,
Clare scient nostræ mentes
Ordinem totius mundi
Venustate tunc abundi.

Tunc præclare videbimus
Quidquid modo hic credimus,
Contuentes gaudiose,
Qualiter, o gloriose,
In te sit emanatio,
[Seu immanens processio,]
Quomodo tu, Fili Dei,
Ab æterno genereris,
Et tu, Flamen Dei mei,
Ab utroque hoc spireris.

Tunc sciemus evidenter,
Grati, læti, quam clementer
A te simus præservati,
Deus magne, et salvati.

Vultus tui in adspectu
A mundato intellectu
Plena est beatitudo,
Summa quoque promptitudo:
Ad quam ferre nos digneris,
Deus trine, ut lauderis.

Tibi honor, laus, gloria,
Felicitas rectoria,
Infinitæ divitiæ,
Superplenæ deliciæ,
Ex hoc nunc et in æternum,
Ens supremum et supernum. Amen.

FINIS LAUDUM SUPERLAUDABILIS DEI.

Digitized by Google

INDICES

Digitized by Google

Digitized by Google

LOCA S. SCRIPTURÆ PRÆCIPUA

GENESIS.

I, 1. In principio creavit Deus cœlum et terram, 106C', 107B', 140B', 141A.

— 9-13. Dixit vero Deus : Congregentur aquæ quæ sub cœlo sunt, in locum unum, etc., 144C.

— 14-19. Dixit autem Deus : Fiant luminaria in firmamento cœli, et dividant diem ac noctem, etc., 144C', 145B, B'.

— 26. Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram, 241C, 251B.

— 28. Crescite et multiplicamini, et replete terram, 160C.

II, 2. Complevitque Deus die septimo opus suum quod fecerat, et requievit die septimo ab universo opere quod patrarat, 147C'.

— 7, 8. Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ... Plantaverat autem... paradisum voluptatis... in quo posuit hominem, 150C', 314B'.

— 15. Tulit ergo Dominus Deus hominem et posuit eum in paradiso voluptatis, ut operaretur et custodiret illum, 153C.

— 18. Faciamus ei adjutorium simile sibi, 160B'.

— 19. Formatis igitur, Dominus Deus, de humo cunctis animantibus terræ et universis volatilibus cœli, adduxit ea ad Adam, ut videret quid vocaret ea, 153A'.

III, 5. Eritis sicut dii, scientes bonum et malum, 165A, A'.

— 22. Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est, 186A.

— 24. Collocavit ante paradisum... flammeum gladium... ad custodiendam viam ligni vitæ, 185D'.

XVII, 1. Ego Deus omnipotens; ambula coram me, et esto perfectus, 80A.

XXXII, 2. Castra Dei sunt hæc, 22D.

EXODI.

III, 14. Ego sum qui sum... Sic dices filiis Israel : Qui est, misit me ad vos, 33A', D', 246B, 329C'.

VI, 2, 3. Ego Dominus, qui apparui Abraham, Isaac et Jacob, in Deo omnipotente, et nomen meum Adonai non indicavi eis, 41A.

X, 22, 23. Factæ sunt tenebræ horribiles in universa terra Ægypti..., ubicumque autem habitabant filii Israel, lux erat, 142B.

XX, 5. Ego sum Dominus... zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios, 193B'.

— 14, 15, 17. Non mœchaberis, non furtum facies, non concupisces, 241C'.

XXII, 28. Diis non detrahes, 39A'.

XXXIII, 19. Miserebor cui voluero, et clemens ero in quem mihi placuerit, 73A'.

LEVITICI.

XI, 44. Sancti estote, quia ego sanctus sum, 257.

XXIII, 3. Dies septimus, quia sabbati requies est, vocabitur sanctus, 107A'.

NUMERORUM.

XI, 17. Auferam de spiritu tuo, etc., 177C.

XII, 10. Et ecce Maria apparuit candens lepra quasi nix, 201B.

XXII, 28. Aperuitque Dominus os asinæ, 130A.

DEUTERONOMII.

IV, 24. Dominus Deus tuus ignis consumens est, 39D', 340C.

VI, 5. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo et ex tota anima tua et ex tota fortitudine tua, 94C, 288C'.

XVIII, 13. Perfectus eris et absque macula cum Domino Deo tuo, 95B.

Digitized by Google

XXXII, 4. Dei perfecta sunt opera, 168 A'.
— 39. Videte quod ego sim solus, et non sit alius Deus præter me, 35 B'.

I REGUM.

II, 30. Quicumque glorificaverit me, glorificabo eum, 274 B, 321 B'.
XV, 11. Pœnitet me quod constituerim Saul regem, 279 A'.
— 29. Porro triumphator in Israel non parcet, et pœnitudine non flectetur, 62 C.

III REGUM.

VIII, 27. Cœlum et cœli cœlorum te capere non possunt, 44 D'.
XIII, 4. Quumque audisset rex sermonem hominis Dei,... extendit manum suam de altari, dicens : Apprehendite eum. Et exaruit manus ejus, 155 B.
XVII, 1. Vivit Dominus, in cujus conspectu sto, 323 C', 324 B.

ESTHER.

XIII, 9. Domine, rex omnipotens, in ditione enim tua cuncta sunt posita, et non est qui possit tuæ resistere voluntati, 333 A, 337 A'.

JOB.

VII, 17. Quid est homo quia magnificas eum ? 305 A.
XIV, 4. Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine ? 38 C'.
XXII, 19. Innocens subsannabit eos, 234 A.
XXV, 3. Super quem non surget lumen illius ? 242 B.
XXXI, 23. Semper... quasi tumentes super me fluctus timui Deum, 345 C.
XXXIV, 13. Quem constituit alium super terram ? aut quem posuit super orbem quem fabricatus est ? 26 B', 78 C.
XXXVI, 26. Ecce Deus magnus, vincens scientiam nostram, 51 A'.
XLII, 12. Dominus autem benedixit novissimis Job magis quam principio ejus, 201 B.

PSALMORUM.

IV, 9. In pace in id ipsum dormiam et requiescam, 21 D.
VIII, 8. Omnia subjecisti sub pedibus ejus, 251 B, 304 C, 317 C.
XIII, 1. Dixit insipiens in corde suo : Non est Deus, 18 A'.
XVI, 15. Satiabor quum apparuerit gloria tua, 16 C.
XXIV, 10. Universæ viæ Domini misericordia et veritas, 284 D'.
XXV, 8. Domine, dilexi decorem domus tuæ, et locum habitationis gloriæ tuæ, 94 C.
XXXIII, 6. Accedite ad eum, et illuminamini, et facies vestræ non confundentur, 16 D.
— 22. Mors peccatorum pessima, 235 A.
XXXV, 7. Judicia tua abyssus multa, 83 B, 138 A'.
XLI, 3. Quando veniam et apparebo ante faciem Dei ? 225.
XLV, 5. Fluminis impetus lætificat civitatem Dei, 348 C.
XLVIII, 13. Homo... comparatus est jumentis insipientibus, 219 B'.
LII, 3. Deus de cœlo prospexit super filios hominum, ut videat si est intelligens aut requirens Deum, 16 C.
LVII, 11. Lætabitur justus quum viderit vindictam, 234 A.
LXI, 8. In Deo salutare meum et gloria mea; Deus auxilii mei, et spes mea in Deo est, 295 A, A'.
LXII, 2. Sitivit in te anima mea; quam multipliciter tibi caro mea ! 253 A'.
LXXI, 18. Benedictus Dominus Deus Israel, qui facit mirabilia solus, 317 A.
LXXIX, 4, 8, 20. Ostende faciem tuam, et salvi erimus, 13 B.
LXXXVIII, 48. Numquid... vane constituisti omnes filios hominum ? 108 C.
XC, 11. Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis, 243 C'.
— 14. Protegam eum, quoniam cognovit nomen meum, 13 A.
XCI, 5. Delectasti me, Domine, in factura tua, et in operibus manuum tuarum exsultabo, 101.
— 6. Quam magnificata sunt opera tua, Domine ! 313 B.
XCIX, 3. Scitote quoniam... ipse fecit nos, et non ipsi nos, 24 C.
CI, 28. Tu autem idem ipse es, 21 D, 62 B.
CII, 5. Qui replet in bonis desiderium tuum, 16 C.
CIII, 15. Ut exhilaret faciem in oleo, 177 C.
— 24. Omnia in sapientia fecisti, 26 B, 37 A, 76 B.
CIV, 3, 4. Lætetur cor quærentium Dominum;

Digitized by Google

quærite Dominum et confirmamini, quærite faciem ejus semper, 15 D'.
CXV, 12. Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi ? 314 D.
— 15. Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus, 235 A.
CXVIII, 66. Bonitatem et disciplinam et scientiam doce me, 285 C'.
— 137. Justus es, Domine, et rectum judicium tuum, 322 A', 323 B.
— 160. In æternum omnia judicia justitiæ tuæ, 323 B.
CXXXIV, 6. Omnia quæcumque voluit Dominus, fecit in cœlo, in terra, 75 D', 80 C'.
CXLII, 2. Non intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens, 94 C'.
CXLIV, 9. Suavis Dominus universis, et miserationes ejus super omnia opera ejus, 285 D, 286 D, 322 D, 339 C'.
— 18. Prope est Dominus omnibus invocantibus eum, 16 A.
CXLVI, 5. Sapientiæ ejus non est numerus, 269 D, 331 A.

PROVERBIORUM.

IV, 23. Omni custodia serva cor tuum, quia ex ipso vita procedit, 260 C'.
VIII, 13. Os bilingue detestor, 332 A.
— 31. Deliciæ meæ esse cum filiis hominum, 282 A', 347 A'.
XV, 27. Per timorem autem Domini declinat omnis a malo, 260 D'.
XVI, 4. Universa propter semetipsum operatus est Dominus, 108 D, 344 D.
XXV, 27. Sicut qui mel multum comedit, non est ei bonum ; sic qui scrutator est majestatis, opprimetur a gloria, 16 D', 51 C'.
XXX, 8. Mendicitatem et divitias ne dederis mihi, 201 B.

ECCLESIASTÆ.

I, 4. Terra... in æternum stat, 49 C.
VII, 17. Noli esse justus multum, 273 B'.
— 30. Solummodo hoc inveni, quod fecerit Deus hominem rectum, 276 C'.
IX, 1. Nescit homo utrum amore an odio dignus sit, 260 B', 300 C, 323 A'.
XI, 3. Si ceciderit lignum ad austrum aut ad aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit, 339 B.
XI, 7. Dulce lumen, et delectabile est oculis videre solem, 92 D'.

CANTICI CANTICORUM.

V, 1. Comedite, amici, et bibite ; et inebriamini, carissimi, 288 A'.

SAPIENTIÆ.

I, 13. Deus mortem non fecit, 234 D'.
V, 7. Ambulavimus vias difficiles, 200 B.
VI, 7. Potentes... potenter tormenta patientur, 123 B'.
VII, 24. Omnibus... mobilibus mobilior est sapientia ; attingit... ubique propter suam munditiam, 22 B', 23 A.
— 26. Candor est... lucis æternæ, et speculum sine macula Dei majestatis, 347 C.
— 27. Quum sit una, omnia potest ; et in se permanens, omnia innovat, et per nationes in animas sanctas se transfert, amicos Dei et Prophetas constituit, 23 A.
VIII, 1. Attingit ergo a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter, 343 B'.
IX, 16. Difficile æstimamus quæ in terra sunt ; et quæ in prospectu sunt, invenimus cum labore ; quæ autem in cœlis sunt, quis investigabit ? 232 B.
XI, 21. Omnia in mensura et numero et pondere disposuisti, 37 B, 41 C', 156 B', 233 A', 238 D, 313 B, 335 C'.
— 25. Diligis... omnia quæ sunt, et nihil odisti eorum quæ fecisti, 72 B', 177 A.
XII, 16. Virtus enim tua justitiæ initium est, 339 C.
— 18. Subest... tibi, quum volueris, posse, 76 B, 105 D.
XV, 1, 3. Tu... Deus noster, suavis et verus es. Nosse... te, consummata justitia est ; et scire justitiam et virtutem tuam, radix est immortalitatis, 11.

ECCLESIASTICI.

I, 1. Omnis sapientia a Domino Deo est, 331 A.
— 8. Unus est Altissimus, creator omnipotens et rex potens et metuendus nimis, sedens super thronum... dominans Deus, 225.
III, 22. Altiora te ne quæsieris, 269 D'.
X, 15. Initium omnis peccati est superbia, 121 A'.

Digitized by Google

XV, 14. Reliquit illum in manu consilii sui, 167 C.
XVIII, 1. Qui vivit in æternum, creavit omnia simul, 152 C'.
XXIV, 29. Qui edunt me, adhuc esurient; et qui bibunt me, adhuc sitient, 16 B.
XXX, 24. Miserere animæ tuæ, placens Deo, 286 B.
XXXIII, 15. Contra malum bonum est, et contra mortem vita; sic et contra virum justum peccator. Et sic intuere in omnia opera Altissimi : duo et duo, et unum contra unum, 234 B.
XLII, 16. Gloria Domini plenum est opus ejus, 232 A.
— 23. Quam desiderabilia omnia opera ejus! 232 A.
— 26. Quis satiabitur videns gloriam ejus? 232 A.
XLIII, 1-9. Species cœli in visione gloriæ; sol in adspectu... vas admirabile, opus Excelsi,... radios igneos exsufflans;... magnus Dominus qui fecit illum... Luna... ostensio temporis et signum ævi, etc., 231 C'.
— 10. Species cœli gloria stellarum; mundum illuminans in excelsis Dominus, 231 C'.
— 29. Multa dicemus, et deficiemus in verbis; consummatio autem sermonum ipse est in omnibus, 232 B.
— 33. Benedicentes Dominum, exaltate illum quantum potestis : major enim est omni laude, 342 D.
— 36. Multa abscondita sunt majora his : pauca enim vidimus operum ejus, 232 B.

ISAIÆ.

VI, 1. Vidi Dominum sedentem super solium, 135 B.
— 2. Seraphim stabant super illud, 135 B.
— 6, 7. Et volavit ad me unus de Seraphim,... et tetigit os meum, et dixit : Ecce tetigit hoc labia tua, et auferetur iniquitas tua, et peccatum tuum mundabitur, 135 A, C.
XIV, 12-14. Quomodo cecidisti de cœlo, Lucifer?... Qui dicebas in corde tuo : In cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis,... similis ero Altissimo, 119 A', 120 D', 273 B.
XXVI, 9. Anima mea desideravit te in nocte, sed et spiritu meo in præcordiis meis, 293.
XXIX, 13. Populus iste... labiis suis glorificat me, cor autem ejus longe est a me, 95 C.
XXX, 26. Erit lux lunæ sicut lux solis, et lux solis erit septempliciter sicut lux septem dierum, 248 A'.
XL, 12. Quis mensus est pugillo aquas, et cœlos palmo ponderavit? 43 D.
— 13, 14. Quis adjuvit spiritum Domini? Aut quis consiliarius ejus fuit et ostendit illi? Cum quo iniit consilium, et instruxit eum? 69 A'.
— 15. Ecce insulæ quasi pulvis exiguus, 250 D'.
— 17. Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo, et quasi nihilum et inane reputatæ sunt ei, 268 C'.
XLII, 8. Ego Dominus,... gloriam meam alteri non dabo, et laudem meam sculptilibus, 273 D', 338 D'.
LIII, 7. Oblatus est quia ipse voluit, 340 A'.
LV, 6. Quærite Dominum dum inveniri potest, 16 A.
LVII, 16. Flatus ego faciam, 150 D'.
LXVI, 9. Si ego, qui generationem ceteris tribuo, sterilis ero? 346 B'.

JEREMIÆ.

XXIII, 23, 24. Putasne Deus e vicino ego sum, dicit Dominus, et non Deus de longe? Si occultabitur vir in absconditis, et ego non videbo eum? dicit Dominus. Numquid non cœlum et terram ego impleo? dicit Dominus, 43 D.
XLVIII, 10. Maledictus qui facit opus Domini fraudulenter, 324 A'.
— 36. Quia plus fecit quam potuit, idcirco perierunt, 273 B'.
XLIX, 19. Quis... similis mei? et quis sustinebit me? et quis est iste pastor qui resistat vultui meo? 75 A.

THRENORUM.

III, 28. Levavit super se, 66 B'.
V, 21. Converte nos, Domine, ad te, et convertemur; innova dies nostros sicut a principio, 320 B.

BARUCH.

III, 38. Post hæc in terris visus est, et cum hominibus conversatus est, 251 A', 313 D.

Digitized by Google

EZECHIELIS.

XVIII, 21, 22. Si autem impius egerit pœnitentiam..., omnium iniquitatum ejus... non recordabor, 322 D', 339 A'.
XXVIII, 14. Tu Cherub extentus et protegens, 122 A'.

DANIELIS.

IV, 32. Omnes habitatores terræ apud eum in nihilum reputati sunt;... et non est qui resistat manui ejus, et dicat ei : Quare fecisti ? 268 D'.
VII, 10. Millia millium ministrabant ei, 114 A', 300 A.

OSEE.

VIII, 4. Ipsi regnaverunt, et non ex me, 219 A'.
XIII, 14. Ero mors tua, o mors; morsus tuus ero, inferne, 302 B.

JOELIS.

II, 11. Multa sunt nimis castra ejus,... fortia et facientia verbum ejus, 22 D.

ZACHARIÆ.

I, 3. Convertimini ad me,... et convertar ad vos, 183 A', 340 A.

MALACHIÆ.

II, 7. Labia... sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus, quia angelus Domini exercituum est, 133 D', 270 D'.
III, 6. Ego... Dominus, et non mutor, 62 C, 330 D', 336 D'.

MATTHÆI.

III, 17. Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui, 296 D'.
V, 7. Beati misericordes, 285 B', 339 C'.
— 8. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt, 11, 86 B'.
— 44. Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, 257.
— 48. Estote... perfecti, sicut et Pater vester cœlestis perfectus est, 62 C, 95 B, 257, 334 C'.
VI, 13. Et ne nos inducas in tentationem, 163 B'.
VI, 28, 29. Considerate lilia agri quomodo crescunt;... dico autem vobis quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus est sicut unum ex istis, 231 A'.
VII, 18. Non potest arbor bona malos fructus facere, 208 A'.
VIII, 4. Vide nemini dixeris, 278 B.
XI, 29. Discite a me quia mitis sum et humilis corde, 300 D, 300 A', 301 A.
XV, 18. Quæ... procedunt de ore,... coinquinant hominem, 200 C.
XVI, 16. Tu es Christus, Filius Dei vivi, 64 A.
XVIII, 10. Angeli eorum... semper vident faciem Patris, 131 B.
XXII, 30. In resurrectione... neque nubent neque nubentur, sed erunt sicut angeli Dei, 134 B.
XXV, 29. Omni enim habenti dabitur, et abundabit; ei autem qui non habet, et quod videtur habere, auferetur ab eo, 260 B.
XXVI, 26. Cœnantibus autem eis, accepit Jesus panem, et benedixit ac fregit, deditque discipulis suis, et ait : Accipite et comedite, hoc est corpus meum, 318 B.
XXVII, 45. A sexta autem hora tenebræ factæ sunt super universam terram usque ad horam nonam, 142 B.

MARCI.

XVI, 6. Jesum quæritis Nazarenum, crucifixum, 297 C.
— 15. Prædicate Evangelium omni creaturæ, 271 C.

LUCÆ.

I, 74, 75. Serviamus illi in sanctitate et justitia, 338 B'.
II, 51. Erat subditus illis, 317 D.
— 52. Jesus proficiebat sapientia... et gratia, 351 B'.
X, 42. Unum est necessarium, 61 C, 332 B'.
— — Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea, 279 C'.
XII, 6. Nonne quinque passeres veneunt dipondio, et unus ex illis non est in oblivione coram Deo ? 77 C'.
— 47. Servus qui cognovit voluntatem domini sui... et non fecit..., vapulabit multis, 320 D'.
XVII, 10. Quum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite : Servi inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus, 261 B.

Digitized by Google

XVIII, 19. Nemo bonus nisi solus Deus, 33 D, 34 A.
XXI, 2, 3. Vidit... et quamdam viduam pauperculam mittentem æra minuta duo. Et dixit : Vere dico vobis, quia vidua hæc pauper plusquam omnes misit, 209 B'.
XXII, 43. Apparuit autem illi angelus de cœlo, confortans eum, 136 C'.

JOANNIS.

I, 3, 4. Quod factum est, in ipso vita erat, 64 A.
— 9. Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, 37 A', 87 A', 88 B', 141 B', 151 B', 293, 300 D, 305 D, 307 B'.
— 16. De plenitudine ejus nos omnes accepimus, et gratiam pro gratia, 181 B'.
— 18. Deum nemo vidit unquam, 51 B'.
IV, 13. Qui... biberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet in æternum, 16 C.
V, 17. Pater meus usque modo operatur, et ego operor, 139 B.
VI, 37. Eum qui venit ad me, non ejiciam foras, 16 A'.
VIII, 12. Ego sum lux mundi, 309 A'.
IX, 3. Neque hic peccavit neque parentes ejus, sed ut manifestentur opera Dei in illo, 201 C.
XIII, 16. Non est servus major domino suo, neque apostolus major est eo qui misit illum, 299 B.
XIV, 6. Ego sum via et veritas et vita, 37 B', 284 A', 309 D.
— 21. Qui... diligit me, diligetur a Patre meo ; et ego diligam eum, et manifestabo ei me ipsum, 13 B.
— 26. Paracletus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, 315 D'.
XVII, 3. Hæc est... vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum, 11, 83 D, 274 A', 287 A', 308 B', 309 B'.
— 9. Non pro mundo rogo, sed pro his quos dedisti mihi, 253 A.
XVIII, 37. Ego in hoc natus sum et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati, 11.

ACTUUM.

XII, 23. Confestim... percussit eum (Herodem) angelus Domini, eo quod non dedisset honorem Deo, 201 B.
XV, 28. Visum est... Spiritui Sancto et nobis, 316 C'.

AD ROMANOS.

I, 19, 20. Deus... illis manifestavit. Invisibilia enim ipsius a creatura mundi per ea quæ facta sunt intellecta, conspiciuntur ; sempiterna quoque ejus virtus et divinitas, 13 B', 167 C', 235 A'.
— 21, 25. Quum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt,... sed evanuerunt in cogitationibus suis,... et servierunt creaturæ potius quam Creatori, 33 B, 95 C, 259 B'.
V, 20. Ubi... abundavit delictum, superabundavit gratia, 252 B.
VI, 23. Gratia autem Dei vita æterna, 183 D'.
VIII, 30. Quos autem prædestinavit, hos et vocavit, 344 C.
XI, 33. O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei ! 51 C', 68 C, 69 A', 301 D.
— — Quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus ! 74 D'.
— 36. Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia, 93 A', 244 B', 319 B.
XII, 1. Rationabile obsequium vestrum, 273 C', 286 B.
XIII, 1. Non est... potestas nisi a Deo, 343 A'.
— 5. Ideo necessitate subditi estote non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam, 220 D.
XIV, 23. Omne... quod non est ex fide, peccatum est, 211 C.

I AD CORINTHIOS.

I, 27. Quæ stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes, 312 C.
— 31. Qui gloriatur, in Domino glorietur, 259 C'.
IV, 7. Quid... habes quod non accepisti ? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis ? 259 B', 319 B.
VIII, 1. Scientia inflat, 122 A'.
IX, 9. Numquid de bobus cura est Deo ? 78 D.
XII, 4. Divisiones vero gratiarum sunt, 178 C'.
— 8-10. Alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ, alii autem sermo scientiæ, etc., 243 C'.
XIII, 12. Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem, 13 B, 167 D'.

Digitized by Google

XIII, 13. Nunc autem manent fides, spes, caritas, tria hæc; major autem horum est caritas, 287C'.
XV, 46. Non prius quod spirituale est, sed quod animale, deinde quod spirituale, 15A.

II AD CORINTHIOS.

I, 3. Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, Pater misericordiarum et Deus totius consolationis, 297A'.
III, 18. Nos vero... in eamdem imaginem transformamur, 303D'.
XII, 7. Ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, 201B.

AD GALATAS.

II, 20. Qui dilexit me, et tradidit semetipsum pro me, 272C'.

AD EPHESIOS.

III, 15. Ex quo omnis paternitas in cœlis et in terra nominatur, 347A.
IV, 5. Unus Dominus, una fides, unum baptisma, 35B'.

AD PHILIPPENSES.

II, 7. Semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, 272A'.
— 8. Factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, 310D'.
III, 8. Existimo omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam Jesu Christi Domini mei, 16D'.
— 20, 21. Salvatorem exspectamus Dominum nostrum Jesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ, 324C'.
IV, 7. Pax Dei, quæ exsuperat omnem sensum, 330A'.

AD COLOSSENSES.

II, 3. In quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi, 66C'.
III, 15-17. Pax Christi exsultet in cordibus vestris..., cantantes in cordibus vestris Deo; omne quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini Jesu Christi, gratias agentes Deo et Patri per ipsum, 17D.

II AD THESSALONICENSES.

III, 2. Non... omnium est fides, 207B.

I AD TIMOTHEUM.

I, 5. Finis... præcepti est caritas de corde puro et conscientia bona, 172C, 182D'.
— 17. Regi... sæculorum immortali, invisibili, soli Deo honor et gloria, 30D', 274A.
II, 4. Qui omnes homines vult salvos fieri, 74D, 337D.
— 14. Mulier... seducta in prævaricatione fuit, 165C', 169A.
VI, 15. Beatus et solus potens, Rex regum et Dominus dominantium, 34D', 84D.
— 16. Qui solus habet immortalitatem et lucem inhabitat inaccessibilem, 50B', 341B'.

II AD TIMOTHEUM.

I, 12. Potens est depositum meum servare, 180D.
II, 13. (Deus) negare se ipsum non potest, 81B.
IV, 8. In reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex, 180D.

AD HEBRÆOS.

I, 14. Nonne omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos qui hereditatem capient salutis? 109A', 135A.
IV, 13. Omnia... nuda et aperta sunt oculis ejus, 46D.
V, 4. Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo, 283D.
X, 31. Horrendum est incidere in manus Dei viventis, 323A.

JACOBI.

I, 17. Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum, 303D'.
— — Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio, 63A', 66B.
II, 19. Et dæmones credunt et contremiscunt, 306D.
IV, 4. Quicumque... voluerit amicus esse sæculi hujus, inimicus Dei constituitur, 322C.

Digitized by Google

I PETRI.

V, 7. Ipsi cura est de vobis, 305 B.

II PETRI.

I, 4. Per quem maxima... nobis promissa donavit, ut per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ, 257, 306 A.

I JOANNIS.

I, 5. Deus lux est, et tenebræ in eo non sunt ullæ, 85 D', 88 A'.

III, 2. Scimus quoniam quum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est, 288 C, 305 D', 308 D.

IV, 9. In hoc apparuit caritas Dei in nobis, quoniam Filium suum unigenitum misit... in mundum, 296 A.

V, 20. Scimus quoniam Filius Dei venit, et dedit nobis sensum, ut cognoscamus verum Deum, 11.

V, 20. Ut... simus in vero Filio ejus; hic est verus Deus et vita æterna, 299 A'.

APOCALYPSIS.

VII, 12. Benedictio et claritas et sapientia et gratiarum actio, honor et virtus et fortitudo Deo nostro in sæcula sæculorum, amen, 341 C.

X, 6. Tempus non erit amplius, 325 A.

XII, 4. Et cauda ejus trahebat tertiam partem stellarum cœli, 123 B.

— 7. Michael et angeli ejus præliabantur cum dracone, 123 A.

XIX, 9. Beati qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt, 282 B'.

XXI, 23. Civitas non eget sole neque luna..., nam claritas Dei illuminavit eam, 91 D.

Digitized by Google

INDEX ANALYTICUS

A

ABLATIO. *Vide* Negatio.

ACCIDENTIA multum conferunt ad cognoscendum quod quid est, 40 B. — Accidentia separabilia habent in Deo propriam ideam, 69 C'; inseparabilia autem non habent ideam aliam ab idea compositi, juxta Thomam, 69 C', contradicente Scoto, 69 D'.

ACTIO. Agere præsupponit esse, 287 A, et modus agendi parificatur modo essendi, 243 A : unumquodque enim agit in quantum in actu est, 175 A, et perfectum, 196 D. Ad perfecte autem agendum tria requiruntur : scientia non obtenebrata, potentia non impedita, voluntas ab invidia relegata, 77 A, seu virium dispositio bona, operatio non impedita, sapientiæ directio radiosa, 242 B'. — Suppositum est quod agit, sed natura principium agendi, 303 D.

Agens est honorabilius passo, 298 A. — In agentibus ordinatis virtus primi agentis manet in sequentibus, quæ instrumenta sunt ejus, 199 A ; sed quum agere sit ab esse, illud tantum est primum agens quod esse habet a se ipso, 202 A'. — Aliud est agens univocum, effectui proportionatum, et idem secundum speciem producens, 108 C', cujus finis non excedit effectum, et in eo recipitur ut perfectio, 108 C', et quod dat patienti similitudinem sui veram, 108 D', secundum speciem, 156 D' ; aliud agens æquivocum, cujus finis excedit effectus capacitatem, neque in eo recipitur ut inhærens perfectio, 108 D', et illud dat patienti quamdam similitudinem tantum, 109 A. Iterum est agens quod habet causalitatem super totam speciem rei, et hoc oportet specie differre a suo effectu, 155 C' ; et est agens quod habet causalitatem respectu unius individui, et hoc producit effectum sibi secundum speciem similem, 155 C'. — Agens liberum causa esse potest defectus, quin ipsum sit malum, 196 D', agens autem naturale non potest esse causa inordinati effectus, nisi in ipso aliquis defectus præcedat, 197 A. — Omne agens intellectuale agit propter finem, 108 C, sed agens creatum agit propter finem quo ipsum perficitur et cujus indiget, agens divinum non agit nisi propter se ipsum, 108 D. — Hoc differt agens divinum a naturali, quod divinum agit per intellectum, 103 D, et plurium potest esse simul causa, sicut simul diversa intelligere potest, 105 C', 156 D, quod absque sui mutatione agit, quia in ipso idem sunt natura, voluntas et actio, 107 C, quod rei influit ipsum esse, 145 D, seu producit rem totam, 104 B', et dat materiæ potentiam recipiendi quidquid voluerit, 154 A, quod demum agit sine motu, ac proinde sine labore, 148 B, nec requirit passivam potentiam in subjecto, 104 C', et actionem habet, non solum dum fit res, sed quamdiu subsistit, 148 C ; agens autem naturale agit ex necessitate formæ, sicut sol lucet, 156 D, nec sine mutatione agit, quia de potentia procedit ad actum, 107 C, non dat esse simpliciter, sed transmutat materiam, 145 D, nec producit rem nisi secundum aliquid, inducendo formam, 104 A', nec materiæ dat receptivam potentiam, 154 A, et quia per motum agit, duplicem potentiam requirit, activam in se et passivam in subjecto, 104 B', et cum labore operatur, 148 B.

An actus humanus possit esse indifferens, 210 B, vel necessario sit meritorius vel demeritorius, 210 D, bonus aut malus, 210 A' ; an possit esse simul bonus et malus, 209 D'. — Actionum differentia est ex differentia formarum quæ sunt actionum principia, 208 A, unde actionum voluntatis differentia specifica est ex parte finis, 208 B, et bonum et malum sunt essentiales differentiæ actio-

Digitized by Google

num ipsius voluntatis, non autem operationum quas imperat voluntas, 208 B. Porro prima actuum bonitas est ex parte objecti, secunda ex circumstantiis, tertia ex habitu virtutis : quibus adstantibus actus est simpliciter bonus, 201 D, quia bonum est ex integra causa, malum ex singulis circumstantiis, 205 D, et perfectus censebitur si processerit a virtute informata per gratiam, 211 B. A fine autem recipit actus semper malitiam, si finis sit malus, 205 C, quia actio est quasi media inter operantem et finem intentum, 210 D', sed non semper bonitatem, si finis sit bonus, 205 C, quia unus defectus sufficit inficere opus, 205 D. — Actus in genere morum non sunt nisi in quantum sunt voluntarii, 208 B', 211 A', ideo ex unitate voluntatis pensanda est unitas actus boni vel mali, 211 A', et nil prohibet in uno actu esse plura peccata, 164 D', aut in unum peccatum plures actus convenire, 211 B', C'. — In moralibus actus interiores exterioribus principaliores sunt, 178 A' : habent enim propriam bonitatem a libera voluntate, 209 A, quæ nihil ab actu exteriori recipit, 209 A, nisi in actu exteriori augeatur voluntatis affectus, 209 B ; actus autem exterior non pertinet ad genus moris nisi ratione voluntatis, 208 B', et bonitatem vel malitiam suam recipit a voluntate tum intendente tum eligente, 208 D, B'. Ipsi tamen inest propria bonitas, quæ in commensuratione circumstantiarum consistit, et secundum hoc addit bonitati actus interioris, 208 D' ; et quamvis ad præmium essentiale non ordinetur nisi accidentaliter, nec aliquid addat actui interiori quoad præmium essentiale, 209 C, ad præmium accidentale ordinatur, et accidentale aliquid addit bonæ voluntati, 209 D. Insuper ex actu exteriori oritur animæ habitualitas ad bonum, et dispositio ad gratiæ incrementum, 209 D, et ceteris exemplum, 209 A' ; ideo non est superfluum exterius agere, 203 C'. — *Cf.* Operatio.

ACTUS cum potentia dividit ens, 28 B, et invenitur in omni genere entis creati, 29 C, et opponitur potentiæ, 28 B : nihil enim est simul in actu et in potentia secundum idem, 19 B', quamvis idem possit esse actus secundum unam considerationem, et potentia secundum aliam, 29 B. — Actus proprie est principium operandi et movendi aliud secundum quod aliud, 28 B, D, 37 C', et ita actus dicitur quidquid agit et aliud movet aut perficit, ut Deus, intelligentia, anima, forma, 28 C, et quodcumque perfectum, principium et agens respectu imperfecti, principiati et patientis, 29 B ; amplius tamen patet actus quam forma, quia in corporeis et incorporeis invenitur, 28 D'. — Non unit se potentiæ, quum in eodem non præcedat eam, 19 D', nisi natura, 152 A' : ideo extra actum et potentiam oportet esse causam efficientem et unientem unum cum alio, 19 C'. — Quum sint entia ex actu et potentia composita, 20 A', et tanto nobilior sit natura quanto minus permixta est potentia, 103 C, necesse est esse ens quod sit actus tantum, et hoc est Deus, 20 B'. Quum autem dicatur actus illa natura quæ in se ita perfecta est, ut in aliud agere possit, 37 C', et purum, quod suo contrario impermixtum est, 37 D', patet Deum recte dici actum, quia in omnia alia agere valet, 37 D', et actum purum, quia de potentialitate nihil habet adjunctum, 38 A. Sed quod est actus purus, necessario incommutabile est, quia moveri est potentiæ, 38 A, æternum, quia quod incipit est in potentia, 38 B, perfectum, alioqui esset in potentia ad aliquid, 38 B, simplex, quia prima compositio est actus et potentiæ, 38 B, incorporale, quia materia est pura potentia, 38 C, unum, quia multiplicari non valet, 103 B', et est sua ipsa quidditas, 103 A' ; et ab eo proficiscitur omne quod potentialitate mixtum est, 103 A', B', quia actus præcedit potentiam, sicut completum diminutum, 103 B', et quod mixtum est ex actu et potentia, necesse est a puro actu emanare, 104 A'. — Agens quod partim est in actu et partim in potentia, producit rem secundum aliquid tantum, 104 A', quod autem est actus purus rem totam efficit, 104 B', 105 D. — *Cf.* Forma, Potentia.

ADAM in paradiso Deum vidit, non per propriam speciem, ut Beati, 167 D', nec per speculum in ænigmate, ut modo viatores, 168 A, sed medio modo, 119 D, 168 A, per speciem acquisitam, quemadmodum angeli naturaliter eum vident, 119 C, 167 D'. — Angelum custodem habuit, 136 B', et gratia indigebat, tum operante, ut gratificaretur, tum cooperante, ut operaretur exterius, 184 B, quia ad beatitudinem æternam

Digitized by Google

ex se pervenire non valebat, 184 A ; ideo in principio creationis suæ gratiam consecutus esse videtur, 184 D, et sic in eo duplex fuit justitia, altera quæ in debita naturæ ordinatione consistit, altera quæ facit actus meritorios, 162 D. An, superata prima tentatione, in gratia confirmatus fuisset, 162 C'. — Naturaliter mortalis erat, ex conditione corporis, 158 A', 159 D, sed supernaturaliter animæ ejus datum fuerat ut corpori esse suum immortale communicaret quamdiu ipsa Deo subjecta maneret, 158 A', et ita, quia peccare potuit, potuit et mori, 158 B'. Ejus corpus molle erat et divisibile, 159 B, et tamen impassibile, saltem passione alterante, 159 A, et a variis corruptionis causis servabatur, sive per virtutem animæ, quæ corpus secundum propriam virtutem informabat, 159 A', sive per esum lignorum paradisi, 159 B', maxime ligni vitæ, 159 C', sive per divinam providentiam, 159 D'. Somno indiguisset, 159 A, et cibo ad reparationem et ad productionem seminis, 158 C', quia solitas naturæ superfluitates habebat, 161 A ; non tamen potuisset totaliter dissolvi, 158 C'. Tanta insuper data est ei scientia quanta ad ejus perfectionem pertinebat, 168 D, ideo novit quæ ad sui ipsius directionem necessaria erant, et quæ ad gubernationem inferiorum, 168 A' ; et ita, sicut in corpore perfectus factus est, 168 B', adeo ut in illo nulla posset esse infirmitas, 168 D', sic quoad animam in scientia et virtute ita perfectus creatus est, 168 B', ut in eo nulla posset esse deceptio, 168 D', et peccato facillime resistere posset, 170 C. — Gula, avaritia et inani gloria peccavit, 164 D', 165 C, sed præcipue superbia, 165 A, non quod Deo optaverit assimilari simpliciter, 121 D, 165 C, sed quia scientiæ plenitudinem propria virtute habere concupivit ut sibi et inferioribus præesset, 165 A'. Peccatum ejus veniale esse non poterat, 164 D, quamvis forte illud veniale putaverit, 164 A', 169 A, non recte attendens ad verba Dei, 165 B ; quoad circumstantias ceteris peccatis gravius fuit, sed quoad speciem minus est multis peccatis, 164 B, minus etiam peccato Evæ, quia non ex sola elatione peccavit Adam, 165 B', et ejus elatio minor fuit, 165 C', ac voluntas minus perversa, 165 D'. Non fuit peccatum in Spiritum Sanctum, 218 D', sed in Filium, quia ex inconsideratione peccavit, 219 A, nec præsumpsit de misericordia Dei, 165 D', 219 B. Ideo, peccatum Adæ, in quantum personale, modice punitum est, 164 D, scilicet per exclusionem a paradiso, 185 D', sed in quantum naturale, maximam pœnam sortitum est, 164 D, et maximum bonum abstulit, 164 C, persona enim in ipso peccante, natura infecta est, 323 A', et demeritum ejus per modum traductionis transit ad posteros, 162 B', qui quodam modo in ipso fuisse dicuntur, 188 C, non secundum corpulentam substantiam, sed secundum rationem seminalem, 188 D. — Cur ipsi peccanti Deus pepercerit, 275 D. — *Cf.* Eva, Homo, Justitia, Peccatum, Redemptio.

ADONAI, nomen Dei, generale ejus dominium significat, 41 A, et vulgo pro nomine tetragrammaton pronuntiabatur, quod nefas erat nominari, 41 B. *Cf.* Nomen.

ADSISTENTIA. Regi adsistere dicuntur qui circa eum occupantur, 134 D, et sic sunt omnes angeli primæ hierarchiæ, 134 A'. — Plures videntur esse adsistentes quam ministrantes, 114 B', C'. — *Cf.* Ministerium.

ÆGIDIUS Romanus (Ægid. Colonna, archiep. Bituricensis), 238 A'.

ÆNIGMA quid sit, 168 B. — Obscuritatem quamdam includit, et diversimode cadit in omni intellectu creato, 168 B, in intellectu hominis innocentis et lapsi, 168 C.

ÆQUALITAS duplex est : altera quantitatis, 180 A, seu arithmetica, quæ pertinet ad justitiam commutativam, 180 C, altera proportionis, 180 A, seu geometrica, quæ pertinet ad justitiam distributivam, 180 C.

AER, elementum, aliquid de proprietatibus cœlestibus participat, 144 A, et post ignem formalior est ceteris elementis ac cœlo vicinior, 235 D', ideo pars ejus superior cœlum æthereum vocatur, inferior cœlum aerium, 144 A, et inferiora elementa, aquam et terram, quantitate vincit et ambit, 144 D, 235 B'. — Non est locus naturalis avium, 147 A, nisi quoad motum animalem, 147 B, sed in quantum diaphanus et turbulentus, et terræ propinquus, apta est habitatio dæmonum, 123 D, et quia est de se maxime transmutabilis et in omnem figuram vertibilis, ex aere conflari solent corpora a spiritibus assumpta, 128 C. — Multum ad universi pulchritudinem confert, 236 D', ob multiplices impressiones quæ fiunt in eo, 409 C, 535 A, et post judicium pervius erit et splen-

Digitized by Google

debit ut cœlum, 248 B', 325 A, 409 D', 536 A. — *Cf.* Elementa.

ÆSTIMATIO. Vis æstimativa est nobilissimus interior sensus brutorum, cujus officium est ex speciebus sensatis insensatas species elicere, 280 A. Vis est sensitiva quæ sensibilia apprehendit sub ratione convenientis vel nocivi, 170 A', et se habet ad appetitum sensitivum ut intellectus practicus ad voluntatem, 170 B'.

ÆTERNITAS. Æternum quasi extra terminum dicitur, et illud tantummodo designat quod caret principio et fine, 47 B'. — Æternitas ergo omne tempus comprehendit et includit, 48 A', et est interminabilis vitæ tota simul ac perfecta possessio, 47 D', mensura entis plene simpliciterque perfecti, 47 C', 49 A', ad quam tria requiruntur : interminabilitas, invariabilitas et simplicitas, 48 B. Idcirco nulli proprie competit composito, 48 A, B, nulli creaturæ, sive corruptibili sive incorruptibili, 48 B, sed Deo dumtaxat, qui est actus purus, 38 A, et semper est et nunquam est, quia nulli deest tempori nec ullo tempore clauditur, 46 A ; imo non est nisi ipse Deus, qui semper stando et nunquam fluendo, æternitatem causat, 48 C, et in quo idem sunt æternitas, nunc æternitatis et quando æternitatis, 48 C. Quomodo dicatur mensura Dei, 49 A'. — Sed alia est æternitas proprie dicta, quæ soli Deo competit, 48 C', alia æternitas creata et participata, quæ ævum nominari solet, 49 A, et creaturis aliquo modo a Deo communicatur, 49 B, etiam materialibus et mutabilibus, quæ semper erunt, 49 C, alia etiam æternitas quæ sæculum vocatur, seu certa cujuslibet rei, etiam corruptibilis, periodus, 49 C. — Omne ens superius aut est ante æternitatem, aut cum æternitate, aut post æternitatem, 48 C' ; esse quod est ante æternitatem est causa prima, esse quod est cum æternitate est intelligentia, 48 D', 110 D, esse quod est post æternitatem est anima, 48 D'. — *Cf.* Ævum, Tempus.

ÆVUM medium est inter æternitatem et tempus, 110 B, participatio quædam æternitatis, 110 D', pro qua interdum sumitur, 110 D, sed quid simplicius tempore, 110 A'. — Mensura est rerum et actionum permanentium, 110 B, et nunc ævi mensurat substantiam ipsius primi mobilis prout in se consideratur, 110 D. — Unum est, 110 A', unitate simplicissimi æviternorum, seu primi angeli, ad quem comparatur ut accidens ad subjectum, 110 B' ; quia enim mensura est extrinseca, non multiplicatur secundum mensurata, sed in uno primo est, 110 C', scilicet in illo angelo qui magis est in participatione æternitatis, 110 D', et ad quem alia mensurantur, 110 C', D'. — *Cf.* Æternitas, Tempus.

AFFIRMATIO dicitur vera, quæ signat esse quod est, 195 C. — Per viam affirmationis seu positionis cognosci dicitur Deus, quum ei tribuuntur quæ, absolute loquendo, melius est inesse quam deesse, 26 D', 51 D', et quæ ipsi competunt tanquam omnium causæ, 27 C, B'. Ideo in via affirmationis, a præstantissimis proceditur ad infima, et quæ digniora sunt, Deo prius conveniunt, 52 A, et quanto magis descenditur, tanto magis dilatatur sermo, 52 D. — Sed minus recte affirmantur perfectiones in Deo quam negantur, 52 C', unde affirmationes in divinis dicuntur incompactæ, id est non propriæ, 53 B, et sunt veræ negationes, 55 A, non ejus naturam ostendunt, sed quæ sunt circa ejus naturam, 55 C, non quid est, sed quid non est, seu habitudinem ejus ad aliquid eorum a quibus distinguitur, 55 D, 57 B, nec proinde positive nec substantialiter de eo prædicantur, 53 D, 54 C, 55 A', 56 D, sed per quamdam causalitatem, 53 A', 54 C', 56 C', licet contradicere videatur Thomas, 53 B', D', 57 A'. — *Cf.* Negatio.

AGATHON, tragicus et philosophus Atheniensis, ab Aristotele laudatus, 79 D'.

ALBERTUS Magnus (O. P., Ratisbonensis episcopus), arguens Avicebron, 75 C, ipse arguitur, 75 A'. — Deum esse tenet esse per se notum, 18 C, 30 A'. — Sæpius allegatur, 20 A', 34 C, 49 B, D, 60 D, etc.

ALEXANDER (Aphrodisiensis), philosophus Peripateticus, Aristotelis commentator, redarguitur, 151 B', 187 C'.

ALEXANDER de Hales (O. M.), « doctor magnus et solidus », 227 C', non semel invocatur, 232 B', 237 A', 238 A, 239 A', B'.

ALGAZEL (Abu Hamed el-Gazzâli), Peripateticus, multoties allegatus, 75 C', 96 B, 118 A', 137 D, mundi creationem fatetur, 42 A', sed errat, asserendo immediate a Deo non processisse nisi primam intelligentiam, 46 B, et ab intelligentiis intelligentias creari, 103 B. Pariter circa scientiam Dei errasse convincitur, 65 C'.

Digitized by Google

ALIMENTUM in quantum est patiens et alteratum, recipit formam nutriti et convertitur in ipsum, 156 D'. — Non ad fovendum naturalem corporis calorem tantum sumitur, ut vult Magister, 187 D, nec tantum ad complendum quod deest corpori ex parte quantitatis, ut dicit Alexander, 187 C', sed ad supplendas continuas corporis deperditiones, 158 C', 159 B', 188 A ; sed quia virtus convertens cibum continuo debilitatur, non tanta fit restauratio quanta fit deperditio, et corrumpitur animal, 159 B'. — *Cf.* Semen.

ALPHORABIUS (Abu Nasr el-Farabi), Peripateticus, mundi creationem fatetur, 42 A'. *Adde* 53 B.

AMBROSIUS (S.), Mediolanensis episcopus, allegatur, 39 D', 44 D', 76 A', 86 D', 142 D'.

AMICITIA quid sit proprie, 118 B', D'. — Amicitiæ non repugnat opinionum diversitas, sed tantum discors voluntas, 138 B', quia amicorum debet esse una voluntas et compar affectio, 43 B. — Quia ad amicitiæ dilectionem pertinet propriam felicitatem amico communicare, 288 A', recte amici Dei dicuntur Beati, 288 B'. — Sicut nihil præstantius et appetibilius est quam esse amicum Dei, sic nihil horribilius est quam esse ejus inimicum, 322 B ; qui autem volunt mundi hujus amici fieri, Dei inimici mox constituentur, 322 C.

AMOR ex apprehensione boni sensibilis convenientis nascitur, 280 A', tanquam rei habitæ, 108 D ; in appetitu concupiscibili est, 280 D, et pertinet ad voluntatem, 75 C'. — Ex similitudine nascitur, 95 A, 298 D', quia nihil tam naturale est quam consortes naturæ diligere, 314 A', et ex bonitate, quoniam bonum est quod omnia appetunt, 307 D ; ideo inter similes maxime viget, 95 A, inter distantes minus, 298 D', inter dissimiles minime, 92 B', 95 A, et quo creatura fit Deo similior, eo et ei amabilior, 321 B', quantum etiam habet res de bonitate, tantum et de amabilitate, 307 D. — Varii sunt amores : amor concupiscentiæ, quo diligitur dilectum propter utilitatem, 118 B', amor amicitiæ, quo diligitur propter se ipsum, 118 C', amor naturalis quo omnia divinum esse amant, sine quo nec ad momentum subsistere queunt, 306 B', amor naturalis proximi, quo in se, non in Deo diligitur, 306 B', caritas demum, qua Deus propter se amatur, et proximus ob æternam ejus felicitatem, 306 C'. — Quod est pondus in corporibus, hoc est amor in animabus, 210 D', 238 B', et hæc est ejus proprietas, ut amantem amato uniat, 298 D, et de bonis amati gaudentem faciat, 263 A' ; et quo ardentior est, eo intimiorem et magis inseparabilem unionem facit, 298 D, unde ex qualitate unionis censendus est amoris ardor, metiendaque quantitas, 298 A'. — Amor divinus non reliquit Deum sine germine esse, et causa est creationis rerum, 75 B', 107 A', quia ad amorem pertinet donorum largitio, 75 C'. In Deo ratio aliquid diligendi est simplex, 264 C', scilicet ipsa sua bonitas, 264 A', a dilectis enim nihil recipit, 264 A', ideo aliquid tanto amplius diligit quanto melius est et amabilius in se, 264 C, D ; in nobis autem ratio diligendi multiplex est, 264 A', C', nec tenemur semper meliores et amabiliores plus diligere, 264 D. Sic magis amari debent parentes et magistri quam extranei, etiam meliores, 264 D, B', angelus custos et Sancti patroni quam alii angeli et Sancti, etiam altiores, 264 C' ; sic etiam non tenemur omnia amare et velle quæ Deus amat et vult, 264 D', quia quamdiu in vita sumus, caritas secundum exigentias vitæ exercenda est, 265 A. — Amor sui inordinatus origo est omnis peccati, quia ex ipso multa sequuntur mala, 265 D : ut quisque autem se ordinate amet, amare se debet in Deo, sub Deo, et propter Deum, 265 A' ; qui aliter se amat, non amat se, sed odit, 265 B'. — *Cf.* Caritas.

ANGELI inter coæquæva numerantur, 140 C', et simul cum sensibili mundo facti sunt, juxta communem sententiam, 111 C, seu ante mundum sensibilem, juxta alios, 111 B, quorum non est contemnenda sententia, 111 D. — Prope Deum facti sunt, 20 C, 274 D', et in umbra divinæ lucis, 20 B, et in his, absolute loquendo, perfectior est Dei imago quam in homine, quamvis in quibusdam accidentalibus sit minor, 149 D', et tanto Deo similiores sunt quanto propinquiores, 241 D'. Lumina quædam sunt divina, 241 D', actus in se subsistentes, intellectus semper in actu, 242 A, deificatæ mentes, fortissimi milites Dei, satrapæ paradisi, 242 B, castra Dei, 22 D, pulcherrimæ Dei imagines, 242 B, in quibus perfectiones Dei plenius exprimuntur quam in tota corporali creatione,

Digitized by Google

242C. Adeo vigent intellectu ut sint quasi totaliter oculus intellectualis, 243B. — Personæ dici possunt, 113D, vel eminentiori modo quam homo, 113A', sed tribus ab homine differunt : quia simplicis sunt naturæ, et per intuitum intelligunt, et individuantur per se ipsos, 113D ; minimus eorum præstantior est omni viatore, eumque potest purgare, illuminare et perficere, 132C'. — Incorporeæ sunt et intellectuales creaturæ, 45B, 113A, in quibus non videtur esse materia, 112C', tum ratione intellectualitatis, alias intelligere non possent, 112D', tum ratione incorporeitatis, alias quantitatem habere deberent, 113A ; sed in eis est compositio ex actu et potentia, ex quo est et quod est, 113B, et diversificantur essentia, potentia et operatio, 29B', 48B, 271D. Quomodo dicantur actus, 28C. — Quamvis in cœlo empyreo habitare dicantur, non indigent loco, 111A', nec sunt in loco circumscriptive, sed definitive, 45A, ubi enim operantur, ibi sunt, 129D : quia ergo loco non terminantur, incircumscripti dici possunt, 45A, et etiam circumscripti, quia in pluribus locis simul exsistere nequeunt, 45A, nec secundum idem in diversis locis operari, 45B ; melius tamen dicuntur circumscripti, quia intelligibiliter circumscribuntur ubi operantur, 45B, imo circumscribuntur tempore, loco et comprehensione, 45C. Quomodo dicantur moveri, 22C'. — Quoad esse et visionem beatificam subjiciuntur ævo, 110B, quoad actiones quæ vicissitudinem habent, subjiciuntur tempori discreto, 110C : non enim est in eis tempus continuum, sed discretum cum diversis nunc immediatis et proximis, 116B, et habent in se operationem perfectam, 115D, non continuam, sed instantaneam, 115C', in qua nec differt terminus a principio, 115C', nec apprehensio aut collatio præcedit actum voluntatis, 115D'. — *Cf.* Intelligentiæ.

Angelica natura, quia intellectualis est, recte dicitur lux, et illuminatio ejus, dies, 88C', 139D. — Per species ab intellectu diversas cognoscunt, non a rebus acceptas, sed a Deo influxas, 116D : sunt enim in eis formæ universales ante rem, non tamen rerum operativæ, nisi juxta modum, 117C, et formæ superiorum universaliores sunt tam secundum cognitionem quam secundum operationem, 117C. Singularia ergo cognoscunt, non per species a rebus acceptas, 117D, nec per causas universales, 117A', nec per applicationem formarum communium ad hoc vel illud, 117B', sed per species connatas formis divinæ mentis similes, 118B, per quas cognoscunt causas ordinem habentes in natura, et quidquid in illis est determinate, 118B. — Duplex insuper est angelorum cognitio : alia matutina, qua res in Verbo vident, prout exeunt ab arte divina, 139C', uno intuitu, 118D, quo simul Deum immediate vident et in eo divinos effectus, 407C, et quia superiores angeli plura vident, et clarius, et cum pluribus rationibus, de his erudiunt inferiores, 137A', 407D, 532B ; alia vespertina, qua res cognoscunt prout in natura consistunt, 139C', per species connatas, et quia sic non intelliguntur simul nisi quæ ad unum reducuntur, 118A', quo altior fuerit angelus, eo plura una specie unoque actu intelligit, 118B. — Contingentium, dum futura sunt, cognitionem non habent, 118C, et judicia Dei in singulos nesciunt, unde inter eos oriri potest contentio, 138A', non tamen discordia, quia omnes Dei voluntatem concorditer volunt, 138B'. — Alii aliorum conceptus intueri non valent, 137C', sed tantum quæ exterius libere manifestantur, 137D'. Quomodo inter se colloquantur, 137B', D'. — An ab hominibus aliquid discant, 138D, et quomodo Incarnationis mysterium noverint, 138B. — *Cf.* Cognitio, Illuminatio.

Angeli corpora non habent, ne cœlestia quidem, 127B', sed corpora assumere queunt, 127C', quibus uniuntur ut motores, 127D', corpora non vera, 128B, sed ex aere conflata, 128C, et splendida, 128D ; et quia horum corporum motores sunt tantum, in his actiones exercere possunt quæ corpus sequuntur ut mobile, v. g. movere, compellere, 128A', non autem quæ sequuntur corpus ut vivens, 128D, v. g. comedere, 128A', videre et loqui, 128B'. In his corporibus toti sunt in qualibet parte, 127D', et moventur per accidens, quia in loco sunt definitive, 128C'. — Corpora inferiora, etiam humana, transmutare possunt, 129C, et directe imprimunt in potentias organicas, 129C ; in intellectum autem non influunt, nisi indirecte, et in voluntatem minime, 129C. — Homines erudiunt, vel applicando lumen suum ad

Digitized by Google

phantasmata, 126 B, vel novas species in imaginatione formando, 126 C. — *Cf.* Apparitiones.

In cœlo empyreo creati sunt, 123 C, in felicitate naturali, 119 C, qua Deum videbant, non per speciem, ut Deus, nec per speculum, ut homo, 119 D, 167 D', sed per speciem acquisitam, ut videtur homo per speciem ab ipso impressam, 119 C, 167 D'. — An in gratia sint creati, 120 A, 122 A, et Deum ante confirmationem suam super omnia dilexerint, 118 B'. Quomodo ad Deum sint conversi, 121 C', 122 C', et beatitudinem meruerint, 122 A. — Per gratiam confirmationis impeccabiles facti sunt, 124 B. Simplices enim sunt et deiformes naturæ, quarum proinde simplex est libertatis conversio, 275 A'; ideo et simplici actu convertuntur ad Deum aut avertuntur ab eo, 20 B, et ad quod se primo convertunt, ad id se totaliter convertunt, 275 D : qui ergo semel Deo adhæserunt, Deo inavertibiliter adhærent, 124 C, qui semel peccaverunt, irreparabiliter lapsi sunt, 275 D. Nec tamen propterea libertate privantur, quia in his quæ a fine non deordinant, indifferenter agere possunt, 124 D. — Juxta meliorem sententiam, in præmio essentiali, seu in visione Dei, proficere nequeunt, 137 C, sed in præmio accidentali, seu in cognitione divinorum effectuum, proficere valent, quia in divina essentia non æque omnia vident, 137 D, et per ministeria circa homines exhibita, præmium accidentale merentur, 122 A. — *Cf.* Visio.

Angelorum numerus prope infinitus est, et omnem multitudinem naturalem excedit, 114 A. — Omnes dici possunt angeli, 133 A, seu manifestantes, 133 B, 135 D, et Virtutes, propter naturæ vigorem, 133 A; sed inter se differunt secundum majorem vel minorem permixtionem actus et potentiæ, 114 B. Et quia in angelis nequit esse nisi distinctio formalis, quæ constituit differentiam specificam, 115 A, tum quia carent materia, 115 A, et dimensione, 115 B, tum quia constant tota sua materia, 115 C, tum quia diversitas individuorum sub una specie est propter conservationem speciei, et in incorruptibilibus locum non habet, 115 B, ideo, quidquid dixerint quidam, 114 D', nullus angelus cum alio convenit in specie, 115 A, 133 D, sed tantum in genere, quia sunt in genere substantiæ, 115 A'. — Triplex in his agnoscitur distinctio, hierarchiarum ab invicem, ordinum ejusdem hierarchiæ, angelorum ejusdem ordinis, 131 A' : quæ secundum diversam dispositionem ad receptionem divini luminis sumitur, 131 B'; et secundum naturalium diversitatem, diversificatur etiam perfectio in gratuitis, 133 D, 134 A. Species autem eorum specialissimæ soli Deo notæ sunt, 91 C. — Inferiores angeli quandoque superiorum virtutem participant, 136 D, et nomen sumunt, 135 C. — *Cf.* Adsistentia, Chorus, Hierarchia.

Quodammodo dicuntur facti propter homines, quia hominibus prosunt, 109 A', et millia millium ex eis, ut apes negotiosæ, inter cœlum et terram meant alacri cursu, 406 C'. 531 D; et hæc est grandis Dei ad nos dignatio, quod tam excellentes intelligentias mittit ad vermiculos, 406 B', 531 B, puras essentias ad cinerem, 406 B', 531 C, satrapas supermundanos ad vasa lutea, 406 C', 534 C. — Cur per angelum non facta sit hominum redemptio, 151 D. — *Cf.* Custodia, Ministerium.

ANGELI, infimus tertiæ hierarchiæ chorus, proprie dicuntur angeli, 133 A, seu manifestantes, 133 B, quia hoc nomen ultimam eorum perfectionem exprimit, 133 A. — Ab Archangelis illuminantur et ecclesiasticæ hierarchiæ immediate præsident, 406 C, 530 A'; minora nuntiant et privatos homines custodiunt, 132 B', 406 C, B', 530 B'. — Sidera sunt cœli, sapientia, puritate et caritate decora, 406 D, 530 C'; Deum pro nobis exorant eique nostras præsentant orationes, 406 D, 530 D'. — *Cf.* Custodia.

ANIMA. Non omnes animæ a principio separato sunt, intelligentiis, ideis aut Deo, ut male dixerunt quidam, 156 B', quia animæ sensibiles et vegetabiles sunt ex traduce, 156 D'. — Similiter animæ rationales non sunt omnes simul a principio conditæ, 132 A', ut perperam docuerunt Platonici, 152 B', nec ante corpora creantur, quia in eodem actus non præcedit potentiam, 152 A'; non sunt ex traduce per semen, 155 A', nec procedunt ex anima progenitorum, sive per virtutem generativam, 155 B', sive immediate, 155 C'; non sunt de potentia materiæ educibiles, 155 D' : unde restat ut sint ab extra, 155 D', non ab angelis aut intelligentiis, 156 B', qui creare non valent, 156 C, sed

Digitized by Google

ex jussu Dei, 156 A, a quo infundendo creantur, 192 A', eodem instanti quo completur dispositio corporis ad formam substantialem, 121 D'. Quamvis autem immediate inspiratæ a Deo dicantur, non sunt de substantia Dei, 150 D', et quamvis in infusione in corpus maculentur, non sunt malæ a creatione, 192 D. Omnes sunt ejusdem speciei, nec differunt, nisi secundum dispositionem materiæ per quam individuantur, 193 A.

In ordine formarum naturalium, anima rationalis est nobilissima forma hujus mundi, 240 A, et ceterarum finis, 110 A; simplex et immortalis essentia, 241 A', in qua non est compositio ex materia et forma, 150 D', sed tantum ex esse et quod est, 151 B; primæ et increatæ lucis signaculum, 241 A', Deitatis imago, cujus intellectualitatem imitatur, 149 C, cujus capax est et in cujus visione felicitatur. 149 C; summæ Trinitatis figura per intellectum, memoriam et voluntatem, 241 C; angelicis spiritibus inferior dignitate naturæ, sed æqualis ratione finis, 241 B', quia ad eumdem finem et eamdem beatitudinem creata est, 241 D; quæ omnium formarum inferiorum perfectiones in se includit, et per intellectum cum substantiis separatis communicat, 241 D, unde recte dicitur horizon et ligamentum formarum separatarum, et formarum materiæ immersarum, 271 C. — In ordine autem intellectualium essentiarum, ultima est, 270 B, A', et infimum locum tenet, 241 C, quia facta est in umbra intelligentiæ, 20 C, 206 C, 241 C, 270 B, seu ultimi angeli, 275 A, quocum maxime convenit, 270 D'; et est sicut materia prima in ordine entium, 270 C, ita ut infra eam nequeat esse intellectualis substantia, 270 B, A'. Omnino possibilis est et prope sensibiles formas condita, 270 C : in qua tantum obtenebratur intellectuale, ut per sensus corporeos rerum notitiam hauriat, 270 C, magis naturaliter quam per influxum separatæ substantiæ, 270 D; in qua intellectiva potentia prope nihil est, 270 C, D, intellectus debilis, 270 B', et nudus ut tabula rasa, 270 B, memoria vaga, voluntas fallibilis et mens instabilis, 270 B'; in qua præ cunctis intellectibus creatis maxima est a divina simplicitate distantia, 275 A, quia maxima est potentiarum ac operationum diversitas, 271 B, sicut membrorum in corpore, 242 D, quanta nulla est in ente creato, sive in cœlo, sive in terra, 271 B. — Quamvis secundum esse a corpore valde distet, secundum ordinem potentiæ ad proprios actus, corpori propinquissima est, 109 D', et ipsi unibilis naturaliter, 109 D', et immediate, sicut actus intrinsecus suæ potentiæ, 190 D; estque in corpore, non tantum ut motor, 110 A, sed ut perfectio, 19 A', et principium vitæ et motus formale et intrinsecum, 19 B'. — Actus dici potest et potentia, 28 B, actus quantum ad corpus, cui dat esse, 29 C, potentia quantum ad Deum, a quo recipit esse, 29 C. Ut actus, in sua naturali operatione a nullo dependet, 151 A', nec cogi potest quoad voluntatem, 175 B', quamvis vires ejus organicæ et etiam intellectus compelli possint, 175 A'; ut potentia, plus a Deo dependet quam quilibet effectus a causa secunda, 262 C', et sibi relicta, omnem naturalem subsistentiam et spiritualem decorem sine mora perderet, 262 D', et quia in potentiis multiplex est, multis modis deficere potest, 275 A, quantum ad intellectum ex phantasia, quantum ad affectum ex passionibus appetitus, 125 B', multis indiget virtutibus, 275 B, et innumerabilibus motibus ad consequendum finem, 275 C, et difficile pertingit ad Deum, 275 C. — Quia materiæ unita est tanquam actus et entelechia, 275 A', libertas ejus vicissitudinem affectionum recipit, nec totaliter adhæret ad id ad quod se convertit, 275 A', B'; et quamdiu manet in corpore, nec figitur nec immobilitatur in bono aut in malo, 275 B', quum autem separata fuerit a corpore, immobilitatur nec ultra mutari potest, 275 C', sed fixa manet in eo ad quod se ultimate converterit, 275 C'. — Non mortalis est, ut senserunt quidam, 157 C', nec destruitur, remanente solo intellectu communi, ut dixit Averroes, 158 A, nec transit de corpore ad corpus, ut mentitus est Pythagoras, quia non est apta nisi ad unum corpus, 158 A, sed cum corpore incipit et post illud remanet, ipsi rursus conjungenda, 158 B, et cum ipso præmianda vel punienda sine fine, 158 C. — *Cf.* Intellectus, Potentia, Voluntas.

Animæ cœlorum, quas posuerunt philosophi, 134 C', 143 B', non sunt veræ animæ, nec orbibus uniri possunt nisi ut motores, 143 C'. Ab intelligentiis differunt, quia ab iis producuntur, 156 B, et non imprimunt in

Digitized by Google

res nisi per motum, 112 D. — Anima nobilis, seu cœli, est post æternitatem et supra tempus, quoniam est in horizonte æternitatis, 48 D'. — *Cf.* Intelligentiæ.

ANIMA devota a naturali divinorum studio deterreri non debet propter malam doctorum vitam, 15 D, nec propter Dei incomprehensibilitatem, 16 D, sed potius Deum indesinenter quærere, 16 C, A', 253 A', et reverenter, 17 A, C, eum contemplans in mobilibus, 21 B, in cœlestibus, 21 B, 232 D, et creatis, 247 C, in sua summa entitate, 30 B, 250 D', bonitate, 32 C', dignitate et beatitudine, 51 B, 84 D', 263 A', timorate et affectuose in ejus præsentia conversans, 93 A, in omni sanctitate, diligentia et munditia, 93 A, eum amans, 94 B, et honorans propter se ipsum, 274 C, omni tempore et momento, 94 C, eique gratias pro beneficiis agens, 260 A', 263 D. — Satagat divinæ incommutabilitati conformari, 62 C, et Christi vestigiis insistere, 309 C', imitando pro posse ejus humilitatem, 299 B, 301 A, paupertatem, obedientiam et patientiam, 310 D, a vana gloria cavere, 260 A, 261 A, 263 C', et passiones moderari, 281 D. — Ipsi imprimis necessaria est cognitio sui, ut temeritatem fugiat et pusillanimitatem, 269 D', ne in prosperis extollatur aut in adversis dejiciatur, 270 A, et sedula Dei consideratio omnia cernentis, 324 A, et omnia judicantis, 323 C, ne in segnitiem cadat, 323 A, sed ut ei semper alacriter famuletur, 324 A'. — Per passionum reformationem fit capax divinarum illuminationum, 281 D', in divinorum contemplatione stabilitur, 282 A, et fit fortis, constans et prudens, 282 A. — Pia devotæ mentis oratio ad Deum, 263 D. — *Cf.* Justitia, Sanctitas.

ANIMALIA a principio creationis in rationibus seminalibus facta sunt, 139 A. — Ex quatuor elementis constant, 146 B', et ex prædominante complexionem accipiunt, 146 D'. In omnibus prædominatur terra simpliciter quoad quantitatem, deinde aqua, 146 D'; secundum virtutem autem dominatur ignis, 147 B; nonnulla tamen ex aqua constare dicuntur, quia plus ceteris de aqua videntur habere, 147 A. — Per animam movent se, per corpus moventur, 19 B', movent se in quantum aliquid de perfectione primi actus participant, moventur propter sui distantiam a primo immobili, 28 D. — Variæ sunt pulchritudinis, et mirabilia, 247 B', alia ex magnitudine, 236 D, alia ex parvitate, 236 A'; imo quæ minimum habent molis, plus habent admirationis, 236 C'. — Elementorum dicuntur ornamenta quoad motum naturalem et quietem, 147 B, et illius elementi proprie sunt ornamenta, in quo naturalem motum habent, 147 C. — *Cf.* Bruta.

ANSELMUS (S.), Cantuariensis episcopus, quomodo probet Deum esse per se notum, 18 A, et an bene, 17 D'. *Adde* 30 A, 45 A, 48 B', 58 D', 89 A', 239 B'.

ANTICHRISTUS custodem habebit angelum, nec frustra, 136 C', quia ab ipso a malis aliquibus retrahetur, 285 A'. — Permittente Deo multa faciet vera miracula, 127 B.

ANTONIUS (S.) abbas, in libro naturæ Deum didicit, 14 D, et sanctitate vitæ magis quam studio sapientiam acquisivit, 268 B.

APOLLINARIS, Laodicenus episcopus, « reprobus » hæreticus, aliquid de Verbo in carnem transmutatum esse blasphematus est, 303 C'.

APPARITIONES quibus Deus hominibus se ostendisse legitur, angelorum sunt apparitiones in corporibus assumptis, 129 D'; idem enim angelus, corpus secundum exigentias formans, quum de se ipso instruere vult hominem, dicitur angelus, 130 A, quum de angelo superiori, dicitur angelus superior, quum de Deo, dicitur Deus, 130 A.

APPETITUS. In quocumque invenitur cognitio, invenitur aliquis appetitus, quia appetitus sequitur cognitionem, 72 D. — Triplex est in homine appetitus : naturalis, qui ex naturali dispositione oritur, sensitivus, qui ex imaginatione procedit, rationalis, qui est actus voluntatis, 172 A'. Appetitus sensitivus a cognitione sensitiva procedit, et circa objecta movetur sub ratione boni et convenientis, vel mali et nocivi, 280 B, quia omnis appetitus vel prosequitur quod sibi putat conveniens, vel fugit nocivum, 213 D; duplex est : concupiscibilis, cujus objectum est bonum delectabile sensui, 215 A, 280 D, et irascibilis, cujus objectum est bonum sensibile arduum, 215 C, 280 D, sive absens, 280 C', sive præsens, 280 D'. In appetitu sensitivo subjective sunt omnes passiones, quæ proprie sunt motus ejus, 280 C, et possunt esse virtus et mortale peccatum, quia ex electione operatur, 173 B; quæ sint in concupiscibili peccata, 215 A, et passiones, 280 D,

Digitized by Google

quæ in irascibili, 215 C, 280 C'. Errare non valet, nisi in ratione error præcedat, 262 B, et passionibus moralibus regulatur, 14 D'. — Appetitio ex similitudine nascitur, 34 D, et quia objectum ejus est bonum, 31 D, quanto quid melius, tanto et appetibilius, 31 D. 261 C'; similiter alia propter se appetuntur, ut finis, et necessario appetuntur, 73 C, alia propter aliud appetuntur, ut media, et libere appetuntur, 73 D : quum ergo Deus sit essentialiter bonus, propter se summe appetendus est, 261 D', cetera vero, non nisi in quantum divinæ bonitati assimilantur, 261 D'. — *Cf.* Desiderium, Voluntas.

APPROBATIO est scientia Dei respectu bonorum, unde ignorare dicitur quos non approbat, 68 C.

AQUA, ut elementum, subtilior est terra et cingit eam, non tamen cooperit, quare, 144 D, 408 B'. Multum confert ad pulchritudinem universi, 236 C', et post judicium pervia erit et splendebit ut crystallus, 248 B', 325 A, 536 A. — In corporibus animalium est quasi continuans partes, 146 D', sed quæ plus de aqua habere videntur, dicuntur ex aqua constare, 146 D', ut pisces et aves, 147 A. — In mari, salsa est in superficie et circa littus, sed dulcis in profundo, 144 A'. — Aquæ quæ super cœlos esse dicuntur, non sunt Spiritus Sanctus, 142 D', nec aquæ elementares, 142 D', sed aquæ de quinta essentia, omnino diaphanæ, ex quibus constat nona sphæra, seu cœlum crystallinum, 143 A. — *Cf.* Elementa.

ARABES auctores citati : Algazel, Alphorabius, Avempote, Averroes, Avicenna. Quorum quisque suo loco requirendus est.

ARBITRIUM nec habitus est, 169 B, nec potentia prout per naturalem habitum perfecta est, 169 C, sed facultas seu potentia cujus proprius actus est eligere, 169 D, A', et quia electio duo præsupponit, discretionem, quæ pertinet ad intellectum, et desiderium, quod pertinet ad voluntatem, 169 C', liberum arbitrium complectitur duas potentias, rationem et voluntatem, 169 B'; non tamen est potentia media inter voluntatem et rationem, 169 D', aut a voluntate et ratione distincta, 170 B, sed principaliter est voluntas prout in ea relinquitur virtus rationis, 170 A, seu voluntas deliberata, 170 B. — Intellectualibus substantiis tantum competit, 175 B, et in Beatis invenitur, 175 A', ac in ipso Deo, saltem quoad id quod est perfectionis in eo, 175 C; quomodo in homine lapso dicatur perditum, 169 A'. — Ad omnes actus humanos extenditur, 175 D', præter actus vegetativæ partis, 176 A, et quanquam per se non possit in bonum meritorium, tamen sufficit ad actum conversionis, 121 D', et valet resistere malo, et ad gratiam se disponere, 170 C; imo in infusione gratiæ unicus est motus, qui est præparatio ad gratiam in quantum procedit ab arbitrio, et meritorius in quantum a gratia informatur, 121 D'. — De ratione ejus est ut non cogatur, nec ad unum determinetur per naturam, 167 B, sed ad ipsum non pertinet posse in bonum et in malum, quia posse in malum ex defectu procedit, 175 D, 176 A', et sufficit ut aliquam actionem exsequi possit aut dimittere, 175 D. Etsi ergo ad ultimum finem, seu felicitatem, necessario tendat, in ceteris liberum est, 175 C'. — Quoad immunitatem a coactione compellente, nec augeri nec minui potest, 176 A, licet excellentiori modo sit in Deo quam in angelo, et in angelo quam in homine, 176 B, sed quoad immunitatem a coactione impellente, majus est aut minus, 176 B. — Illud tantum potest liberum arbitrium movere, quod est causa animæ, 145 D'; quapropter in illud directe agere nequeunt cœlestia, 146 A, nec intelligentiæ aut motores orbium, 146 B, sed solus Deus, 146 C. — *Cf.* Libertas, Voluntas.

ARCHANGELI, secundus infimæ hierarchiæ chorus, a Principatibus immediate illustrantur, et Angelos illuminant, 406 A, 530 C; majora nuntiant, 405 D', 530 B, et prælatorum custodiæ deputantur, 132 B'.

ARISTOTELES, « nobilis », 308 B, « princeps philosophorum », 277 B, seu absolute « Philosophus », 18 A', 20 B, etc., cui « revelatum est pene totum quod naturaliter sciri potest », 16 C', nullum tam subtile et utile verbum locutus est, quam dicendo Deum esse actum purum, 38 A, A'. — Primus philosophorum contendit cœlum non esse de natura elementorum, 143 B; et insuper mundum ab æterno esse dixit, 106 A', licet a Deo factum, 42 B', 107 D, et cœlestia animata, 49 A. — Platonem sæpe impugnat, 23 B.

ARIUS hæresiarcha, Platonicis doctrinis seductus, Filium Dei puram creaturam dixit, 46 C, negans ei veram deitatem et rationa-

Digitized by Google

lem animam, 303 B' ; quin et Spiritum Sanctum Patri et Filio inferiorem mentitus est, 316 C.

ARS in natura fundatur, quia natura præbet arti materiam, 105 D. — Recte dicitur Deus seu Verbum ars æterna rationibus plena, 77 B, 249 A', seu ars increata, 347 C, quia omnium rerum rationes ideales in se habens, 342 C', juxta eas format universa, 69 C, 343 A ; unde creaturarum emanatio a Deo emanationi artificiatorum ab artifice assimilatur, 76 D', ut sicut vera dicuntur artificiata quum ad perfectionem ab artifice præconceptam pertingunt, sic vera sint naturalia quum ad imitationem idealium rationum mentis divinæ conformantur, 36 C', 229 B.

ASTROLOGI de futuro vaticinantes, sæpe vera prædicunt, quia pauci passionibus dominantur, et plerique influxui cœlestium cedunt, 146 D ; non tamen expedit multum eis credere, quia non raro occulto dæmonum instinctu divinant, 146 D.

ATHANASIUS (S.), « sacer et divinus », Alexandrinus episcopus, 268 B.

ATTRIBUTA Dei inter se relativam oppositionem non habent, sed ex natura rei sunt penitus unum et idem, 60 B', quidquid dicant quidam inter ea ponentes formalem distinctionem, 59 D', 60 A', seu non identitatem ex natura rei, 60 A : quia enim in divina essentia omnium creaturarum perfectiones includuntur, 60 C', diversa, imo et opposita attributa ipsi conveniunt secundum diversas perfectiones, 60 D', 70 A'. — Inter attributa Dei eminent potentia, sapientia et bonitas, 235 A', quas commendant creaturarum multitudo, decor et utilitas, 235 B'. — *Cf.* Proprietas.

AUDACIA est passio irascibilis per quam mala futura ardua aggredimur, 280 D'.

AUGUSTINUS (S.), « ardens Dei amator », 94 B, in his quæ fidei non sunt, Platonem sequitur, 69 A, 143 C. — Ejus sententia de productione rerum, 139 A, et de diebus creationis, 139 D, subtilis est, 139 D', rationi magis quam litteræ consona, et Scripturam magis ab infidelium irrisione defendit, 139 C. — Passim allegatur, 11, 15 A', D', 17 D, 18 A', etc. Notabilia : de simplicitate Dei, 60 B', D' ; de ideis, 68 A', D' ; de humani corporis excellentia, 240 B.

AVARITIA in appetitu concupiscibili residet, 215 B. Cur ex ea dicantur omnia nasci peccata, 215 A'. *Cf.* Cupiditas.

AVEMPOTE (Abu Bekr Mohammed Ibn-Badjah), Peripateticus. perperam asserit intellectum possibilem non esse nisi vim imaginativam, 151 C'.

AVERROES (Abul Walid Mohammed Ibn-Roschd), antonomastice Commentator, 107 D, 110 C, A', philosophus Peripateticus, infeliciter negat Dei providentiam, 65 C', D', et animæ rationalis immortalitatem, 158 A, et stulte contendit intellectum possibilem et agentem, unum esse in omnibus, 152 B. — Sæpius allegatur, 22 C, 34 C, 42 A, 105 B', etc.

AVES ex aqua sunt secundum id quod in ea est subtilius, unde et in aere levantur, 147 A, et aeris sunt ornamentum, 147 C ; verumtamen aer non est earum locus, nisi quantum ad motum, 147 A, et motus earum est ibi laboriosus, 147 D.

AVICEBRON (Salomon ben Gebirol), philosophus Platonicus, stulte contendit res creatas non habere proprias actiones, 105 B'. — Asserens Deum per voluntatem agere et producere, 75 C, approbatur, 75 A', et explicatur, 76 B. — *Adde* 43 B, 72 D', 92 D, 112 C'.

AVICENNA (Abu Ali el-Hosein Ibn-Sina), philosophus Peripateticus, mundi creationem fatetur, 42 A', et omnipotentiam Dei agnovit, 71 C', 79 D', sed in multis errat, asserens a Deo non processisse immediate nisi primam intelligentiam, 46 B, et ab intelligentiis intelligentias, animas, formas et corporalia creari, 105 B, 156 A, Deum non cognoscere singularia nisi in causis universalibus, 65 C', 117 A', omnes voluntatis actus in nobis ab intelligentiis causari, 146 B, et elementorum materiam a substantia cœli profluere, 145 D. — Optime de intellectu possibili philosophatur, sed male de intellectu agente, 151 D'. — *Adde* 22 B, 31 A, 36 B', D', etc.

B

BAPTISMUS hominem purgat quoad id quod est personæ, non autem quoad id quod est naturæ, 190 B, culpæ maculam tollit, 191 D, quæ pœna est personæ, 191 B', non fomitem, 191 D, nec necessitatem moriendi, quæ sunt pœnæ naturæ, 191 C'.

BARBARA (S.) nondum baptizata, contra idololatras adstruxit unitatem Dei, 26 B.

BASILIUS (S.) « magnus », Cæsariensis epi-

Digitized by Google

scopus, in his quæ fidei non sunt, Platonem sequitur, 143C. — Perperam pro S. Petro Damiano allegatur, 21C'. — *Adde* 207C.

BEATITUDO ab omnibus optatur, etiam a pessimis, 19C, tanquam perfectissimus status, 204C, quamvis secundum substantiam suam ignota sit, 204B. — Operatio est optima et perfecta, 84B', intellectus et voluntatis, maxime vero intellectus, 83D, 287B', et ex possessione boni concupiti oriri censetur, 84B ; de ratione ejus est ut quisque habeat quidquid vult, et nihil mali velit, 176A', et in statu suo confirmetur, 119C. — Quanta ergo est bonitas Dei, qua ipse perfecte fruitur, tanta est ejus beatitudo, 84C, et quanto infinitum præstat finito, tanto divina beatitudo creatam felicitatem excedit, 84C ; imo, quum sit essentialiter Deus propria beatitudo, 84B', substantialiter felix est et totaliter beatus, 84C', et idem est ei esse et esse beatum, quia ejus beatitudo est sua natura, 84D'. Summa ejus beatitudo omnis felicitatis plenitudinem comprehendit : felicitatem contemplativam et activam, 85B, divitias, 83B, voluptatem, potestatem et famam, 85C. — Beatitudinis nostræ fons, objectum et causa Deus est, qui solus creatæ mentis capacitatem implere potest, 225. — *Cf.* Felicitas.

Beati inter ordines angelorum pro qualitate meritorum collocantur, 134D, non modo virgines, 134C, aut perfecti, 134C, sed universi, 134D, et sunt sicut angeli Dei, 134B. — Recte amici Dei dicuntur, 288A', qui ad divinæ beatitudinis participationem assumuntur, 288B', et Deo ipso perfecte et plene assimilantur, 288C', qui Deum vident sicuti est, non jam in creaturis, sed in se ipso, 288D, et per propriam essentiam, 410A', quorum voluntas voluntati divinæ indissolubiliter unita est, 124C, intellectus æternaliter in contemplatione Dei fixus, appetitus et caro rationi perfecte subdita, 288D', quorum pulchritudini totius sensibilis mundi claritas et decor comparari nequeunt, 244A. — Licet confirmati sint in bono, determinatam non habent naturam, 175A', nec libertate privantur, quia in his quæ a fine non deordinant, indifferenter agere possunt, 124D, et aliqua libenter agere vel omittere, 175A'. — Alia est eorum cognitio in Verbo, qua omnia simul uno intuitu vident, 118D, scilicet totum ordinem universi et quidquid scire voluerint, 410A', 536A, alia cognitio per formas connatas, qua plura non intelligunt simul, nisi prout reducuntur ad unum, 118A'. — Quanto lucidius nihileitatem suam præ viatoribus perpendunt, tanto humiliores sunt, 266B', ideo, quamvis inferioribus sit major ratio humilitatis, quia decliviores sunt, 276D, superioribus tamen major est humilitas, quia suam parvitatem clarius agnoscunt, 276A' ; unde in regno cœlorum, quo quis altior est, eo et humilior, 276A'. — Post judicium, corpora Beatorum immortalia erunt, clara, agilia et subtilia, 324D', tuncque ipsi in corpore et anima perfectam beatitudinem sortiti, contemplatione Dei saturabuntur, in summa concordia et omnium desiderabilium affluentia, 325A'.

BEDA (S.) Venerabilis, Ord. S. Benedicti, 111C.

BENEDICTIO Dei est donorum ejus collatio et multiplicatio, 148D. — Benedictio bono debetur, 148C', ideo septimæ diei tribuitur, quia tunc completum est opus creationis, 148D, nec est nisi specierum multiplicatio per generationem, 148A'.

BENEDICTUS (S.) « pater noster », cœlestium contemplationi libenter vacabat, 21C'. — Explicatur, 221B.

BENEFICIA. Quanta Deo debeatur gratia pro beneficiis naturæ, 304B, et gratiæ, 304D', pro dono fidei, 305B', spei, 306D, caritatis, 306D', et beatitudinis cœlestis, 308C', pro Verbi incarnatione, 297B, C, 298C', et passione, 311B, 313D, pro beneficiis generi humano collatis, 314D, Protoplastis, 314B', D', Patriarchis et Prophetis, 315A, et Sanctis Ecclesiæ, 315C, pro dono miraculorum, 317C, et Eucharistiæ institutione, 318C.

BERNARDUS (S.), « incomparabilis scientiæ vir », sanctitate vitæ magis quam studio sapientiam adeptus est, 268B. — Passim allegatur, 119A, A', 121B', 209A', etc.

BOETIUS (B.), « noster gloriosus philosophus, fidelis Boetius », 30D', subtilissime describit æternitatem, 47D'. — Sæpius invocatur, 28D', 29C, 32A, 34C', etc.

BONAVENTURA (S.). O. M., Albanensis episcopus, « devotus Doctor », Deum esse per se notum autumat, 30A'. *Adde* 33C', 238A.

BONITAS in quantum cognita, est objectum gustus interioris, 92C, et quo major est, eo menti dulcius sapit, 92C ; quantum ergo habet aliquid de bonitate, tantum et de

Digitized by Google

amabilitate, 32 D', 307 D, et de honorabilitate, 324 B. — Propter bonitatem operantur Deus et creatura, sed Deus amore bonitatis, creatura desiderio bonitatis, 108 D, quia omnis natura sponte tendit ad aliquod bonum, 109 A. — Bonitas prima Deus est, 31 B', 32 C, cujus natura est bonitas, 225, plena et perfecta, 32 D, a qua quidquid in creaturis est bonitatis, profluit, 307 B, et dependet, 32 A; res ergo creatæ non sunt substantialiter bonæ, 32 A, nec per se bonæ, 32 A, C. — Bonitas divina causa est et finis totius creationis, 108 C, A', quia ipsi proprium est se diffundere, 268 A, et ultimus rerum finis, quia participari potest a rebus, 109 A, quarum hæc est perfectio ut bonitati divinæ pro posse conformentur, 108 D'. Recte intelligibile lumen vocatur, 86 C, quoniam omnibus, pro merito, beneficos radios influit, 31 D', 86 B, et ubi animam invenerit studiosam, mox gratiæ lumen infundit, 268 A, et ab ea omnem ignorantiæ fæcem repellit, 86 C; nihil in natura sui participatione destitutum relinquit, 65 D', 68 B', 86 B, et omnes illuminatos superfuso radio congregans, 86 D, eos a variis erroribus ad unitatem veræ fidei convertit, 86 A'. Tanta est, ut justum sit Deum indignorum misereri, 82 C, quia quamcumque creatam malitiam infinite superat, 264 A. — Bonitates simplices, ut esse, vivere, intelligere, recte etiam lumina dicuntur, quia unumquodque visibile reddunt, 85 B', et a summa et prima luce originaliter fluxerunt, 85 C'. — *Cf.* Actio.

BONUM cum ente coincidit, 32 B, ita ut quantum quid habet de entitate, tantum et habeat de bonitate, 227 C; enti tamen superaddit rationem appetibilis et perfecti, 32 C, 34 C', 36 D, et speciali modo in natura rationali invenitur, 179 B'. — Bonum et pulchrum idem sunt in re, 87 D, 91 C', 227 A, sed ratione distincta sunt, quia bonum vocatur in ordine ad appetitivam potentiam, pulchrum in ordine ad vim cognoscitivam, 91 D', 92 A. — Bonum spectat ad causam finalem et cum fine coincidit, 33 B'; primum est appetitus objectum, 31 D, 93 C, quia nihil appetitur nisi bonum, aut verum aut apparens, 31 A'; finis omnium desiderabilium et summum amabilium, 33 B', tanto desiderabilius et amabilius quanto perfectius, 93 C; voluntatis objectum, 67 D', 120 D, et forma, 208 A, cujus actiones specifice distinguit, 208 B. — Boni proprietas est se diffundere et communicare, 31 B', 304 B'; ideo ad omnia extenditur participatio boni, usque ad non ens, 34 C, D, et nihil est exsistentium quod non participet bono, 91 D'. — Sed ante bona participata est bonum primum et summum, 31 B', cujus ipsa natura est bonitas, 31 C', 32 C, ab omnibus desideratum, 225, et cui non opponitur malum ullo modo, quia nihil ei opponitur contrarie aut privative, 104 A. Bona autem creata non sunt simpliciter bona, 32 A, nec per se bona, 32 A, C. — Bona exteriora non sunt bona hominis ut hominis, et his privari potest absque suo demerito, 200 D'; bona autem interiora, ut virtutes, sunt bona hominis ut hominis, 200 D', quibus proinde nisi ex propria culpa nemo privatur, 201 A. — Bonum videtur quibusdam esse primum Dei nomen, magis quam Esse, 33 C, saltem in N. T., 33 D', quia ente prius est quoad rationem causandi, 33 C', latius et communius, 34 C, et excellentius exprimit divinam perfectionem, 34 C', 35 A. Proprie designat relativa in divinis, 33 D', seu Deum ut principium emanationis, 34 B. — In actibus bonum est ex integra causa, malum autem ex singulis circumstantiis, 205 D. — *Cf.* Nomen.

BRUTA sub providentia cadunt, 77 A', B', quamvis de his minime curare dicatur, 78 D. — Aguntur et moventur potius quam agant aut moveant, 70 C, et naturalem instinctum de necessitate sequuntur, 70 D. — Ex impressione cœlestium quædam futura præscire et prænuntiare possunt, 126 B'. — *Cf.* Animalia.

C

CALIGO. Cur lux divina vocetur caligo, 27 D, 50 B', et dicatur Deus in caligine habitare, 27 A', 87 C', 88 B.

CALOR est qualitas activa ignis, 141 C', quæ a lumine diffunditur, 145 C', et varias actiones habet, 141 C'. — Est animæ instrumentum, quia sine calore nihil est sensitivum, 147 B, imo et in calido et humido est tota vita, 146 C', ideo in animantibus prædominatur, 159 D'; sed quia humidum radicale consumit, ipsis est corruptionis causa, 159 B'.

CARITAS est præstantissima virtus voluntatis, 287 B', et inter theologicas maxima, 287 C';

Digitized by Google

omnium virtutum prima et novissima, sine qua nulla meritoria est, 287 B', 306 C', virtutum mater, quia omnes ad eam ordinantur, 220 B, regina, quia ipsius est ceterarum operationes imperare, 278 D, 287 B', et finis, quia ad eam omnes tanquam ad dominam referuntur, 287 C', 306 C'. Præ ceteris jucunde et prompte operatur, 288 A. — Triplicem habet effectum : unire, transponere, colligare, 287 D', 298 A', et juxta hos, tres ipsi assignantur gradus : amor, qui amantem amato unit, 306 C', ecstasis, quæ amantem in amatum transponit, 306 C', zelus, qui amantem et amatum indissolubiliter colligat, 306 D'. — Tam in Deo quam in homine vera est et summa virtus, 261 A' ; sed in Deo perfectio ejus est ut ipse se summe diligat propter se ipsum, et alia non nisi ob se ipsum, 261 B' ; in homine perfecta censetur quum diligit, non se et alios propter se ipsum, 261 B', sed Deum propter se et alios propter Deum, 261 C' : eadem enim caritate debemus Deum super omnia diligere, et proximos sicut nos ipsos, 278 A'. In divinis Spiritui Sancto præcipue tribuitur, 287 B'. — Caritas est finis legis, 182 D', quia intentio Dei est ut opera quæ præcipiuntur, in caritate fiant, 182 C', et observantia mandatorum absque caritate salvare nequit, 183 A ; ideo dicitur omnium voluntatum rectarum finis, 204 C, et summa viatorum perfectio, 14 B, et ipsi correspondet essentiale præmium, 306 C'. Non tamen actus caritatis directe sub præcepto cadit, 183 A, quia potest aliquis caritatem non habens, Deum, etiam super omnia, diligere, 183 A. — Caritatis præceptum in hac vita perfecte impleri nequit, 279 B', sed in patria implebitur, 288 C, quum caritas in fruitionem transierit, 279 D'. — *Cf.* Amor.

CASSIANUS (S. Joannes), « summus noster philosophus, illuminatissimus », 267 D', allegatur, 15 A.

CASTITAS optime disponit ad divinas revelationes, 126 C'.

CAUSA omnis naturaliter suum causatum diligit et conservat, providens cui est influens, 72 A'. Causa efficiens dat esse, causa finalis bonitatem, causa exemplaris pulchritudinem, 228 A ; causa efficiens immediate causatum movet, 21 D', causa finalis ipsam causam efficientem, 22 A, ideo ejus motio prior et præstantior est motione cujuslibet alius causæ, 22 A. — In omni genere causarum essentialiter subordinatarum, oportet esse unam causam simpliciter primam, 23 A', ut est materia prima in genere causæ materialis, 23 A', forma primi compositi in genere causæ formalis, 23 B', primum efficiens et ultimus finis in genere causæ efficientis et finalis, 23 B' : causæ enim nequeunt ire in infinitum, alioqui periret scientia, 23 C'. Ergo ante omnes causas secundas oportet esse causam primam, unde omnis causalitas fontaliter manet, 23 C'. — Causa prima est ante æternitatem, 48 D', et superior omni narratione, quia est super omnem causam, 50 A ; de se est maxime hæc, et individuatio ejus est pura bonitas ejus, 113 A' ; lumen est purum quod non illuminatur a lumine alio, 50 A ; nec intellectus est, nec intelligentia, nec aliquid nobis aut alicui exsistentium cognitum, 54 A' ; super omne nomen est quo nominatur, et non pertinet ad eam diminutio neque complementum, 56 C. — Causa prima potior est causa quam quæcumque causa secunda, 262 B', quia in virtute hujus omnes causæ secundæ operantur, et illa cessante, nulla posteriorum quidquam potest, 23 D' ; ideo ab ea omnia procedunt, 36 B. Dives est in se et dives in aliis, 94 A, et unusquisque, secundum quod dignus est, ex influxibus ejus recipit, 92 D. In omnibus est secundum unam dispositionem, sed omnia non sunt in ea secundum dispositionem unam, 46 C' ; diversitas autem receptionis non fit ex causa prima, sed propter recipiens, 46 D'. Regit res omnes præterquam quod commisceatur eis, 26 C, 78 A, quia fixa est, stans in unitate sua pura semper, eo quod sit bonitas per esse suum, 78 A, ideo est agens verum, et regens verum, faciens res per finem decoris, 78 A. — Causæ autem secundæ agunt in virtute causæ primæ, et innituntur actioni illius, 105 A, nec sunt capaces infinitæ potentiæ, qualis est virtus creandi, 105 C : non ergo producere valent quæ sine motu et generatione fiunt, ut substantias spirituales, 105 D', corpora cœlestia et prima specierum individua, 106 A, quia non producunt totam substantiam totumque esse sui effectus, 262 C', sed tantum quæ per generationem et motum fiunt, ut composita, 106 A, in quibus esse determinant ad certam speciem, 106 B ; sed in his principalius operatur causa prima, quæ dat ipsum esse,

Digitized by Google

106 B, ideo causatum causæ secundæ magis est causatum causæ primæ quam causæ secundæ, 65 B. — Causalitas est proprietas divina, 40 D, 282 D', quam quæ participant creaturæ, deiformes fiunt, 282 D', et Deo competit in triplici genere causæ, 77 B : est enim causa efficiens non effecta, formalis formans, non formata, finalis omnia finiens, nullo finita, 44 D. Quum vero res non cognoscatur nisi ex ipsa sua causa, res quæ causa tantum est et non causatum, non scitur per causam neque narratur, 49 D'; unde Deus non cognoscitur nec narratur nisi per causas secundas, 50 A, seu per causalitatem, in quantum creaturarum perfectiones ipsi ut causæ tribuuntur, 27 A, 53 A', 54 D', 56 C'; quæ cognitio ad viam positionis reducitur, 27 C, et dicit nobis tantum quia est, 27 C'. — Omne causatum in causa virtualiter continetur, et quodammodo præexsistit in ipsa, 64 D', imo est in causa sua sublimius, 154 A; et manet in causa sua, et procedit ab ea, et convertitur ad ipsam, 64 D', manet in ea virtualiter, procedit ab ea essentialiter, convertitur ad eam finaliter, 65 A. — *Cf.* Deus, Effectus.

CAUSIS (Liber de) David Judæi, ex Elementatione theologica Procli totus excerptus videtur, 49 B, et initiator est erroris philosophorum circa intelligentiarum originem, 156 C. — Sæpius allegatur, 18 D', 26 C, 28 D', 35 C, etc.

CERINTHUS, hæreticus, Christum purum hominem effutiebat, 303 B'.

CHERUBIM, secundus primæ hierarchiæ chorus, sic dicti, quia ipsorum est videre Deum, 132 C, saltem præ ceteris, 133 A, scientiæ et sapientiæ divinæ participatione adeo repleti sunt, 404 B, 527 B', ut de plenitudine sua sequentibus choris liberaliter communicent, 404 A, 527 D. — A Deo sortiti sunt virtutem excellenter cognitivam, qua divina mysteria inspicere possunt, 404 B, 527 A', et rationem effectuum quamplurium in Deo limpidissime contemplantur, 407 A, 531 C'. — Quid inter Cherubin et Cherubim, 133 C. — *Cf.* Hierarchia.

CHORUS in angelis est multitudo angelorum qui inter se in aliquo gratiæ munere assimilantur, 130 B'. — In qualibet hierarchia tres sunt chori, qui ab invicem distinguuntur secundum diversos actus ad quos divinum lumen perficit magis vel minus, 131 B', 133 A', in prima hierarchia secundum tres actus fruitionis, 132 C, in secunda secundum tres actus dispensandi bonum commune, 132 D, in tertia secundum tres actus providendi bono particulari, 132 B'. Similiter in ecclesiastica hierarchia tres sunt ordines, perficientium seu episcoporum, illuminantium sive sacerdotum, purgantium vel diaconorum, 132 C'; et in civili, ordo consiliatorum, qui sunt circa regem, 132 A, majorum officialium, qui rebus regni in communi consulunt, minorum officialium, qui particularibus deputantur, 132 B. — Omnes chori sibi invicem sunt connexi sicut partes universi, 133 A', et ultimus superioris hierarchiæ chorus cum primo hierarchiæ sequentis convenit, 133 D'; similiter summus ecclesiasticæ hierarchiæ chorus cum ultimo cœlestis ita convenit, ut sacerdos dicatur angelus, 133 D'. — Chororum distinctio inchoative est a natura, completive a gratia, 134 A, et secundum gratuita pensatur, 133 D. — Chorus quilibet ex illo nomen et rationem accipit quod est ultimum virtutis suæ in cognoscendis rebus, 133 B, et in quolibet angeli distinguuntur secundum diversam virtutem exsequendi actus efficaciter, 131 B' : sunt enim in eodem ordine magis vel minus idonei, 131 C', primi, medii et ultimi, 133 C', 402 D', 525 D', nec unius chori angeli dici possunt æquipotentes, 133 D, nisi secundum convenientiam in actu sui ordinis, 133 A'. — Chororum distinctio post judicium cessabit quoad exterius ministerium, non autem quoad essentialia ordinum, 138 C'; imo inter novem choros collocabuntur homines beati, nec videtur augendus chororum numerus, 134 D. — *Cf.* Hierarchia.

CHRISTUS. In Christo ex unione animæ et carnis non resultat hypostasis ab hypostasi Verbi diversa, 349 A', sed ex anima et carne constituta natura ad esse Verbi assumpta est, 303 C, quod eodem momento, in utero B. Virginis, corpus formavit et organizavit, animam rationalem illi infudit, et constitutam ex utraque naturam sibi personaliter univit, 349 C, 445 C; ideo in Christo duplex est natura, sed una persona, duplex nativitas, sed unus natus et filiatio una, 349 D, 445 A', scilicet filiatio divina, non humana, quamvis vere sit filius B. Virginis, 349 A'. Manet igitur in ipso utraque natura cum propriis operationibus, humanis pro huma-

Digitized by Google

nitate, divinis pro divinitate, quia natura est agendi patiendique principium, 303 C, 349 A', quamvis propter unitatem suppositi quod agit, humana et divina de eo indifferenter prædicentur, 303 D ; et ex consequenti fuerunt in Christo duplex intellectus, duplex voluntas, duplex operatio, potentia et caritas, 351 C, 448 D, alia divina, alia humana, 351 D, 448 D, duplex, imo triplex sapientia, alia increata et infinita, alia creata et infusa, 351 D, 448 A', scilicet sapientia patriæ, qua a primo instanti omnia vidit per speciem in Verbo, 351 D, et sapientia indita, qua per proprias species omnia conspicit, 351 A'. — A primo instanti fuit comprehensor, etiam ut homo, 284 A, 350 C', 447 D, et repletus gratia, 284 D, B', finita quidem secundum essentiam suam, 350 C', sed quæ infinita dicitur, quia et in se perfecta fuit, et tanta exstitit quantam capere valuit intellectualis creatura, 350 D', 447 B' ; imo fuit in eo gratia habitualis, unionem hypostaticam sequens, 350 D', gratia capitis, seu deitas Verbi humanitati unita, 351 A, et multiplex gratia gratis data, 351 A, 447 D' ; quæcumque scit Deus scientia visionis, cognovit, non tamen infinita novit nec Deum comprehensive intellexit, 351 A', 448 C' ; nec fidem, nec spem habuit, 448 A, sed pro fide visionem, pro spe tentionem, 284 B, nec consilium, nec electionem, 284 C, nec profecit in essentiali præmio, 284 B, 448 B, gratia et virtutibus, 284 D, nec angelum custodem habuit, 136 C'. — Erat tamen viator in quantum passibilis et quoad inferiores vires animæ, 351 B, ideo indetrahibiles viatorum defectus habuit, 284 D, et virtutes quæ in se non includunt imperfectionem, ut morales, intellectuales et cardinales, 448 A ; quia vero in Adam non fuit secundum seminalem rationem, peccatum originale minime contraxit, 188 A'. Quot rationes habuerit humilitatis, 271 C'. — Quum una sanguinis guttula totius mundi potuerit delere delicta, cur tam acerbam mortem subire voluerit, 310 B', 313 D : tanto enim acrius doluit quanto melioris fuit complexionis, 310 D'. — Quo præ ceteris comprehensoribus Deum limpidius cernit, 407 A', 532 C, eo majori humilitate ipsi intendit, 269 C', et se amplius parvi pendit, 271 D', et quia præ omnibus naturæ creatæ vanitatem intelligit, 272 A, omnium Beatorum, tam angelorum quam hominum, est et erit æternaliter humillimus, 272 B. — Christus est via per quam, veritas in qua, vita ad quam tota nostra tendit intentio, 284 A', 309 D ; tota ejus vita est nostra doctrina, 278 B, et speculum humilitatis, paupertatis, obedientiæ, patientiæ, 309 D', 310 D, et omnis perfectionis, 309 C', cui quanto quis fuerit conformior, tanto et sanctior erit, 284 A', 309 C', quanto dissimilior, tanto et vilior, 310 A'. — Nonnullorum errores circa Christum recensentur, 303 A'. — *Cf.* Filius, Incarnatio, Redemptio.

CICERO (Marcus Tullius), divinam providentiam non agnovit, 203 B, et Stoicorum doctrinam de indivisibilitate virtutis male sequitur, 216 C. *Adde* 81 C', 179 C, 220 B', 239 D'.

CIRCUMSCRIPTIO respectu trium dicitur : temporis, loci et comprehensionis, 45 B. — Nullo horum modorum circumscriptibilis est Deus, quia nec loco clauditur, nec ætatibus variatur, nec æstimatione concluditur, 44 D'. Angeli autem circumscribuntur tempore, quia esse inceperunt, et comprehensione, quia unus alium plene cognoscit, 45 C ; sed quoad locum, quoniam loco non terminantur, nec sunt in loco circumscriptive, incircumscriptibiles dici possunt, 45 A, et etiam circumscriptibiles, quoniam in pluribus locis simul exsistere nequeunt, 45 A ; melius tamen dicuntur circumscripti, quia intelligibiliter circumscribuntur ubi operantur, 45 B. Imo, si creatura esset ab æterno, et tanta ut sua præsentia mundum impleret, nec sic incircumscripta dici valeret, 45 C, quia propriæ essentiæ terminis finiretur, 45 D.

CLEMENS (S.), Pseudo-Clemens, auctor Itinerarii, allegatur, 127 C.

COACTIO duplex est, compulsiva vel impulsiva, 175 A', 176 C. — Compulsiva in vires animæ organicas cadit, quæ necessario agunt, immutatis organis, 175 B', et in ipsum intellectum, qui demonstratione cogitur, 175 B', non autem in voluntatem, 175 B', aut in liberum arbitrium, 175 C', et repugnat libertati a necessitate, 176 C ; impulsiva autem in voluntatem cadit, 175 C', et repugnat libertati a peccato quoad animam, libertati a miseria quoad corpus, 176 C. — Quoad immunitatem a coactione compulsiva, nec augeri nec minui potest liberum arbitrium, 176 A, quoad immunitatem a coactione im-

Digitized by Google

pulsiva, majus est vel minus, 176 B. — *Cf.* Libertas.

COÆQUÆVA dicuntur quæ ad unum informe principium reduci nequeunt, 140 C', et sunt quatuor : materia, angelus, cœlum et tempus, 140 C'.

CŒLUM a Deo est non modo quoad conservationem, sed quoad productionem, 42 B', non modo quoad motum, sed quoad substantiam, 107 D. Illud esse de natura elementorum, maxime ignis, tenent multi post Platonem, 143 C, non esse naturæ elementaris docet Aristoteles cum aliis, 112 C', 143 B, C, quibus consentire par est, quia ex motu ejus circulari constat cœlum non esse grave nec leve, 143 D. — Cœlestia ingenerabilia sunt, quia a contrarietate aliena sunt, 106 A, et constant tota sua materia, 115 C; ideo in propria natura distincte facta sunt, 139 A. Non moventur naturaliter, 143 D, nec a Deo immediate, 143 A', sed ab angelis, 143 B', aut juxta philosophos, ab intelligentia et anima propria, 143 B'. — Cœlestia esse animata, fuit opinio multorum, 48 D', qui idcirco unicuique orbi animam propriam adscripserunt, 143 B'; sed quia cœlum corpus est simplex et ingenerabile, 143 C, A', ipsi non competit animam habere, sed motorem dumtaxat, 143 C'. — Non sunt ergo dii, ut putaverunt aliqui, 145 C, nec elementorum materiam producere valent, ut vult Avicenna, 145 D; sed suo lumine, cursu et influxu innumerabiles effectus producunt in inferioribus, 408 C, 533 B', quæ ab eis moventur, 20 D', et disponuntur, 283 B. Motus enim cœlorum est vita quædam inferiorum, 262 A', et ad mutationes inferioris mundi se habet ut motus cordis ad vitam animalis, 262 B'; ideo dicuntur causa generationis et corruptionis in inferioribus, 145 A', quia per virtutem motus sui causa sunt omnium mutationum, 145 A', et per virtutem motorum suorum causa sunt formarum naturalium, 145 A', et vitalium, 157 A'; virtus enim cœlestis est in inferioribus ut virtus moventis in moto, 157 A', et in elementis retenta, usque ad animationem materiæ pertingere potest, 157 B'. — In actus liberos voluntatis directe non habent causalitatem, nec per se, 146 A, nec per motores suos, 146 B, sed tantum in ea quæ in tempore sunt, 146 C; plerisque tamen dominantur, 146 D, et ex impressione eorum sæpe fiunt in anima imagines futurorum effectuum, 126 A', in nocte præsertim, quum anima est magis quieta, 126 B'. — Miræ sunt pulchritudinis, 231 C', et divinam potentiam præclarissime commendant, 21 B', 24 B, 408 C, 533 D, ideo ad contemplationem devotorum plurimum deservire possunt, 232 D, 248 A, maxime solitariorum, 21 C'.

Præter intelligibile cœlum, quod est Trinitas, 144 B, vel natura angelica, 108 A, 120 B, multi sunt cœli. Vel enim dicitur cœlum a natura cœlesti, et sic numerantur tres cœli : empyreum, crystallinum et sidereum, 143 D'; vel a participatione cœlestis proprietatis, et sic sunt quatuor cœli : igneum, olympium, æthereum et aerium, 144 A; sub cœlo autem sidereo sunt septem cœli planetarum, 144 B. — Cœlum empyreum non ratione sed auctoritate cognoscitur, quia visui non subjacet, 111 D. Igneum quoque dicitur, non ratione caloris, sed claritatis, 403 B, 526 C, quia penitus lucidum est, 143 A, et naturam lucis habet, quamvis radios non emittat, 111 C'. Quantitate permaximum, qualitate præfulgidum, situ altissimum, 232 C, 403 C, 526 D, incorruptibile, 111 B', inalterabile et immobile, 232 C, quamvis in se sit corpus et ens naturale, 111 C', intra se omnia claudit, et extra ipsum nulla invenitur creatura, 232 C. In hæc inferiora influere nequit, 141 D, nec per se, quia non est ejusdem ordinis cum inferioribus, 112 D, nec per motum, quum sit immobile, 112 D, nec per lumen, quum in alia corpora non radiet, 112 B'. Locus est contemplationis, 111 B', ad mansionem angelorum, et potissime Beatorum, deputatus, 111 A', et aptatus, 403 B, 526 A'. Quomodo absque illius confractione aut scissione fiant ibi laus vocalis, 111 D', 112 A, aut motus corporum glorificatorum, 112 C. — Cœlum crystallinum, seu sphæra nona, totum diaphanum est, et a diaphaneitate aqueum dicitur, 408 A, 533 A; mobile et uniforme, 143 D', ab oriente ad occidentem movetur, 408 A, 533 A, suo motu cœlum stellatum cum orbibus planetarum circumvolvens, 143 A, 408 A. — Cœlum sidereum vel stellatum, seu firmamentum, 408 A, sub cœlo crystallino positum, 408 A, partim diaphanum est et partim lucidum, 143 A, mobile et difforme, 143 D', et maxima decoratur virtute et causalitate, 408 A, 533 B. — *Cf.* Orbes, Sphæra.

Digitized by Google

COGITATIO. Virtus cogitativa est nobilissimus sensuum interiorum hominis, 280 A, cujus officium est apprehendere sensibilia sensuum exteriorum sub ratione boni vel mali, 280 B, et appetitum sensitivum movere, 280 B. — In cogitatione ut tali non est nisi peccatum vanitatis, sed in cogitando potest esse peccatum, dum cogitatio propter delectationem assumitur, 206 B.

COGNITIO utramque notitiam designat, sensitivam et intellectualem, sed magis proprie intellectualem, 89 D', quæ operationem illuminat, sicut sensibilis color corporalia, 90 C. — Omnis cognitio fit per quamdam assimilationem qua primo species intelligibilis assimilatur intellecto, 116 C', deinde intelligibile unitur intellectui, 117 B'. Fit secundum naturam et modum cognoscentis, non cogniti, 57 C', 66 C, et ideo aliter cognoscit visus, aliter imaginatio, aliter intellectus, 66 C; et quo superior est intellectus, eo per pauciores species cognoscit, 117 B. Deus ergo unica specie cognoscit, 117 B, quæ est divina essentia, 116 C, angelus per species ab intellectu suo diversas, sed connatas, 116 D, homo per species ab intellectu suo diversas, et a rebus acceptas, 116 C; cognitio Dei splendida est, cognitio creaturarum aliqualiter tenebrosa, 139 B', quæ dici potest matutina, 139 C', meridiana, 139 B', 140 B, aut vespertina, 139 C', 140 B; cognitio humana non nisi a sensibilibus initium sumit, 67 C. — *Cf.* Scientia.

Quo de re plures sciuntur proprietates, eo perfectius noscitur, 65 B; sunt ergo quæ nostram cognitionem effugiunt, sive propter sui esse imperfectionem, sive propter sui esse excellentiam, 50 B. — Et ideo Deus multipliciter incognoscibilis esse convincitur, 49 C', propter divinæ naturæ primitatem, 49 C', excellentiam, 50 B, simplicitatem, 50 B', et infinitatem, 50 D'. Unumquodque enim per propriam causam cognoscitur, 49 C', unde quod causam non habet, cognosci nequit, 49 D'; item omnis cognitio est entium, sed Deus est ultra omnia entia, 50 A'; demum omnis cognitio fit per quamdam assimilationem inter cognoscentem et cognitum, 50 D', sed finiti ad infinitum nulla est proportio, 50 D'. Deus ergo omnem notitiam excedit, 51 C, et sicut nihil est eo præsentius, nihil est eo ignotius quoad quid est, 51 C'. — Nihilo minus cognitio Dei, etiam acquisita, summe optanda est, 14 B, quia ad contemplationem disponit, 14 C, mirabiliter, 14 A', et ad divinum perducit amorem, 14 B; et quamvis ex se non sit meritoria, 14 C', et superbis nociva, 14 B', dum caritate informatur, divina fit et æternæ vitæ meritoria, 14 C'. Hæc devotis et religiosis competit, nec ab ea deterreri debent, quamvis ea abutantur multi, 15 D, quia tam proficua est humilibus quam nociva superbis, 15 B'. Semper ergo quærendus est Deus, 15 D', 16 C, præcipue per passionum refrenationem, 15 A, quamvis plene inveniri nequeat, 16 D, 58 B, quia præstantius est modicum quid de ipso scire quam multa de creaturis, 16 C'. — An Deum esse sit per se notum, 17 A', et quomodo, 17 D' et s.

COMMENTATOR (scilicet Aristotelis), 42 B', 107 D, 110 C, A', etc. *Vide* Averroes.

COMPOSITIO signum est indigentiæ et imperfectionis, 269 B, quia compositum perfectionem ex pluribus recipit, 58 A', quorum aliud perficit, aliud perficitur, 58 B', 269 B, et reducibile est ad aliquid simplex, 76 A', C'; nullum ergo compositum perfectum esse potest, et æternum, 48 A. — Unde liquet compositionem quamlibet Deo repugnare, 38 C, 59 C, 269 B, etiam primam compositionem, quæ est ex actu et potentia, 38 B; et quia Deo tribuere compositionem, extremæ impietatis est, 60 D, tanto magis impietati propinquat quisque, quanto magis a simplicitate Dei recedit, 60 A'. In omni autem creato est compositio aliqua, vel ex actu et potentia, vel ex quo est et quod est, vel ex esse et essentia, vel ex materia et forma, 238 A'. — In rebus compositis, esse seu id quod subsistit, est compositum, non forma, 67 D, 156 D', quia composito competit esse, fieri et generari, 156 D', sed a forma fluit tota perfectio, et ipsum esse, 67 D; id quod subsistit per nomen concretum exprimitur, sed forma per nomen abstractum, 67 D.

COMPREHENSIO. Quid distet inter comprehendere et apprehendere, 43 B'. — In comparatione ad intellectum creatum Deus incomprehensibilis dicitur, 18 D', 44 C', 49 C', 51 A', ob divini esse simplicitatem, 50 B', et infinitatem, 50 D', quæ omnis creati intellectus virtutem in infinitum superant, 51 A; et hoc solum de ipso comprehendere possumus, quod est incomprehensibilis, 51 C, nec pa-

Digitized by Google

rum profecit qui jam invenit quam sit incomprehensibilis, 51 D. An autem sibi ipsi sit comprehensibilis, 43 C', et quomodo, 43 D'.

CONCUPISCENTIA tripliciter sumitur, vel pro actu voluntatis illicitum desiderantis, et sic est actuale peccatum, 189 B', vel pro delectatione sensualitatis, et sic est reliquia peccati, 189 C', vel pro ingenita inordinatione qua habiles sumus ad male concupiscendum, 189 B', et sic est originalis peccati culpa, 189 C', seu fomes peccati, 187 D. Quid sit concupiscentia carnis et oculorum, 213 B'. — Cur concupiscibili vi tribuatur originale peccatum, 189 C'. — *Cf.* Appetitus, Fomes.

CONSCIENTIA sic dicitur quia universalem scientiam ad particularem actum applicat, 172 A, et est dictamen rationis quod judicat et ligat ad aliquid faciendum vel omittendum, 172 B. A synderesi differt quia nominat applicationem legis naturalis ad facienda per modum conclusionis, 172 B, et ab electione, quia est conclusio cognitiva particularis agendi, 172 C; sed nonnunquam improprie sumitur, 172 C. — In syllogismo conclusionem eruit, 172 A, et errare potest, 207 D, errore non synderesis, sed rationis, 172 A. non circa primum agendi principium, sed in principiis determinatis, 207 B. Sed sive recta sive erronea, semper ligat, saltem per se, 207 B', non virtute propria, sed virtute divini præcepti, 207 C', et quidem sub gravi, si quid dictet quasi sub præcepto directe cadens, 207 D'; ideo dicitur lex intellectus, 207 D, naturale judicatorium, 207 C, et testis in divino judicio, 207 C, et contra eam agere, semper peccatum est, 207 C. — *Cf.* Synderesis.

CONSILIUM est inquisitio de his quæ in nobis sunt, et proprie est ignorantis, 284 C; quandoque tamen Deo tribuitur, 284 C. — Quid ad bonitatem ejus requiratur, 208 A'.

CONTEMPLATIO Dei tantæ pulchritudinis est visio, ut sine hac quantumlibet dives infelicissimus sit censendus, 225, 245 D'; sed summa hujus vitæ contemplatio non est nisi intentio quædam caliginis, 55 D', in qua Deo prorsus ignoto mens conjungitur, 56 A: qui ergo Deum vidisse creditur, non Deum ipsum, sed aliquid ab ipso exsistentium contemplatus est, 56 B. — A contemplationis sinceritate et dulcedine summe impediunt carnales delectationes et passiones animæ, 92 D, quia necesse est mentem contemplativam esse quietam et mundam, 92 A'. — *Cf.* Visio.

Hæc est vita contemplativa, dum homo se a mundanis rebus sejungens, 282 B, 322 A, intellectum et superiorem affectum divinis totaliter mancipat, 282 C, et divino enti sincera amorosaque mente vacat, 322 A, et est vita divinæ vitæ simillima, 282 C. — Quum enim tota Dei vita sit suæ æternæ veritatis contemplatio, et suæ infinitæ bonitatis dilectio, 279 D', 282 C, 321 D', huic vitæ conformantur utcumque qui in hac vita contemplationi vacant, 271 D', 282 D, 321 D', quorum mens verbum internum in se de Deo concipit, et in ejus dilectione flammescit, 282 D; ideo deificati et deiformes dicuntur, Dei amici, 322 A, et hospites, 282 A', et specula clarissima divinæ lucis et gratiæ, 282 B'. — Ad hanc vitam apta fit anima dum, pulsis passionibus, intellectus sedes sapientiæ efficitur, 281 D'; et in divinorum speculatione stabilitus, 282 A, fit fortis, constans et prudens, 282 A. — Utra sit melior, activa an contemplativa vita, 283 D'.

CONTRARIA ab invicem separari conantur, 26 C: mundi ergo ex tot contrariis elementis compositi permanentia arguit esse summam virtutem quæ omnia colligat, 26 D. — Omnibus quæ contradictionem includunt repugnat ipsum esse, 79 D, ideo facere nequit Deus ut contradictoria simul sint vera, 79 A'. — *Cf.* Opposita.

CONVENIENTIA. Id conveniens dicitur, cui nihil contrariæ dispositionis miscetur, 63 C. — Quod per naturam convenit, vere et proprie convenit, 89 B', et quod alicui essentialiter convenit, non potest esse in eo deficiens, 103 B', aut diminutum, 29 D', 42 A. — Quæ proprie Deo conveniunt, de ipso negantur propter excessum, 87 D', 88 A; quæ metaphorice conveniunt, de ipso negantur propter defectum, 87 D', et magis proprie negantur quam affirmantur, 88 A, et prius magisque proprie sensibilibus rebus conveniunt quam Deo, 89 C. Proprie autem Deo convenit quidquid perfectionem simpliciter designat, 246 A, et quidquid simpliciter melius est habere quam non habere, 89 A', 246 C. — Utrum lumen et splendor Deo conveniant proprie an metaphorice, 86 C' et s. — *Cf.* Prædicatio.

CONVERSIO. In omni multitudine ordinata,

Digitized by Google

oportet inferiora ad primum converti, ut conserventur ab ipso, 24 B', nam conversio ad id fit a quo facta est processio, 24 B', et ad id tendit ut conversum perfectionem in essendo et agendo sortiatur, 24 C'. — Omnes igitur creaturæ ad Deum convertuntur ut ad suam causam, 167 A, aliæ naturaliter, aliæ libere, 167 B, unumquodque enim taliter et ad id conversivum est, quemadmodum et a quo processit, 307 B; quia autem omnia per sapientiam et caritatem a Deo profluxerunt, ad Deum per sapientiam et caritatem converti necesse est intellectuales substantias, 307 C. — Ad conversionem mentis creatæ ad Deum non requiritur gratia actualis, 121 C', sed sufficit actus liberi arbitrii, 121 D', quem sequitur gratia gratum faciens, a qua fit meritorius, 121 D'.

CORPUS infinitum esse nequit, 79 B; ideo Deus nec corpus est, nec virtus in corpore, nec virtus corporis, nec virtus corporea, 335 A. — Corporalis creatura est propter intellectum, 109 B, et spirituali obedit, non quoad susceptionem formarum, sed quoad motum localem, 127 C'. Potest ergo spiritus separatus corpori uniri ut motor, 127 D', et sibi corpus efformare ut in ipso appareat, 127 D'; quod corpus, quoniam non verum est, 128 B, ex aere inspissato confingi solet, 128 C, cum quadam proprietate ignis, quæ est splendor, 128 D. — Corpus humanum est omnium mixtorum perfectissimum, 240 A, temperatissimum et maxime cœliforme, 110 A, et quanto melius complexionatum fuerit, tanto nobiliorem animam sortitur, 193 A. Quanta sit ejus pulchritudo, juxta Augustinum, 240 B, et Hugonem, 240 D'. — Ad ipsum unum pertinet, juxta quosdam, scilicet quod a parentibus decisum est, quodque auctum per multiplicationem materiæ, nunquam consumitur, et resurget, 187 A', et ab alimentis nihil recipit nisi calorem naturalem, 187 A'; duo pertinent, juxta alios, aliud quod est proprie corpus et nunquam consumitur, et resurget, 187 C', aliud quod ab alimentis trahitur, et consumitur, et non resurget, 187 D'; vel duo, juxta peritiores, aliquid materiale, quod indesinenter fluit et suppletur per alimenta, 188 A, aliquid formale, quod dat corpori idem permanere, 188 B. — Quantum nunc grave est et obscurum, tantum in Beatis erit clarum, subtile et agile, 324 C', agile, ut animæ pareat, subtile, ut cuncta penetret, 324 D'. — Stultum est et vile corpori magis intendere quam animæ, 252 C.

CORRUPTIO varie sumitur, vel pro ablatione rei, vel pro permutatione alicujus a perfectiori statu ad minus perfectum, 239 D; confert ad pulchritudinem universi, quia corruptio unius est generatio alterius, 234 A'. — Omne elementatum, ut mixta, naturaliter corruptibile est, 186 C, et illud ex quatuor causis corrumpi accidit, 159 D, quia virtutem finitam habet ac certam durationis periodum, 49 D, 159 A', quia prævalet unum contrariorum, 159 A', quia inordinatus calor consumit in eo humidum radicale, 159 B', vel quia violentiam ab extrinseco patitur, 159 D'; ideo corruptio hominis naturalis est, 186 D, et corruptibilibus, imo et incorruptibilibus non competit æternitas, 48 B. — In incorruptibilibus tota species salvatur in uno individuo, in corruptibilibus salvatur per continuam successionem, 232 C'; utraque ad pulchritudinem conferunt universi, 232 C', incorruptibilia per suam permanentiam, 232 C', corruptibilia, sive directe quantum ad id quod sunt in naturis suis, sive indirecte per suam ipsam corruptionem, 235 D.

CREATIO. Nomen « creator » divinam essentiam designat, sed cum respectu ad creaturas, et ex tempore Deo convenit, 96 C'; principaliter designat substantiam, indirecte respectum ad creaturas, 97 A.

Creatio a generatione et alteratione differt, quia ex parte ejus quod producitur, nihil præsupponit, 104 C, et a generatione æterna, quia in re creata non esse naturali ordine præcedit esse, 104 D. — Active sumpta creatio est ipsemet Deus, passive sumpta est accidens in creatura, nominatque relationem ad Creatorem, 104 C'. — Ex parte creantis creatio est actio causæ primæ, et sic soli Deo competit, 105 A; ex parte creati requirit tantum ut nihil creandi præexsistat in re, 105 A, et sic virtus creativa causis secundis communicari potest, juxta quosdam, 105 C, minime vero juxta alios, quia inter non esse et esse stat infinita distantia, 42 C, C', 105 C, quam transire nequit finita potentia, 105 C. — Creatio non est quid distinctum aut additum divinæ naturæ, 71 B, ideo absque sui mutatione Deus creare potuit, qui cuncta agenda ab æterno insti-

Digitized by Google

tuit, 107C. — Mundum a Deo creatum esse probari potest, 42D, A', 104D, et tenuerunt philosophi, 76D; imo per creationem a Deo necessario processerunt quæ sine motu et generatione facta sunt, ut substantiæ spirituales, 105D', corpora cœlestia, et prima specierum individua, 106A, 156A' : ideo erraverunt philosophi dicentes a Deo non processisse immediate nisi primam intelligentiam, a qua facta sunt cetera, 46B, quia non minor creativa virtus requiritur ad facienda infima quam ad creandos angelos, 80B'. Quomodo a Creatore uno processerint multa, 156D, et ab infinito finita, 156B'. — Creaturarum emanatio divino tribuitur intellectui, quia intellectus est producenda conspicere et ordinare, 76A, et voluntati, quia voluntatis est practice cognita exsequi, 76B. Non est naturalis emanatio, nec essentialis emicatio, nec formalis generatio, 76D, sed emanatio sapientialis et liberalis, 76D', et assimilatur emanationi artificiatorum ab artifice, aut donorum a datore, 76D' : in creatione enim finis operis est rerum utilitas, 108B, A', et finis operantis, bonitas Dei, 108C, A', qui idcirco omnia facere voluit, ut omnia bonitatis suæ fierent participia, 75B, A'. — Utrum omnia simul ab initio distincte facta sint, an per intervalla dierum, 111B, 119D', 139A, 140C'. Creatio rerum ex tempore de fide tenenda est, 138D', sed de modo et ordine creationis disputare licet, 139A. — *Cf.* Dies, Mundus.

CREATURÆ in Deo vitaliter exsistunt secundum rationes ideales, ac proinde in Deo vita sunt, 64A : omnes enim in Deo præexsistunt, 64D', secundum modum non recepti sed recipientis, id est idealiter, 65A, C', et ab eo cognoscuntur secundum quod sunt vel eis accidere potest, 65B; et necesse est necessitate absoluta eas ab intellectu divino esse cognitas, 73B, necessitate autem conditionata eas a voluntate divina esse volitas, 73C, quia his divina voluntas non eget, 73D. — Omnes sunt ex Deo velut causa efficiente, 228D, per Deum tanquam causam exemplarem, 228A', in Deo ut causa finali, 228A', et ab eo factæ sunt in modo, specie et ordine, 229D, 237D', in numero, pondere et mensura, 41C', 238D, 335C', 424B; et quidem modum et mensuram habent a causa efficiente, 238A, D, speciem et numerum a causa exemplari, 238B, D, ordinem et pondus a causa finali, 238B, D. — Ad hoc factæ sunt ut in eis luceret aliquid divinæ bonitatis, 81B', 109A, et nulla est quæ non participet divinam entitatem, 229D', bonitatem, 68B', et pulchritudinem, 230A, quidquid enim in eis est perfectionis, est divinæ bonitatis participatio, 93A, 402A', 525D, 535D; unde summus earum honor et decor est Deo assimilari, 108B', 299C, quia tanto sunt ei amabiliores quanto similiores, 321B'. Et quia in una aut paucis sufficienter repræsentari non posset divina perfectio, multæ et variæ factæ sunt creaturæ, 81B'; quæ autem immediatius a Deo procedunt, ipsi sunt similiores, 274D', et amplius multiplicantur, 114B, C'. — Sunt ergo Creatoris imagines, 14D, 149B, D, et radius, 342A, et velut scala qua ad ejus notitiam pervenimus, 24A, 342A : suo enim motu et ordine clamant se esse factas, 24B, sua bonitate et perfectione arguunt esse primum bonum et perfectum, 24C, sua conservatione et permanentia demonstrant esse quemdam omnium rectorem, 26A'. Ex ipsis quatuor modis cognoscitur Deus, per positionem et ablationem, 26D', per causalitatem et eminentiam, 27A, qui ad duas reducuntur vias, 26D', ad vias scilicet positionis et ablationis, 27C, 52D'. — Verumtamen omnis creatura infinite a Deo distat, 42C, nec cum eo convenit genere aut specie, 96D; imo inter summam et Deum infinitæ possent esse species, 95D'. Nulla simpliciter infinita dici potest, 41C', quia unaquæque habet terminum perfectionis et gradum essendi, 41B', genus et differentiam, quæ ejus essentiam terminant, 45D; insuper in omni creato invenitur actus et potentia, 28B, 29C, quod est et quo est, 29C, materia et forma, saltem quoad corporea, 28D', et diversificantur essentia, potentia et operatio, 29B', 39A. — Ex se et per se nihil sunt, 32B, defectibiles, 20D, vertibiles, alterabiles, 25B, peccabiles, 20A', tenebris imperfectionis et potentialitatis immixtæ, 139B', et in nihilum tendunt, 266A'; beneficiis Dei incessabiliter indigent, 83D', sine quo nec esse nec bene esse possunt, 90D; multo plus a Creatore dependent quam quilibet effectus a causa secunda, 262B', et sibi relictæ, omnem substantiam repente amitterent, 259B, 262D'; ideo ad Deum indesinenter convertuntur tanquam ad causam suam,

Digitized by Google

167A, et ad finem a quo perfici indigent, 62A. — Quamvis inter se sint contrariæ, ad ordinem concurrunt universi, 104B : inferiores enim a superioribus gubernantur, 25C', et quæ vita carent aut ratione, ad finem moventur, 25D', ab intelligentia gubernatrice, 26B, unde potius agi dicuntur quam agere, 26A. — Propter hominem factæ dicuntur, vel quia ad eum tendunt, vel quia ipsi deserviunt, 109B, et tantum amandæ et quærendæ sunt quantum ad finem hominis utiles sunt, 252A'; eis ergo frui non licet, sed uti, 252A'. — *Cf.* Ens.

CUPIDITAS an et quomodo sit peccatum, 165B, 215D, et radix peccati, 213A', et cum superbia conveniat, 213D'.

CUSTODIA. Homines ab angelis custodiri congruit, sive ex parte Dei, qui per causas secundas gubernat, sive ex parte angelorum, qui ita Deo conformantur, 136B, sive ex parte hominum, qui dirigente indigent, 136C. Unicuique ergo viatori, etiam confirmatis in gratia et parvulis in utero, datur angelus custos, 136B', non primæ hierarchiæ, cujus non est homines immediate illuminare, 134B', 136C, nec secundæ, quæ actus circa humana officia limitatos non habet, 136D, nec ex ordinibus Principatuum aut Archangelorum, qui multitudinibus præsunt, 136D, A', sed ex choro Angelorum, 136D, quibus est cum anima convenientia maxima, 270D', et qui erga subditos participant virtutem superiorum, 136A'. — Ab infusione animæ rationalis usque ad mortem, commissis adsistunt, 136B', nec unquam eos ex toto relinquunt, 285D, licet ab eis localiter recedant, aut eos tribulari sinant, 136D'; multa peccata impediunt, 136C', 285A', nec tamen de perditione subditorum tristantur, 137A.

CYRILLUS (S.) « magnus », Alexandrinus episcopus, 16B', pulchre scientiam commendat, 16A'. *Adde* 14D, 33B'.

D

DÆMONES in cœlo empyreo creati sunt, 123C, in gratia Spiritus Sancti, ut videtur, 120B, et in felicitate naturali, 119C, qua Deum per speciem acquisitam videbant, 119C; nec igitur mali creati sunt, 115B', nec a primo instanti mali facti sunt, 115B', sed aliquando fuerunt boni et sponte facti sunt mali, 116A. An ante culpam Deum dilexerint super omnia, 118B', vel lapsum præviderint, 119A', et quomodo peccare potuerint, 120C. — Suasione primi angeli lapsi sunt, 122A', 123A, et superbia peccaverunt, volentes propria virtute gloriam acquirere, et superioribus angelis non subesse, 122D'; et quia angelis est electio quod hominibus est mors, scilicet terminus viæ, 125B, ita ut post electionem angelus immutabilis sit, 124B', nec pœnitere valeat, 125A, in malo confirmati sunt, 124B', nec eis parcere potuit Deus, 275D, D'. Naturalia tamen habent integra, 123A', 125D, et bonum appetunt, sed affectu pravo, 125C, et synderesim habent malo naturaliter remurmurantem, sed a voluntate mala elisam, 125C, et in pœna accidentali crescere possunt, 125D; quo sensu dicantur habere irrationalem furorem, amentem concupiscentiam, et phantasiam protervam, 125B'. — Corpora non habent, 127B', sed corpora assumere queunt, 127C', in quibus apparent, 127D', et corporibus humanis illabi possunt, infra terminum quantitatis, 129D, et ibi cum anima manere, 129A'; in aere resident, ad operationem suam, vel in inferno, ad pœnam suam, vel circa nos, ad exercitium nostrum, 123D. An in corporibus assumptis generare valeant, 128D'. — A rebus cognitionem non accipiunt, sed per species innatas cognoscunt res et ea quæ in eis sunt, 125A'; multa cognoscunt sive naturaliter, per causas naturales, 125D, B', vel experientiam propriam, 125A', sive supernaturaliter, per revelationem spirituum supernorum, 125A'; et erudire possunt homines, vel illuminando phantasmata, 126B, vel novas species in imaginatione formando, 126C. Futura tamen non norunt, nisi prout in causis determinata sunt, 125D', nec licet uti eorum ope ad cognoscenda futura vel ad obtinenda miracula, 127D. — Sola conceptione nequeunt effectus producere in inferioribus, 127B, nec ullam virtutem naturalem inducere valent in materiam, nisi adminiculo naturalis agentis, 126D', nec aliquid facere quod sit supra potestatem naturæ, 127A; sed per applicationem naturalium agentium effectus aliquos præter ordinem communem producere queunt, 127A, qui falso videntur miracula, 129B, et præstigia facere, vel per evocationem specierum, vel per immutationem

Digitized by Google

organi, 129B'. — Cœlestium influxui non subduntur, 127C, et corpora inferiora, etiam humana, transmutare possunt, 129C; in potentias organicas impressiones directe faciunt, 129C, in intellectum autem non nisi indirecte, et in voluntatem nullo modo, 129C; concupiscentias accendere valent, 129C', et organa ad libidinem incitare, non autem consensum extorquere, 163A'. An dæmon semel victus retrudatur in infernum, 123C', et habeat ultra licentiam tentandi eumdem vel alium, 123C'. — Inter dæmones remanet ordo prælationis, 123A', et ad nocendum hominibus concordant, sed inter se perpetuam discordiam habent, 123B'. — *Cf.* Lucifer.

DAMASCENUS (S. Joannes) omnibus naturaliter insertam esse cognitionem Dei testatur, 17D', quomodo, 19A. — Asserens nihil de Deo substantialiter prædicari, 33C, defenditur et explicatur, 56D, 57B. — *Adde* 13C', 17A, 23B, 26A, etc.

DAMNATIO. In damnatis remanet inclinatio naturalis ad bonum, 206D', naturalis cognitio et murmur rationis contra voluntatem, licet voluntas ipsi nunquam obediat, 207A. — Ex eorum miseria augetur electorum beatitudo. 233D'. — *Cf.* Reprobatio.

DANIEL propheta. Quidam ejus locus exponitur, 138D.

DAVID de Dinando, theologus Parisiensis, rudissime et pessime contendit omnia unum esse, 150B'.

DEFECTUS omnis propter recessum a fine contingit, 20D, et ex triplici causa accidit, scilicet ex parte intenti, recipientis aut instrumenti, 196A'; in omni creatura cadere potest, non autem in Deo. 20D. Quomodo a culpa differat, 186D, et inficiat opus, 203D. — Qui defectus ex Adæ peccato proveniant humano generi, 186B', 189D, D', qui provenissent si, Eva peccante, Adam stetisset, vel econverso, 190C; quos haberet qui miraculose ex membro aliquo produceretur, 190B.

DEFINITIO ex genere et differentia constat, 45A', et terminus appellatur, quia sub certis limitibus essentialem rei perfectionem exprimit, 45A', 96B : quod ergo definibile est, infinitum esse nequit, nec incomprehensibile, 96A; quo constat Deum non esse definibilem, 96B.

DELECTATIO est indeliberatus inferioris rationis motus, 172B', nec locum habet in ratione superiori, 172C'. — Ex hoc oritur quod est conveniens rei, 63C, seu ex possessione boni convenientis, 179B, et concupiti, 84B, et tanta est quanta est bonitas qua fruitur, 84B : Deus igitur infinite in se ipso delectatur, 84C, et quantum quis recipit ab eo, tantum delectatur in eo, 92D. — Signum est virtutis, 179A, et decor operationis, sicut pulchritudo decor est juventutis, 204B; et quia ex virtutibus oritur, 259C, sicut virtus Dei ex se est, 259C, licet Deo delectari in semetipso, 259A', creaturæ autem non delectari fas est nisi in Deo, quia ejus virtus est a Deo, 259B'. — De operatione et delectatione eam sequente idem est judicium, 173C'; ideo delectatio sequens operationem quæ est grave peccatum, est et ipsa grave peccatum, 173D', et delectatio in inferiori ratione consurgens potest esse leve vel grave peccatum, 174A. — Delectatio corrumpit æstimationem prudentiæ, 120B', et si sit carnalis, a contemplatione summe impedit, 92D. — Quidquid in creaturis est delectationis, a Deo est, 92D', et in ipso superperfectissime continetur, 93B. — *Cf.* Voluptas.

DELICTUM quid sit et qua a peccato differat, 214B'.

DEMOCRITUS Epicureus incorporeas substantias negabat, 113D', et animam cum corpore transmutari contendebat, 146A.

DESIDERIUM est passio appetitus concupiscibilis respectu boni futuri, 280A'. — Imperfectionem voluntatis creatæ arguit, 71D', quia signum est indigentis naturæ, 72A, appetitus perfectionis nondum habitæ, 72A, 108D, aut rei absentis, 72B. — Naturalia rerum desideria ab auctore naturæ impressa sunt. 77D, et ad proprium ac debitum finem tendunt, 77D; qui autem desiderat quod sibi non expedit, non se amat, sed odit, 265B'.

DESPERATIO est passio appetitus irascibilis respectu boni ardui absentis, 280C'. — Desperatio quæ est peccatum contra Spiritum Sanctum, 217D, quæ sit, 217B'.

DEUS. Omnibus naturaliter inserta est cognitio exsistendi Deum, 18A, vel Deum esse est per se notum, vel secundum se tantum, ut tenent Thomas et alii, 17C', vel etiam quoad nos, ut tenet Cartusianus cum Anselmo, 17D', et Bonaventura, 30A', quia Deum non esse apprehendi nequit, 18C, et implicat contra-

Digitized by Google

dictionem, 18D; nec obstat quod quid sit divinum esse ignoremus, 18C', aut quod dicant impii Deum non esse, 18A'. — Oportet enim esse in mundo primum ens, 24D, quod sit ens per essentiam, 23D, et in se sufficiens, 23A', a quo omnia tam esse quam bene esse accipiant, 24D', primum vivens, 62B', omnis vitæ principium et causam, 62C', primum movens, quod sit movens tantum, 20C', prorsus immobile, 19C', et omnibus causa movendi, 20A, primum regens, 25C', a quo conservetur mundus, 26C, primam causam, 23A', a qua causæ omnes causalitatem accipiant, 23C', primum perfectum, quod sit ceterorum mensura et regula, 24C, et a quo longe absint error omnis et defectus, 20D, actum purum, qui nulla potentia mixtus sit, 20B'. — Et sicut naturalibus rationibus demonstratur Deum esse, sic demonstratur eum esse incommutabilem, 38A, 62D, æternum, 30B', 47B', perfectum, simplicem, 30B, 38B, immensum, 30C, 38C, infinitum, 41C', omnipotentem, 42D, unum, 35B, sapientiam infinitam, virtutem immensam, pulchritudinem illimitatam, beatitudinem perfectam, sanctitatem interminatam, 246C. — Sicut ergo impossibile est divinum esse cognoscere quoad quid est, sic maxime facile est ipsum cognoscere quoad quia est, 23C. — *Cf.* Causa.

Deus est actus purus, qui in omnia agere potest, 37D', et liber est ab omni potentialitate, 38D, in quo nec materia est determinans, nec potentia contrahens, nec differentia coarctans, 307A'. — Proprie dicitur essentia, abusive substantia, 38B', quia non est in prædicamento substantiæ, 39A; non est corpus, nec virtus corporea, nec virtus in corpore, 59C; non est genus, 95A', nec in genere, 56B', 96D, sed extra et supra omne genus, 96C; non est species, 95B', nec in specie, 56B', 95B', nec in aliquo prædicamento, 96A, nec quidquam univocum cum creaturis habet, 56B', 96C; sed est ens ab omnibus separatum per propriam puritatem, 335C, 423B, nulli miscibile et cum nullo componibile, 59C. — Quamvis omnes essendi perfectiones in se includat, 65A', ex creaturarum potentiis duæ tantum ipsi conveniunt, intellectus et voluntas, quia ambæ nobilissimæ, 83C; in ipso sunt proprie virtutes quæ ad perfectionem simpliciter pertinent, ut sapientia, justitia, caritas, 279B, improprie autem virtutes quæ imperfectionem quamdam denotant, 279C, ut misericordia, mansuetudo, 279D, pœnitentia, 279A'. — Semper in actu est, et tamen operationem non habet a substantia sua procedentem, 50B'; et quia agens est simplex et incommutabile, de novo agere potest absque sui commutatione, 107C; quamvis ab opere creationis cessaverit, quia novum esse non influit, 148A, indesinenter agit, omnia conservando in esse, 148C. Quo sensu dicatur ab opere cessasse, 148A, C, aut requievisse, 147B. — *Cf.* Actio, Actus.

Esse non est in Deo accidens, sed subsistens veritas, manens causa et naturalis proprietas, 30B', et quia est ens per se ipsum, ipsi competit quidquid pertinet ad plenitudinem essendi, 29D', 246B, 329C', 414D, quidquid absolute loquendo melius est habere quam non habere, 30A, 89A', 246A, C. — Est ergo ens a se, independens, nullius egens, 259B, ens entium, sine cujus participatione et manutenentia nulla res subsistere valet, 305C, cui nihil opponitur, nec privative, nèc contrarie, 246A', nec contradictorie, 246B'; — Sempiternus, purus et honoratissimus intellectus, 64A', universaliter agens, 64A', et omnibus influens lumen, entitatem, virtutem et operationem, 64A', mens simplicissima, 330C', 416A, cujus contemplatio intellectus, 64D, quia idearum genera contemplatur in intelligibili mundo, 69C, in qua idem sunt esse et intelligere, intelligens, res intellecta, potentia, actus, objectum, et intelligibilis forma, 330D', 416B; — Voluntas, 71D, quia ipsi competit voluntas, 71D', 72D, non ea quæ est appetitus rei absentis, 72A, B, sed voluntas immobilis complacentiæ, 72B, qua propriam bonitatem æternaliter diligit, 72A, et voluntas arbitrii, qua libere agit, 72C, voluntas liberrima, æquissima, 337C, 426D, potentissima, omnia ad libitum disponens absque ulla contradictione, 337A', 426C', quin hujus ratio assignari queat, 337A', qua ipse vult et amat se necessario, cetera vult libere, 337D, 426B', qua omne bonum approbat, omne vitium detestatur, 337B', 427B.

Deus vita est, 62C', purissima, 62D', immarcescibilis, 63A', delectabilissima, 63C, et nobilissima, 63B, quia non est nisi æternæ veritatis contemplatio et immensæ bonitatis dilectio, 279D', 282C, 305D', 321D', 330D,

Digitized by Google

415 D, vita simplicissima, cui idem est vita et vivere, 330 C, 415 A, vita actualissima, cui omnis vivendi perfectio cum plenitudine competit infinita, 330 C, 415 C, a qua est omnis vita naturæ, gratiæ et gloriæ, 62 B', 330 A', a qua vitam intellectualem participant angeli, rationalem homo, sensitivam bruta, vegetativam plantæ, 330 A', 415 A'; — Amor substantialis, qui omnia gratuito creavit, 340 D, 431 B, conservat et ad se reducit, 340 A', omnia diligit, maxime electos, 177 A, omnibus bonum vult, potissime his qui eum diligunt, 340 A', et ipsi sunt similiores, 340 B', omnibus se communicat, 340 D; — Bonitas substantialis, 329 A, 413 A, idealis, subsistens et separata, 329 B, 413 A', omnem bonitatem in infinitum excedens, 329 A, 413 C, quæ nihil in universo suæ participationis expers relinquit, et qua subtracta nihil amabilitatis in creatis remaneret, 329 C, 413 B'; bonum summum, omnium bonorum perfectionem simplicissime possidens, 90 D, quod omnia appetunt, 31 A', sine quo nec ad momentum subsistere queunt, 329 B; — Unitas prima, summa et exemplaris, 35 C', 90 C', quæ rerum pluralitatem ad unitatem reducit, 332 D, 418 B', solus Deus, extra quem nemo dici potest Deus, nisi inaniter, ut dii gentium, aut participative, ut qui divinam proprietatem sortiti sunt, 332 A', 418 D'; — Veritas prima et perfecta, 66 B, 331 B', 417 D, sive veritate intellectus, qua infallibiliter cognoscit omnia, sive veritate rei, qua est ens summe perfectum, 36 D', omnis veritatis secundæ causa exemplaris, finalis, effectiva, 37 A, D, regula et mensura, 37 C, D, 331 C', 417 A', a qua est omnis veritas creata, vitæ, doctrinæ, justitiæ, rei et sermonis, 331 D', 417 D', omnis illuminatio et cognitio, 90 D, cujus respectu omne creatum vocatur mendax et vanitas, 331 C', 417 B'; — Sapientia increata et infinita, omnia æternaliter et invariabiliter conspiciens, etiam quæ nec sunt, nec fuerunt, nec erunt, 331 A, C, 416 A', a qua fluxit omnis sapientia, omnis scientia, omnis notitia, omnis intellectualitas, 331 A, D, 416 A'; ars rationibus plena, et exemplaris omnium causa, 331 B, 416 C'; — Potentia illimitata et infinita, 78 B', cui idem est esse et posse, 332 C', 419 C, cui nihil difficile aut impossibile est in his quæ contradictionem non implicant, 332 D', 419 D, cui soli competit creare et rerum ordinem instituere et transgredi, 333 A, 419 C', quæ infinities plura atque majora facere potest quam quæcumque finita potentia, 78 D', aut quam possumus concipere, 79 A, B; virtus infinita, 80 C, omnis virtutis fons et origo, 80 D, virtus virtutum, quæ omnia sustentat, 333 B, 419 B', et sine qua nihil agere idoneum est, 305 C; — Lux plena et summa, 85 D', 90 C', æterna et invariabilis, 307 D', omne lumen creatum incomparabili puritate transcendens, 85 D', a qua derivatur omne lumen sensibile et intellectuale, 85 A', cujus respectu infinite occumbit lux creata tam cœlestium quam angelorum, 308 A, cujus comparatione omne lumen creatum caligo est et tenebræ, 89 D, 308 A, B; indefectibile lumen, singula illuminans, 31 D', et venustans, 305 C, hominibusque necessaria revelans, 32 B', quo subtracto, totus universi ornatus tabesceret, 307 B', discoloraretur repente vultus naturæ, 307 C', et in caliginem nihili laberetur omnis intellectus creatus, 307 C'; sol omnia illuminans, 31 C', et universis beneficos infundens radios, 86 B; — Perfectio supra et extra omne genus, 334 C, 421 C', in qua continentur omnes essendi gradus et perfectiones, 65 A', et quidquid melius est inesse quam deesse, 334 D, 421 D', a qua longe abest omne imperfectum, 334 A', 422 A, quæ excellentia incomparabiliter excedit universum, 84 A, 342 C, 434 B, et angelicam sublimitatem, 342 D, 434 D, nec parem habens nec æqualem, 342 D, 434 C, quia inter Deum et summum angelum, innumerabiles creari possent species creaturarum, 342 A', et ejus comparatione omnis creata perfectio defectio est, 334 D.

Æternus est, 47 B', et ipsi non competit fuisse et fore, 48 A', sed esse in simplicissimo æternitatis momento, 48 B', 341 B, cujus æternitas est interminabilis vitæ tota simul possessio, 341 A, 431 D', et omnes differentias temporis comprehendit, omni tempori coadsistit, 341 A, 432 A, et causa est ævi, et temporis et inferiorum periodi, 341 B, 432 D; — Infinitus, 41 C', non extensive et materialiter, sed intensive et formaliter, 335 A', 423 A', infinitate perfectionis et eminentiæ, 335 B', 423 B', qua universa in immensum excedit, 335 C', 423 D', et supra omnem legem ac ordinem rerum subsistit, 335 D', ante mundum non solus, post eum non præ-

Digitized by Google

ventus, supra eum non elatus, infra eum non oppressus, 43 B', 335 D', 424 B, super omnia præsidendo, infra omnia sustinendo, ante omnia subsistendo, post omnia permanendo, 348 D', 444 C'; ipsi prius competit esse infinitum quam esse æternum, 43 A, sed sibi ipsi non est infinitus, 43 C', quia sicut divina essentia est infinitæ cognoscibilitatis, intellectus divinus est infinitæ perspicacitatis, 246 D', et ita se intelligit quantum intelligibilis est, 247 A; — Simplex et in fine totius simplicitatis, 59 A, imo simplicitas pura, in qua nec compositio est, 59 A, 334 D', 422 D, nec materia limitans, nec differentia contrahens, nec potentia determinans, 335 A, 422 D', nec formalis distinctio, 59 D', nec modorum diversitas, sed mera et vera identitas, 335 B, 423 A, simplicitas perfectionis et formæ, 335 C, 423 B, in qua idem sunt esse, posse et agere, natura et persona, 59 A, quia quæcumque in Deo sunt, idem et unum sunt, 60 C', scilicet ipsemet Deus, 59 A, qui est sua potentia, suus intellectus, sua voluntas, 245 B', sua actio, 50 B', et omne quod habet, 60 B', 61 A, A', 334 D', 422 A', cujus respectu materialis et compositus asseritur vel angelicus spiritus, 335 B, 423 A; — Incommutabilis, 61 D, 336 D', 425 D', ac proinde uniformis et semper similiter secundum idem se habens, 61 D', 62 B, quamvis aliquo modo moveri dicatur, 22 B', in quo nihil novum, nihil vetus, nulla inceptio, nulla desitio, 336 D', 425 D', qui immobilis manens omnia fecit, movet et regit, 337 A, 426 A, nec mutatur quando aliquid de novo agit, 22 D', 62 A, vel quum ea quæ minatus est, non efficit, 61 C', a quo est quidquid in creaturis est firmitatis et immortalitatis, 337 B, 426 C; — Liberrimus, tanquam sui ipsius causa, 70 B, et tanquam primus naturæ institutor, 70 D; sed quia est libertas quædam perfectionis, 70 D', quæ circa ea versatur quæ ad perfectionem agentis non requiruntur, 71 A', et item necessitas quædam perfectionis, 70 C', ad ea pertinens in quibus est perfectio rei, 71 A', Deus necessitati subditur quoad esse proprium, 70 A', 71 B, et actiones immanentes, 71 A', liber autem quoad actiones ad extra, 70 B', 71 B, A'; — Sanctus, 94 A', ac sanctitas pura et infinita omnem virtutem et perfectionem continens, 338 B, 427 B, in qua nulla defectuositas, nulla impura affectio, nulla fallibilitas, 338 B, nullum peccatum, 338 C, sanctitas immensa, omnis creatæ sanctitatis origo, 94 B', finis et mensura, 94 A', cui comparata omnis creata justitia est velut pannus menstruatæ, 94 B', 338 D, 428 C; — Felix est infinite, 83 C', inexcogitabiliter, 84 C, substantialiter, et secundum se totum, 84 C', vel potius ipse est sua ipsa beatitudo, 84 B', D', et interminabilis jucunditas, 84 C', cui idem est esse et esse beatum, 336 B, 424 A', quia in se habet omnium bonorum plenissimam possessionem, 336 B, 424 D', et quidquid ad perfectionem beatitudinis pertinet, 336 A', 425 B, pro divitiis habens sufficientiam suam, 336 A', pro voluptate contemplationem et fruitionem sui ipsius, 83 B', D', 84 B, et summæ Trinitatis, 249 C', 250 A, pro potestate omnipotentiam, pro fama omnium creaturarum admirationem, pro activa felicitate mundi gubernationem, 336 B', 425 D.

Pulcher est, 90 C, et creator pulcherrimi mundi, 90 D', imo pulchritudo substantialiter pulchra et infinita, 90 D', cui idem est esse et esse pulchrum, 333 A', 420 D, in qua nihil tenebrositatis aut commixtionis invenitur, 333 B', 420 D', quam sol et luna mirantur, angeli et Beati insatiabiliter intuentur, 333 D', 420 D', a qua est omnis pulchritudo cœlestium, 333 D', 421 B, angelorum et hominum, 334 A, 421 C, cujus comparatione omne pulchrum creatum est nullius momenti et velut turpitudo, 91 A, 333 A', qua subtracta omnis decor et species mundi mox evanescerent, 334 B, 421 D; — Dulcis, 92 D', tanto in se dulcior quanto magis verus est et bonus, 92 A', tanto aliis dulcior quanto magis apti sunt ejus dulcedinem gustare, 92 B', suavior omni creata voluptate, 93 A, quia quidquid dulcedinis est in creaturis, ab ipso est, 92 D', 345 C', 439 D, et in ipso superperfectissime continetur, 93 B, dulcedo infinita, 345 A', 439 A, qua in patria fruuntur Beati, 345 B', 439 B, et in terra qui digni sunt, 345 B', 439 C, qui scilicet caste Deum timentes, in caducis rebus nolunt consolari, 345 D', 439 A'; — Amabilis et desiderabilis, tanquam summum bonum, 93 C, A', ceteris bonis incomparabiliter præstans, 93 C', et in quo collectim, perfecte et infinite continetur quidquid amabilitatis, sparsim, diminute et finite alibi invenitur, 93 D', omnis scilicet sapientia, 93 D', divitiæ, 94 A,

Digitized by Google

honor, dominatio, fama et voluptas, 94 A ; — Justus, et ad se ipsum, quia quod sibi debetur ab universis exigit, 338 D', 428 D', et ad alios, quia nullum bonum impræmiatum sinit, nullum malum impunitum, 339 A, 429 B, nec quidquam omnino inordinatum relinquit, sed per pœnam sanat inordinationem culpæ, 339 B, 429 C, et omni creaturæ justum facit judicium, 339 A, C, 429 B, B', cujus inscrutabilis justitia est omnis æquitatis mensura, regula et principium, 339 C, 429 B' ; — Misericors in natura, miserator in opere, 339 B', qui mille modis misericordiam suam exercet in mundo, 340 A, 430 B', in omni opere misericordiam et justitiam miscens, sed misericordiam ex propria bonitate, justitiam ex nostra pravitate, 339 B', 430 A, cujus miserationes super omnia opera ejus, 339 C', 430 D ; — Terribilis in justitia sua, qui pro temporali delicto pœnam infligit æternam, 344 D', 438 A, et cujus iræ nemo resistere valet, 345 A, 438 B, quapropter metuendus est nimis, non timore servili, 345 A, 438 B, sed reverentiali, 345 B, 438 C.

Causa dicitur rerum, 202 B', non per esse suum aut per naturam, 76 A', sed per intellectum, 76 A, et per voluntatem, 76 B, quæ tamen in ipso unum sunt, 76 A ; et ipsi competit causalitas in triplici genere causæ, efficientis, exemplaris et finalis, 77 B, propter quod in ipso inveniuntur causa subsistendi, ratio intelligendi, et ordo vivendi, 228 D'. — Causa est efficiens ratione potentiæ, 228 D, causa exemplaris ratione sapientiæ, 228 D, causa finalis ratione bonitatis, 228 A' ; tanquam causa efficiens, dat rebus modum, 238 A, et mensuram, 238 D, ut causa exemplaris, speciem, 238 B, et numerum, 238 D, ut causa finalis, ordinem, 238 B, et pondus, 238 D. An et quatenus sit causa peccati, 202 C, vel pœnæ, 203 A. — Ipse, licet immobilis, 21 D, omnia movet, sive ut causa efficiens, 22 D, sive potius ut causa finalis, 22 B, sicut desideratum movet desiderantem, 22 B, aut sicut rex movet subjectos, 22 C ; omnia conspicit, 323 D', omnibus præsens est, 324 A, omnia regit, 77 C, et gubernat, 77 A', omnibus providet, 77 A'. — Quo sensu dici possit esse omnium, 59 D.

Non est in loco, quia habitudinem non habet ad locum, 44 A', nec magis ei competit esse in cœlo empyreo quam in inferno, 44 B' ; sed sibi ipsi est locus, 45 C', 47 A, quia ibi esse dicitur ubi manifestius operatur, 47 A. Ubique est et nusquam, sicut semper est et nunquam, 46 A, sic ubique præsens ut sit totus in singulis rebus, 46 A, et totus super omne, 47 A' ; in se ipso invariabiliter manens, 44 A, et ante mundum est, et in mundo, 45 C', et extra mundum, 45 D', et infinitos mundos implere posset, 44 D, quia in tot entibus esse non valet, quin in infinities pluribus esse queat, 44 A'. — Omnia penetrat et universis illabitur essentiis, 43 A', cunctis intimior quam quisque sibi, 43 A' ; in omnibus est per essentiam, 46 C, per præsentiam, 46 D, et potentiam, 46 A', in intellectualibus creaturis objective, in viatoribus per gratiam, in Beatis per gloriam, in reprobis per vindictam, 46 B', absque mutatione sui esse, 45 C', 47 A', in rebus nobilissimis non nobilitatus, in vilissimis non ignobilitatus, 44 B', quia in omnibus exsistit secundum unam dispositionem, 46 C', in se simplex et unus manens, sed diversimode in diversis præsens pro cujusque capacitate, 46 D', ubique præsens et differenter agens una et simplici operatione, 47 A'. — Omnibus æque immediate præsens est, sed non omnia æque immediate ei adsunt, 43 A'.

Deum omnia cognoscere necesse est de necessitate absoluta, 73 B ; ideo omnia novit, secundum id quod sunt vel quod eis accidere potest, 65 B, tanquam effectus proprios, 65 C', 66 C', distincte et proprie, 65 B', inferiora, actus humanos, 66 A', singularia, 117 D', et futura contingentia, 118 B : scientia enim divina omnes scientiarum creatarum perfectiones continet, 65 A', nec eum decet ignorare quæ nos scimus, 65 B'. Novit insuper quæcumque suæ virtuti subjiciuntur, 65 D, ac proinde non modo quæ sunt, fuerunt aut erunt, sed infinita possibilia, 65 D, quæ in sua virtute continentur, 65 A', et in ea exemplariter relucent, 65 D'. — Nec ex hoc vilescit divinus intellectus, 65 D', quia ex rebus cognitio ejus non gignitur nec dependet, 66 A, sed omnia præterita et futura cognoscit præsentialiter, æternaliter, 66 C, immaterialiter, indivisibiliter, invariabiliter, incorruptibiliter, 66 D. — Dicitur tamen nihil extra se cognoscere, 66 A, quia aliam non habet cognitionem sui, aliam aliorum, sed cognoscendo se omnia scit, 66 D', et contemplando se omnia intuetur quæ ab ipso sunt vel esse possunt, 67 A : per unam enim spe-

Digitized by Google

ciem, quæ est divina essentia, et se et cetera cognoscit, uno simplici et æterno intuitu, 67 C'. — Omnibus providet, a summis usque ad ima, 343 C', tanquam Dominus universorum, 343 D, 435 B', et omnia regit secundum suas naturas, 343 B', 436 B, summa per se ipsum, quia ipsi est dispositio gubernandi, 343 D, et est primus et universalis gubernator, 343 A', inferiora per superiora, 343 D, quia summis, tanquam instrumentis, 343 A', 433 D', commisit exsecutionem regiminis, 343 D, 435 C'. — *Cf.* Providentia.

Quoad se ipsum infinitus est, 44 D, nec habet mensuram, 49 A', quoad durationem, æternus, 44 D', quoad locum, incircumscriptibilis, 44 C', quoad intellectus creatos, incomprehensibilis, 44 C'; incognoscibilis est quoad quid est, 55 A', propter sui esse primitatem, 49 C', excellentiam, 50 B, simplicitatem, 50 B', 341 A', 432 D', et infinitatem, 50 D', non opinabilis, non meditabilis, non intelligibilis, 51 D, non dicibilis omnibus simul secundis, 50 D, non visibilis, saltem viatoribus, 341 D, 432 C'. — Imperfecte admodum cognoscitur, 58 C, non prout est in se, sed secundum nostri intellectus conditionem, 57 C', qui radium divinum recipere nequit nisi sensibilibus formis circumvelatum, 89 A; melius et perfectius cognoscitur per negationem quam per affirmationem, 52 A', C', 53 B, 341 B', 433 D, tum quia in se incomprehensibilis est, 52 A', tum quia in præsenti non nisi ex creatis effectibus scitur, 52 B', qui infinite a sua excellentia deficiunt, 52 C'; ideo verius dicitur non vita, non bonitas, non sapientia, quam vita, bonitas et sapientia, 52 D', et sicut nihil est eo præsentius, sic nihil est eo ignotius quoad quid est, 54 C'. — An et quatenus de eo quidquam substantialiter enuntiari possit, 53 D et s., 56 D et s. — *Cf.* Prædicatio.

Nominibus ergo imperfecte nominatur, 341 D', quia cum creaturis nihil habet univocum, et ignoratur quoad quid est, 341 C', 433 A'. — Optime tamen designatur sive per Bonum sive per Esse, 33 D', 34 B', et ut quibusdam videtur, melius per Bonum, 33 C, 34 C', quod propria personarum designat, 33 D', seu Deum prout est principium emanationis, 34 B, et perfectius exprimit naturam Dei, 34 C', 35 A, quæ est bonitas pura, 31 B', 32 C, 304 B'; perfectius vero per Esse, juxta alios, 30 B, C', 31 C, 246 B, quoniam ipsi potissime competit esse, 29 C', D', 30 D', et est esse subsistens et separatum, 308 C, perfectum et plenum, 29 D', 30 B, ab omni non ente remotum, ab omni potentialitate, materialitate et differentia, 30 D, esse illimitatum et incircumscriptum, 30 D, formalissimum et præsentissimum, 30 B', quod causa est essendi et sibi ipsi, 44 A, et aliis, 30 C', quibus ab eo derivatum est esse, 308 B, 330 A, 414 C', et bene esse, 31 A', a quo dependent cœlum et terra et tota natura universi, 308 B, cujus respectu omne esse creatum reputatur nihil, 30 A, 330 A, 414 B'. — Deus dicitur ab operatione, tanquam omnia fovens, 39 D', aut contemplans, 40 A; et quia nomen « Deus » excellentissimam designat naturam, incommunicabile est quoad proprium intellectum, 39 D, seu quoad rem significatam, 39 B', et magis incommunicabile quam Esse, 39 C', licet communicari valeat quantum ad modum significandi, 39 B', seu quoad participatam proprietatem, 39 A'. — Dicitur etiam Jehovah, per quod exprimitur divina essentia absolute, 40 D', et Adonai, per quod significatur generale ejus dominium, 41 A; sed nullo nomine aptius designaretur quam nomine Intellectus, 64 D, quoniam in creaturis nulla major est intellectuali substantia, 64 C, et in rerum natura nulla est perfectio intellectu sublimior, 64 D'. — Cur dicatur actus, 28 C, et forma, 29 A, lux et tenebræ, 27 D. — *Cf.* Nomen.

In visione Dei est tota merces Beatorum et vita æterna, 11, 13 B; in contemplatione Dei felicitas hominum speculativa, 11, omnis intellectus creati finis, 11, et summum bonum, 13 A, omnis philosophicæ disciplinæ scopus, 16 B'; unde ut agnosceretur Deus, factæ sunt substantiæ spirituales, 11, et totus mundus, 15 B, et incarnatus est Filius Dei, 11, 15 C. — Divinæ ejus majestatis sincera cognitio multum valet ad acquirendam humilitatem, 267 B, B', 268 D, et perfectionem, 267 D', non utique cognitio qualiscumque, sed sapida et formata, 267 C', quæ non tam studio lectionis quam fervore orationis acquiritur, 267 D'. Quapropter cognitio vel naturalis Dei, qualis ex creaturis eruitur, summe optanda est, 14 B, quia ad contemplationem Dei ducit, 14 C, et amorem, 14 B, et quamvis in se meritoria non sit, 14 C', dum caritate informatur, fit æternæ vitæ meritoria, 14 C'. — Quærat ergo anima

Digitized by Google

devota Dominum, 16 A, cum sancta reverentia, 17 A, 51 C', et quantum nobis ex Scripturis innotescit, 17 A, indicibilia ejus casto silentio honorans, 17 C ; quærat eum cum lætitia, quamvis plene inveniri nequeat, 16 C, quia eum quærendo proficit, 16 D, et magnum est ad eum ire, etsi non detur ad eum pervenire, 58 B. — Tanto plus omnibus diligendus est quanto ceteris est perfectior, 250 B', diligibilior et suavior, 250 C', 307 D, quanto nobis plura contulit, 251 A, 308 B, ac promisit, 251 C, quanto magis nos prævenit, 251 A', et honoravit, 251 B', quanto majorem misericordiam nobis ostendit, 251 B, 252 A ; sed quia est ens simpliciter perfectum, cui inest omnis nobilitas, 269 A, perfectio, 269 C, et claritas, 269 D, a nulla creatura pro merito honorari potest, 269 B' : ideo quo excellentiores sunt Sancti, eo cum humiliori reverentia coram ipso adsistunt, 269 C'. — *Cf.* Contemplatio, Visio.

Duos esse Deos impossibile est multis de causis, 35 B et s., ideo inter peccata nullum gravius videtur quam creaturam sibi divinum quid tribuere, 297 B' ; dii tamen dicuntur quidam participative, 332 A', quoniam divinæ proprietates sunt causalitas et providentia, 282 D', quas quæ participant creaturæ, deiformes fiunt, 282 D'.

DIES creationis sex sunt dies successivi, juxta plerosque Sanctos, 147 B', unus dies continuus, juxta Augustinum, sed distinctus secundum præsentationem rerum angelicæ cognitioni, 139 D, 147 C', vel secundum præsentationem lucis corporalis rerum generibus, 139 D', unde dierum distinctio ex parte lucis sumitur, 140 A, sive lucis spiritualis, cujus illustratio dicitur dies, 139 D, sive lucis corporalis, cujus effectus est dies, 140 A. — Quod sit opus diei primi, 141 C, secundi, 141 D, tertii, 141 D, 144 C, B', et quarti, 144 C'. Cur primus non habeat mane, nec ultimus vespere, 140 C; quomodo ante quartum facta sit distinctio diei ac noctis, 142 B. — Sexto et septimo tribuitur consummatio operis creationis, 147 B' : sexto, quia tunc omnes species constitutæ sunt, 147 C', et creatio perfecta est in esse, 147 D' ; septimo, quia ab omni nova creatione quievit Deus, 147 C', et creatio perfecta est in operatione, 147 D', propter quod ipsi debetur sanctificatio, 148 B', et benedictio, 148 D. — Mystice, quid septem dies, 148 C'.

DIFFERENTIA et genus totam rei essentiam exprimunt et comprehendunt, 45 D, 96 B, quia differentia naturam generis ad certam perfectionem in specie contrahit, 95 B' : quod ergo genus et differentiam habet, in prædicamento est, 96 A, sub definitione ac demonstratione cadit, nec potest esse infinitum, 96 A, quo constat differentiæ rationem Deo minime convenire, 30 D, 96 B, 335 A. — A perfectione speciei essentiali recipitur, 228 C', in substantiis separatis, ab essentia prout actui appropinquat, in substantiis compositis, a forma, 115 A'.

DIFFICULTAS operandi est vel ex arduitate operis, et sic objectum est virtutis, vel ex imperfectione agentis, et sic a virtute tollitur, 185 A'. — Rationem meriti non auget, nisi per accidens, in quantum majorem requirit conatum, 185 D ; imo virtuosus sine difficultate agendo plus meretur quam imperfectus cum multo labore, 185 B'.

DIONYSIUS (S.) Areopagita, « dilectus Dei », 293, « sacratissimus ac divinissimus theologorum princeps », 33 C, 52 A', 242 A, « qui Pauli discipulus erat et ejus visiones perhibetur scripsisse », 134 D', Platonem et Platonicos in multis sequitur, 34 D, nec Aristotelem pene in omnibus, ut vult Thomas, 34 A', 143 C. Difficilis est intellectu, ob stili obscuritatem, 268 D. — Affirmans omnia de Deo magis neganda esse quam affirmanda, 52 A', 53 A, 54 A', B', et quæ de Deo affirmantur nihil significare nisi processus ejus in nos, 55 A, explicatur, 57 A. — Quot vias ponat cognoscendi Deum ex creaturis, 26 C', 27 B' ; cur et quomodo dicat Bonum esse primum nomen Dei, 33 C, B', 34 B ; an vere senserit lumen Deo non convenire nisi transumptive, 87 B. — Quanti eum fecerit Cartusianus, 87 B. — *Adde* 15 C', 17 A, 22 B', C', 23 A, etc.

DIONYSIUS Cartusianus pristinam suam deflet vanitatem, 319 A', 320 A', D', 321 C, et negligentiam, 321 B. — Quantus ei fuerit zelus studendi, 319 D, quantus profectus in doctrina, 319 B' ; quantopere commendet divinam scientiam, 15 D, 16 C. — « B. Thomæ non minimus est imitator, amator et fautor », 53 D', sed præcipue Areopagitæ, 54 B, cujus tanta est apud eum auctoritas ut hujus doctrinæ in nullo scienter velit obsistere, 87 B. — Multipliciter probare nititur Deum esse, esse per se notum, 18 C.

Digitized by Google

DISPOSITIO est scientia Dei respectu faciendorum, 68D, et pertinet ad providentiam, 78B. — Entia nolunt male disponi, eo quod desideria eorum ad debitum finem tendant, 77D.

DISTINCTIO formalis, quæ diversitatem constituit specificam, 115A, inter attributa Dei a quibusdam perperam introducitur, 59D', 60A', inter quæ tantum est distinctio rationis rei rationabilis, juxta quosdam, vel rationis ratiocinantis, juxta alios, 60D. — Opus distinctionis a creatione discretum videtur, 142A, et tribus primis diebus factum est, 141C, 144C.

DIVINATIO. Futura contingentia prænuntiare præsumentes recte divini dicuntur, 126B, et peccant mortaliter, 127D. — Quid de divinatione per somnia, 126C.

DIVITIÆ in Deo vere sunt et quærendæ sunt, 85C, qui dives est in se, tanquam nullo indigens, et dives in alios, tanquam omnibus providens, 85B, 94A, cui idem est esse et esse divitem, quia divitiæ ejus sunt sua substantia, 84D', 94A.

DOCTOR honorem sibi debitum exigere licite potest, 278D', sed exemplarem se præbere tenetur, alioqui non implendo quod docet, peccat mortaliter, 279A; vituperandi ergo sunt doctores carnales qui, cognita Dei sanctitate, sancte non vivunt, 95B, et vanos se præbent, elatos et vitiosos, 15D. — Doctor devotus (id est Bonaventura), 30A'. Doctor divinus (id est Ruysbroeck), 11, 15C, 32B'.

DOMINATIONES, primus secundæ hierarchiæ chorus, a prima hierarchia sursumaguntur, 404B', 528D, sed præsidentiam adeptæ sunt, qua in Deum singulari libertate animum tendunt, 404C', 528C', et sequentes ordines ad Deum reducunt, 404C', 528B'. — Eis non congruit ministrare nec mitti, 135D', quia ministrantes dirigunt, 132A', eisque quid complere et prosequi debeant, distribuunt, 404B'.

DOMINUS, ut nomen Dei, divinam essentiam signat, sed cum respectu ad creaturas, et ex tempore Deo convenit, 96C'; principaliter relationem ad creaturas exprimit, secundario substantiam, 97A.

DONATUS (Ælius) grammaticus allegatur, 168B.

DONUM. Cuncta merita et bona creaturarum sunt Dei dona, 82B'. — Divinorum donorum collatio divinæ bonitati adscribi potest, misericordiæ, liberalitati aut justitiæ, 82C'.

DULCEDO. In corporalibus dulce dicitur quod gustum delectat, 92A, in spiritualibus, quod intellectuales vires oblectat, 345A', 438D'. — Quapropter dulcis est Deus, 92B', et dulcedo pura, 345B', 439A, a qua omnis est quæ in creatis invenitur suavitas, 345C', 402B', 438C', 439D, 525D, dulcedo immensa qua fruuntur in patria Beati, 345B', 439B, et in terra qui eam degustare digni sunt, 345B', 439C, qui scilicet Deum caste timentes, in caducis rebus renuunt consolari, 345D', 439A', non enim modice contemplationis dulcedinem impediunt carnales delectationes et passiones animæ, 92D. Qui ergo divinam dulcedinem gustare cupit, necesse est deificari, 92B', per recollectionem ad unicum bonum et omnium sensibilium contemptum, 92C', et tunc experietur quantum intellectualis dulcedo sensualem delectationem excedat, 92C'.

DURANDUS (a S. Portiano), Ord. Præd. theologus, 238C.

E

EBION hæreticus Christum nudum hominem falso prædicabat, 303B'.

EFFECTUS. Inter causam et effectum requiritur proportio quædam et similitudo, 75D', propter quod effectus omnis dicitur participata similitudo causæ suæ, 241D'. — In causa virtualiter continetur et quodammodo præexsistit, 64D', et in ea cognosci potest prout determinatur ab ea, 126A; unde effectus causarum secundarum, qui in causa prima excellentius continentur quam in propria causa, in ea etiam perfectius cognoscuntur, 65C. — Effectus non æqualiter a suis causis dependent, sed quidam sunt dependentes quoad inchoationem, 262D, quidam quoad inchoationem et permanentiam, 262A'. — Dupliciter impediri potest, propter impotentiam causæ, et propter indispositionem recipientis, 181D. — *Cf.* Causa.

ELECTIO est actus proprius liberi arbitrii, 169D, A', D', et duo præsupponit, discretionem, quæ pertinet ad intellectum, et desiderium, quod pertinet ad voluntatem, 169C'; ideo dicitur intellectus appetitivus, seu appetitus intellectivus, 170A, et est principaliter actus voluntatis prout in ea manet actus rationis, 170A, B, propter quod non est velle simpliciter, nec objectum ejus est

Digitized by Google

bonum simpliciter, 170 B. A conscientia differt, quia est affectiva conclusio particularis agendi, conscientia vero conclusio cognitiva, 172 D. — Ex consilio manat, 208 A', quia eligere est, duobus propositis aliud præacceptare, 284 C, et proprie de his est quæ sunt media ad finem, 124 D, 169 D', 204 A'. — In electione cadere potest error, 124 D, et stat ratio virtutis et peccati, saltem mortalis, 173 D'; ideo in concupiscibili et irascibili possunt esse virtus et peccatum, quia actus eorum ex electione procedunt, 173 B, maxime autem in voluntate eligente, 208 D. — Contra Spiritum Sanctum esse dicitur præcipue peccatum ex electione, 216 D', non quodlibet, 217 A, sed quod rejicit quæ a peccato retrahere possunt, 217 B. — Electio an et quomodo Deo competat, 175 C, 284 C. In angelo hoc est quod mors in homine, scilicet terminus viæ, 125 B, ideo post primam electionem angelus immutabilis est, 124 B', nec pœnitere potest, 125 B. — Propter electos facta sunt corporalia, ut repleatur cœlestis Jerusalem, 409 B'; ideo completo electorum numero, cessabit generatio hominum, et species corruptibiles destruentur, 409 C', 535 B'.

ELEMENTA in propria natura condita sunt, 139 A, cum formis suis substantialibus, primo die, 140 B', 144 C, et virtutibus cœlestibus plena sunt, 157 B'. — Sphæricæ sunt formæ, et superiora ambiunt et circumdant inferiora, 144 D, 235 B', 408 B', 533 D', quia quo subtiliora sunt, eo et majora quantitate, 144 D, 235 B'. Formaliora igitur, ut ignis et aer, cœlo sunt viciniora, 235 D', et inter maxime contraria collocata sunt intermedia, 235 D'. — Ad omne mixtum concurrunt quatuor elementa, sed unum excedit aliud, 146 B', et ex prædominante mixtum accipit complexionem, 146 D'; elementa grossiora prædominantur quoad quantitatem, quia minus activa, 146 C', superiora vero quoad virtutem, 146 C'. Quamvis inter se sint contraria, ad æqualitatem harmoniæ in mixto concordant, 104 B, quia inferiora a superioribus moventur et alterantur, 19 D'. — Tot elementorum contrariorum in mundo consistentia arguit esse summam virtutem quæ omnia colligat, 26 C. — Post judicium manebunt elementa, quia quoad se tota non sunt corruptibilia, 409 C', 535 C', quamvis secundum partem corrumpantur, 158 D', et ad pulchritudinem conferunt universi, 232 C'; imo innovabuntur, quia pervia erit terra ut aqua, aqua ut crystallus, aer ut cœlum, ignis ut sidera, 248 B', 325 A, 409 C', 535 D'. — *Cf.* Aer, Aqua, Ignis, Terra.

ELYMAS magus, arguens contra omnipotentiam Dei, confutatur, 81 B.

EMINENTIA. Per viam eminentiæ cognosci dicitur Deus, quum creaturarum perfectiones ipsi, sed eminentiori modo, adscribuntur, 27 A, quæ cognitio ad viam ablationis reducitur, 27 C. *Cf.* Cognitio.

EMPEDOCLES Epicureus incorporeas substantias negabat, 113 D', et stulte contendit Deum nescire lucem, 65 B'.

ENS est quod primo cadit in intellectu, et prius est bono, absolute loquendo, 33 A', licet posterius bono quantum ad rationem causandi, 33 C', et minus latum ac commune, 34 C, C'. Cum bono, vero et uno convertitur, 36 C, 227 B : dicitur enim bonum in quantum appetibile, verum in quantum cognitioni conformabile, unum in quantum a se ipso indivisum, 36 D; similiter res creata dicitur ens quoad causam efficientem, bona quoad causam finalem, pulchra quoad causam exemplarem, 228 A, et quantum habet de entitate, tantum etiam habet de bonitate et pulchritudine, 227 C; verumtamen convertibilia entis, bonum, verum et pulchrum, nihil enti superaddunt nisi aliquam rationis proprietatem, 229 A. — Ens per actum et potentiam dividitur, 28 B, quæ in omni genere entis inveniuntur, 29 C; ideo in omni ente creato invenitur actus et potentia, 29 C, sive quo est et quod est, 29 C, et in omni ente corporeo forma et materia, 28 D'. — Ens dividitur in ens rationis, quod significat veritatem propositionis, et in ens reale, quod in decem prædicamentis continetur, 195 B. — Ante entia quæ sunt ab alio necesse est esse ens a se ipso, 23 C, ante entia contingentia, ens necessarium ac prorsus incommutabile, 25 A, ante entia diversimode perfecta, ens omnino perfectum, quod sit ceterorum regula et mensura, 24 C, in multitudine entium, ens primum et summum, 24 D', quod sit prima forma, purus actus, et nullius subjectum, 24 A', 38 D, sicut est ens infimum et ultimum, 24 D, quod est pura potentia, primum subjectum et prope nihil, 24 A', 38 D : Deus enim et materia duo sunt entium extrema, a se invicem diversa per proprias naturas, 38 A'. — Unum ergo est

Digitized by Google

ens a se et independens, quod est Deus, 42 D, æternum, 23 D, indissolubile, in se ipso sufficiens, 23 A', 24 A', a quo omnia inferiora tam esse quam bene esse, tam naturam quam operationem acceperunt, 24 D', et ad quod convertuntur omnes rerum naturæ, 24 B'. Id enim quod est maxime ens, ceteris est causa entitatis, 25 B', 37 B', et a primo derivatum est omnibus esse et vivere, 42 C'; et quidquid in rebus invenitur entitatis, a divina natura processit, 64 D', 201 D', et in quantum de entitate participat, in divina essentia idealiter splendet, 65 C'. — *Cf.* Creaturæ.

EPICUREI stulte providentiam negabant, quasi divinæ quieti contrariam, 77 C'.

EPIPHANIUS (S.), episcopus Cyprius, allegatur, 153 A.

ERROR est defectus rationis dirigentis, 213 C', et in electione cadit, 124 D. An et quomodo sit radix peccati, 213 B', C', et dicatur causa omnis peccati, 216 D', ita ut omnis malus censeatur errans, 120 A'. — Intellectus in his non errat quorum proprie est intellectus, 120 D, sed contingit eum in universali recte sentientem, errare in particulari, 120 A', aut de singulis recte opinantem habitu, errare in actu, 120 B'. — Qualis error in angelis inveniri potuerit, 120 B'.

ESSE est primum quod cadit in intellectum, quia nihil intelligitur nisi in quantum ens, 31 A, et adeo exstat certissimum, ut nequeat cogitari non esse, 30 A'. — Ubi finitur esse, ibi incipit non esse, 41 D', sed nihil habet esse de non esse, nec actu nec potentia, 30 A'; an a non esse infinite distet, 42 D, C', 105 B. — Primum est formale rerum principium, 103 A, et realiter differt ab essentia, quoniam non est de intellectu essentiæ, 103 C; actualissimum est, 30 D', et omnium perfectionum posteriorum actualitas, 31 A, quæ omnes præsupponunt et participant esse, 31 C. — Prima dicitur rerum creatarum, 31 B, 79 D, quia nihil est eo prius, 103 A, et latius, 79 D; et objectum est divinæ potentiæ, 79 C, quia a prima causa datur simpliciter, licet a causis secundis determinetur ad certam speciem, 106 B. — Ab eodem, scilicet a primo, sortitur res esse et bene esse, seu esse, posse et agere, 24 C', sed in creatis esse differt a posse et ab agere, 29 B'. — Deo propriissime competit esse, 29 C', esse perfectum et plenum, 29 D', primum, simplex, purum, 30 B, 246 D, plenissimum, absque ulla commixtione non esse, 30 C, actualissimum, formalissimum, interminabile, 30 D, in quo continetur omnis perfectio essendi, 246 B, 269 A, cui nihil opponi potest privative, contrarie, 246 A', aut contradictorie, 246 B'; esse autem creaturarum non est nisi participatio quædam divinæ bonitatis, 64 D', a non esse incipit, et a Deo indesinenter conservari indiget, 246 C', et aliquid de non esse habet admixtum, quia caret perfectione essendi, 246 D'; ideo respectu divini esse recte dicitur nihil, 30 A, et non ens, 246 D'. — Esse videtur esse primum Dei nomen, 269 C, magis quam Bonum, juxta quosdam, 33 A', saltem in V. T., 33 D', quia absolute loquendo esse prius est bono, 33 A', et perfectius exprimit essentialia Dei, 33 D', seu Deum secundum se, 34 B; magis etiam quam « Deus », saltem quantum ad modum significandi, quia esse secundum se designat, 39 C', et omnem essendi plenitudinem exprimit, 269 C. — *Cf.* Deus, Nomen.

ESSENTIA dicitur ab esse, 38 B', et aptissime de Deo prædicatur, 38 C', imo de solo Deo, 38 C'. In creaturis realiter ab esse differt, 103 C, et est in potentia ad esse, unde non habet esse nisi ab actu puro, 103 A'. — Quum nulla essentia expers sit potentiæ, recte dicitur potentia perfectio essentiæ, 67 B

EUCHARISTIA. Quoniam inquietus est amor donec amanti perfecte conjungatur amatum, 318 B, Christus nobis quod pro nobis ex B. Virgine suscepit, suæ dilectionis pignus relinquens, 318 C, carnem suam et sanguinem sub panis vinique speciebus fidelibus substantialiter conjungi voluit, 318 D.

EUNOMIUS, Cyzicenus episcopus, Platonicis imbutus dogmatibus, erravit, 46 C, Filio denegans veram deitatem et rationalem animam, 303 B', et Spiritui Sancto veram cum Patre et Filio æqualitatem, 316 C.

EUSTRATIUS, Nicæensis archiepiscopus, Aristotelis expositor, arguitur, 134 B, 280 C.

EUTYCHES, « infelix » hæreticus, unam tantum in Christo naturam confitebatur, 303 C'.

EVA. Corpus ejus ex costa viri factum est, non per rarefactionem, 153 B', nec per creationem novæ materiæ, 153 D', sed per additionem materiæ sub alia forma præexsistentis, 153 D'; dicitur tamen ex costa factum, quia ex costa principalius, 153 D', et quoniam

Digitized by Google

costa hæc ad integritatem Adæ non pertinuit, resurget non in Adam, sed in Eva, 153 D'. — Gravius peccavit quam Adam, quia ex sola elatione peccavit, 165 B', et ex majori elatione. 165 C', et voluntate magis perversa, 165 D'; sed minus, in quantum fuit sexu fragilior et ratione debilior, 165 C'. — An crediderit serpentem usu loquendi præditum, 169 A. — *Cf.* Mulier.

EXTREMUM. Ubicumque invenitur medium compositum, necesse est esse extrema simplicia, 20 A', sive in entibus, 20 A', sive in moventibus, 20 B'. — Duo entium extrema sunt Deus et materia, a se invicem diversa primo et per proprias naturas, 38 A'.

F

FAMA in Deo est omnis creaturæ admiratio, 83 C.

FELICITAS est ultimus finis hominis, 274 A', quia nemo est qui felix esse non velit, 173 C'; alia est contemplativa, quæ est actus sapientiæ, alia civilis, quæ est actus prudentiæ, 211 A. — Essentialiter in actu intellectus consistit, 83 D, et quo perfectior est actus intellectus, eo major est felicitas, 83 A', quo constat infinitam esse Dei felicitatem, 83 C', 336 B, 424 D, cujus comparatione omnis creata felicitas est velut tristitia et defectus, 84 D. — Nihil creatum et finitum creatam mentem felicitare valet, 225, quia in Deo est fons et causa totius felicitatis, 225 : in contemplatione ergo Dei est tota felicitas creatæ mentis, 119 C, sive felicitas philosophica, quæ est in contemplatione summæ veritatis, 11, sive felicitas contemplativa, quæ est speculatio optimi speculabilis, 83 D, 149 C, sive felicitas naturalis, quæ in cognitione Dei naturali consistit, et pro variis varia est, 119 C, sive felicitas supernaturalis, quæ est visio Dei per speciem, 119 C, sive felicitas objectalis, quæ Deus ipse est, sive felicitas formalis, quæ est contemplatio facie ad faciem, 274 B', et ad objectalem reducenda est, 274 B'. — *Cf.* Beatitudo, Deus.

FIDES mira est virtus, quæ naturam vincit, cœlis imperat, elementis prævalet, 317 A', et quidquid a Deo postulat, impetrat, 317 B'. — Fons est veræ sapientiæ, 279 B', 307 C, principium unionis animæ ad Deum, 306 B, quia per fidem homo vitæ divinæ utcumque conformatur, 279 D', et ad futuram beatitudinem disponitur, 279 D'; et ipsa ad visionem terminatur, 279 D'. — Ad finem ultimum consequendum necessaria est, 211 A, quoniam quod ex fide non est, meritum non habet, 306 B'. — Sine caritate consistere potest, sed informis, 306 D, quoniam forma ejus et perfectio est amor, 307 C. — An et quatenus fuerit in Christo, 284 B, 448 A, et in primo homine, 184 D'.

FIDUCIA in Deum timorem nunquam abjicere debet, 260 B' : nimia enim fiducia securitatem adducit, 260 C', et incustodiam cordis, 260 C', et pessima est passio, 260 D'.

FILIUS est quædam res patris, 193 D, et nonnunquam pro patris peccato plectitur, non quoad animam, 193 A', sed quoad corpus, 193 B', maxime quum patris peccata imitatur, 193 C'. — Secundum legem humanam, pro patre non punitur in bonis quæ jam ab eo accepit, sed in his quæ ab eo accepturus esset, 193 D'. — *Cf.* Peccatum.

Filius Dei est Verbum paternæ mentis, 249 C, 346 C, 440 A, a Patre secundum rationem similitudinis in identitate naturæ prolatum, 346 A', 440 A', et idem esse habens quod Pater, absolutum scilicet et independens, 104 D, quia imperfectio filii paternæ gloriæ derogat, 296 D'; Patris lumen, 87 A', imago, 149 A, 248 D', ars, 107 C', et sapientia, 249 D, causa omnium formalis, 249 D, exemplar omnis rei creatæ, 107 C', quia in ipso, unico actu Pater omnia intelligit, 347 B, 441 D, mundus archetypus, 249 A', ars increata, 347 C, 441 A', rationibus plena, 249 A', fons sapientiæ, per quem Pater mundum condidit, 347 D, 441 D'. Ipsi, tanquam Patris imagini, appropriantur sapientia, 217 D', pulchritudo seu species, 248 D', 310 D, æqualitas, 249 A, B, et veritas, 249 D, unde qui ex ignorantia peccant, contra Filium peccare dicuntur, 216 C'; in ipso, supersimplici modo continetur quidquid in creaturis sparsim et participative effusum est, 295 B, fortitudo, sapientia, pulchritudo, 295 B, divitiæ et gloria, 295 C. — Filio præ ceteris personis congruebat incarnari, quoniam similitudo est Patris, quam inordinate appetendo peccaverunt angelus et homo, 349 B', 445 B', et emanatio intellectus, specialem convenientiam habens cum creatura intellectuali, 349 C', 445 D', et quoniam ipsi, ut mediæ personæ, competit ratio mediatoris, 349 C', 446 A, et ut Filio, congruebat matrem sine

Digitized by Google

patre habere in terris, sicut Patrem sine matre habet in cœlis, 349 D', 446 B; et ad hoc incarnatus est, ut nobis Deum revelaret, 11, 15 C, nosque deos faceret, 257. Quanta ejus fuerit in incarnatione humilitas, 272 A', 299 D. — Ante incarnationem vix diligi poterat, quia in sinu Patris latitans vix agnoscebatur, 298 D', sed nunc eo amplius diligendus est, quo nobis propinquior factus est, 299 A. — *Cf.* Christus, Incarnatio, Verbum.

FINIS cum bono coincidit, 108 B', et appetitur propter se et necessario, 73 C, et causa est volendi quæ ad finem ordinantur, 73 C, B'; sed de fine et de his quæ sunt ad finem modo unus est actus voluntatis, 204 D', modo diversi actus, 205 A. — Finis primum est in intentione et dicitur causa causarum, 22 A, et fortius movet quam ipsa causa efficiens, 22 A; in operabilibus se habet sicut principium in speculativis, 125 B, et quidem finis ultimus sicut primum principium, 124 C; sed alius est finis operis, ad quem ordinatur opus, alius finis operantis, quem intendit agens, 108 B, et ad quem reducitur finis operis, 108 C. Ex fine malo malus semper fit actus, 203 C; ex fine bono semper bonus, si sit finis operis, 205 D, non autem semper si sit finis operantis, 205 D. — An et quomodo conveniat Deo agere propter finem, 108 B. — Illud sibi finis est, quod non ordinatur ad aliud, 62 A; finis autem alterius dicitur vel in quod alterum naturaliter tendit, 109 B, vel quod ex altero sumit utilitatem, 109 C: recte enim id cui ex altero provenit utilitas, finis illius vocatur, sive alterum illud nullam habeat aliam essendi rationem, 109 D, sive bonitatem habeat absolutam, 109 A'. Quod sibi ipsi finis est, ad nullum movetur, 20 C, 62 A, et peccare nequit, nec errare nec deficere, quia defectus fit ex recessu a fine, 20 D; quæ autem non sunt sibi finis, ut mobilia, 20 A, et ad aliud ordinantur, ut creata, a fine distant, et per recessum a fine peccare et deficere possunt, 20 D, 338 C, 428 B. — Secundum ordinem agentium est ordo finium, 203 C': sicut ergo est unum primum agens, sic est unus universorum ultimus finis, 203 C', et sicut sunt multa agentia particularia, sic multi fines particulares quibus finis ultimus acquiritur, 203 C'; et quia impossibile est habere aliquid duos fines ultimos, mens sibi finem extra Deum constituens peccat mortaliter, 196 C'. — Quæ propinquiora sunt fini, simpliciori motu ad ipsum pertingunt, 20 B, quæ vero minus propinqua, multis diversisque motibus, 20 C, 275 C; ad finem ultimum per finem proprium conjungitur res, 204 A, per operationem intellectualem homo, 204 A, 210 D', ad finem scilicet naturalem per rationem et voluntatem, ad finem supernaturalem per fidem et caritatem, 211 A. Quomodo fiat Deus finis operationis humanæ, 203 D'. — *Cf.* Causa.

. Omne finitum necessario imperfectum est, 41 D', et ab infinito infinite minoratur et distat, 42 B, 78 C', quia finiti ad infinitum nulla est proportio, 50 D'. *Cf.* Infinitum.

FIRMAMENTUM, seu cœlum stellatum, 408 A, aquas superiores ab inferioribus distinguens, 141 D, an sit de natura elementorum, 142 C', 143 B. *Cf.* Cœlum.

FOMES seu dispositio inclinans ad malum, 191 C, aut concupiscentia ex peccato originali orta, a sensualitate sumitur, 187 D, et in sensualitate potissimum residet, 190 D'; in quantum defectus, a Deo est, in quantum culpabilis, minime, 192 C, sed ex habituali concupiscentia, 192 B. — Prout est rectitudinis subtractio, omnibus æqualiter inest, prout autem potentias afficit, in uno major est, in alio minor, 192 A. — In Baptismo non tollitur, sed minuitur, 191 D, A'. — *Cf.* Concupiscentia.

FORMA dicitur rei perfectio, 19 A', species ac decor, 227 C, 237 A, et materiæ actus, 28 C, sed minus patet quam actus, quia in corporeis dumtaxat invenitur, 28 D'. — Ab informando dicitur vel a foris manendo, 28 D', et duplex est, forma informans, qualis est forma corporalium, et forma foris manens, quæ est origo formæ informantis, 29 A, et sic forma appellantur sive Deus sive intelligentia, 29 A, et intelligentiæ plenæ dicuntur formis, 28 D'. — Cum materia omnem substantiam compositam dividit, 28 C', et simul cum materia in eodem incipit, sed non semper simul desinit, 19 D'. — Secundum se dicitur infinita, et in materia finitur, 41 A'; non augetur per additionem sed per intensionem, 197 D, nec multiplicatur secundum numerum, nisi prout in materia recipitur, 115 A. — Forma est quæ entia distinguit et separat ab aliis, 228 B; in composito dat esse, 67 A', naturale et specificum, 287 B, operationem, 67 B', 196 D, et omnem

Digitized by Google

perfectionem, 67 D, et per nomen abstractum designatur, 67 A'. — Materiam requirit proportionatam, 108 C', quia influit esse secundum capacitatem materiæ, 158 A', ideo nobiliori formæ debetur nobilior materia, 127 B', 240 A; materiæ tribuitur eodem instanti quo completur dispositio istius ad formam, scilicet in termino alterationis, 121 D', nec unit se materiæ, quum eam non præcedat, 19 D', quapropter extra materiam et formam oportet esse causam unientem utramque, 19 C'. — Prima formarum inchoatio, seu habilitas materiæ ad receptandam formam, 154 C', a Deo est dumtaxat, eductio vero fit per agens naturale, 127 C'; ideo formæ quæ in materia reperiuntur, a formis quæ sunt extra materiam derivari asseruntur, 28 D', 145 B'. Sicut enim ab arte artificis fluunt formæ artificiales, sic ab ideis divinis formæ manant naturales, 154 A, sed in hoc differunt, quod formæ naturales producunt sibi similes, non autem res artificiales, 154 B; unde formæ rerum in mente divina primordiales dicuntur, 154 B. — Unius entis non est nisi una forma substantialis, 287 B, et impossibile est in eodem esse plures formas substantiales, 154 C, 196 C'. — *Cf.* Actus, Materia.

FRANCISCUS (S.) Assisiensis, « beatissimus frater noster », in cœlestium contemplatione plurimum delectabatur, 21 C'.

FRUITIO quid sit, 119 A, 252 C'. — Aliæ sunt res quibus fruendum est, aliæ quibus utendum, 252 B', et malum est uti fruendis, 119 A, vel frui utendis, 252 B'. Illæ quibus fruendum est, nos beatos faciunt, 252 B', nec sunt nisi summa Trinitas, Pater, Filius et Spiritus Sanctus, 252 C'; ceteris utendum est tanquam mediis, 252 A'. — Fruitio Dei succedit caritati, 279 D', nec propter se, sed propter Dei honorem optanda est, 274 A'. — Qui hoc mundo fruuntur, recte mundani dicuntur, 253 A. — *Cf.* Usus.

FRUSTRA. In rerum natura nihil otiosum est et frustra, 24 D', ac proinde nihil sine operatione et virtute, 24 D', 80 D.

FULGENTIUS (S.), Ruspensis episcopus (verus auctor libri de Fide ad Petrum), 61 B.

FUTURA quædam in causis suis sic determinata sunt ut necessario fiant, quæ possunt certitudinaliter prævideri, 125 D', alia sic determinata sunt ut plerumque fiant, de quibus mera fit conjectura, 126 A, alia non habent causas determinatas, sed contingentes, quorum cognitio Deo dumtaxat competit, 126 B.

G

GABRIEL (S.) ad Archangelorum chorum pertinere videtur, 406 A, 530 C, et multa sive in V. T. sive in N. T. mysteria pandit, 352 D', 353 B, 406 A, 450 C', 451 B, 530 C.

GALENUS (Claudius), medicus, allegatur, 147 D.

GAUDIUM modo pro passione sumitur, modo pro virtute, 281 D; ut passio est diffusio animi in apprehensione boni, 83 C', seu quietatio quædam in re concupita, quæ oritur ex unione appetitus ad appetibile, 280 A'. — Verum gaudium ex virtute oritur, 259 C, et virtuosis dumtaxat competit, 259 A'. — Quum sit Deus bonum infinitum, infinite in se gaudet, 83 D', nec nisi in se gaudet, 259 A'. — *Cf.* Lætitia.

GENERATIO an sit quid naturale vel violentum, 154 D, A'. — Generativa virtus ad perfectionem entis pertinet, quia perfectum censetur ens quando æquale sibi facere valet, 160 D, et in entibus duplicem præsupponit perfectionem, unam in integritate essentialium partium, alteram in ordine ad finem, 148 A', quia ad hoc instituta est ut divinum esse participetur a rebus, 148 A'. Ideo in statu innocentiæ fuisset generatio, 160 D, et quum ad generationem perfectorum duo requirantur, mas qui formam inducit, et femina quæ materiam præstat, 160 B', fuisset generatio per utriusque sexus copulam, 160 B', et cum delectatione carnali, vel majori quam nunc, 160 C'. An et quatenus generare possint angeli, 128 D'. — In generatione ratio seminalis forma dicitur, et corpulenta substantia, materia, 188 D, quæ materia ad effectum juvat, non agendo, 154 C', quia potentia est pure passiva, 154 A', sed habilis stando ad formæ receptionem, 154 C'. In generatione ergo naturali, virtus formativa quæ est in semine patris, 157 B, agit in potentiam passivam quæ est in menstruo matris, 157 B, et convertit illud in membrorum substantiam, 157 D; secundum autem perfectionem membrorum incipit anima (vegetabilis aut sensibilis) magis ac magis esse in actu, quæ prius erat in semine in potentia, 157 D; in generatione autem animalium ex putre-

Digitized by Google

factione, virtus cœlestis locum supplet formativæ virtutis, 157 A'. An et quomodo dicatur genitus esse de substantia generantis, 188 C, B', 189 B. — In generatione quoniam propagatur natura, 190 D', quæ ad naturam spectant etiam traducuntur, 193 C, ac proinde peccatum originale, quod est reatus naturæ, 190 B, non quidem ob corpulentam substantiam, quæ a protoparente traducitur, 188 C, alioqui fuisset in Christo, 188 D, sed propter rationem seminalem, qua qui per coitum generantur, fuisse dicuntur in Adam, 188 D; actualia autem parentum peccata nullo modo in filios transeunt, 193 D. — Quidquid sine generatione factum est, a Deo immediate et proxime procedit, 105 D'; quæ autem per generationem fiunt, causam creatam efficientem habere possunt, vel univocam vel æquivocam, 106 A. Sunt autem ingenerabilia, substantiæ spirituales, quæ materia carent, 105 D', corpora cœlestia, quæ a contrarietate aliena sunt, 106 A, et prima specierum individua, quæ similia non habent a quibus procedere possint, 106 A; generabilia vero sunt composita, 106 A, et formæ quæ a materia inseparabiles sunt, 105 D'. — Nemo divinas operationes efficere potest, nisi per spiritualem generationem divinum quoddam esse participet, 177 A'.

GENESIS. Quædam ejus loca explanantur, 107 B', 128 D', 150 C'.

GENUS ad speciem comparatur tanquam potentia ad actum, quoniam ab ea perficitur, 28 C', perfectio enim addita generi efficit speciem, 42 A; vel tanquam perfectum ad imperfectum, 95 A', quoniam sumitur a generali et indeterminata perfectione quæ contrahi potest, 95 A', et per differentiam ad determinatam speciem contrahitur, 95 B'. Extra species nec esse nec fieri potest, 69 C', idcirco propriam in Deo ideam non habet, juxta Thomam, 69 C', contradicente Scoto, 69 D'. — In substantiis separatis sumitur genus ab essentia seu quod est, in substantiis compositis sumitur a materia, 115 A'. — Quod genus et differentiam habet, definibile est et demonstrabile, 96 A, nec potest esse infinitum, 96 B; ideo minime Deo competit ratio generis, 95 A', qui est extra et supra omne genus, 96 C. — *Cf.* Species.

GIGANTES pristini, quorum fuerint filii, 128 D'.

GLORIA. Soli Deo licet gloriam propriam quærere, 273 D'. — Vana gloria in irascibili sedet, 215 C, et opponitur magnanimitati, quia non tendit ad magnum, sed ad laudem, 216 A; sedulo cavenda est, quia virtuosis maxime insidiatur, 260 A. Inaniter gloriantes ingrati sunt, 260 B, et stultissimi, 263 A; furtum faciunt divinæ majestati, 259 C', et contra rationem ac rerum ordinem peccant, 263 A. — Lumen gloriæ ad mentem se habet sicut actus vel forma in naturalibus, 124 C, et complet omnem Beatorum potentialitatem, 124 B, quos proinde Deo perfecte et inavertibiliter conjungit, 124 D.

GLOSSA ordinaria (Walafridi Strabi) citatur, 120 B, 130 A, 177 C, et explicatur, 211 C.

GRATIA a gratis dicitur, et sumitur vel pro acceptione amoris, 176 D', vel pro liberali dono, 176 D', 177 B, vel pro gratia late sumpta, qua designatur quidquid movere potest voluntatem, 183 C, vel pro gratia stricte sumpta, quæ est donum habituale a Deo menti infusum, 183 C, et in omnibus his significat aliquid creatum, 176 D', quia quid creatum in anima ponit tam donum gratuitum quo recipimus Spiritum Sanctum, 177 A, quam dilectio qua Deus electos diligit, 177 B; potest tamen per gratiam designari aliquid increatum, scilicet Spiritus Sanctus, vel divina acceptatio, 177 B, vel divina providentia singulis gratis providens, 183 B. — Gratia gratum faciens est accidens animæ superveniens, 177 C, animam Deo conjungens formaliter, 177 C, cujus actus sunt mundare et gratificare, 177 D. Ad animam se habet tanquam forma vel actus in naturalibus, 124 C, et ipsam animæ essentiam immediate informat, ex consequenti autem potentias, 177 A', maxime voluntatem, 177 B'. — Nitor est animæ, 177 C, cujus perficit naturalia, 239 A', supernaturalis perfectio in anima a Deo per creationem infusa, 286 C', similitudo quædam divinæ naturæ, 177 D, 286 D', spiritualis generatio, qua anima supra se elevatur, 177 A', et in esse quodam supernaturali constituitur, quo mereri valet vitam æternam, 286 D', inchoatio luminis gloriæ, 286 C'. — A virtutibus realiter differt, 177 C', quæ ab ipsa causantur et in ea tanquam in origine conjunctæ sunt, 178 A, unde nec virtus est nec habitus, sed virtutum et habituum formale principium, 178 A. — Alia dicitur antecedens, quia est merendi principium, vel causat motum bonæ voluntatis, 178 C, vel dat esse salubre, 178 D,

Digitized by Google

alia autem consequens, quia facit in nobis vitam beatam, vel est exterioris operis causa, 178C, vel origo meritorii actus, 178D; similiter alia dicitur operans, quæ animæ dat esse divinum, et causat actum voluntatis, 178D, alia cooperans, quæ Deo acceptum facit opus, 178D, et exterius agit, 178A'. Sed una est et simplex gratia per essentiam, 178B', nec multiplicatur propter varietatem virtutum aut sacramentorum, 178D' : gratiæ enim particulares sunt quædam emanationes gratiæ quæ una est et gratia proprie dicitur, 178D'.

Triplex est gratiæ effectus, quia animæ dat esse divinum, et opus facit meritorium, et adipiscitur vitam æternam, 178B. — Et quidem ad recte agendum sufficit liberum arbitrium, sed ad meritorie agendum requiritur gratia, 182A : creatura enim ad merendum supernaturale præmium, in quodam supernaturali esse constitui debet, 287A, et hoc agit gratia, quæ in essentia animæ est subjective, 287B, et est vita animæ, 177A', 287B, a qua fluunt omnes virtutes ac meritorii actus, 287C, et qua perempta, tota spiritualis vita corrumpitur, et perimuntur actus meritorii, 287D. Homo igitur sine gratia potest quidem cognoscere vera quæ naturale lumen non excedunt, 183B', vitare peccata, 182C, servare legem quoad substantiam, 182C', et ad Deum se convertere, 121C'; sed sine gratia virtutes habere nequit, 182A, nec implere legem quoad finem ejus, qui est sanctificatio, 182D', nec meritorie ad Deum converti, 121D', nec ad supernaturalem Dei contemplationem pervenire, 287C, unde non incongrue gratia dicitur prima merendi ratio, 178B', et omnium meritoriorum actuum origo, 177B'. — Necessaria ergo fuit tam angelis, ut meritorie converterentur ad Deum, 121D', et beatitudinem acquirerent, 122C, quam primo homini, ut finem suum supernaturalem attingeret, 184A; sed angelo data est gratia ad determinatum gradum, ultra quem ascendere non poterat, homini autem nullus determinatus est gradus, et ad quemlibet ordinem meritis gratiæ suæ pertingere potest, 185B'. Adæ videtur esse data in sua creatione, 184A'; sed aliæ sunt gratiæ quæ ad aliorum utilitatem dantur, quæ in homine innocente non fuissent, 184B', aliæ quæ ad perfectionem accipientis ordinantur, 184B', et istæ in homine innocente fuissent vel magis quam in homine lapso, tam extensive, 184C', quam intensive, 185A. — Gratia, quum naturalem creaturæ virtutem superet, 180B', nulli creaturæ naturalis est, 184B : nulla igitur creatura eam ex naturalibus mereri potest, 180A', nec recuperare quum eam perdiderit, 180C'; similiter alteri gratiam dare nequit, quæ non transit de uno subjecto in aliud, 177C; verumtamen, ex solo libero arbitrio potest ad gratiam se præparare, per bona opera, 180B', faciendo quod in se est, 183D. Qui ergo extra gratiam est, sibi ipsi eam non meretur de condigno, sed de congruo, 181A'; qui autem in gratia est, sibi quidem potest mereri, alteri autem minime, nisi et ipse sit perfectus, 181A', C', et alter dispositus, 181B', et tantum de congruo, 181B'; et Christo proprium est eam omnibus de condigno meruisse, 181B'. — Gratia in anima augetur per actum meritorium, 181A, non quemlibet, sed perfectum, 181C.

GREGORIUS (S.), Nazianzenus episcopus, angelos ante mundum sensibilem factos esse docuit, 111B.

GREGORIUS (S.), Nyssenus episcopus, 110A, 152B'.

GREGORIUS (S.) Papa I, erronee Virtutes in tertia hierarchia posuit, 132B'. — Multoties allegatur, 43A', 67C, 78C, 89D, etc.

GUSTUS circa sapores versatur, 92A, unde sicut duplex est sapor, sensibilis et internus, sic duplex est gustus, exterior et interior, 92B. Gustus interioris objectum est veritas cognita vel bonitas amata, 92C.

H

HABITUS qualitas est inter potentiam et actum media, 29A', principium actus, et informans potentiam, 169C, quam determinat ad aliquid unum, 169D; unde quæ de ente habitualiter prædicantur, media sunt inter actualia et potentialia, 29D. — Ex actu gignitur, 195C', et augetur, 181B, et fit quasi altera natura, seu quo quis. quum voluerit, facillime operatur, 14A'. — An in anima esse possint habitus quos ignoremus, 164B', C'.

HERMES Trismegistus doctrinæ Platonicorum de Nῶ auctor esse videtur, 46B.

HIERARCHIA dicitur quasi sacer principatus, 130C, et varie definiri potest, 130A'; de

Digitized by Google

ejus ratione sunt ordo quidam potestatis, 130 C, D, B', actio ducens ad finem, 130 D, et finis qui est assimilatio ad Deum, 130 C, D, 133 B'. — Sub ordinatione hierarchiæ cadunt non quæ spectant ad vitam naturæ, gratiæ aut gloriæ, sed quæ pertinent ad communicationem scientiæ, 130 C' : hierarchia ergo in scientia perficitur, et hierarchica actio in scientiæ communicatione consistit, 130 D'. Sed ad scientiam tria concurrunt : expulsio ignorantiæ, quæ fit per purgationem, infusio luminis, quæ fit per illuminationem, et ipsa substantia cognitionis, quæ est perfectio, 131 A ; quapropter tres sunt actiones hierarchicæ, purgatio, illuminatio et perfectio, 88 C, 130 D', quæ quoad perficientes fiunt infundendo lumen inferioribus, 88 C, quoad perficiendos, lumen a superioribus recipiendo, 88 D, et quibus tam qui recipiunt quam qui operantur, assimilantur Deo, 130 D. Actiones hierarchicæ sæpe ratione tantum distinguuntur, 88 D, 131 D ; major in se inferiores continet, sed non econverso, 131 D.

In sanctissima Trinitate non est hierarchia, quia non sunt actiones hierarchicæ, 130 C'. — In angelis una est totalis hierarchia, 131 C', et tres partiales hierarchiæ, 131 D', quæ secundum modum recipiendi divinas illuminationes distinguuntur, 131 B'. Prima enim immediate a Deo illuminatur, et divinos effectus in sua causa cognoscit, 131 D', cujus ordines Deo jugiter adsistunt, 134 D', 134 A', et nomina sortiuntur ab actu qui est immediate circa Deum, 131 D'. id est a fruitione, 132 C, et ab ejus actibus, diligere, quod est Seraphim, videre, quod est Cherubim, tenere, quod est Thronorum, 132 C. Secunda illuminatur a prima, et divinos effectus cognoscit in universalibus rerum rationibus, 131 D', cujus ordines partim sunt adsistentes et partim ministrantes, 135 C', et nomen recipiunt ab illimitata potestate operandi in creaturas, 132 A ; quæ tres pariter choros complectitur, Dominationes seu potestatem dirigentem, Virtutes seu potentiam exsequentem, Potestates seu potentiam judicantem, 132 D. Tertia a secunda illuminatur, 135 C', et divinos effectus in propriis rationibus cognoscit, 132 A, cujus ordines omnes sunt ministrantes, 135 C', et denominantur ab actibus determinatis circa inferiora, 132 A ; quæ itidem tribus constat ordinibus, Principatibus, qui præsunt provinciis, Archangelis, qui præsunt prælatis, Angelis, qui privatos custodiunt, 132 B'. Angeli unius hierarchiæ non sunt ejusdem speciei, 133 D, sed conveniunt tantum in modo suscipiendi divinas illuminationes, 133 A'. — Ecclesiastica hierarchia pro diversitate actuum in tres pariter dividitur ordines, 131 C', perficientium seu episcoporum, illuminantium seu sacerdotum, purgantium seu diaconorum, 132 C' ; similiter civilis hierarchia, in qua inveniuntur : consiliatores, qui circa regem occupantur, majores officiarii, qui regni rebus præsident in communi, minores officiales, qui particularibus præsident, 132 A. — Hierarchiæ inter se connexæ sunt in ordine ad ultimum finem, 133 B', quantum ad ordinem, quia in ipsis est prima, media et ultima, et in qualibet primi, medii et ultimi, 133 C', quantum ad scientiam, quia illuminatio a primo descendit ad ultimum, 133 C', quantum ad actionem, quia a primis perficiuntur medii, et a mediis ultimi, 133 C' : ideo cum ultimo superioris hierarchiæ ordine convenit primus sequentis hierarchiæ chorus, 133 D', et summus ecclesiasticæ cum infimo angelicæ in tantum convenit ut sacerdos dicatur angelus, 133 D', 270 D' ; sed hoc differt angelica ab ecclesiastica, quod angelica lumen divinum recipit pure et simpliciter, ecclesiastica sub velamine formarum sensibilium, 131 C'. — Post judicium una erit hierarchia ex angelis et hominibus constans, 134 C, et cessabunt actiones hierarchicæ quoad novorum cognitionem, 138 C', et quoad effectus in homines, 138 D', non autem quoad illuminationis continuationem, 138 C'. — *Cf.* Chorus, Illuminatio, Perfectio, Purgatio.

HIERONYMUS (S.) « beatissimus noster », 49 A, quid de Aristotele sentiat, 16 C', et de Platone, 17 D. In quibusdam deserendus videtur, 138 B, D. *Adde* 38 C', 48 B', 78 A', 111 B.

HIEROTHEUS (B.), Areopagitæ magister, quantæ fuerit sapientiæ, 34 B. *Adde* 48 B.

HILARIUS (S.). « illustris » Pictaviensis episcopus, 310 D, pulchra scribit de quærendo Deo, 16 D, et profunda de Trinitate, 248 D'. — Sæpius allegatur, 30 B', 61 A, 111 B, 148 D', 246 B.

HOMO ex anima et corpore conflatur, 109 B', quia inter pure spiritualia et mere corporalia decuit esse medium e spiritu et materia

Digitized by Google

constans, 109 C', quo futura significaretur unio creati spiritus cum increato, 109 C'. — Medius est ergo inter angelos et bruta, 402 A, 524 C', recte dictus microcosmus, quoniam cum universis, superioribus et inferioribus, communicat, 271 C, 274 D', et omnium creaturarum ligamentum et horizon, quoniam omnium perfectiones continet, 274 D'. — Intellectualium quidem substantiarum infima est, 299 C', et omnium entium maxime compositum, 271 B, et hoc ab angelis differt, quod in partibus suis subsistit, et ratiocinatur per discursum, et per materiam individuatur, 113 D; sed inferiorum creaturarum finis est, quæ ad ipsum naturaliter tendunt, 109 B, et ad usum ejus factæ sunt, 109 C, et omnium terrenorum dominus, 304 C; imo propter ipsum quodam modo facti sunt ipsi angeli, 109 A', eique omnia tam in cœlis quam in terra deserviunt, 314 D', 317 D, 406 B', 531 B. Insuper quibusdam electis data est a Deo potestas supra omnem rerum ordinem, 317 C, qua per gratiam supra et ultra omnia possunt, 317 D; tandem sacerdotibus competit potentia, qualem nec habent angeli, vis scilicet consecrandi, 318 A'. Omnes ex natura æquales sunt in libertate, non autem in perfectionibus naturalibus, 219 C'.

Homo rectus creatus est, cum justitia et debita potentiarum ordinatione, 276 C'; sed nunc originali justitia orbatus nascitur, quia corruptam naturam a genitoribus recipit, 189 D, D', quæ in hac vita redintegrari nequit quoad ea quæ sunt naturæ, 190 A, sed tantum quoad ea quæ sunt personæ, 190 B; ex patre defectus animæ recipit, ex matre defectus corporis, quia in generatione active se habet vir, passive mulier, 190 D. Humanum tamen genus propter peccatum primi parentis tolli non decuit, quia ad bonum universi confert, 192 C', et melius est hominem bonitatem Dei naturalem participare, quam omnino non esse, 192 C'; insuper, propter unitatem naturæ, quæ uni homini collata sunt, quodammodo omnibus collata sunt, 314 D, et omnibus communia fiunt, 314 A', et sicut cadente uno, omnes ceciderunt, sic satisfaciente uno, omnes redempti sunt, et sublimato uno, omnes dignitatem adipiscuntur, 314 D. — Omnes homines dum viatores sunt, 284 A', Deum naturaliter videre non possunt, nec per propriam speciem, ut Deus, 119 C, 167 B', D', nec per speciem acquisitam, ut angeli, 119 C, 167 B'. D', sed per visibiles creaturas, 119 C, 167 C', 168 A, in ænigmate, 168 B; contemplativis tamen in revelationibus conceditur ut eum videant per speciem acquisitam, ut angeli, 168 A. In virtutibus et gratiis indesinenter proficere possunt, 284 A', et quo Christo amplius conformantur, eo perfectiores sunt, 284 A'. — Ad imitationem Dei invitantur, 305 D', sive in V. T. sive in N. T., 257, dummodo conditionis suæ non obliti, 273 A, ea quæ sibi non sunt proportionata indiscrete non appetant, 273 A, D, nec majestatem perscrutantes, 273 A', nec nimiam justitiam appetentes, 273 C'. Per virtutes autem Deo conformantur, 257, maxime per fidem, spem et caritatem, 279 D', et per opera misericordiæ et justitiæ, 285 B': justitiæ erga se ipsos, secundum rationem vivendo, 214 D, omnia sua ad finem debitum ordinando, 285 D', et pro peccatis digne satisfaciendo, 286 C, justitiæ in alios, correctionem debitam in eos exercendo, 286 B'; misericordiæ in se ipsos, suos defectus plangendo, 286 B, misericordiæ in proximos, eorum defectibus compatiendo, 286 A, D. Deo autem perfecte similes esse nequeunt, nisi in patria, 288 C', 305 D', ubi Deum sicuti est videntes, 288 D, 308 D, ei totaliter et inavertibiliter adhærebunt, 288 D'. — *Cf.* Adam, Anima, Intellectus, Peccatum, Redemptio, Salus.

HONOR maxime trahit homines, 215 A', quia inter externa bona præcipuum est, 215 D'. — Virtuti debetur, 269 A', et eatenus honorabile est unumquodque quatenus habet de bonitate, 324 B; quocirca dicitur Deus intellectus honoratissimus, 64 A', quasi immenso honore dignus, 269 B'. — Deo dumtaxat congruit proprium honorem requirere, et propter se honorari velle, 273 D': potest tamen interdum homo se ipsum honorabilem ostendere, 278 B, quum id exigit fraterna caritas, 278 A', revelando bona opera vel gratiam quam sortitus est, 278 B', dummodo non sit ad inanem gloriam proclivis, 278 C', nec propriam gloriam finaliter quærat, 278 D', nec inde scandalizetur auditor, 278 C'; potest pariter doctor honorem sibi debitum exigere, ne vilipendatur doctrina, 278 D'. — Hoc est Deum honorare, ipsius gloriam in omnibus intendere, 274 A, propter ipsum,

Digitized by Google

274 D, non propter retributionem, 274 C. Quanto magis humanam naturam Deus honoravit, tanto magis a peccatis hominum inhonoratur, 251 B'. — *Cf.* Gloria.

HUGO (de S. Victore), canon. regul., Areopagitæ expositor, 23 A, 53 B, 89 B', pulchre ostendit Deum sapientem esse, 231 B, et incogitabilem, 55 A', 58 B, et venustatem describit cœli, 231 D', 235 A', et corporis humani, 240 D'.

HUMILITAS est ordinatus propriæ parvipensionis affectus, 265 C, et non immerito omnium radix virtutum nuncupatur, quia ex ea multæ oriuntur virtutes, 265 D. Duplex est, altera cognitionis, qua quis se creatum novit, et quæ in vanissimis inveniri potest, 276 B, altera affectionis, quæ vere virtus est et elationem coercet, 276 C. — Quum sit propriæ parvitatis cognitio, 272 C, B, in Deo consistere nequit, nisi exemplariter, 272 C, nec ei unquam in Scripturis adscribitur, 272 D, nisi per quamdam similitudinem, 272 B', quia Deus creaturæ nec inferiorem nec parem se reputare potest, 272 B', et communicationes ejus ad creaturas non humilitati, sed caritati adscribendæ sunt, 272 C'. In angelis autem est humilitas, quia præ divina majestate se parvi pendunt, eo magis quo eam clarius vident, 276 D, et quamvis inferioribus angelis sit major humilitatis ratio, quum sint decliviores, 276 D, superioribus major inest humilitas, quia parvitatem suam clarius agnoscunt, 276 A'. Similiter in Beatis, qui quanto evidentius nihileitatem suam perpendunt, tanto humiliores sunt viatoribus, 266 B', et quanto lucidius Deum intuentur, tanto magis se parvi pendunt, 271 D' : unde sicut ex omnibus creaturis illuminatissimæ sunt Christus et B. Virgo, 272 A, sic sunt et humillimæ, 272 B ; quænam fuerint in eis causæ humilitatis, 271 C'. — Viatoribus summe necessaria est, qui non nisi per humilitatem illuc ascendent unde per superbiam ceciderunt angeli, 300 D' ; quapropter hanc nobis commendat Christus, tam verbis, 300 A', quam operibus, 300 C', 301 B, maxime in Incarnatione, 299 D : humilitas enim eo major exstat quo qui se humiliat sublimior est, et id ad quod se inclinat, declivius, 299 D. — Ad acquirendam humilitatem juvat vera consideratio sui ipsius, 266 A', 267 A', ut creaturæ, 262 D, 265 C', 266 A', 271 B', ut hominis, 262 C', 266 C, 271 B', ut peccatoris, 266 D', 271 B', ut infinite distantis a perfectione divina et angelica, 267 B, 271 B', et, quod forte efficacius est, a perfectione Sanctorum, 267 C ; et hæc quidem ad aliqualem sufficiunt humilitatem, sed ad perfectam requiritur divinæ altitudinis speculatio, 267 B', non qualiscumque, sed eminens et formata, 267 C' : quo enim quis Deum clarius, gratia radiante, conspicit, eo se vehementius despicit, 268 B', ut patet de Prophetis qui in facies cadebant ad conspectum Dei, 268 D ; quia præ sanctitate Dei quælibet creata perfectio est immunditia, 269 A', ab infinita dignitate Dei omnis honor exhibitus infinite deficit, 269 B', et cæcus nimium est qui putat se Deum digne colere, 269 B'. — Quæ sint perfectæ humilitatis opera, 265 C ; an et quomodo, salva veritate, perfecti se universis deteriores reputare valeant, 266 A, 276 A'.

I

IDEA forma vel species interpretatur, 68 A', et ipsi duo competunt, esse rationem cognoscendi alia et principium productivum illius cujus est similitudo, 69 B'. In artifice creato similitudo est operis, sed quoad formam tantum, 117 D', in mente divina est similitudo rei quoad formam et quoad materiam, 118 A, et sic per eam cognoscit Deus determinate singularia, 118 A. Tanta est vis idearum, ut sapiens nullus esse valeat nisi eis intellectis, 343 A, 435 C. — Ideæ in Deo sunt naturaliter, non libere, 75 D' : nihil enim sunt nisi divina essentia prout est principium cognoscendi et producendi creata, 342 D', 435 B, seu divina essentia ut imitabilis intellecta, 68 B, 342 C' ; et quia divina essentia universas perfectiones continet, et diversimode communicabilis est, 342 C', in Deo multæ perhibentur esse ideæ, 68 C', 342 D', quæ tamen divinæ simplicitati non obviant, 68 C', 342 D', quia in Deo relationem rationis dumtaxat ponunt, 68 C', ac proinde pluralitatem rationis tantum, 68 D', 342 D'. — Ideæ igitur sunt rerum rationes stabiles et incommutabiles, non factæ sed æternæ, 68 D', 343 A, 435 B, quæ nec oriuntur nec intereunt, 68 D', et secundum quas conformatur quidquid oritur et interit, 69 A, 343 A, 435 B, peragitur cursus rerum et sin-

Digitized by Google

gula propriis legibus currunt, 69 A ; mundus archetypus, 343 B, 435 D, et quasi fontes ex quibus profluxit mundus iste sensibilis, 69 D, 343 B. — Quæ ergo fiunt, dupliciter ideam habent in Deo, in quantum scilicet cognoscuntur et producuntur, 69 B', quæ vero mere possibilia sunt, non habent ideam nisi prout cognoscuntur, 69 B' ; individua proprias habent ideas, 69 B', genera autem, accidentia inseparabilia et materia minime, juxta Thomam, 69 C', contradicente Scoto, 69 D'. — Per ideas Deus agit efficienter, per exemplar formaliter, per rationem finaliter, 343 B, 435 D ; in eo sunt ideæ ut in effectivo principio, exemplar ut in causa formali, ratio ut in causa finali, 343 B.

IDENTITAS. In Deo nulla est non identitas, 60 A, B, sed identitas æterna, inconvertibilis, 59 C', omnimoda, summa et perfecta, 60 B ; unde nunquam mutatur, 61 C', D', nec quidquam amittit aut recipit, 61 D, A', B', sive quum aliquid agit de novo, 62 A, sive quum ea quæ prædixit, non efficit, 61 C', sed semper uniformis et idem manet, 61 D', 62 C, in optimis identitatis summitatibus collocatus, 62 B. — Unum in substantia facit idem, 60 B, et idem in quantum idem, natum est facere idem, 103 C', 156 A.

IDOLUM quomodo dicatur nihil esse, 202 B.

IGNIS primum est calidum et perfecte calidum, 29 C', quia calor est ei intimus, 84 A' ; attamen non est suus calor, 84 A'. — Ut formalissimum elementorum, cœlo vicinius est, 235 D', et cetera elementa cingit, 235 C' ; et quia aliquid de cœlestibus qualitatibus participat, pars ejus superior dicitur cœlum igneum, pars inferior, cœlum olympium, 144 A. — In propria sphæra non lucet, 111 C', sed post judicium pervius erit et splendebit ut sidera, 248 B', 325 A, 536 A. — In animalibus et mixtis prædominatur secundum virtutem, 147 B, non autem secundum quantitatem, 146 C', ne igne consumantur, 146 D'. — Inter omnia corporalia nihil perfectius divinæ et spiritualis naturæ qualitates repræsentat, 128 D, 149 B'. — *Cf.* Calor.

IGNORANTIA negative sumpta, seu nescientia, defectus est sequens intellectum creatum in quantum creatum, 218 C' ; privative accepta, peccatum dicitur, 166 B, in voluntate subsistens sicut in causa, in intellectu sicut in subjecto, 166 C, et multiplex est, vincibilis vel invincibilis, 166 C, juris vel facti, 166 D, antecedens vel consequens, 166 A', B'. — Tantum minuit peccatum quantum minuit voluntarium, 166 B', et ita quæ omnino caret culpa, ut ignorantia invincibilis et ignorantia facti, excusat a toto, 166 C', quæ culpa non caret, ut vincibilis, excusat a tanto, 166 C'. — Quandonam quis per ignorantiam peccare censeatur, 166 A', et quo sensu omnis peccans aut malus dicatur ignorans, 125 D', 166 B', 213 C', 216 D'. — Ex ignorantia peccans, contra Filium peccare dicitur, cui attribuitur sapientia, 216 C', 218 D'.

ILLUMINATIO ut actio hierarchica, 130 D, est infusio luminis, 131 A, et purgationem complectitur, quia perfectam purgationem sequitur, 131 D. — Quamvis omnes angeli Deum videant per essentiam, non omnes immediate a Deo illuminantur, 131 B ; similiter, quamvis omnes Deum videant immediate, non omnes æque clare vident, 131 C, quia secundum descensum eorum a Deo, proportionaliter in eis est divisio divinæ lucis, 134 A' ; ideo superiores, qui Deum clarius vident, inferiores de divinis mysteriis et effectibus illuminant, 131 C, per irradiationem mentis ad mentem, 131 C, seu per confortationem luminis intellectus inferioris a superiori, 137 B'. Quo in angelis illuminatio a locutione differat, 137 A'. — Multifariam Deus hunc mundum illuminavit, per philosophos, 305 A', per Prophetas et per Verbum incarnatum, 305 B'. — *Cf.* Hierarchia.

IMAGINATIO hominis, ob multiplices motus rationis, inquietior est imaginatione animalium, 126 D' ; post se trahit virtutes corporis, et in fetum vehementer influit, 161 B'. — In imaginatione ex impressione cœlestium corporum sæpe fiunt imagines futurorum effectuum, 126 A', potissime in nocte, quum ab aliis occupationibus magis est quieta, 126 B' ; similiter, quorum imaginatio intellectui magis obedit, aptiores sunt ad angelicas revelationes, 126 C'.

IMAGO est imitatio unius ad alterum in aliquo quod ad speciem et essentiam pertinet, 148 D', species indifferens rei ad rem coæquandam, 148 D' ; a similitudine differt sicut minus commune a magis communi, 150 B, quia in his quæ ad speciem pertinent consistit, 150 C, ac proinde magis est in intellectu quam in voluntate, magis in po-

Digitized by Google

tentiis quam in habitibus, 150 D ; in spiritualibus attenditur secundum dona naturæ, non gratiæ, 150 A, in corporalibus, secundum imitationem figuræ, 149 A. — Vel est secundum speciem et signum speciei, ut filius est imago patris, 149 A, vel secundum signum speciei tantum, ut statua est imago regis, 149 A, et ideo ad rationem imaginis non requiritur æqualitas æquiparantiæ sed proportionis, 149 B ; sed quia ab imitatione speciei dicitur imago, in sola rationali creatura resplendet Dei imago, quia sola divinam participat intellectualitatem, 149 C, et quo sublimior est intellectualis natura, eo expressius Deum imitatur, 149 C' : unde in angelis plenius est divina imago quam in homine, in superioribus quam in inferioribus, in viro quam in femina, 149 D', quamvis quoad quædam accidentalia homo perfectius Deum repræsentet quam angelus, 149 D'. — *Cf.* Similitudo.

IMMORTALITAS dicit potentiam ad semper vivendum, nec perfecte competit homini secundum ejus naturalia, sed completive est a gratia, 160 A ; unde mors et naturalis dicitur homini, 186 C, et pœna peccati, 186 B. — Quid inter immortalitatem Adæ et Beatorum interfuerit, 160 A. — *Cf.* Adam, Mors.

IMPECCABILITAS nulli creaturæ conferri potuit, 167 A, C, tum quia est contra rationem et libertatem arbitrii, 167 B, tum quia peccatum omnino impediri, perfectionem universi tolleret, et multa bona, 167 D. — *Cf.* Arbitrium, Malum.

IMPŒNITENTIA quandoque circumstantia est peccati, 217 D', quandoque peccatum in Spiritum Sanctum, 217 A', C'.

INCARNATIO ex parte assumentis, personam, non naturam, directe respicit, 303 B, ideo quanquam tota cooperante Trinitate facta sit, in solo Filio terminata est, 303 B, et sic a Verbo assumpta est humanitas ut in ipso Verbi suppositali esse personalizata sit, 303 C, 349 B ; ex parte autem assumpti naturam respicit, non personam, quia quo momento constituta est in utero B. Virginis natura humana, personaliter unita est Verbo, 349 C, 445 C. — Sicut ab æterno lapsum hominis prævidit Deus, 301 A', sic et ab æterno incarnationem Verbi decrevit, 301 D'. — In hac potissime relucet sapientia Dei, 350 B, 446 D : justum quippe erat ut natura quæ offenderat, ipsa satisfaceret, 296 A' ; sed quia natura per suam indefectibilitatem infinitatem quamdam sortitur, et peccatum infinitæ est quodammodo injuriæ, ad totius naturæ reparationem impar erat creatura, 296 B', 350 C, 446 C', et sapientissime provisum est ut in eamdem personam coirent Creator et creatura, 296 B', ut creaturæ declivitas satisfaceret, et Creatoris sublimitas satisfactioni præberet efficaciam, 350 D, 447 A. Item Patris bonitas, quod Filium sibi coæqualem, 296 D', 297 A, in quo infinite lætatur, 297 A, et gloriatur, 297 C, abjectam carnem assumere voluerit, 297 B, quod cum Virgine humili communem natum habere dignatus sit, 297 D, et homines in filios adoptare, 297 A'. In hac apparuit Filii humilitas, qui ex plenitudine divinitatis, 299 A', ad vilissimam hominum speciem descendens, 299 C', in personali unitate summam et imam naturam copulavit, 299 D', et ministrantis more in terra conversatus, 300 A, Patri obediens factus est usque ad mortem, 300 B ; pariter et dilectio, 296 A, quia propter propriam bonitatem, 296 B, se ipsum obtulit et impendit, 296 C, pro salute hominum, 296 D, et cum humana natura vinculo uniri voluit quo nullum potest esse strictius, 298 A', ita ut in eadem persona subsisterent divina humanaque natura, perfectus Deus et perfectus homo, 298 B', humanam infirmitatem exaltans super altitudinem angelorum, 298 C'. In hac demum resplenduit bonitas Sancti Spiritus, qui quum Deus sit, 297 C', 298 A, C, in uterum B. Virginis venire voluit ad formandum ibi corpus Christi, 298 B, et ab homine procedere, mitti et donari sustinuit, 297 C', 298 A, C. — Cur incarnatum sit Verbum, 350 A', 447 B, et quatenus ad pulchritudinem mundi pertineat incarnatio, 237 B'. Ex incarnatione homo lapsus non est consecutus majorem gratiam quam Adam, quoad essentiale præmium, sed quoad accidentale, 185 B. — *Cf.* Christus, Filius, Redemptio.

INCOMMUTABILITAS. *Vide* Deus, Mutatio.

INCOMPREHENSIBILITAS. *Vide* Comprehensio, Deus.

INDIFFERENTIA. Quidam sunt actus indeliberati, vel civili tantum bonitate boni, qui in non habente gratiam indifferentes sunt ad meritum vel demeritum, 210 B', sed nullus actus ex deliberata voluntate procedens, indifferens esse valet, 210 C, D : ideo neces-

Digitized by Google

sario bonus est vel malus, 210 A', et in habente gratiam, meritorius vel demeritorius, 210 D, C'.

INDIVIDUATIO in corporeis substantiis a materia sumitur, 117 D'. — Individua ad speciem reducuntur, 96 A, et eorum multiplicatio sub eadem specie fit propter conservationem speciei, unde locum non habet in incorruptibilibus, 115 B. — Prima specierum individua immediate a Deo creata sunt, 106 A. — *Cf.* Singularitas, Species.

INFERIORA in umbra superiorum facta sunt, 116 B', et a superioribus per media gubernantur, 25 C', 78 B, 134 B', 143 B', et ad superiorum imperium moveri debent, 278 D. *Cf.* Ordo.

INFERNUS, ut horridus et tenebrosus, apta est dæmonum habitatio, 123 D. — In inferno duplex est pœna, altera quæ perfectionem naturalem corrumpit, et hæc debetur peccato actuali, 192 D', altera quæ perfectionem supernaturalem tantum afficit, et hæc originali debetur, 192 D'. — A variis inferni suppliciis per varia Christi tormenta liberati sumus, 313 A'. — *Cf.* Peccatum.

INFIDELITAS tale peccatum est, ut ea stante nullum peccatum infidelibus ignoscatur, 211 C; sed quamvis infidelium actus careant bonitate gratiæ, boni esse possunt bonitate virtutis politicæ, 211 B, unde non sunt omnes mali, licet sint semper deficientis bonitatis, 211 C. — Non tenentur infideles omnem actum suum ad finem quem fides ostendit, ordinare, 211 D. — *Cf.* Fides.

INFINITUM. Materia secundum se dicitur infinita, tanquam omnium formarum susceptiva, 41 D, et hæc infinitas pertinet ad imperfectionem, 41 A'; similiter forma dicitur secundum se infinita, tanquam communicabilis multis, 41 A', et hæc infinitas pertinet ad perfectionem, 41 B'; sed nulla creatura simpliciter infinita dici valet, 41 C', quia unicuique inest terminus perfectionis certusque gradus essendi, 41 B'. Deo igitur soli, tanquam enti per se, 41 C', 42 A, et actui puro, 43 C, et summe perfecto, 41 D', 42 B, et creatori, 42 C, competit esse infinitum, non infinitate materiali, sed formali, 41 C'; imo prius ac intimius ipsi competit esse infinitum quam esse æternum, 43 A. An sit sibi infinitus, 43 D', 44 B, et quomodo se ipsum comprehendat, 43 D', quum omne comprehensum sit finitum, 43 C'. — Nec in ordine motuum itur in infinitum, 20 A, nec in ordine causarum, 23 C', alioqui deficerent demonstratio et scientia, 23 C'. — Infinitum non cadit sub arte, 23 C'; pertransiri nequit, 21 A, nec augeri, nec mutari, 61 B'. — Finiti ad infinitum nulla est proportio, 50 D', quia infinita est distantia, 75 C'. — *Cf.* Finis.

INTELLECTUS vel pro intellectuali substantia vel pro intellectuali potentia sumitur, 64 B'.

Inter omnia creata, intellectuales substantiæ sublimiores sunt, 64 D, et Deo similiores, 149 C. — Omnes sunt quidam candor lucis æternæ, sed sibi relictæ in nihili caliginem confestim prolaberentur, 307 C', et quia potentia admixtæ sunt, intelligere nequeunt nisi a quodam extrinseco perficiantur, quod est actus purus, 116 A'. — In eis repugnat esse materiam, alioqui non intelligerent, 112 D', ideoque immateriales reputantur, 113 A, et inter se distinguuntur secundum majorem vel minorem permixtionem actus et potentiæ, 114 B, tanto longius a Deo distantes quanto magis subjacent potentialitati, 114 B, usque ad intellectum humanum, in quo intellectuale lumen adeo occumbit ut corpori naturaliter uniatur, 114 C: in ordine enim earum, a summo intellectu usque ad animam rationalem, quæ infima est, sunt intellectus alii aliis inferiores, 270 A', et qui Deo viciniores sunt, eo et simpliciores, 273 A. — Quum in rerum natura non inveniatur perfectio intellectu sublimior, 64 D, nullo nomine aptius designatur Deus quam nomine intellectus, 64 D : ipse enim mens est cujus visio contemplatioque intellectus, 64 D, purus et honoratissimus intellectus, 64 A', 65 A, a quo totus mundus substantiam habet et dependet, 42 C', intellectus universaliter agens, qui omnibus influit et cuncta illuminat, 64 A'. Divinus intellectus sine omni compositione et accidentali additione perfectus est, nec indiget perfici per operationem aut habitum ab essentia distinctum, 271 A, cujus objectum proprium est divina essentia, 83 B', et intelligibilis species, divina natura, 83 C'; omnia novit distincte et proprie, 65 B', nec inde vilescit, 65 D', quia ejus cognitio a rebus non gignitur nec dependet, 66 A, sed omnia novit, præterita et futura, præsentialiter, in ipso æternitatis momento, 66 C, immaterialiter, insensibiliter, invariabiliter, 66 D, unico actu et incommutabili, in se ipso, 72 C', et non

Digitized by Google

obstante intelligibilium multitudine, permanet simplex, 72 D'. Dicitur causa rerum, 75 A', quia intellectus est ordinare, distinguere, et voluntatem dirigere, 76 A. — Intellectus angelicus inter divinum et humanum medius est, 116 C, 270 D', cum humano communicans, quia non est essentialiter et a se perfectus, 271 C, et cum divino, quoniam scientiam suam ab initio concreatam habet, 271 D, unde nec corpore indiget nec a corporeis rebus profectum accipit, 271 D; res cognoscit, non per essentiam, ut Deus, 116 C, nec per species a rebus acceptas, ut homo, 116 C, sed per species a se ipso distinctas et a Deo influxas, 116 D. — Intellectus humanus in umbra ultimi angeli factus est, et longissime a Deo distat, 20 C; in principio sui est velut tabula rasa, nec formis rerum nec scientiis adornatus, 270 C, pure possibilis, informis et nudus, 271 B, et corpori naturaliter unibilis, 109 D'; ad manifestissima naturæ se habet sicut noctua ad solis splendorem, 50 C, 113 B', 242 C, et per temporales successus scientias acquirit, 271 B. — *Cf.* Intelligentiæ.

Intellectiva potentia est cum voluntate nobilissima rerum creatarum potentia, 83 D, et prima intellectualis substantiæ vis, 150 D, lumen quo omnia cernuntur, 242 C', divinissima virtus, 243 B, ipsa voluntate nobilior, 83 A', quam dirigit in omnibus, 262 A. — Non est virtus corporis, sed in corpore, 59 A', et immortalis esse perhibetur, quia sui ipsius est cognoscitiva, 157 C', et universalium, 157 D; in eam tamen indirecte agere possunt dæmones et angeli, 129 C, et etiam directe angeli, juxta Augustinum, 129 C', et vi demonstrationis cogi potest, ita ut principiis per se notis necessario assentiat, 175 B', 205 D'. — Intellectus est habitus primorum principiorum in speculativis, 206 D, et prima principia tam in speculativis quam in operativis sine inquisitione intelligit, 206 D; nunquam errat in his quæ ipsius sunt, 120 D, seu in cognitione primorum principiorum, 206 A', et ideo dicitur semper rectus, 120 D, sed contingit eum errare in conclusionibus quæ inde deducuntur, 206 B', et in universali recte sentientem, falli in particulari, 120 A', aut de singulis recte judicantem in habitu, male opinari in actu, 120 B'. — Intellectus est veri et falsi, 67 D', 205 C', et in rem tendit secundum quod est in anima, 205 C', ideo malus dicitur, non ex parte objecti, quia intelligere mala non est malum, 205 B', sed quia rem aliter concipit quam est, 205 C'; imo in eo non est peccatum nisi in quantum ejus actus a voluntate imperatur, 205 D'. — Triplex est intellectus : agens, possibilis et formalis, 151 C. — Intellectus agens non est substantia separata, ut volunt philosophi, 151 D, quamvis quidam catholici dicant eum esse Deum, 151 B', nec æternus est et unus in omnibus, ut male dixerunt Themistius, 152 A, et Averroes, 152 B, sed est potentia animæ, 152 C, speciem a phantasmate abstrahens, 152 D, et lumine suo species faciens actu intelligibiles, 151 C, et ex se est in actu quodam indeterminato qui a rebus determinatur, 152 D. — Intellectus possibilis non est dispositio corporis, ut vult Alexander, 151 B', nec vis imaginativa, ut dicit Avempote, 151 C', nec æternus est et unus in omnibus, ut falso contenderunt Themistius, 151 D', et Averroes, 152 B, sed est intrinseca animæ potentia inorganica, cum corpore incipiens, et post corpus immortalis perseverans, 151 D', quæ omnia recipere potest, 151 C, et speciem ab intellectu agente recipit, 152 D. — Intellectus formalis seu in habitu non est æternus, nec compositus ex agente et possibili, ut dixit Theophrastus, 152 A, sed intellectus specie instructus ut operari possit, 151 C.

Actus intelligendi per hoc completur quod intelligibile est in ipso intelligente, 73 A, et ejus perfectio ex tribus præsertim dependet : ex nobilitate potentiæ, ex dignitate objecti, ex perfectione formæ intelligibilis, 83 A'. — Non ergo quodcumque intelligere potest intellectus, quia media necessaria non habet, 206 B, et plura simul intelligere nequit nisi reducantur ad unum, 118 A'. Secundum autem ordinem simplicitatis in intellectualibus substantiis est ordo distantiæ speciei intelligibilis ab intellectu, 116 D, et consequenter ordo multiplicationis intellectorum, 117 A; unde sicut in natura inferiori multiplicantur singularia, sic in intelligentiis species intelligibiles, 116 A', et in intellectu superiori, qui plus habet de actu, minor est compositio intelligentis et intellecti, 117 B, et ideo per pauciores species cognoscit, 117 B, et in universali principio plura distincte videt, 134 A'. — *Cf.* Cognitio.

Digitized by Google

INTELLIGENTIÆ. De intelligentiis paucissima scire possumus, 113B', pauca probabiliter et nihil demonstrative locuti sunt philosophi, 113C'. — Inter creata primum locum sortitæ sunt, 64C, et deiformis est illis intellectus, 64C; ad corpora converti non indigent, et in naturalibus perfectionibus a sua creatione perfectæ sunt, 64C; superiores tamen, quæ universaliorem habent scientiam, inferiores illuminant et perficiunt, 117A. — Recte dicuntur actus, 28C, et formæ, 29A, et plenæ formis, 28D', 116C, 271D; sed si actus dici possunt quantum ad cœlos, quos movent, 28C, potentia sunt quantum ad Deum, a quo esse receperunt, 29C. Quia ex actu et potentia compositæ sunt, proprie dicuntur substantiæ, 39A, et quia limitatum esse habent, in prædicamento substantiæ ponuntur, 39A. — Æternæ non sunt, quia in ipsis diversificantur esse, posse et agere, 48B, sed sunt cum æternitate, quia non alterantur neque destruuntur, sed participantur æternitati, 48D'. — Propter simplicitatem inalterabiles sunt, 275A', immutabiles et impeccabiles, juxta Peripateticos, 25C, dissolubiles autem natura, et voluntate Dei dumtaxat indissolubiles, juxta Platonem, 25D. — Quidquid dixerint philosophi, non sunt formæ cœlestium orbium, 127B', et ab animabus orbium distinctæ sunt, quia earum formæ revolutionibus et effectibus orbium non sunt proportionatæ, 134C', 143B'. — Inferiorum exemplaria sunt, non tamen perfecta, quia non sunt causa et exemplar materiæ et formæ, 116B', et ex sola conceptione nequeunt effectus producere in inferioribus præter ordinem naturæ, 127B. — Tot sunt quot motus cœlorum, juxta Aristotelem, quot sphæræ cœlestes, secundum Avicennam, 113C'. — Perperam asseruerunt philosophi intelligentias alias ab aliis creari, 105B, C', nec a Deo immediate processisse nisi primam, 46B, 136A, quæ intelligendo Deum producit intelligentiam secundam, intelligendo se ut in actu, producit animam primi orbis, intelligendo se ut in potentia, producit substantiam ejusdem orbis, 136B, et sic deinceps usque ad ultimam intelligentiam, seu agentem, a qua non procedunt nisi animæ rationales et formæ substantiales, 136B, et quæ est animæ rationalis intellectus agens, 151D, perfectio et felicitas, 151A', 136A'. — *Cf.* Angeli.

INTENTIO quid sit et quo ab electione differat, 204A'. — De fine est secundum quod ex eo quod est ad finem voluntas in finem tendit, 204B', unde in ratione sua ordinem comprehendit per relationem unius ad aliud, 204C'. — Voluntati tribuitur, licet aliquo modo sit in sensitivis et naturalibus, 204C'; quid sit voluntas intendens, et quid actionum bonitati vel malitiæ conferat, 208D. — In malis tantum quis peccat quantum malum intendit, in bonis autem non semper tantum meretur quantum bonum intendit, 205A'. Quid de effato : Quantum intendis, tantum facis, 209A'.

INVIDIA dolor est boni alterius et in appetitu irascibili sedet, 215D. — Simul est passio et operatio, sed magis passio, quia ad corporalem transmutationem magis accedit, 200A'; quandoque nominat vitium et est peccatum mortale, 200B'; quandoque etiam peccatum in Spiritum Sanctum, 217D'. — A Deo, utpote optimo, longe relegata est, 32A', 75B', 304C', 322A'; an superbus sit necessario invidus, 182B'.

INVISIBILITAS. *Vide* Deus et Visio.

IRA appetitus est vindictæ et in appetitu irascibili sedet, 215C, 280D'. — Simul est passio et operatio, sed magis passio, quia ad corporalem transmutationem magis accedit, 200A'; quandoque autem nominat vitium et est peccatum mortale, 200B'. — Bona vel mala esse potest, 277B, et per mansuetudinem refrenatur, 277C, 279D.

ISAAC (Ben-Imram). Israelita philosophus, auctor libri Definitionum, allegatur, 20B, C, 206C, 241C, 270B.

ISAIAS propheta explanatur, 135A.

ITINERARIUM (Pseudo-Clementis) invocatur, 127C.

J

JOSEPHUS (Flavius), Judæorum historiographus, 128D'.

JOVINIANI hæretici hominem posse peccare negabant, 181D'.

JUDÆI Deo corporalem figuram tribuendo, multo pejus de eo senserunt quam gentiles philosophi, 38C.

Judæi auctores in hoc tomo allegati : Avicebron, David, Isaac, Josephus, Moyses Rabbi, quorum quisque suo loco requirendus est.

Digitized by Google

JUDICIUM. Post extremum judicium cessabit generatio hominum, corruptibiles species destruentur, elementa et cœlestia innovabuntur, 409 C', 535 B', motus cœlorum et tempus cessabunt, sol et luna in locis suis fixa manebunt, 409 D', 536 A.

JULIUS (Cæsar) de clementia laudatur, 81 C'.

JUSTITIA modo pro virtute generali sumitur, quia sicut omne peccatum quædam est injustitia, sic omnis virtus quædam est justitia, 214 C, modo pro virtute speciali quæ residet in voluntate, 261 D, et ab Anselmo definitur rectitudo voluntatis propter se ipsam servata, 179 C', et virtus est omni sidere mirabilior, 81 C', 323 B, qua homo fit Deo similis et amabilis, 321 B', C', dummodo non nimium quæratur, 273 B'. — Alia est justitia commutativa, quæ circa humanas commutationes versatur, 82 D, et æqualitatem respicit arithmeticam seu quantitatis, 180 C, alia distributiva, quæ unicuique tribuit quod ei debetur, 82 D, et æqualitatem sectatur geometricam seu proportionis, 180 C; in commutativa præmium præcedere potest meritum, in distributiva meritum semper prius est præmio, 180 C'. — Quum justitia in æqualitate consistat, qualis inter Deum et creaturam non invenitur, 82 D, et debitum respiciat, quod in Deo non cadit, 82 A', Deo competere non videtur, 82 A', et quidem Deo non competit secundum quod est qualitas, sed in quantum ad perfectionem pertinet, 89 B. — Ex duplici autem capite Deus dicitur justus, quum scilicet facit ea quæ ipsum decent, et quum tribuit quæ creaturæ meritum exigit, 82 B; dicitur ergo justus tanquam universis distribuens, prout capacia sunt, pulchritudinem et ordinem, 82 C, et cujusque rei naturam salvans in propria virtute et specie, 82 D, C', et omnibus in debita proportione largiens quod eis naturaliter convenit, 82 B', D'; unde in Deo idem sunt justitia et veritas, 82 C'. — Quum ergo in Deo sit justitia, oportet illum quædam operari per justitiam, 81 C'; imo in omni opere Dei cum misericordia concurrit justitia, 83 A, et cunctæ operationes Dei erga creata misericordiæ et justitiæ adscribuntur, justitiæ dum punit, misericordiæ dum salvat, 284 D', sed omnia ad justitiam reduci possunt, 284 D', quia tam bonus est ut justum sit eum misereri vel eorum qui non merentur, 285 A, et iterum tam justus est ut congruat eum quibusdam malignis damnationem rependere, 285 A, ut in aliis sua benignitas, in aliis sua æquitas manifestetur, 285 B. Ad justitiam præcipue pertinent remuneratio, 285 B, induratio, derelictio, 285 C, et generatim ea in quibus major est ratio justitiæ, 285 A'. — Justitia Dei penitus inscrutabilis est, 83 B, 323 B', nec minus infinita quam ejus misericordia, 323 B, et terribiliter apparuit in condemnatione Luciferi, 323 C, et primi parentis, 323 A' : quo enim justior est Deus, eo acrius omnem injustitiam et peccatum abhorret et vindicat, 94 C'. Sedulo ergo meditanda est, ne anima in ignaviam cadat, 323 A, nobis enim incumbit magna necessitas juste vivendi, qui in conspectu cuncta cernentis Judicis semper vivimus, 324 A, et illi vituperandi sunt qui, cognita justitia Dei, non juste vivunt, 95 B. — Quomodo justitiam Dei imitari debeat homo, 285 B', sive erga se, 285 D', 286 C, sive in alios, 286 B'. — *Cf.* Sanctitas.

Justitia originalis in hoc sita erat quod voluntas ad finem recte ordinabatur, 162 D, 187 B, et vires sensitivæ voluntati rationabili subdebantur, 187 C, 276 C'; sed quia ex ordine dependebat rationis ad Deum, ratione a Deo aversa, facta est caro rebellis spiritui, 276 C'; et quia donum erat Adæ collatum posterisque transferendum, 276 C', eo peccante, natura dono isto privata est et in Adam et in posteris, 186 B', 189 A' : natura enim supernaturali dono orbata naturam generat sibi similem, 189 D, C', et hic defectus rationem culpæ habet ex voluntate primi parentis, qui peccavit voluntate naturæ, 189 D. — Nec perfecte redintegrata est, sive per passionem Christi sive per sacramenta, 190 A, quia sanant personam, non naturam, 190 B : in justitia quippe originali erat aliquid formale, scilicet rectitudo voluntatis, cui opponitur deformitas culpæ, et aliquid materiale, seu virium inferiorum ordinatio, cui opponitur fomes, 191 D; in Baptismo autem redditur justitia non quoad materiale, sed quoad formale tantum, 191 A'. — *Cf.* Adam, Peccatum.

L

LÆTITIA. In hoc est Dei perfectio ut in se ipso lætetur, creaturæ autem ut in Deo lætetur, 260 C, et quantulumcumque de pro-

Digitized by Google

priis gaudet, ab arce perfectionis suæ delabitur, 260 D; verumtamen de donis et beneficiis Dei lætari licet et oportet, 260 D, maxime religiosos, 260 A', sed in Deo, 260 A', et moderate, absque præsumptione et nimia fiducia, 260 C'. — *Cf.* Gaudium.

LAPIS quasi læsio pedis dicitur, 40 B. — Quo sensu Deus dicatur lapis, 87 D', 89 C, 96 C'.

LEO. Quomodo Deus dicatur leo, 87 D'.

LEX. In lege aliud est substantia præcepti, quæ est actus virtutis, aliud finis præcepti, qui est subditorum sanctificatio, 182 C'; absque gratia impleri potest substantia præcepti, non autem finis præcepti, 182 D'; et quamvis finis præcepti directe non cadat sub præcepto, legis observantia sine caritate salvare nequit, 183 A.

LIBERALITAS Deo recte tribuitur, qui in optimis fluit nec deficit, 71 A, et liberalitati divinæ tribuitur donorum communicatio, in quantum nostræ utilitatis intuitu conceduntur, 82 D'. — Nulla creaturæ actio pure liberalis est, quia hanc semper sequitur aliquod commodum, 119 A.

LIBERTAS in voluntate primo reperitur, in ceteris autem potentiis per redundantiam a voluntate, 72 D. — Circa ea versatur quæ ad perfectionem agentis non exiguntur, 71 A', et circa ea quæ sub electione cadunt, seu circa media ad ultimum finem, 124 D. — Coactionis negationem includit, 176 C, et quidem per remotionem coactionis compellentis constituitur libertas a necessitate, 176 C, per remotionem coactionis impellentis facientis, libertas a peccato, 176 D, per remotionem coactionis impellentis impedientis, libertas a miseria, 176 D; non est autem libertas a justitia nec a gloria, quia hæ libertatem non impediunt, sed perficiunt, 176 A'. — Similiter est libertas arbitrii, respectu boni liciti, 176 B', libertas consilii, respectu boni utilis, 176 B', libertas complaciti, respectu boni delectabilis, 176 C'; sed non ad ipsam pertinet posse in bonum et malum, quia posse in malum ex defectu procedit, 175 D : potestas ergo peccandi non est libertas neque pars libertatis, 124 A', 176 A', nec proinde libertati repugnat confirmatio Beatorum, 124 D, quia in his quæ a fine non deordinant, liberrime agunt, 124 D. — Illud liberum dicitur, quod est causa sui, 70 B, 219 D', et ipsi opponuntur obligatio, quæ contingit ex parte causæ materialis, 70 B, coactio ex causa efficiente, inevitabilitas ex causa formali, auctoritas positionis ex causa finali, 70 C : quo constat Deum esse liberrimum, quia causam priorem non habet, 70 B, C, et auctor est totius naturæ in aliis, 70 D. Quamvis ergo ad se relatus, non possit non esse, 70 B', 71 B, per comparationem ad creata dicitur liber, quia liberrime ea producit et conservat, 70 B', et liberrime agit ad extra, 71 B, A'. Sed est libertas necessitate deterior, sicut posse peccare aut deficere, 70 C', et est libertas necessitate præstantior, ut libere operari, 70 D', et Deo congruit illa libertas quam melius est habere quam necessitatem oppositam, 71 A. Sic igitur agere et non agere potest, 70 C', quia ad unum non est determinatus, 70 C', et si necesse est illum habere voluntatem, non necesse est illum habere talem voluntatem, 71 D; nec tamen inde mutatur, 70 C', quia quod vult, ab æterno libere voluit, 71 B. — Omnis creata libertas est divinæ libertatis participatio quædam obscura, 72 B', et omnes homines ex natura in libertate æquales sunt, 219 C', et in paradiso æquales permansissent, 219 D'. — *Cf.* Arbitrium.

LIGNUM vitæ alimentum in perfectam nutriti assimilationem perducebat, et contra deperditionem humidi radicalis valebat, 159 C', quo cooperans erat ad immortalitatem Adæ, 159 D'. Si post peccatum ex eo comedere potuissent homines, mortem non evasissent, sed longissime vivere potuissent, 186 A.

LOCUS. Ad locum nullam habitudinem habet Deus, 44 A', qui ideo in loco non est, sed sibi ipsi locus est, 45 C', 47 A', ubique est et nusquam, quia nulli deest loco, nullo loco capitur, 46 A, nec clauditur, 44 D'. — Incorporeis substantiis competit locus ad operationem, vel per modum congruentiæ, ut cœlum empyreum, 123 B, vel per modum necessitatis, et sic competit dæmonibus esse in aere, in inferno et circa nos, 123 D. Spiritus autem et incorporalia non sunt in loco circumscriptive, quia loco non terminantur, 45 A, sed definitive, quia in pluribus locis simul esse nequeunt, 45 A, nec simul secundum idem operari, 45 B, et intelligibiliter circumscribuntur ubi operantur, 45 B.

LOCUTIO proprie est ex percussione aeris determinatis organis, 128 C', nec convenit angelis, ne in corporibus assumptis quidem, quia vera non habent organa, 128 B'; per

Digitized by Google

linguam tamen asinæ Balaam locutus est angelus, 130A. An et quomodo in cœlo empyreo futura sit vox aut laus vocalis, 111D', 112A. — Sicut in hominibus est locutio vocalis, quæ est species intelligibilis signis manifestata ad auditum, 137C', sic in angelis est locutio intellectualis, seu speciei interioris manifestatio, 137D', quæ fit, non obstante distantia, sine medio deferente, 137D', per solam intentionem unius ad alium, 138A. — Ab illuminatione differt, 137A', 138A, quia inferior superiori loqui potest, quem tamen non illuminat, 137A', 138A.

LUCIFER excellentissimus fuisse videtur angelorum, 122D, et supercœlestis aulæ princeps, 323C, quamvis dicatur Cherub propter superbiam, 122A'. — Propria pulchritudine delectatus, in se ipso, non in Deo honorari voluit, 273C, et Deo æquari concupivit, 120D', 273A, non simpliciter, quod impossibile est, 121A, 165C, nec ita ut nulli subesset, 121B, sed ita ut propria virtute gloriam acquireret, 121C, B', et ceteris esset beatitudinis causa, 121C, 122C', 165D, eis imperando magis secundum proprium libitum quam secundum divinum beneplacitum, 273B, C. — Nec certitudinali nec conjecturali scientia lapsum suum præscivit, 119B', nec pro salute timuit, 119B', quamvis prævidisse dicatur se habiturum principatum super malos, 119A'. — Superbia peccavit, 121A', 323C, non tamen in Spiritum Sanctum, 218D', sed in Filium, quia ex inconsideratione peccavit, 219A; et aliis fuit causa peccandi, quia peccatum ejus aliorum lapsum præcessit, non quidem tempore, 122C', sed gravitate et causalitate, 122B'. — In damnatione Luciferi maxime manifestatur justitia Dei, 323C. — *Cf.* Dæmones.

LUNA cur facta sit, 145B, B'. — Licet a sole lumen suum recipiat, 408D, dicitur luminare magnum propter eminentem causalitatem in rebus humidis, 145B; quemdam calorem in inferioribus per lumen suum causat, 145C', et distinguit menses, 409B; post judicium lucebit ut sol, 248A', 323A, 409C', 535D', et in loco suo fixa erit, 409D', 536A. — A sphæra lunæ et supra neque est corruptio neque contrarietas, 153B. — *Cf.* Planetæ.

LUX est corporalium qualitatum præclarissima, 231B', D', forma aut essentia, cujus proprius actus est non tantum tenebrosa manifestare, 87A, 89B, sed illuminare et lucidum facere, 89B, 90A; qualitas activa corporis cœlestis, 141C', varias in variis sideribus habens actiones, 141D' : quamvis enim ex se caloris inductiva sit, et in inferioribus calorem causet, 145C', quarumdam stellarum lux est infrigidans et humectans, 145C'. — Lux in principio creata, qua separatum est cœlum a terra, 141C, lumen est solare, tunc informe, 142D, ex quo quarta die per additionem novæ virtutis factus est sol, 142D; quandonam facta sit, 142A, et quomodo ante quartam diem, a nocte diem distinxerit, 142A. — An sit forma qualitasque mere sensibilis, 87A, 89B, quæ spiritualibus per proprietatem, non naturam, conveniat, 87A, C, 88D, C', 89C', 141A', et Deo metaphorice, non proprie, 86C', 141A', affirmat Thomas, 86C', 141B', sed verius negant alii, 89C, maxime Areopagita, 87C et s.; imo tam proprie Deo competit, ut ipsi soli competat, 89A', et creatum lumen non sit lumen nisi per gratiam, 89B'. — Quia enim lux dicitur quod obscura visibilia facit, et tenebrosa illuminat, 85D, recte lumina dicuntur simplices bonitates, ut esse, vivere et intelligere, quæ unumquodque reddunt visibile, 85B, et potissime Deus, qui omnia, corporea et incorporea, suæ bonitatis effusione perficit, 85A', et a quo est omne esse, vivere et intelligere creaturarum, 85C'. Est ergo lux summa et plena, æterna et immensa, 85D', omnem lucem creatam incomparabili puritate transcendens, 85D', cujus debilis participatio est omne lumen, sive sensibile sive intellectuale, 85A', sine cujus participatione omne creatum tenebrosum est, 85A'; intelligibile lumen, super vultum naturæ expansum, 268A, unicuique prout capax est, beneficos radios influens, 86B, quod ab animabus omnem ignorantiæ fæcem depellit, 86C, et omnes a se illuminatos congregans, 86D, a variis erroribus ad unitatem veræ fidei convertit, 86A'; lux summa, cujus comparatione omne lumen creatum est caligo, 30A, 89D, cui omnes tenebræ lumen, cui omnis obscuritas lux, 86B'. Verumtamen Deo non convenit ut qualitas, sed quia ad perfectionem pertinet, 89B, et melius est lumen esse quam non esse, 89A', et ei tribuitur per excessum,

Digitized by Google

88B. Cur lux divina dicatur caligo, 27D, 50B', 87C'. — Similiter, quia lucis ratio intellectui ejusque actibus et habitibus congruit, 242C', angelica natura recte dicitur lux, et illustratio ejus dies, 139D.

LYRA (Nicolaus de), Scripturæ expositor, 41A.

M

MACEDONIUS, Constantinop. episcopus, « infelix hostis Spiritus Sancti », eum a Filio in virtute Patris creatum falso disseruit, 316C.

MACROBIUS (Aurelius) Platonicus allegatur, 46B, 281C'.

MAGISTER Sententiarum (Petrus Lombardus), 48A', 68D, etc., vel simpliciter Magister, 108A', 109B', etc., « magnus atque illustris ille theologus », 266B, quandoque carpitur, 153B', 187D, 192D'.

MAGNANIMITAS virtus est superbiæ opposita, 215C', ejusque speciebus, 216A, cujus objectum est tendere in rem magnam et arduam, 215C'; sed in illam tendit mediocriter, 215C', quia magnum non appetit ultra capacitatem suam, 215D'; et omnium virtutum dicitur ornamentum, quia actus earum reddit eximios, 215D'. — Magnanimus terrena contemnit, nec cupit honorari, sed honore dignus fieri, 215D'.

MAGNITUDO. Omnium natura constantium est finis et ratio magnitudinis et augmenti, 238D'; sed alia est magnitudo molis, alia virtutis ac dignitatis, 235B'. — Creaturarum magnitudo divinam prædicat potentiam, 235B'.

MALITIA hominis tanta esse nequit quin eam infinite superet bonitas Dei, 264A. — Quo sensu dicatur omnem malum esse ignorantem, 125D', 166B', aut errantem, 120A'.

MALUM est privatio cujusdam perfectionis, 197B', vel perfectionis primæ, et sic est malum naturæ aut pœnæ, 197C', vel perfectionis secundæ, et sic est malum peccati, 197C', aut culpæ, 197D'; ex parte autem agentis est malum sensus, 195D', aut malum damni, 196A. Licet vero malum de culpa et pœna dicatur, 203C, prius convenit culpæ quam pœnæ, 203D, quia malum culpæ, quod ex parte agentis pravitatem sortitur, prius est malo pœnæ, quod ex recipiente tantum malum est, 203C, A'. — Aliud etiam est malum per se, aliud malum per accidens, 195B' : malum per se est ipsa privatio boni quod ad perfectionem rei quodammodo necessarium est, 195B', et dicitur malum abstractive, 195B', primo et absolute, 196A; malum per accidens est subjectum vel causa talis privationis, 195C', et dicitur malum concretive, 195C', et per habitudinem ad malum per se, 196A. Malum abstractive sumptum non est ens positivum aut natura aliqua, sed mera privatio, 196A, et opponitur bono privative, 196B; malum concretive sumptum aliquid est ratione subjecti, 196A, et opponitur bono contrarie, 196B. — Malum in quantum est bonum diminutum, est ens, 195C; in quantum autem est privatio boni, non est quid exsistens nec in exsistentibus, 195D, sed magis distat a non exsistente quam ab exsistente, 195A'. Non habet causam per se, sed per accidens, 103C', et causa ejus est bonum, 196D' : mali enim culpæ causa est voluntas defectibilis, 234D, mali autem pœnæ auctor est Deus, 234D. — Non est aliquid reale in exsistente, 197B, sed subjective est in bono quod a propria perfectione et habitu deficere potest, tam in naturalibus quam in voluntariis, 197B, non in habitu sibi opposito, sed in subjecto quod utriusque capax est, 197C; et sic subjectum mali quadruplex est, actus, habitus, passio et substantia, 195C'. Malum naturæ esse nequit in his qui semper sunt actu, 120D, nec in perpetuis, 120D', nec supra sphæram lunæ, 120D; malum culpæ et pœnæ non est nisi in rationalibus, 198A; quomodo sit in intellectu, in voluntate, 205B', et in cogitatione, 206B; an et quomodo sit differentia essentialis actionum, 208B, C. — Bono opponitur non contrarie, sed privative, et ideo inter ea non est medium, 210A', et quodcumque malum non opponitur cuicumque bono, sed tantum determinatum malum determinato bono, 197C; summo autem bono non opponitur particulare malum, nec etiam summum malum, 104A : nullum enim est essentialiter malum nec purum malum, alioqui semetipsum corrumperet, 103C', 196C. — In quantum hujusmodi, est casus ab ente, ac proinde nihil, 233C', non bonum est, non effectivum, non operativum, non pulchrum, 233C'; sub propria ratione nunquam appetitur, 31A', nullus enim ad malum respiciens operatur, 213B', nec malum vitat nisi in quantum bonum contrarium

Digitized by Google

diligit, 213D; ab omnipotentia Dei excluditur, 79A', qui mala nec fieri vult, nec non fieri, 198B'. Sed quia ex comparatione mali bona videntur pulchriora, 233D', malum ad complementum universi pertinet, 234A, quia bene ordinatum commendat bona, 234C; imo si de mundo tolleretur, totus turbaretur ordo universi et impedirentur multa bona, 167D : si enim essent omnia bona æqualia, nec aliqua res posset carere perfectione, periret ordo specierum, 195D, nec permisisset Deus fieri mala, nisi exinde perfectio universi decorem haberet, 167A', et nisi ipse sciret et vellet ex eis elicere bona, 234A, C, 313C. — Verumtamen in universo accidit non ut in pluribus, 197A, et inultum remanere nequit, 286B', 302B : per ordinationem enim pœnæ emendatur dedecus culpæ, 234C'. — *Cf.* Peccatum.

MANE in diebus creationis quid sit, 139C', et cur a prima die absit, 140C. — Quid cognitio matutina, 139C'.

MANICHÆUS (Manes) « immundissimus, totiusque falsitatis exemplar », Spiritu Sancto adeo repletum se jactabat, ut jam non aliud esset quam Spiritus, 297C', et Christum veram carnem habuisse negabat, 303B'. — Manichæi duo rerum principia falso ponebant, 46D, et hominem asserebant non posse peccata vitare, 182A.

MANSUETUDO modo pro passione sumitur, 281D, quæ est passio irascibilis, respectu mali præsentis, 280D', modo pro virtute, 281D, cujus officium est iram refrenare, 277C, 279D. — Quo sensu Deo tribuatur, 279D.

MARIA (B. Virgo), « dulcis et præstans columba », 298B, quatuor habuit rationes humilitatis, 271C', et quia, post Christum, lucidius cognovit excellentiam Dei et vanitatem creaturæ, 272A, post Christum est humillima omnium creaturarum, 272B. — Sicut sine libidine concepit, sic sine dolore et corruptione peperit, 353B', 451C'. — Cor ejus in Passione præ amaritudine pene scissum est, 312B. — Omnibus angelorum choris prælata, 134B, 407A', præ cunctis angelis summa reverentia Deo intendit, 269C', 407A', 532D.

MARTINUS (S.) sanctitate vitæ magis quam studio sapientiam adeptus est, 268B.

MATERIA in composito est potentiale principium, cujus est moveri et pati, 19B', formæ subjici et esse a forma recipere, 28C'. — Secundum se non est cognoscibilis, sed per actum, 237A, et quia sine forma esse nequit, non habet ideam aliam ab idea compositi, juxta Thomam, 69C', contradicente Scoto, 69D'. — In se indeterminata dicitur et infinita, tanquam omnium formarum susceptiva, et terminatur per formam, 41A'; ideo formam appetit, sicut turpe pulchrum et femina virum, 237C. — Non tamen unit se formæ, quia omnis motus est a forma, 19D'; nec assumitur a forma, quia ambæ in eodem simul incipiunt, 19D' : quapropter extra materiam et formam oportet esse causam efficientem et unientem utramque, 19C'. — Est ad formam quasi potentia ad actum, 28C', sed minus patet quam potentia, quia non in omni ente, sed in corporeis dumtaxat invenitur, 28D' : quidquid enim dicant Avicebron et Avicenna, in angelis non videtur esse materia, 112C', quia materia non recipit formam nisi in quantum est hæc, seu intellecta in potentia, quod repugnat intellectuali substantiæ, 112D', et quia secundum se nullam diversitatem habet, et quantitate indiget ut in diversis esse possit, quod repugnat incorporeæ substantiæ, 113A; et multo minus est in Deo, quia nullum materiale potest esse actus purus, 38C. — Quum Deus sit auctor materiæ, ipsi etiam dat potentiam recipiendi quidquid voluerit, 154A, quæ potentia dicitur obedientialis, 154B; agentia autem naturalia præsupponunt materiam, 154B, nec possunt nisi illam transmutare, 145D, et ex ea formas præexsistentes educere, 127C'. — An sit in materia potentia activa ad formam, 154D, B', et quid ad generationem conferat, 154C'. — *Cf.* Forma.

Materia duplici modo dicitur prima, 140D : vel tempore, quia primo facta est, 140A', et sic inter coæquæva recensetur, 140C', et in principio creata est informis seu non ornata, 140A', et confusa, quia sub pluribus substantialibus formis condita, 140B', et una, non unitate essentiæ, sed unitate informitatis, 140B'; vel natura, quia in ipsa stat ultimata rei corporeæ resolutio, 140D, et sic est absque omni forma et non intelligitur nisi per analogiam ad formam, 140D. — Materia prima prope nihil condita est, 20C, 270C, 274D', et est potentia pura, 20B', 28B', mobile purum, 20B', primum

Digitized by Google

materiale principium, 103A, primum subjectum, 24A', in potentia ad omnes formas substantiales et accidentales, ad omnes motus et alterationes, 38D, ens infimum et vilissimum, 20B', summe a Deo distans, tanquam extremum ab extremo, 38A', ab omni forma tam substantiali quam accidentali abstractum, 20C', quod nec quid est, nec quale, nec quantum, 20C', 34C, et dicitur non ens, tanquam actualitate carens, 34D, et per posse dumtaxat substantificatum, 34C. — Aliquam tamen habet actualitatem simplicis quidditatis, et est aliquid positivum, 237D, et bonum, 34C, quoniam appetit bonum, seu formam, 34D; et quantum habet entitatis, tantum et pulchritudinis, 237B; imo duplicem habet pulchritudinem, essentialem a se ipsa, et accidentalem a forma, 237C, et necessaria est ad completionem universi, 237B.

MEDIUM propter finem appetitur, 73D, et objectum est electionis, 124D, 169D', 204A', et voluntatis eligentis, 208D; bonum esse debet ut bonus sit actus, 208B'. — In medio stare dicitur virtus, 215C', sed ad opus virtutis sufficit esse circa medium, nec oportet semper attingere medium, 216D. — Quo sensu dicatur inter Deum et animam non esse medium, 150A, aut inter privative opposita. 210A'. — Ex institutione divina, a superioribus per media gubernantur infima, 134B', et a distanti in distans non fit transitus nisi per medium, 270C'. — *Cf.* Extremum.

MENSURA ex mensurato accipitur, 110D, quia mensuratur unumquodque per primum et minimum sui generis, 110B', et diversorum generum sunt diversæ mensuræ, 110D. — Triplex traditur rerum mensura : æternitas, ævum et tempus, 110B, ævum enim est mensura rei permanentis, 110B, sicut tempus, rei mobilis, 110C; verumtamen realem Deus mensuram non habet, quum ipse sit omnium prima mensura, 49A', nec proprie mensuratur æternitate, 49A'. — Quo sensu in mensura dicantur condita creaturæ, 238B', mundus, 238C', et spiritualia, 238D'.

MERCURIUS, 46B. *Vide* Hermes.

MERITUM. Ad actum meritorium duo requiruntur, ut operans sit dignus vita beata, quod efficit gratia, et ut actus sit rectus, quod efficit virtus, 178B', ac proinde duo sufficiunt, gratia, quæ perficit essentiam animæ, et virtus, quæ informat potentiam, 178C'. Et quidem in libero arbitrio et voluntate est prima merendi ratio, 177B', sed quia ultimus finis naturalem animæ facultatem excedit, 286D', necesse est ut per gratiam anima ad esse supernaturale elevetur, 177B', 286D', 287A, et ideo sine gratia superaddita mereri nequit, 177D' : unde gratia dicitur prima merendi ratio, 178B', et quoad præmium, efficacia merendi quantitati gratiæ respondet, 181C. — Ad excellentiam meriti tria concurrunt, gratia, voluntas et objectum, 185C; non autem augetur difficultate operis, nisi per accidens, 185D, nec certaminis gravitate, 185A', quia de necessitate meriti non est habere certamen, 185D, nec actu exteriori, nisi secundario, quia meriti ratio a voluntate oritur, 199B; nec minuitur obligatione operis, quia meritum est facere quod tenemur facere, 180D. — Meritum ad præmium se habet modo in ratione meriti, modo in ratione causæ, 181C. et sic contingit illud præmio privari, vel propter insufficientiam actus, vel propter incapacitatem ejus qui præmiari deberet, 181D. In justitia distributiva semper prius est præmio, in justitia commutativa posterius esse potest, 180C'. — Aliud dicitur meritum de condigno, dum inter meritum et præmium invenitur æqualitas, 179D', aliud meritum de congruo, quum deficiente æqualitate, præmium ex liberalitate donatur, 180A. Qui extra gratiam est nihil meretur de condigno, nec gratiam, 180B', nec gratiæ recuperationem, 180C', sed de congruo, si faciat quod in se est, 181A'; qui autem est in gratia, sibi mereri potest vitam æternam de condigno, juxta quosdam, 180A, de congruo tantum, juxta alios, 180A, et gratiæ augmentum, 181A, alteri vero gratiam mereri nequit, nisi sit ipse perfectissimus, 181A', et alius bene dispositus, 181C', et de congruo dumtaxat, 181B'. — Nulla autem persona toti naturæ mereri aut demereri potest, nisi naturæ limites omnino transcendat, 162B' : idcirco peccatum Adæ ad posteros transiit non per modum demeriti, sed per modum traductionis, 162B'; reparatio autem Christi, non per modum traductionis sed meriti applicatur, 162B', quia solus cunctis gratiam de condigno meruit, 181B'. — *Cf.* Præmium.

METAPHORA. Quæ de Deo metaphorice dicuntur, de ipso negantur propter defectum,

Digitized by Google

87 D', magis proprie negantur quam affirmantur, 88 A, et prius sensibilibus conveniunt quam Deo, 89 C. *Cf.* Prædicatio.

MICHAEL (S.), paradiso præpositus, et olim Synagogæ, ad Principatuum ordinem pertinere videtur, 403 C', 529 D'. Angelis bonis fuit occasio et exemplum conversionis ad Deum, 123 A.

MINISTERIUM. Quamvis omnes angeli aliquo modo dicantur administratorii, 135 C, in ministerium non mittuntur nisi quinque inferiores chori, 135 C', quia per media a superioribus ad infima venit illuminatio, 134 B', et quia summorum angelorum nec intellectus proportionatus est intellectui humano, 134 B', nec formæ ad agendum circa singularia aptæ sunt, 134 C'. — Ministrantes minime a contemplatione Dei per ministerium retardantur, 136 A.

MIRACULUM. Dupliciter quid dicitur mirabile, vel quia ejus causa ignoratur, vel quia fit contra proprietatem rei, 154 D', et hoc ultimum simpliciter dicitur miraculum, 155 A; ex raritate autem non fit aliquid miraculosum, 155 D. — Alia sunt supra naturam, quæ natura operari nequit, 155 A, alia præter naturam, quæ natura operari potest, sed non tanta, aut non tunc, aut non tam universaliter, 155 B, alia contra naturam, in quibus est naturalis causa ad oppositum, 155 C; et quidem possunt dæmones per applicationem naturalium agentium effectus aliquos præter consuetum ordinem producere, 127 A, sed quæ non sunt in potestate naturæ, efficere nequeunt, 127 A, 317 B, nisi Deo permittente, ut tempore Antichristi, 127 B. — Vera igitur miracula a Deo immediate fiunt, 155 A, et a præstigiis dæmonum multipliciter differunt, 127 C. Non est autem proprie miraculum creatio, 155 C, nec animarum productio aut justificatio, 155 C, nisi forte absque præparatione fiat, ut conversio Pauli, 155 D, sed miracula sunt partus virginis, 155 C, et resurrectio mortuorum, 155 A, D. — Miracula ad perfectionem mundi pertinent, saltem in statu præsenti, 237 B', et mirifice fideles decorant quibus contulit Deus ea patrare, 317 B, sive in V. T. sive in N. T., 317 B'.

MISERICORDIA ut passio, est species tristitiæ, qua quis alienæ miseriæ compatitur, 81 D', ut virtus moralis, passionem tristitiæ moderatur, 81 D'. — Quum præclara sit virtus, 81 C', Deo aliquo modo competit, 279 D, cujus natura est bonitas, et proprietas miseratio, 322 A'; in eo tamen nec ut passio est, nec ut virtus, 81 D', 339 C', 430 C. sed quodam excellentissimo modo, ratione effectus, 82 A, et quoad id quod in ea perfectionis est, 82 A. — In omni opere Dei cum justitia concurrit, 83 A, et multa in mundo operatur ut in creaturis reluceat, 81 C'. Operationes enim Dei erga creata, misericordiæ adscribi solent, dum salvat, 284 D', sed justitiæ item possunt adscribi, quia tam bonus est Deus, ut justum sit eum etiam indignorum misereri, 82 B, 283 A, 338 C', 428 D'. Misericordiæ autem ea specialiter deputantur in quibus ipsa evidentius apparet, 283 A', ut donorum largitio, in quantum inopiæ nostræ succurrunt, 82 D', prima gratiæ infusio et justificatio impii, 285 B, et remuneratio, quæ semper est ultra condignum in cœlo, 285 C, et citra condignum in inferno, 285 D. — In hoc maxime elucescit, quod Deus delinquentibus parcit, 322 B', pœnitentibus ignoscit, 322 C', et nullum in hac vita ita derelinquit, ut expers sit misericordiæ, 285 D; cur autem istius potius quam illius misereatur, ipse scit, 285 A. — Quomodo homo divinam misericordiam imitari debeat, sive in se, 286 B, sive in alios, 286 A, D.

MISSIO Sancti Spiritus voluntaria est, nec arguit in eo inferioritatem, 316 B, quum et Filius ipse mittatur a Patre, 316 D; sed quædam videtur esse exinanitio, 316 C. — In angelis quinque inferiores choros accidit mitti, 135 C', non autem superiores, 135 A, D, quare, 134 B'.

MIXTUM omne ex quatuor elementis constat, 146 B', quæ in eo non ad tantam æqualitatem pertingere possunt, quin prædominetur unum, 159 D', et ex prædominante accipit mixtum complexionem, 146 D', et locum congruum, 159 D'. Prædominantur autem grossiora secundum quantitatem, superiora secundum virtutem, 146 C'. — *Cf.* Elementa.

MODUS rebus datur a causa efficiente, 238 A. — In modo, specie et ordine constat pulchritudo rerum, 229 D, et universi, 232 B', 237 D'. — Quomodo in spiritualibus substantiis inveniatur, 239 B, B', D', et per peccatum corrumpatur, 239 A.

MONAS sola est Alpha et Omega sine Alpha et Omega, 47 C'.

Digitized by Google

MONSTRA ex defectu materiæ producuntur, 195 D', quia scilicet in recipiente materia indisposita est, 196 B', et ad pulchritudinem conferunt universi, quia ex eorum deformitate clarius nitet ceterorum decor, 235 B.

MORS prout est defectus vitæ et esse, non est bonum, 235 A, sed prout est pœna peccato inflicta, est bona et pulchra, 235 A, et transit in arma virtutis, si enim non esset, non utique esset martyrium, 234 C' ; imo mors ipsa impiorum, quamvis pessima, est bona et pulchra, 235 A. — Quod est angelis casus, hoc est hominibus mors, quoniam nec angelus post lapsum, nec homo post mortem resurgit, 275 C'.

MOTUS difficile cognoscitur ob sui esse imperfectionem, 50 B. Ex gravitate et levitate causatur, 144 C, et est corporis extra suum naturale *ubi* exsistentis, 143 A'. — Illa dicuntur vivere quæ movent se ipsa, unde nihil movet se ipsum, nisi animatum, 62 B', et quidem per animam se movent, et per corpus moventur, 19 B' ; sed in simplicibus corporibus non est dividere corpus in partem moventem et motam, 154 A'. — Agens naturale per motum operatur, agens divinum sine motu, 104 C' : omnium ergo quæ sine motu facta sunt, Deus est immediata et proxima causa, 105 D', 156 A'. — Aliter movet causa efficiens, quæ immediate motum producit, 21 D', aliter causa finalis, quæ movet efficientem, et cujus motio præstantior est motione cujuslibet causæ, 22 A. — *Cf.* Cœlum.

Quod movet, in actu est, et quod movetur, in potentia, 19 B', et nihil potest esse simul movens et motum secundum idem, 19 B' ; ideo præter motores creatos, qui movent et moventur, 19 C', oportet ponere primum movens, separatum et immobile, quod habeat a se virtutem movendi, 19 C', 20 A, 21 A. Item, ubicumque invenitur medium compositum, sunt extrema simplicia, 20 A' : quum ergo in mundo sint motores moti, seu qui movent se ipsos, 20 B', sic esse oportet aliquid quod sit motum tantum, seu materia prima, 20 B', et aliquid quod sit movens tantum, et hoc est Deus, 20 C'. Similiter nullum mobile est sibi ipsi finis, sed ad finem ordinatur et a fine distat, 20 A, unde ante omnia mobilia necesse est esse ens immobile, quod sibi ipsi sit finis, et ad quod omnia ordinentur, 20 C. — Unde liquet esse primum et immobilem motorem, hoc est Deum, a quo est omnis motus, etiam naturalis, 171 B', et qui omnia movet tanquam causa finalis, 22 B, in quantum omnia ad se reducit, ut adamas ferrum, 93 B'. Ut motor primus, est infiniti vigoris, 43 C, qui maxime in motu cœlorum apparet, 21 B', et creatorum mobilium imperfectione commendatur, 21 C. — Quum autem motus sit tendentia ad aliquam formam, 19 A', et actus entis in potentia, 19 B', arguit in moto imperfectionem, 71 D', quia a propria perfectione distantiam supponit, 72 A ; quod ergo movetur necdum perfectum est, 19 A', et nequit esse actus purus, 38 A : unde constat Deum nullo modo moveri posse, 128 C'. Sed alius est motus proprie dictus, seu egressio potentiæ ad actum, qui Deo non competit, 22 C', alius motus late sumptus pro quacumque operatione, 22 C', et sic dicitur moveri Sapientia æterna, 22 B', D', et ipse Pater, 22 B', 23 A, in quantum aliis amorem imprimit, vel procedit in actum, 93 B'. — Angeli et cœlestia movent, 143 B', et per accidens moventur in corporibus assumptis, quia sunt in loco definitive, 128 C' ; pariter anima et corpus suum movet, 19 B', et per motum totius corporis accidentaliter movetur, 19 C', 128 C'.

In potentiis animæ dicitur motus inclinatio ad aliquid, 172 D, nec est nisi in appetitivis potentiis, 172 A'. — Motus primo primi, qui ex dispositione naturalium qualitatum surgunt, culpa carent, 172 C', 277 B, quia imperfecte in nostra potestate consistunt, 173 B ; motus vero secundo primi, qui ex imaginatione causantur, peccata sunt, sed levissima, 172 D'.

MOYSES, Hebræorum legislator, divinam essentiam in raptu vidisse censetur, 41 C.

MOYSES Rabbi (Abu Amru Musa ben Maimun), « maximus philosophus atque theologus », 53 D', asserens nihil de Deo positive et substantialiter enuntiari, sed per negationem dumtaxat, 53 A', defenditur, 53 D', 55 D, et explicatur, 54 C, 56 D, C'. — Perperam contendit unitatem Dei non esse demonstrabilem, 33 A', angelos non esse nisi virtutes naturales Providentiæ subservientes, 113 D', et corruptibilia singulariter Providentiæ non subjacere, 77 A'. — *Adde* 29 A, 40 B', 49 A, 59 A', etc.

MULIER est præter intentionem naturæ parti-

Digitized by Google

cularis, non autem universalis, 161 D. — Tunc generatur quum virilis seminis virtus perfecte vincere nequit menstruum mulieris, 161 A', sive propter defectum caloris, 161 A', sive ex virtute imaginativa, 161 B', sive ex principio extrinseco, 161 C'; unde fit ut plerumque gignantur mulieres a junioribus viris, 161 A', vel flante meridionali vento, 161 C'.

MULTITUDO omnis secunda est ab uno, 36 B, et participat uno, 36 A : quæ enim multa sunt partibus, sunt unum toto; quæ multa accidentibus, unum subjecto, 36 A; quæ multa numero, unum specie; quæ multa processibus, unum principio, 36 A. — Creaturarum multitudine commendatur divina potentia, 235 B'. — Quod a multis dicitur non potest esse omnino falsum, 129 A.

MUNDUS. Creatum esse mundum agnoverunt meliores philosophi, 42 A', sed circa modum ejus productionis non mediocriter erraverunt, 76 D. — An sit ab æterno, licet creatus, affirmant communiter philosophi, 76 B', 106 C, 312 A', negant theologi, 106 B', et revelatio, 106 C'; an autem ab æterno esse potuerit, affirmant quidam, negant alii, 106 B', utrique absque efficaci ratione, 106 B', quia de primordiali rerum institutione non judicandum est ex nunc contingentibus, 106 D'. — Quo sensu dicatur factus in principio, 107 B', et cur factus sit, 11, 15 C, 31 B', 32 D, 75 B, A', 81 B', 283 A. — Ad imitationem increatæ atque æternæ rationis factus, 69 B, D, 245 D, pulcherrimus est, 90 D', tanquam a fabricatore optimo, 69 C, 245 D, et mundus dicitur, quoniam a mundo mundissimo divinæ mentis profluxit, 69 D, seu mundo archetypo, 42 B', 69 D, qui est Dei Filius, 249 A', seu ipsemet Deus, 77 B : ab intellectu enim substantiam habet, et ab ipso procedit ac semper dependet, 42 C'. — Tanquam schola est quæ Dei perfectiones edocet, 14 D, quia in ejus creatione patet potentia Dei, in gubernatione sapientia, in conservatione bonitas, 402 B', 525 B', in magnitudine potestas, 235 B', in pulchritudine species, 91 A; ordo ejus ex tot partibus quæ inter se coordinantur ut partes animalis, arguit esse unum omnium principium, 103 B; ejus permanentia ex tot elementis contrariis constituti, demonstrat esse summam virtutem quæ omnia colligat, 26 C. — Mundi pulchritudo ex ordine et gradibus bonitatum resultat, 195 D, ex diversitate creaturarum, 234 B, quæ licet sibi contrariæ, ad ordinem concurrunt universi, 104 B, ex magnitudine creaturarum, 235 B', ex decore cœlestium, 235 C', ex ordine temporum, 235 D', ex varietate vegetabilium, 236 B, et animantium, 236 D, ex decore maris, 236 C', et aeris, 236 D'; in modo, specie et ordine consistit, 232 B', 237 D', in numero, pondere et mensura, 238 D, B', in speciebus corruptibilium, 232 B', et in individuis incorruptibilium, 232 C', et per generationem corruptibilium indesinenter perseverat, 232 D'. Quoad accidentales perfectiones augeri potest vel minui, 233 C, quoad perfectionem essentialem nec augetur nec minuitur, 233 B, quia perfecta est quantum ad ordinem entium et decorem, 233 D, sed ab omnipotente Deo posset augeri, 233 A'. — Triplex est mundi status : præteritus innocentiæ, præsens peccati, futurus innovationis, 237 A', quia post judicium innovabitur, 248 A', 325 A'. — Oportet totum hunc mundum contiguum esse lationibus superiorum, ut tota ejus potestas inde gubernetur, 20 D'.

MUTATIO omnis fit per adeptionem novi aut veteris depositionem, 61 D. — Omne creatum mutabile est, 61 C', non exceptis spiritualibus substantiis, quæ mutantur et perficiuntur, 61 D' : quorum enim esse a versione incepit, versioni subjecta sunt, 25 B, et quodcumque ex nihilo factum est, in nihilum redigibile est, 61 D'. — Sed quod mutatur, nequit esse actus purus, 38 A, quia potentialitati admixtum est, 61 A', et non est essentialiter quidquid est, 61 B'. Oportet ergo ante entia mutabilia esse ens incommutabile, alioqui totus universus dissolveretur, 25 A; et hoc est Deus, qui prorsus immutabilis est, 61 D, et solus immutabilis, 61 C', nec mutatur, quamvis quæ prædixit non eveniant, quia mutat sententiam, non consilium, 61 C'. Quomodo immutabilitatem divinam imitari nos oporteat, 62 C. — Mutabilia ad pulchritudinem universi conferunt, 235 C, sive directe et per se, sive indirecte per suam ipsam mutabilitatem, 235 D.

N

NATURA multipliciter sumitur, 201 B'. — Natura rei in eo perfecta est quod ad ejus per-

Digitized by Google

fectionem pertinet, 42A, et a sua perfectione minorata esse nequit, 307D', quia in indivisibili consistit, 42A. Quantum ad essentialia sua principia æqualiter inest omnibus individuis speciei, sed quantum ad ea ex quibus sequuntur operationes individuorum, validior est in uno quam in alio, 191D'. — In omni specie rerum, naturæ aliæ aliis sunt nobiliores secundum minorem permixtionem potentiæ cum actu, donec deveniatur ad actum purum, 103C, et in his quæ sunt sine materia non multiplicantur nisi in quantum alia est alia actualior et completior, 103A'. — Natura est agendi patiendique principium, 303D; sed ejus actio in operatione Creatoris fundatur, quæ præstat naturæ materiam, 105D, nec propria efficacia supra ordinem sibi constitutum agere valet, 317B, et semper in se curva est, 119A. — Naturalia, quum ratione careant, ab aliquo sciente separato diriguntur, 175B; aguntur et moventur potius quam agant et moveant, 70C, et naturalem instinctum de necessitate sequuntur, 70D : unde opus naturæ dicitur opus intelligentiæ, 175B. — Quid sit connaturale, 63C. — *Cf.* Actio.

NECESSITAS ex aliqua causarum contingit, materiali, efficienti, formali aut finali, 70C, et duplex est, absoluta et conditionata, 184A. — Alia est necessitas libertate deterior, qua quis non libere agit, 70D', alia libertate præstantior, qua quis peccare aut deficere nequit, 70C', et hæc divinæ naturæ non repugnat, 70D', quia circa ea versatur in quibus perfectio Dei consistit, 71D : ideo Deus necessitati subditur quoad suum esse, 70A', B', et actiones immanentes, sicut se ipsum cognoscere et diligere, 71A'. — *Cf.* Arbitrium, Coactio, Libertas.

NEGATIO dicitur vera, quæ signat non esse quod non est, 193C. — Per negationem vel ablationem cognosci dicitur Deus, quum de eo negatur quidquid in creaturis invenitur, 26D', 27B', tanquam ab ejus perfectione prorsus deficiens, 27C, 51D'. In hac via ab infimis inchoamus ascendendo usque ad summa, 52B, et magis proprie negantur infima quam summa, 52B, et quanto magis ascendimus, tanto magis abbreviatur sermo, donec etiam summa negantes, Deo uniamur prorsus ineffabili et ignoto, 52C. D. — Perfectius noscitur Deus per negationem quam per affirmationem, 52A', C', 53B, tum quia incomprehensibilis asseritur, 52A', 54D', tum quia in præsenti non nisi ex creatis effectibus cognoscitur, 52B', 55A, qui omnes ab ejus excellentia infinite deficiunt, 52C' : ideo negationes in divinis dicuntur veræ, id est proprie dictæ, 53B, et hoc est Deum vere cognoscere, eum per omnium entium ablationem laudare, 53A, 55B. — Quæ ergo de Deo enuntiantur, magis neganda sunt quam affirmanda, 54A', B', 88A; sed quæ proprie Deo tribuuntur, negantur per excessum, 87D', 88A, quæ metaphorice, negantur per defectum, 87D'. — *Cf.* Prædicatio.

NESTORIUS, « maledictus » hæreticus, duas in Christo personas esse docebat, 303C'.

NOBILITAS. Id nobile dicitur quod a debita dignitate in nullo deficit, 63A : quocirca divina vita dici potest nobilissima, 63B.

NOMEN quod proprie rei convenit, ab ultima ejus perfectione desumendum est, 132D'. — In quibusdam, quæ per se noscuntur, idem est a quo nomen imponitur, et cui imponitur, 40A; in aliis, quæ per proprietatem aut operationem innotescunt, aliud est cui nomen imponitur, aliud a quo imponitur, 40B. — De quid nominis disputare supervacuum censetur, 40C.

Divina imperfecte cognoscuntur et imperfectius exprimuntur, 67C. Quum enim Deus sit super omnia exaltatus, per se ipsum nominari nequit, 52B', nomine exprimente ejus naturam, 57B, sed tantum prout in suis effectibus cognoscitur, 52C', 57C, seu per nomina creaturarum, 64B, quæ omnes a divina perfectione infinite distant, 57D : unde nullum nomen a creaturis receptum exprimit quid sit Deus, 57D, sed quo perfectior est natura a qua sumitur nomen, eo convenientius per ipsum Creator designatur, 64C. — Et quia nomine uno esse divinum declarare non valemus, illud multiformiter enuntiamus, 59B, et per multa nomina, 40C', quæ etsi idem significent, non sunt synonyma, quia secundum distinctas rationes esse Dei designant, 96A'. Ex quibus quædam ipsi proprie competunt, ut quæ perfectionem simpliciter dicunt, 36C, 96B', quædam transumptive, ut quæ materiale quid et imperfectum sonant, 96C', alia absolute, ut quæ divinam essentiam significant, 96C', alia cum respectu ad creaturas, 40C', 96C', alia temporaliter, alia æternaliter, alia immanenter, 96D'; quædam

Digitized by Google

principaliter relationem, alia principaliter substantiam enuntiant, 97 A. Per nomina concreta exprimitur tanquam realiter subsistens, et per nomina abstracta, tanquam summe simplex, 67 A', et sic in quantum agens, dicitur volens, intelligens, creans, 67 A', in quantum proximum operationis principium, dicitur voluntas, intellectus, potentia, 67 B'; in quantum se ipsum cognoscit et omnia in se, dicitur objectum divini intellectus, 67 B', in quantum se per se ipsum cognoscit, dicitur forma intelligibilis seu species divini intellectus, 67 B', in quantum per essentiam operatur, dici potest operatio sua, 67 C'. — Nomen « Deus » ab ardere, vel currere, vel considerare dicitur, 39 D', et de Deo prædicatur propter causalitatem et providentiam, 40 D; nomen est naturæ, juxta quosdam, operationis, juxta alios, 39 D', 40 C; et quum excellentissimam significet naturam, incommunicabile est quantum ad proprium intellectum, 39 D, seu quantum ad rem significatam, 39 C', et magis proprium Deo quam Esse, 39 C'; quantum autem ad modum significandi, communicabile est, 39 A', B', et minus proprium quam Esse, 39 C'. — Nomen Adonai generale Dei dominium significat, 41 A, et vulgo loco tetragrammaton pronuntiabatur, 41 B. — Nomen tetragrammaton (Jehovah) divinam naturam pure et absolute, prout in se ipsa subsistit, designat, 40 D' : magis ergo proprium et incommunicabile est quam nomen Deus, 40 D'. — Utrum sit prius et principalius nomen, Bonum an Esse, 33 C, non est facile determinare, 34 B' : bonum enim posterius est ente secundum essendi rationem, 33 A', sed prius ente quantum ad rationem causandi, 33 C'; Ens respicit essentialia Dei, et spectat potissimum ad V. T., 33 D', Bonum vero circa propria personarum versatur, 33 D', et pertinet ad N. T., 34 A : ideo secundum se consideratus, Deus primario dicitur Ens, 34 B, consideratus ut principium emanationis, sive ad intra sive ad extra, primario dicitur Bonum, 34 B, et sic primum Dei nomen ab Areopagita dictum est Bonum, 33 C, et a Damasceno Esse seu Qui est, 33 A', 246 B. Verumtamen, quia bonum latius est ac communius ente, 34 C, cui superaddit rationem appetibilis et perfecti, 34 C', et quia per bonitatem divina natura præcipue innotescit, 34 C', et explicatur, 34 D', Bonum principalius Dei nomen esse videtur, 35 A. — Sed quum nulla natura perfectior sit intellectuali, nullo nomine aptius designatur Deus quam nomine Intellectus, 64 D.

NOYΣ, seu prima intelligentia a Platonicis excogitata, Arianis causa fuit errandi circa naturam Verbi Dei, 46 C.

NOX tempus est aptum influxui cœlestium corporum, 126 B', et illuminationibus angelorum, 126 C', quia tunc magis est quieta anima, 126 B'.

NUMERUS omnis participat unitate, 35 D', et in indivisibili consistit, quia unitas addita numero variat speciem, 42 A. — Numeri sibi ita propinqui sunt, ut inter vicinos nullus alius exsistere valeat, 95 C'. — Quomodo in numero condita dicantur creatura quælibet, 238 D, et mundus, 238 B', D', et qualis in substantiis separatis inveniatur numerus, 114 C. — *Cf.* Unitas.

NUNC semper stando et nunquam fluendo causat æternitatem, 48 C, sicut nunquam stando et semper fluendo causat tempus, 48 D. — Nunc æternitatis substantialiter idem est ac Deus et æternitas, 48 C, seu est ipsum esse divinum uniformiter stans, 49 B'; nunc ævi mensurat ipsam substantiam primi mobilis, 110 D; nunc temporis mensurat ipsum mobile in quantum est in motu, 110 C, quia sicut se habet tempus ad motum, sic se habet nunc temporis ad mobile, 110 D.

O

OBEDIENTIA pars est justitiæ specialis, 220 B, et mater virtutum, 220 B, necnon virtus specialis, 220 A, cujus objectum est præceptum cum debito observandi, 219 D', 220 D. Et triplex est : indiscreta, quæ omnino abjicienda est, 221 A; discreta sed imperfecta, qua quis in his quæ promisit, obediens est, 221 A; discreta et perfecta, qua quis in omnibus obedit quæ legi divinæ non contrariantur, 221 A, et hæc non requiritur, sed abundans est, quidquid dicant aliqui, 221 B, quia nec subditus obedire tenetur nisi in his ad quæ extenditur prælatio, 221 C, nec prælatio nisi ad hæc quæ ad regulam pertinent, extenditur, 221 D. — Quia prælati ex institutione divina vim habent coactivam, non solum corporaliter sed spiritualiter, Christiani dominis sæcularibus obe-

Digitized by Google

dire tenentur, 220D, etiam dyscolis, 220A', dummodo veri sint prælati, 220B', et mala non præcipiant, 220C', 283A', quia omnis mali origo est superiori resistere, 283B'. — Magis obediendum est auctoritati superiori quam inferiori quæ ex ipsa oritur, 221A', saltem in omnibus in quibus inferior superiori subjecta est, 221B', et sic Deo magis obediendum est quam cuilibet, Papæ quam cunctis ecclesiasticis potestatibus, imperatori quam cunctis civilibus officialibus, 221B': monachus tamen quoad regulam propriam magis prælato tenetur obedire quam episcopo, quamvis in his quæ ad ecclesiasticam disciplinam pertinent, magis episcopo subditus sit quam prælato, 221B'; similiter in his quæ ad bonum civile spectant, magis obediendum est civili auctoritati, in his quæ ad salutem ordinantur, magis spirituali potestati, 221C'. — *Cf.* Prælatio.

OBJECTUM est perfectio potentiæ, 67B.

ODIUM passio est appetitus concupiscibilis ex apprehensione mali procedens, 280B', unde tantum quid habet odibilitatis quantum et defectibilitatis, 307D. — Quia ex dissimilitudine oritur, eo odibilior fit Deo creatura quo ei est dissimilior, 321B'.

OMISSIO. Peccatum omissionis in sola actus debiti negatione consistit, 198C', nec requirit actum aliquem, sive interiorem sive exteriorem, 198A'; verumtamen non est peccatum nisi in quantum voluntaria est omissio, 198C', et in quantum actus omissus cadit sub præcepto affirmativo, 198D', ac proinde pro tempore ad quod præceptum illud est obligans, 198D' : unde peccati omissionis subjectum est non operatio, sed voluntas, 199A. Est tamen peccatum actuale, 198D', quod proprie vocatur delictum, 214C'.

OMNIPOTENTIA. Deo, ut ipsa ratio demonstrat, 42D, 80A, competit omnipotentia seu potentia infinita, 78B', quia infinitæ est essentiæ, 78B', C', ideoque infinities plura et majora facere potest quam quæcumque potentia finita, 78D', et quam possumus concipere, 79A, B; et si qua sunt quæ dicuntur non posse fieri, hoc non est ex impotentia Dei, sed rerum, 79B, A'. — Proprium divinæ potentiæ objectum est esse, 79C, et ea quæcumque facere potest, quibus entis ratio non repugnat, 79D, vel quæ in quo sunt potentiam passivam non requirunt, 79B', aut quæ facere posse est vera et nobilis potentia, 79C' : unde a potentia divina excluduntur contradictoria, 175D', quibus entis ratio repugnat, 79D, B', privativa, mala et materialia, quæ in subjecto potentiam passivam requirunt et dignitati divinæ derogant, 79B'; sed melius dicitur ea non posse fieri, quam Deum ea non posse facere, 79A'. Nec ista divinæ omnipotentiæ officiunt, 80C', 81B, quia potentia faciendi quod non expedit aut non fas est, non potentia est sed impotentia, 80D', 81A, et quanto quis magis illud potest, tanto magis impotens est, 80D' : eo ergo Deus est magis vere omnipotens quo minus aliquid tale potest, 81A. — Omnipotentiæ divinæ est creare, 333A, 419C', et infinitos mundos producere potest, 44D; omnibus exsistentibus dat posse esse et esse ac omnia, 80A', nec major est in creatione angelorum quam in productione infimorum, 80B'; omnia ei æque possibilia sunt, 80B', quia ipsi subest, quum voluerit, posse, 105D, et tot facere nequit quin in infinitum plura et præstantiora producere queat, 44A', 65D, 233A' : errant igitur qui Deum putant ultra naturalem rerum legem operari non posse, 79B. — Alia tamen est in Deo potentia absoluta seu simpliciter sumpta, alia potentia ordinata seu sapienter agens, 81C : ad potentiam absolutam pertinent quæcumque fieri possibile est, 81C, ad ordinatam quæcumque fieri congruum est, 81D.

OPERATIO in Deo ab essentia non est distincta, 67C', quia non est nisi ipse Deus agens, 47C; in creatura autem ab essentia differt et potentia, 29B', et ab essentia procedit per mediam potentiam, 29A'. — Perfectio est potentiæ et essentiæ, 67B, 147D', quia sine operatione perfecta nequit esse potentia, nec sine potentia essentia, 67B; ultima rei perfectio, 151A', et finis creaturæ rationalis, quæ per eam conjungitur ultimo fini, 109A : ideo nihil in rerum natura potentia et operatione caret, alioqui esset frustra, 24D', 80D, 105C', 182B, quidquid contra dicat Avicebron, 105B'. — Ad operantis essentiam se habet ut membrum ad corpus, 90B, et proportionatur potentiæ, 78B'; sequitur operantis naturam, 57C', 145D', et parificatur modo essendi, 66C, quia secundum diversitatem rerum diversitas est actionum, 181D' : quo ergo rei natura simplicior et purior fuerit, eo operatio erit magis simplex et pura, 63D'. — Una ergo et simplici ope-

Digitized by Google

ratione delectatur Deus, 63 D', sed ab hac diversi fluunt effectus, in quibus Deus est multipliciter propter diversitatem effectuum, et uniformiter propter suam simplicitatem, 47 C. — Operatio artis in operatione naturæ fundatur, quæ arti præbet materiam, 105 D, et operatio naturæ in actione Creatoris, qui naturæ pariter præstat materiam, 103 D. — Dupliciter dicitur aliquis operari per alium, quia scilicet agit vel per virtutem ejus, 142 A', vel per ministerium ejus, 142 B', et sic agit Pater per Filium, ita tamen ut utriusque una eademque sit potentia, 142 C'. — Opus opificem imitari dicitur vel secundum naturam, ut filius imitatur patrem, 149 D, vel secundum ideam, ut artificiata imitantur artificem, 149 D. — *Cf.* Actio.

OPPOSITA in idem genus reducuntur, 198 C', et juxta se posita, evidentius elucescunt, 21 C, 65 D', 233 D'. *Cf.* Contraria.

ORATIO. De modo interno orandi Deum, 263 C.

ORBES cœlestes æterni esse nequeunt, quia non sunt invariabiles, 48 B. — Non a Deo immediate, sed a propriis motoribus moveri dicuntur, 22 B, scilicet a spiritualibus substantiis, 22 C, et proprie a Virtutibus. 22 D, quæ et ipsæ a Deo moventur sicut desiderans a desiderato, 22 B, vel sicut subjecti a rege, 22 C. Imo, juxta philosophos, cuilibet orbi duplex est motor, nempe anima propria et intelligentia, 134 C', 143 B', seu angelus superior et inferior, 143 C'; sed quum corpus cœleste sit simplex et ingenerabile, ipsi uniri nequit anima, nisi ut motor, 143 C'. — Miræ sunt magnitudinis, 232 C, 233 C', et post judicium innovabuntur, 409 C', 535 D'. — *Cf.* Sphæra.

ORDO debita est habitudo superiorum ac inferiorum ad invicem, 24 D : in omni ergo ordine oportet esse aliquid primum et summum, et item aliquid ultimum et infimum, 24 D, et insuper requiritur ut inferiora ad supremum aliquod convertantur, 24 B'. — Quæ ejusdem sunt ordinis, sibi invicem coordinata sunt, nec ab invicem infinite distare possunt, 95 C'; quo constat Deum sub ordine entium contineri non posse, 96 A, sed esse extra et supra omnem ordinem, 96 C. — Quæcumque vero a Deo sunt, ordinata sunt, 123 A'; idcirco in omni genere entium est quidam ordo a summo usque ad ultimum per ordinatum descensum, 270 D, sive in spiritualibus substantiis, ut angelis, 130 D, B', et dæmonibus, 123 A', quia quod in corporalibus est situs, hoc in spiritualibus est ordo, 131 D, sive in hominibus, 131 C', 132 B, sive in corporeis, ut elementis, 144 D, 235 D' : in quo ordine superiora sunt inferiorum exemplaria, 116 B', et inferiora a superioribus reguntur, 25 C', 78 B, 143 B', 283 B, per media, 134 B', et ad superiorum nutum moventur, 19 D', 278 D. — Ordo universi a divina sapientia institutus est, 47 B ; ex gradibus bonitatum resultat, 167 D, 195 D, et in speciebus consistit, 24 A', 95 C', quarum est quædam continuatio, quia ultima ordinis superioris cum suprema ordinis inferioris maxime convenit, 270 C'. Duplex est : alter principalis, quo creaturæ ordinantur ad Deum ut ad ultimum finem, alter secundarius, quo ordinantur alia ad alia, 109 C ; qui ultimus est propter primum, 109 D. — In ordine, modo et specie stat perfectio rerum, 229 D, et universi, 232 B', 237 D', et rebus datur ordo a causa finali, 238 B. Qualiter in voluntate inveniatur, et a peccato corrumpatur, 239 B, B', D'. Animus inordinatus sibi ipsi pœna est, 181 A, 200 C.

Ordines angelorum. *Vide* Chorus.

ORIGENES (Adamantius) cœlestia animata esse credidit, 49 A, et terrestrem paradisum non esse corporalem locum, 152 D'.

ORNATUS. Opus ornatus a creatione distinctum est, et ad quartam, quintam et sextam diem pertinet, 139 B', 144 C'; quoad ordinem operi distinctionis respondet, 145 A. — Animalia dicuntur ornamenta elementorum quantum ad motum communem et quietem, 147 B, et illius elementi proprie sunt ornamenta, in quo talem motum naturaliter habent, 147 C.

P

PARADISUS terrestris locus est corporeus, temperatissimus et amœnus, 153 A, sub æquinoctiali versus orientem situs, 153 A, homini innocenti convenientissimus, sed peccatori juste occlusus, 185 D', et qui inaccessibilis manet propter intemperatum calorem, 186 A. Ad lunam pertingere dicitur, non per locum, sed per incorruptionem, 153 B. — Ibi collocatus est homo, ut nullis molestiis impeditus, contemplationi quiete vacaret, 153 A, D, nec illuc pervenisse videntur irrationalia, 153 D. — In paradiso fuisset gene-

Digitized by Google

ratio, 160 D, per utriusque sexus copulam, 160 B', et cum ingenti delectatione, 160 C'; nati fuissent pueri tot feminæ quot masculi, 161 D, parvuli, 161 C, debiles et infirmi, 161 D', cognitione et scientia orbati, 162 B, sed cum justitia quæ in recta naturæ ordinatione consistit, 162 D, et forsan cum illa justitia quæ actus meritorios efficit, 162 D, non tamen in gratia confirmati, 162 C', D'; mox nati habitum prudentiæ percepissent, ad eligendum quæ sunt agenda et non agenda, 168 B', sed aliarum cognitionum habitus per inventionem aut doctrinam acquisivissent, 168 C'. — Quæ in paradiso fuisset prælatio, 219 A', quæ gratiæ, 184 B', virtutes, 184 C', et merita, 185 C.

PASSIO vel pro acceptione alicujus in se sumitur, et sic omne quod creatum est et in potentia, passibile est, 158 D', vel pro alteratione transmutante rem in suum contrarium, et sic omne mortale dumtaxat est passibile, 159 A, quia passio magis facta abjicit a substantia, 159 A; mala est quum per eam aliquid in patiente corrumpitur, 195 D'. — Passiones sunt motus et affectiones in inferiori parte hominis insurgentes, 276 D', seu in sensitivo appetitu, quia cum quadam corporali transmutatione nascuntur, 279 C, et sunt subjective in appetitu sensitivo, 280 C, imo non sunt nisi inclinationes et affectiones appetitus sensitivi, 280 C. Duodecim sunt in genere, 281 A, sex in concupiscibili appetitu, 280 D, et sex in irascibili, 280 C'. — Ex se nec laudabiles sunt nec vituperabiles, 277 B, sed ex voluntate et ratione laudabiles vel culpabiles fiunt, 200 C, 277 B; quapropter motus earum primo primi culpa carent, 277 B. Aliæ sunt passiones tantum, ut corporales, et quia in his non est voluntas, ex objecto fiunt meritoriæ aut demeritoriæ, 200 D; aliæ sunt passiones simul et actiones, ut intelligere, velle, etc., 200 D, et hæ non sunt peccata nisi in quantum a voluntate imperantur, 200 B'. — Passiones directe virtuti sunt oppositæ, 200 B', et rationi prout medium in passione statuit, 200 C'; rationis lumen obtenebrant, virtutis actus impediunt, 276 D', contemplationem et internæ dulcedinis gustum, 92 D, et quum dominantur, hominem bestialem efficiunt, 277 A. Ideo totum rationis studium in eo esse debet ut passiones refrenet, ne inordinatæ sint, 277 A : ad quod requiruntur prudentia, cognitio, discretio, 277 C, et virtutes habituales extremitatibus passionum oppositæ, 277 C. — Ille contra passiones reluctari dicitur, qui etsi eas insurgentes reprimere nequeat, de his tamen erubescit et cautior fit, 277 A', ille passionibus dominatur, qui insurgentes mox advertit et reprimit, 277 A'; unde in incipientibus frequenter exsurgunt motus passionum, in proficientibus raro, 277 D. — In angelis non sunt passiones, 120 B', 121 A.

PASSIO Domini fuit redemptionis nostræ consummatio, 301 D'. — Describitur, 310 B' et s., et mystice explicatur, 313 B'.

PATER in Trinitate, quum sit summæ bonitatis, summæ est communicabilitatis, 346 B, 439 C' : ideo ipsi competit fecunditas, 346 B', 440 B', et generatio, 346 B, 440 A', non generatio materialis, successiva et localis, sed intellectualis, incommutabilis et æterna, 346 B, 440 A. Et quia est actualissimus intellectus, mens in se subsistens, se ipsum plenissime cognoscendo, profert intra se Verbum æternum, 440 A, in quo tota paterna sapientia continetur, quia est quidquid intelligit Pater, 346 D, 440 B, actum de actu, lumen de lumine, 87 A', 346 D, 440 C, ejusdem cum Patre substantiæ, quia in Deo actio est essentia, 346 D, 440 D, Verbum non sonans aut transiens, sed subsistens et æternum, 346 A', perfectum, unicum, omnipotens, Deum verum, 346 C', quod ideo dicitur Filius quia secundum rationem similitudinis in identitate naturæ generatur, 346 A', 440 D, in quo infinitam habet Pater complacentiam, 346 D', 441 A, et beatitudinem, 346 B', 440 B'. Quomodo dicatur operari per Filium, 142 B'. — Patri, quia a nullo est, appropriantur unitas, 249 B, æternitas, 248 C', et potentia, 216 C' : unde qui ex infirmitate aut passione peccant, contra Patrem peccare dicuntur, 216 C'. — *Cf.* Filius, Incarnatio.

PAULUS (S.) apostolus divinam naturam in raptu vidisse dicitur, 41 C.

PECCATUM varie definitur, 198 C; est privatio alicujus debiti inesse, dum et ipsum inesse congruit, 166 B, et immediate opponitur, non gratiæ, sed virtuti, 177 C'; quomodo a defectu differat, a malo, 186 D, et a delicto, 214 B'. — In peccato sunt duo, ipse actus et deformitas actus, 198 B, et ratione actus est aliquid, et aliquo modo dici potest substantia, 201 B', et natura, 201 C', ratione autem

Digitized by Google

deformitatis nihil est, nec substantia, nec accidens, 201 B', sed mera corruptio, modi scilicet, speciei et ordinis, 201 C', 239 A, C', D'. — Multipliciter dividitur, 214 A et s. Tribus enim modis contingit peccare : ex infirmitate, et sic dicitur peccatum contra Patrem, cujus attributum est potentia, 216 C'; ex ignorantia, et sic est peccatum contra Filium, cui tribuitur sapientia, 216 C'; ex electione, et sic est peccatum contra Spiritum Sanctum, cui appropriatur bonitas, 216 D', 217 B. Similiter aliud est peccatum ex passione, 125 A, quod, cessante passione, celeriter per pœnitentiam deletur, 277 D', aliud peccatum ex malitia seu habitu, 125 A, quod obdurationem inducit, 277 D'. Alia etiam sunt peccata capitalia, quæ sic dicuntur, vel quia facilius homo labitur in ea, 215 D, vel quia ex eis oriuntur cetera, 214 D'; quorum quædam, ut avaritia, luxuria, gula et acedia, sunt in appetitu concupiscibili, 215 A, alia, ut superbia, ira et invidia, sunt in irascibili, 215 C; et omnia de genere suo sunt mortalia, 215 B'. Quid sit proprie peccatum in Spiritum Sanctum, 217 B, 218 A, et quotuplex, 216 B', 217 C, et quatenus sit irremissibile, 218 B. — Omne peccatum injustitia est, 214 C, monstrum in natura, 197 C', et tenebræ, 85 B'; verumtamen ad perfectionem pertinet universi, et multorum causa est bonorum, 167 D; quoad quod est actus in eo, est a Deo, 202 D, C', D', et quantum habet de entitate, tantum et participat divinam similitudinem, 202 B; quoad vero quod est deformitatis, non est a Deo, 202 D', et cooperari potest Deus actui peccati, infundendo animam adulterinis fetibus, quin cooperetur deformitati, 155 D'.

Peccatum ex potentialitate oritur, 124 B, et non est nisi recessus a fine, 20 D : idcirco in Deo cadere nequit, qui est actus purus, 124 B, et sibi ipsi finis est, 20 D, nec in angelis sanctis, quorum tota potentialitas in actum redacta est, 124 B, nec in Beatis, qui ultimo fini inavertibiliter conjuncti sunt, 124 C, sed tantum in creaturis quæ a fine distant, 20 A'. — In his dumtaxat esse potest quæ libere convertuntur ad Deum, 167 B; sed peccandi potestas non est libertas nec pars libertatis, 124 A', et justi laudem merentur non ex potestate peccandi, sed ex voluntate non peccandi, 124 A'. — Quum ex actu producatur, immediate ad potentiam pertinet, 177 C', et sic est in voluntate sicut in causa, 173 A, non in sola voluntate, ut dixerunt aliqui, nec in solo actu, ut volunt alii, 199 C, sed in voluntate principaliter, et in actu secundario, 199 B; an et qualiter sit in sensualitate, 172 D', in appetitu concupiscibili vel irascibili, 173 B, et in ratione, 173 C, D', 174 D. — Quodlibet peccatum, sive mortale sive veniale, semper vitari potest, etiam sine gratia, 182 D, quamvis universa venialia vitare non valeamus, 182 C, nec a peccato mortali absque gratia resurgere, 182 D, 212 C'.

Peccata non sunt omnia æqualia, 216 C, sed alia aliis graviora esse possunt sive ex parte actus, sive ex parte peccantis, 216 A', sive ex parte circumstantiarum, 164 B, 165 B', 320 C. — Quædam sunt mortalia ex genere suo, quæ non sunt venialia nisi per accidens, 173 C', quædam venialia vel ex genere, vel ex causa, vel ex eventu, 164 B', 174 C, 212 B', quæ tamen mortalia fieri possunt per accidens, 174 B; item in uno peccato plures possunt esse deformitates, et tunc sumitur species ab illo quod intenditur, 164 D' : unde qui mœchatur pro lucro, potius avarus est quam mœchus, 165 A. — Peccatum mortale ex parte agentis venit, 196 B', qui finem sibi constituit in alio quam in Deo, 196 C', et perfectum esse nequit sine electione rationis deliberantis, 173 D'; in his fit præcipue quæ sunt directe contra caritatem Dei et fœdus humanæ societatis, 212 A'. Peccatum veniale a perfecta ratione peccati deficit, quia non penitus a fine deordinat, 198 D, et peccatum originale multo plus, quia non est actus, 198 D. — Mortale ac veniale ab invicem specifice differunt, 213 A, quia per mortale adhæretur bono commutabili, tanquam fini, 212 D', 252 D, ideo spiritualem vitam penitus aufert, 212 D, et pœnam meretur æternam, 212 B'; per veniale vero adhæretur bono commutabili, sicut ei quod est ad finem, 212 D', ideo non corrumpit virtutem secundum habitum, sed secundum actum, 212 C, nec pœnam meretur æternam, 212 B'. — Peccatum mortale a veniali infinite distat, quia bonum infinitum privat, 174 D', ideo impossibile est eumdem numero actum qui est peccatum veniale fieri mortalem, 174 C', sed nihil prohibet culpam quæ ex genere suo est venialis, per accidens fieri mortalem, 174 C', 212 A', aut

Digitized by Google

multa venialia per accidens ad mortalem pertingere reatum, 174 D'. — Peccatum mortale naturam non tollit, 166D, 197D, ideo in peccantibus angelis vel hominibus naturalia permanserunt, 159D, 197A'; sed eam a consecutione finis impedit, 186C, potentias vulnerat, 239A', gratiam tollit, 197D, virtutes infusas aufert, 239A', præcedentia merita mortificat, 180C', 181B', naturalem corrumpit aptitudinem ad bonum, 239A', D', et habilitatem ad gratiam minuit, 197D; ratione aversionis a Deo reatum inducit, 191B, ratione conversionis ad caduca fit dispositio ad simile malum, 191B, et quidem deleto peccato, tollitur reatus, non autem dispositio ad malum, 191C. — Duplicem habet pœnam, alteram a se ipso, quæ est remorsus conscientiæ, alteram ab extrinseco inflictam, 180D'; alteram in anima, quæ a patre non transit in filium, 193A', alteram in corpore, quæ sæpe redundat in sobolem, 193B'. — Peccatum causa potest esse alterius peccati, sive in genere causæ efficientis, 199B', sive in genere causæ finalis et materialis, 199D', et hoc quadrupliciter, 214D'; item contingit idem esse culpam et pœnam, vel ratione effectus, 200A, vel in quantum est effectus pœnæ, 200B, vel ratione deformitatis in actu, 200C. — *Cf.* Pœna.

Omne peccatum voluntarium est, 186A', sed aliud est peccatum personæ, quod causatur a voluntate personæ, aliud peccatum naturæ, quod a naturæ voluntate procedit, 186A'. — Peccatum originale non est peccatum personæ ut sic, nec est de libertate posteriorum, 186C', sed per propagationem seminis venit ad animam, 186C', seu per corruptam carnem, qua inficitur anima, 186D'; unde non per modum demeriti imputatur, sed per modum traductionis, 162B', et in omnibus est qui secundum rationem seminalem fuerunt in Adam, seu qui ex coitu generantur, 188D, non autem in Christo, qui in Adam non fuit secundum rationem seminalem, 188A'. Natura enim corrupta similem sibi naturam generat, 189D, C', et hic defectus rationem culpæ habet ex voluntate primi parentis, qui peccavit voluntate naturæ, 189D; et quia natura in generante perfecte redintegrari nequit in hac vita, 189D', generans in prolem transfundit defectum, 189C', licet ipse per Baptismum ab originali purgatus sit, 190A, quia purgatio Baptismi ad personam pertinet, generatio autem ad naturam, 190B. — Sicut in omni peccato est aliquid materiale, seu conversio ad bonum commutabile, et aliquid formale, id est aversio a summo bono, 187A, ita in originali est aliquid materiale, scilicet infectio virium, 187B, seu solutio vinculi quod vires inferiores retinebat, 187C, seu concupiscentia, 187D, et aliquid formale, scilicet deordinatio a fine aut aversio voluntatis a primæva rectitudine, 187B. In quantum est privatio justitiæ, unum est, 194A, in quantum ex eo causantur actualia peccata, virtualiter multiplex est, 194B. — Animæ essentiam respicit, 190A', cujus omnes inficit potentias, 190B', præter nutritivam et augmentativam, 190D'; in voluntate est sicut in causa, 190B', in inferioribus viribus per suum materiale, in superioribus per suum formale, 190A', sed maxime in generativa, in tactu et in concupiscibili, 190B'. — Peccato originali duplex inflicta est pœna : carentia gloriæ, in quantum est peccatum personæ, 191B', 194B, quæ pœna tollitur per gratiam, 190A, 191B', necessitas moriendi et rebellio carnis, in quantum est peccatum naturæ, 191C', 194B, quæ pœna tolletur per gloriam, 190A, 191C'. Post vitam ipsi debetur carentia visionis divinæ, 194C, nulla autem pœna sensus, quia nec personale est, nec admixtam habet delectationem, 194D, et minimum habet de voluntario et de ratione peccati, 194A'. — Pueri igitur cum originali defuncti nullum detrimentum in naturalibus sustinebunt, 194A'; incorruptibilia habebunt corpora, cessatione actionis corruptivæ post diem judicii, 194A', cognitionem perfectam eorum quæ naturaliter sciri possunt, 194C', rectam rationem peccato non obliquatam, nec carnis onere gravatam, 194D'; nec de privatione veræ felicitatis dolebunt, 194C', quia nullam ad hanc sortiti sunt proportionem, 194D', nec sortem effugere potuerunt, 194D'; imo gaudebunt de sua naturali bonitate, et Deum naturali amore diligent, 195A. — *Cf.* Adam.

Peccator quilibet quodam sensu dicitur ignorans, 166A', B', et infinite stultus est, qui ob modicam delectationem æternam mercedem amittit, 309B; tanto minus excusabilis est, 250D', quanto Deus præstantior est, 250B', 251C', diligibilior et appetibilior, 250C', quanto plura nobis contulerit, 251A,

Digitized by Google

252 A, et promiserit, 251 C, quanto magis nos diligendo prævenerit, 251 D, et honoraverit, 251 B', quanto viliora ipsi præferuntur, 250 C', 252 C. — Tantum Deo odibilis est quantum et dissimilis, 321 B'; sed in præsenti nunquam ita relinquitur, ut penitus expers sit misericordiæ Dei, 285 D. — Cur peccanti homini Deus pepercerit, 275 A', non angelo, 275 D, D'.

PELAGIUS et Pelagiani hæretici animam sine gratia dicebant posse mereri, 177 D', 182 A, et a peccato resurgere, 182 D.

PERFECTIO uniuscujusque est a forma, 196 D, sed alia est perfectio prima, seu forma substantialis, cui opponitur malum naturæ, alia perfectio secunda, seu operatio, cui opponitur malum culpæ, 197 C'. Ultima rei perfectio est in complemento operationis suæ, 151 A', et in copulatione ad suum principium, 156 A'; sed non stat in indivisibili, 216 C, nec subito acquiritur, sed paulatim, 269 D', 271 B, 273 C'. — Omnia propriam perfectionem desiderant, 31 A'; non vero in quarumlibet qualitatum acquisitione stat perfectio, 199 C, sed tantum earum quæ naturales sunt et perfectivæ subjecti, 199 D: perfectio enim correspondet perfectibilibus, 273 A, et cuique creaturæ competit secundum exigentiam proprii status, 259 A, 272 D', cujus limites excedere non debet, 273 A. Tanto autem quid perfectius est quanto magis fonti suæ exsistentiæ appropinquat, 29 C': nam propter recessum a primo fit in posterioribus diminutio et imperfectio, 29 D', et nihil imperfectum convincitur nisi in quantum a fonte suæ perfectionis elongatur, 42 A'. Hæc est ergo summa rerum perfectio, ut divinæ bonitati pro posse conformentur, 108 B', sed multæ sunt divinæ perfectiones quas nobis optare non licet, 273 D. — Ex diversis creaturarum perfectionibus arguitur esse ens primum omnino perfectum, 24 D: nam magis et minus non accipiuntur nisi per respectum ad primum quod sit secundorum regula et mensura, 24 C, et in omni genere, quod minoratum est a perfectione generis necesse est oriri a primo quod perfectum est in genere, 104 A'. Omnimoda igitur perfectio Deo competit, in quantum actus purus est, 38 A, et sibi ipsi ratio exsistendi, 42 A'; et idem est ei esse et esse perfectum, quoniam ejus perfectio est sua essentia, 84 D', in se omnes creatorum perfectiones continens, 60 C', 70 A', quantumcumque diversas et oppositas, 60 D', per modum unum et eminentem, absque ulla imperfectione et diversitate, 71 C'. Creatura autem omnis ad certum perfectionis gradum coarctatur, et imperfecta est, 41 B', ubi enim perfectio terminatur, ibi imperfectio inchoatur, 41 D'. — In hoc conveniunt perfectio divina et humana, quod utraque in contemplatione veritatis, seu in vero intellectus judicio fundatur, 261 A'; sed perfectio Dei, quia ex se est, ad aliud ordinari non eget, 259 C, perfectio autem creaturæ, quia ab alio est, ad aliud referenda est, 259 B': perfectio igitur Dei est ut in se lætetur, perfectio creaturæ, ut in Deo lætetur, 260 C, et ejus solius gloriam et honorem in omnibus intendat, 274 A; quantumque de propriis aliquis gaudet, tantum ab arce perfectionis delabitur, 260 D, 261 A, quanto minoris se reputat, tanto perfectior est, 261 A.

Perfectio ut actio hierarchica, 130 D, est consummatio in scientia, 131 A, et illuminationem ac purgationem continet, 131 D.

PERIPATETICI, Aristotelis discipuli, quomodo dixerint in Deo non esse voluntatem, 71 B'. — Intelligentias seu substantias separatas, 242 A, immutabiles et impeccabiles dicebant, ac proinde dæmones negabant, 25 C. — Circa intellectum possibilem multum discordant, 151 B'.

Peripatetici allegati : Alexander, Algazel, Alphorabius, Aristoteles, Avempote, Averroes, Avicenna, Themistius, Theophrastus.

PERSEVERANTIA modo virtus est, modo circumstantia virtutis, 217 C'.

PERSONA est rationalis naturæ individua subsistentia, 113 D, ad cujus rationem tria pertinent, subsistere, ratiocinari, individuum esse, 113 D : unde recte persona dicitur homo, 113 D, rectius angelus, 113 A', rectissime Deus, 113 A'. — Tres divinæ personæ se invicem intensissime diligunt, 249 D', quia in eis est summa amabilitas, 249 C', mera identitas in natura, conformitas summa in voluntate, 249 D', se invicem indesinenter contemplantur et jucundissime fruuntur, 250 A.

PETRUS Damianus (S.) cœlestium contemplationem commendat, 21 C'. (*Cf.* Migne *Patr. lat.* tom. 145, col. 246.)

PETRUS de Aquila (*alias* Scotellus), Ord. Min. theologus, Scoti discipulus, 17 C'.

Digitized by Google

PETRUS Lombardus. *Vide* Magister.

PHANTASIA recta esse potest vel non recta, 120 D, et ex ea est omnis defectus animæ, quantum ad intellectum, 125 B'. — Quo sensu tribuatur dæmonibus phantasia proterva, 125 C'.

PHANTASMATA in anteriori parte cerebri collocata sunt, 162 B. — Ad intellectum se habent sicut color ad visum, 162 B, et ipsi necessaria sunt, non modo ad acquirendam cognitionem, sed etiam ut habitum cognitionis quam habet in mente, ponat in actu, 162 C; ideo perturbatis et confusis phantasmatibus, impeditur intellectus, 162 C. — Per applicationem luminis sui ad phantasmata, hominem erudiunt sive angeli sive dæmones, 126 B.

PHILOSOPHI. Propter fideles datum est ethnicis philosophis philosophari, 13 D', 305 A', et ex ipsis meliores ad adipiscendam divinorum notitiam omne studium adhibuerunt, 16 B', et plurima vera adinvenerunt, ut divini esse æternitatem, simplicitatem et perfectionem, 312 C'. Etenim ex consideratione causarum et entium docuerunt esse ens primum, omnium causam et ultimum finem, 23 D', quem dixerunt Deum, 23 D, 25 B', infinitæ virtutis, 43 B, et incorporalem, in hoc multo melius censentes quam Judæi et hæretici, 38 C; mundi creationem pariter agnoverunt, 42 A': quapropter ex ipsis utile est sapientiam quærere, 13 C'. — Sed in multis erraverunt, circa scientiam Dei, 65 C', et modum emanationis entium a Deo, 75 D, circa intellectum agentem, quem dixerunt substantiam esse separatam, 151 D, et intellectum possibilem, quem dixerunt vel virtutem corpoream, 151 B', vel vim imaginativam, 151 C'; immortalem animam non agnoverunt, 157 C', nec originem nec finem humanæ propaginis invenire potuerunt, 312 D, nec originalem justitiam, nec futuram beatitudinem, 312 A'; nec recte sapientia sua usi sunt, 312 C'.

Philosophus. *Vide* Aristoteles. — Philosophi. *Vide* Epicurei, Peripatetici, Platonici, Stoici.

PHOTINUS hæreticus Christum purum hominem prædicabat, 303 B'.

PISCES ex aqua sunt secundum quod in ea est grossius, ideo manent in ea, 147 A, et ornamenta sunt aquæ, 147 C. — Ad reptilium genus pertinent, 147 A'.

PLANETÆ sub cœlo crystallino collocantur, 408 A, 533 C, et proprias habent sphæras, in quibus non fixi sunt, sed moventur, 408 B.

PLANTÆ a principio creationis in rationibus seminalibus factæ sunt, 139 A, et tertia die in sua natura, 144 C, B', et pertinent ad opus distinctionis, quia ad eas producendas sufficit communis virtus cœli, ut patris, et terræ, ut matris, 144 A'. — In eis mira est pulchritudo, 231 A, qua commendantur Dei sapientia, 231 B, providentia, 231 D, et pulchritudo, 247 D, et quæ non modicum confert ad speciem universi, 236 B. Annualis earum renovatio, verno tempore, imago est futuræ resurrectionis, 236 C. — Plantæ nocivæ innocenti homini non nocuissent, 144 B'.

PLATO, « nobilis et doctus » philosophus, 17 D, primus ideas posuisse perhibetur, 68 A', quas in mente divina constituit, tanquam rerum exemplaria, 69 B, et principia, 69 D, tanquam mundum idealem et archetypum, a quo est mundus iste sensibilis, 42 B'; an eas vere dixerit separatas, 69 A. — Materiam æternam ponebat, sic tamen ut a Deo quod habet et est, sortita sit, 34 B', et mundum pariter ab æterno factum dicebat, 106 D. — Perperam asserit animas omnes a principio separato esse, 156 B', et animam humanam in suo corpore non esse nisi ut motorem in mobili, 110 A, seu hominem esse animam corpore indutam, 152 B'. — Animas separatas ad judicium traduci recte sentit, 26 C, sed male eas de corpore ad corpus transire, 158 A. — *Adde* 11, 16 C', 21 A, 22 B, 25 A, etc.

PLATONICI, quamvis multos posuerint deorum ordines, unum summum colebant Deum, 40 A', omnibus providentem, 77 D', cui omnis deorum catena comparari nequit, 40 B'. — Primam agnoscebant intelligentiam seu Νοῦν, a Deo creatam, quam postea Ariani dixerunt Filium Dei, 46 B. — Bonum ante ens ponebant, quare, 34 D.

Platonici allegati : Augustinus, Avicebron, Boetius, Macrobius, Plotinus, Porphyrius, Proclus.

PLOTINUS, « magnus Platonicus », 225, 241 B', 245 D', pulchre divinam providentiam demonstrat, 231 D.

POENA omnis malum naturæ dicitur, quia bono naturæ nocet, 197 D', sed quædam est medicina, vel ad correctionem puniti vel ad exemplum aliorum, 211 D'. — In ipsa duo attenduntur : defectus qui patientem privat aliquo bono, et ordinatio justitiæ, 203 B, et

Digitized by Google

quoad ultimum a Deo est, 203 C, et ad pulchritudinem confert universi, 234 D, quia per pœnæ ordinationem emundatur peccati dedecus, 234 C'. Alia tamen est pœna per inflictionem contrarii agentis, ut pœna sensus, cujus Deus est causa activa, 192 C, 203 D, alia per ablationem tantum, ut pœna damni, cujus Deus causa est per cessationem influxus, 192 D, 203 D. — Pœnæ hujus vitæ, respectu conditionis humanæ, naturam sequuntur, 186 C, sed respectu primævæ justitiæ, sunt pœnæ peccati, 186 B; verumtamen privatio bonorum interiorum nunquam accidit nisi ex culpa propria, 201 A, privatio autem exteriorum bonorum, quamvis sit ex originali peccato, 201 A, non semper ex peccato actuali accidit, 200 D', et sæpe prodest, nedum noceat, 201 B. Quinque de causis contingit quempiam pœnis affligi, 201 B. — Peccato duplex infligitur pœna, altera quoad animam, quæ propria est peccanti, 193 A', altera quoad corpus, quæ nonnunquam redundat in filios, 193 B', in quantum sunt res patris, præsertim quum ejus peccata imitantur, 193 C', ut puniuntur animalia pro peccatis hominum, vel populi pro regum excessibus, 193 C'; juxta tamen legem humanam non puniuntur filii pro patre in bonis quæ jam ab eo acceperunt, sed quæ accepturi essent, 193 D'.

POENITENTIA quo sensu Deo tribuatur, 279 A'. — Nullus pœnitere potest nisi passione cessante vel habitu remoto, 125 B; sed quum mors sit homini terminus viæ, sicut electio angelo, nec anima post mortem, nec angelus post electionem pœnitere valet, 125 B, 275 C'.

PONDUS hoc est in corporibus quod amor in animis, 238 B'. — Quomodo in pondere facta dicantur creaturæ, 238 A', et mundus, 238 C', D'.

PORPHYRIUS Platonicus quo sensu dixerit in Deo non esse voluntatem, 71 B'.

POSITIO. *Vide* Affirmatio.

POTENTIA multipliciter sumitur, sive active pro potestate, 28 D, vel qualitate, 28 B', vel accidentali vi entis creati quæ inter essentiam et operationem mediat, 28 B', 29 A', 67 B', sive passive prout opponitur actui, 28 A'. — Potentia active sumpta principium est operandi et aliud transmutandi, 65 C; ab actu non distinguitur, et ab ea dicitur aliquid potens, 28 A. Quo fuerit major, eo in plura potest, 78 D', nec plene cognoscitur, nisi cognoscantur ea ad quæ extenditur, 65 D. — Potentia passive sumpta principium est movendi ab alio secundum quod alio, 28 A', 37 C', et ab ea aliquid dicitur possibile, 28 A'; unde potentia dicitur entitas quælibet imperfecta et mobilis, 28 B', quæ influentiam recipit ab alio, 28 A', 37 C', ut principiatum respectu principii, et patiens respectu agentis, 29 B. Cum actu dividit ens, 28 B, et in omni ente creato invenitur, 28 B', non tantum in corporeis, ut materia, sed et in incorporeis, 28 D'; et tanto melior est natura quanto minus permixta est potentia, 103 C. Non unit se actui, quia omnis motus est a forma, 19 D', nec assumitur ab actu, quia in eodem simul incipiunt, 19 D', sed ambo a causa exteriori efficiuntur et uniuntur, 19 C'. Nihil est in actu simul et in potentia secundum idem, 19 B', sed nihil prohibet idem simul esse actum sub uno respectu, et potentiam sub alio, 29 C; et quum sint entia ex actu et potentia composita, 20 A', necesse est esse ens quod sit potentia tantum, et hoc est materia prima, 20 B'. — Potentia ut vis perficit essentiam, et ab operatione perficitur, 67 B; proportionatur essentiæ et sequitur eam, 78 B', unde nobiliori essentiæ competit nobilior potentia, 78 C'. Per habitum determinatur ad aliquid unum, 169 D, et ad certos actus, 177 B', unde per proprios actus distinguitur, 169 A'; non tamen quælibet diversitas actus diversificat potentiam, sed illa dumtaxat quæ sumitur secundum diversam rationem objecti, 171 A'; in ipsa duplex est motus, subitus, et deliberatus, 174 C. Potentiæ ab essentia animæ fluunt, 287 C, et in ipsa uniuntur ut in radice, 177 D'; ordine quodam procedunt ab anima, 169 B', unde virtus unius in alia relinquitur quæ ipsam præsupponit, 169 B', et una in se plurium virtutem colligere potest, 169 B'; sed quum in aliquo actu manet virtus alterius potentiæ, ille potentiæ adscribitur a qua procedit, 170 B. Quomodo per vitia corrumpantur, 199 D. — Deo nullo modo competit potentia passiva, nec ea quæ eam præsupponunt, ut privativa, mala et materialia, 79 B', sed tantum activa, 78 B', 79 A', et hæc immensa, 78 B', et infinita, 78 C'; pariter Deo non competit potentia ut vis, quia operatur per esse suum, 76 D', et ipse est sua operatio, 50 B', 67 C'; verumtamen

Digitized by Google

duæ ipsi tribuuntur potentiæ, intellectus et voluntas, tanquam nobilissimæ, 83C, quæ in eo unum sunt, 76A, quia realiter idem sunt quod esse divinum, 76C'. — *Cf.* Actus, Omnipotentia.

POTESTATES, tertius secundæ hierarchiæ chorus, 132A', a Virtutibus efficaciam habent, 132A', aerias arcent potestates ne noceant, et unicuique jus tribuunt, 132D, 405A', 529A'. — Ipsis data est intellectualis potestatis ordinatio, qua Deum sine pœna tremunt, 407B, 531D', potenter ac benigne infimam hierarchiam ad Deum erigunt, 405C, 529C, et distributionem a Dominationibus et Virtutibus procedentem, servant inconfusam, 405D, 529D.

PRÆCEPTUM, licet sit communis materia omnium virtutum, 220A, est objectum speciale obedientiæ, 219D', et quanto major est ille qui præcipit, tanto culpabilius est ei non obedire, 250D'. — Præcepti affirmativi transgressio proprie vocatur delictum, præcepti negativi, peccatum, 214B'. — Præcepta affirmativa obligant semper, sed non ad semper, 198D', 211D.

PRÆDESTINATIO est scientia Dei respectu salvandorum, seu præordinatio alicujus ad gloriam, 68D, et est pars providentiæ seu providentia quoad rationales creaturas, 344A; et quia rationalis creatura ad supernaturalem finem destinatur, ad quem ipsi opus est gratia, 344B, 436B', prædestinatio complectitur ordinationem ad gloriam, miserendi propositum, et præparationem gratiæ, 344C, 436D'. — Quoniam autem facta sunt omnia ut in eis resplenderent divinæ perfectiones, misericordia et veritas, 344D, 437B, quosdam oportuit prædestinari ut vasa misericordiæ, 344D, in quibus apparerent misericordia et bonitas, 344D, B', 437C, quosdam relinqui ut vasa iræ, in quibus manifestarentur veritas et severitas, 344D, B', 437C, et hoc sicut Deo placuit, 344A', 437D. — Dicitur etiam liber vitæ, seu conscriptio electorum in mente divina, 344B', 437B'.

PRÆDICAMENTUM. Quod in prædicamento est, vel species est vel ad speciem reducitur, 96A, unde Deo simplicissimo repugnat ratio omnis prædicamenti, 96B.

PRÆDICATIO. Inter nomina Dei, alia de Deo prædicantur per respectum ad creaturas, 40C', 53C, 54A, alia per negationem, 53D, quæ proinde de Deo substantialiter non dicuntur, 53D; quædam autem prædicantur absolute et positive, 53D, sive per modum qualitatis, sive per modum quantitatis, 40C', 54A, quæ omnia in divinam substantiam transeunt, 40C', 54A. An autem hæc de Deo substantialiter enuntientur, affirmat Thomas, 53B', et, ut videtur, minus recte, 53D', negant autem Rabbi Moyses, 53A', 54A, et Areopagita, 54C, 56B, quibus adstipulantur Damascenus, 55C, Hugo, 55A', Ruysbroeck, 55D', et Cartusianus, 54B, utramque sententiam satagens reconciliare, 56D; utrum etiam per modum causalitatis, 53A', negat Thomas, 53B', cui opponitur Areopagita, 54D', 57A. — Quæ de Deo prædicantur proprie, de eo negantur per excessum, 87D', 88A, quæ metaphorice, negantur per defectum, 87D', magis proprie negantur quam affirmantur, 88A, prius ac magis proprie conveniunt sensibilibus quam Deo, 89C. — Quæ de Deo et creaturis simul enuntiantur, non univoce de duobus prædicantur, 56B', 96C, quia nihil de causa et effectu univoce dicitur nisi adæquet effectus virtutem causæ, 96C, et creatura a Creatore infinite distat, 96D; non tamen dicuntur penitus æquivoce, sed analogice, 96A', primo et perfecte de Deo, secundario et imperfecte de creatis, 96A'. — *Cf.* Affirmatio, Negatio, Nomen.

PRÆLATIO bona vel mala esse potest ex principio, modo et usu, 219C. — Quoad principium, alia est prælatio regis ad subditos, quæ ordinatur ad utilitatem inferiorum, alia tyranni ad servos, quæ ad prælati commodum refertur, 219A'; tyrannica prælatio ex peccato est, nec fuisset in paradiso, nisi erga bruta, 219A', regalis autem a Deo est, et fuisset in paradiso, saltem quoad primum effectum, qui est subditos in agendis dirigere, 219B', quia non repugnat dignitati libertatis, 219C', non autem quoad alios effectus, qui sunt inferiorum defectus supplere et mores corrigere, 219C'. — Quantum ad modum, accidit prælationem non esse a Deo, 219C, vel propter indignitatem personæ, quæ tamen verus est prælatus, 220A', vel ob illicitum acquirendi modum, quo persona non est vere prælatus, 220B'. — Quantum ad usum, abuti dicuntur qui mala præcipiunt, 220C', vel ea ad quæ minime se extendit eorum prælatio, 220D'; quidquid

Digitized by Google

autem in prælatione est boni, seu formale, est a Deo, 219 C, D, quidquid mali, seu abusus, non est a Deo, 219 C, D. — Ordo prælationis a divina institutione vim habet coactivam non modo corporaliter, sed spiritualiter, 220 D : ideo prælatis obediendum est, 220 D, etiam dyscolis, 220 A', dummodo sint veri prælati, 220 B', et justa præcipiant, 220 C', 283 A', ad quæ eorum extendatur prælatio, 220 D'. — Boni prælati, qui sibi non assumunt honorem, 283 D, ceteris hominibus diviniores sunt, 283 A', C', quoniam omnium divinorum divinissimum est esse Dei cooperatorem, 283 A', et summam merentur reverentiam, 283 C'; indigni sive propter peccata subditorum permittuntur, 283 C, 343 A', 436 A, sive propter propria delicta, ut deterius damnentur, 283 C; non facile judicandi sunt, sed pie excusandi, 283 B', aut superiori denuntiandi, 283 C'. — Prælati de his quæ ad personam pertinent, ab angelo custode illuminantur, de his quæ ad regimen spectant, a superiori spiritu, 136 A'.

PRÆMIUM rationem habet termini respectu meriti, quod est quasi via, 122 B, et merito semper posterius est, saltem in justitia distributiva, 180 C'; sine merito acquiri nequit, 122 A, sed illud merito non oportet semper æquari, saltem in justitia distributiva, 180 C, quia ultra condignum præmiantur electi in cœlo, 285 C, citra condignum puniuntur damnati in inferno, 285 D. — Opus bonum sortitur duplex præmium, alterum concomitans ipsum actum, ut delectatio boni, alterum quod remunerator extra impendit, 181 A, et hoc iterum duplex est, essentiale, quod in interiori voluntatis actu consistit, 209 C', et commensuratur gratiæ, 181 B, et caritati, 306 C', et accidentale, ad quod confert actus exterior, 209 D, C'. — Præmium proprium optare possumus et debemus, 274 D, quia spes præmii minuit vim flagelli, 306 D, sed ordinate, 274 D, scilicet ad Dei honorem finaliter, 274 B'. — *Cf.* Beatitudo, Meritum.

PRÆSUMPTIO quandonam sit peccatum, 166 A, et peccatum in Spiritum Sanctum, 217 D, 219 A.

PRÆVISIO est scientia Dei respectu futurorum, 68 D, qua in ipso invariabili æternitatis momento omnia prævidit, 301 B', angelorum et hominum lapsum, 301 A', redemptionem, 301 B', D', beatitudines et pœnas, præmiorum et cruciatuum gradus et ordines, 301 B'. *Cf.* Futura.

PRIMUM in omni genere est simplex, purum, 30 B, et perfectum, 29 C', 42 A, et omnium sequentium causa, 202 B', metrum et mensura, 309 C', tanquam omnis bonitatis et fecunditatis in secundis fontale principium, 30 B; ideo tanto perfectius est aliquid quanto primo propinquius, 29 C', 309 C', nec nisi per recessum a primo fit in posterioribus imperfectio, 29 D'. — Sed aliud est primum in aliquo genere, cujusmodi sunt multa prima, 103 A, aliud primum simpliciter, quod necessario unum est, 103 B, et per se, 42 A, et a quo pendent omnia, 103 B. — Solum primum est penitus ignotum tanquam ἀμέθεκτον ens, seu incausatum, 50 A'. — *Cf.* Principium, Secundum.

PRINCIPATUS, primus infimæ hierarchiæ chorus, 405 B', præsidentiam super sequentes ordines acceperunt, quos ad Deum sursumagunt, 405 B', 529 C', et super regna, provincias ac civitates, 132 B', 405 C', 529 C'. — Deo subesse malunt quam aliis præesse, 407 B, 532 A.

PRINCIPIUM est in speculativis sicut finis in agibilibus, 125 B, ideo facta resolutione utriusque partis ad primum principium naturaliter cognitum, necessario assentit ratio, 124 C : prima enim principia sunt per se nota, 17 B', 19 A, et adeo vera, ut iis intellectis, necessario mens adhæreat, 175 B'; quocirca contra negantes prima principia non est disputandum, 18 A'. — In quolibet ordine est unum primum principium, 103 A, sed omnium rerum unum est dumtaxat simpliciter principium, 103 B, a quo quantum quisque recipit, tantum in ipso delectatur, 92 D. — Principia minima quantitate sunt maxima virtute, et quo simpliciora sunt, eo ad plura se extendunt, 117 A. — Quo sensu dicatur creatio facta in principio, 107 B'.

PRIVATIO. Ad privationis rationem tria concurrunt : habitus oppositus privationi, subjectum utriusque, et aptitudo ad habitum, 197 C. — Privatio omnis recte tenebræ dicitur, 83 B', nec in rebus inest nisi in quantum a Deo distando occumbunt, 85 C'; ideo privativa a divina potentia excluduntur, 79 A'; dicuntur tamen entia, 195 C.

PROCLUS Platonicus in sua Elementatione theologica pene totam mentem magistri sui

Digitized by Google

Platonis expressit, 50D. *Adde* 18D', 25A, 29D', 31B, 34A', etc.

PROPRIETAS. Deo competit proprie quidquid simpliciter melius est habere quam non habere, 89A'; quæ autem de Deo prædicantur proprie, de eo negantur per excessum, 87D', 88A. An lux et splendor proprie Deo conveniant, 86C' et s., 89C. — Divinæ proprietates dupliciter in entibus relucent, 149A', secundum similitudinem analogiæ, ut in rationali creatura, secundum similitudinem proportionis, ut in corporeis, 149B'. Præcipuæ sunt misericordia et veritas, 344D, 437B, et in ordine ad creata, causalitas et providentia, 282D', quas quæ participant creaturæ, 283A, deiformes fiunt, 282D' : proprietas enim superioris inferiori nunquam convenit naturaliter, nisi inferior fiat de natura superioris, 167C.

PROVIDENTIA Dei demonstratur, 46D, 77A, 231D. — Est scientia Dei respectu gubernandorum, 68D, et Deo competit tanquam causæ finali, 77C, et tanquam Domino universorum, 343D, 435B', nec quietudinem ejus minuit, 77C', quia sine distractione est et occupatione gravante, 77D'. — Ad omnia extenditur, summa et ima, 343C', incorruptibilia, intellectualia, irrationalia et inanimata, 77A', 78D, non tantum quoad species, sed quoad individua, 77B', et omnia regit per se ipsam quantum ad dispositionem, per causas secundas quantum ad exsecutionem, 78B, 136B, 143B', quia per spiritualia regit corporalia, et per superiora inferiora, 343D, 435C'. — Rebus necessitatem non imponit, 78A, quia salvativa est, non corruptiva naturæ, 167C, et omnia regit secundum propriæ naturæ exigentiam, 78B, alia sic ut nunquam a fine suo errent, alia sic ut interdum deficiant, 343B', 436B, unde oritur malum, 78B, 167D; sed nihil inordinatum relinquit, quia per pœnam reparat inordinationem culpæ, 78C, nec mala fieri permitteret, nisi inde posset et vellet bonum elicere, 78D. — Ex providentiæ consideratione eruitur animam esse immortalem, 158B : rectus enim ordo exigit ut boni remunerentur et mali puniantur, 158B, sed quia frequenter aliter accidit in hac vita, necesse est post vitam cunctis æquam retributionem fieri, 158C. — Providentia proprietas est divina, 40D, 282D', quam quæ participant creaturæ, 283A, deiformes fiunt, 282D'. — Omne divinum providet secundis et ereptum est ab eis, 77D', providet rebus per esse suum sine habitudine seu compositione, 77D', nec occupatur mundum regens, nec turbatur hunc disponens, 78A.

PRUDENTIA est in intellectu, 261D. — Auriga est virtutum, 211B, quæ in moralibus et acquisitis virtutibus dirigit hominem, 262B, et sine qua nulla potest esse justitia nec virtus, 168C'. — Ex se tamen hominem dirigere potest ad bonum humanum, 211B, seu ad felicitatem civilem, 211A, non autem ad finem ultimum, 211B.

PULCHRITUDO ex parte formæ sumitur, 229A, D, et est dispositio formæ relata ad exterius, 229D, quia pulchrum id dicitur quod visui placet, 90D, 91D', et videntem oblectat, 227C', 229D, 245B; ad speciem pertinet, 229A', et ideo datur non a causa finali, ut volunt aliqui, 229A', sed a causa exemplari seu formali, 228A', 229A, 238B, tam a causa formali extrinseca, seu Deo, 228C, D', quam a causa formali intrinseca, 228C. In spiritualibus ad sapientiam pertinet, et in Deo ad attributum veritatis reducitur, 228C', 245A'. — Pulchrum cum ente convertitur, quia omne ens est pulchrum, sicut est bonum, verum et unum, 227B : sicut enim dicitur ens in quantum aliquid de divino esse participat, 229D', sic dicitur pulchrum in quantum aliquid de pulchritudine divina sortitur, 230A; item pulchrum et bonum convertuntur, quia sicut omnia appetunt bonum, ita et pulchrum, 87D, 91C', 227A, et quæcumque sunt et fiunt, propter pulchrum et bonum sunt et fiunt, 244B'. Sed ab ente distinguitur pulchrum, quia ipsi aliquam rationis considerationem superaddit, 229A; a vero, quia verum dicit respectum ad interius, pulchrum ad exterius, 229C; et a bono, quia pulchrum spectat ad causam formalem, bonum ad causam finalem, 228A, pulchrum in ordine ad vim cognoscitivam nominatur, bonum in ordine ad potentiam appetitivam, 91D', 92A, 227B', 237A : sicut enim bonum est quod omnia appetunt, sic pulchrum est quod omnia cognoscunt, 227B'. — Pulchrum est omnium causa efficiens, quia ex pulchro sunt omnes amicitiæ et uniones, 91C', 244A'; causa finalis, quia ab omnibus appetitur, 229A', et propter ipsum omnia fiunt, 91C', 244B'; causa exemplaris, quoniam secundum ipsum

Digitized by Google

omnia determinantur, 91 C' ; omnium principium et finis, quia ex ipso, et per ipsum, et in ipso, et ad ipsum sunt omnia, 244 B'. Nec est aliquid quod non participet pulchro, 91 D'. 227 A, quia quantum habet quid de entitate, tantum et de pulchritudine, 227 C, et quantum rationem idealem quam habet in mente divina imitatur, tantum pulchrum dicitur, 227 A', 245 C. — Pulchrum et pulchritudo in Deo idem sunt, 91 A', sed in creaturis differunt sicut effectus et causa, 91 A'.

Pulchritudo multipliciter dividitur, 229 D' : alia est enim pulchritudo increata, alia creata, 229 D', alia pulchritudo spiritualis, alia corporalis, 230 D, alia pulchritudo essentialis, quæ est ipsa rei essentia seu entitas, 230 A, alia accidentalis, quæ est adventicia perfectio, 230 B, alia pulchritudo vitæ, doctrinæ et justitiæ, 230 D. — Deo competit esse pulchrum, non metaphorice, sed vere et proprie, 87 D, 244 B', ratione perfectionis, 245 B, et intellectus, 245 C, et sapientiæ, 245 A', et perfectissimæ operationis, 245 B'. Pulcher est ergo, ut eruitur ex ejus perfectissima vita, 90 C, et summa bonitate, 90 D, in qua quidquid in creaturis exstat excellentiæ, eminenter continetur, 90 D'; et quia in eo idem sunt pulchrum et pulchritudo, 244 C, B', esse et esse pulchrum, 244 C', 333 A', non modo pulcher est et pulcherrimus, 90 D, id est totaliter pulcher, 91 B', et infinite pulcher, 244 C', sed ipsa pulchritudo substantialis, 90 D', exemplaris, idealis et immensa, 225, 244 C', absque ulla tenebrositatis aut defectibilitatis commixtione, 333 B', 420 D', fons totius pulchritudinis, 333 D, omnia pulchrificans secundum cujusque proportionem, 91 A', 228 A', ex qua omnis est pulchritudo creata, 230 A, cœlestium, 333 D', 421 B, hominum et angelorum, 334 A, 421 C, et cujus respectu omnis creata pulchritudo est deformitas, 91 A, 244 D', 333 A'; pulchritudo super omnia dulcis et amanda, 225, quæ rapit omnem animam rationalem desiderio sui, 244 D', quia in ea est tota creatæ mentis felicitas, 225, quam angeli et electi insatiabiliter intuentur, 333 D', 420 D', sed cujus plena contemplatio soli Deo reservatur, 90 A', cui causa est beatitudinis sempiternæ, 90 B'. Quamvis singulis personis competat pulchritudo, appropriatur Filio, 248 C'. — Spiritualis pulchritudo in debita operatione et in recto intellectus judicio consistit, 90 B, et in convenienti potentiarum adornatione, 242 A' : sicut enim in corporeis pulchrum dicitur quod visui placet, sic in spiritualibus pulchrum est quod in operatione sua ordinate et convenienter se habet, 333 B', et ab errore et vitio recedit, 242 B'. In actibus intellectivæ potentiæ principaliter constat, 242 B', et secundario in actibus affectivæ, 242 D', et per virtutes et dona completur, 242 D' ; ad ipsam tria concurrunt, virium dispositio bona, operationum exsecutio non impedita, sapientiæ directio radiosa, 242 B' ; et tanto corporali pulchritudini præstat, quanto corporali excellentior est spiritualis natura, 241 B, 243 A, et quanto ad nobiliorem pertinet potentiam, 243 B, et circa præstantius versatur objectum, 243 C. Triplex igitur in spiritualibus substantiis est pulchritudo : alia essentialis, qua pulcherrimi sunt angeli, 241 C', tanquam specula clarissima divinæ sapientiæ, 241 D', 242 C, lumine Solis æterni copiosissime illustrata, 242 B, et animæ rationales, tanquam summæ Trinitatis imagines, 241 C, et primæ ac increatæ lucis signacula, 241 A' ; alia accidentalis, quæ in virtuosa earum conversatione consistit, 242 D ; alia supernaturalis, quam conferunt dona gratiæ, 243 B', et gloriæ, 243 D'. — Corporalis pulchritudo non mole constat, sed parilitate ac dimensione membrorum, 230 C', seu convenienti habitudine partium, cum congrua coloratione, 90 B, 230 C' ; unde ad pulchritudinem animalium tria requiruntur, conveniens magnitudo, membrorum proportio et color bonus, 230 C' ; plantæ autem et mineralia pulchra sunt partium formatione, coloratione, consonantia et splendore, 231 A. Donum Dei est, sed non magni faciendum, quia multis efficitur occasio culpæ, 230 D'.

Omnes creaturarum pulchritudines non sunt nisi rivuli pulchritudinis divinæ, 247 C, et quasi quoddam vestigium perveniendi ad ejus notitiam, 233 A, quia quidquid decoris in eis invenitur sparsim, divisim et incomplete, in Deo est unitim, simplicissime et perfecte, 247 C; præclarissime commendant Dei sapientiam, 231 B, providentiam, 231 D, et pulchritudinem, 247 C, ut patebit considerantibus pulchritudinem creaturarum, 91 A, 247 A', D', tam visibilium quam invisibilium, 91 C, terrenorum, 247 D, animalium, 247 B',

Digitized by Google

hominum, 240A, 247C', cœlestium, 231B', 248A, separatarum substantiarum, 248C, et totius mundi, 232B'.

PURGATIO ut actio hierarchica, 130D', est expulsio ignorantiæ, 131A : non igitur est a culpa aut immunditia, sed a minoratione luminis, 131A. In illuminatione et perfectione continetur, sed non econverso, 131D. — Quantopere ad videndum Deum purgandus sit animus, 225, 252D'.

PURITAS. Id purum dicitur quod suo contrario est impermixtum, 37D', et ita dicitur Deus actus purus, quia de potentialitate nihil habet adjunctum, 38A, et Esse purum, quia de non esse nihil participat, 329C', 414D; vel cui nihil alienæ aut repugnantis naturæ admiscetur, 62D', et sic divina vita dicitur purissima, 63A, 246D. Nec tantum purus est Deus, sed puritas omnino impermixta, 90C', cui nihil commisceri potest, nec privative, nec contrarie, 246A', nec contradictorie, 246B', pura bonitas, pura pulchritudo, 246A', pura veritas, 246D', pura sanctitas, 246A', 338B, 427B', pura simplicitas, 334D', 422A'. — In creaturis autem nec purum est esse, 246C', quia non esse habet admixtum, 246D', nec pura veritas, quia ipsi opponitur quid contrarie vel contradictorie, 247A.

PYTHAGORAS philosophus animam immortalem de corpore in corpus transire falso contendit, 158A.

Q

QUALITAS. Aliæ sunt qualitates quæ indifferentes sunt nec naturales subjecto, et in his corrumpitur nec perficitur, 199C, aliæ sunt quæ naturales et perfectivæ sunt subjecti, quibus dum potitur, perficitur, dum orbatur, corrumpitur, 199D.

QUANDO quod in ente æterno ex æternitatis præsentia relinquitur, substantialiter idem est ac Deus, æternitas et nunc æternitatis, 48C.

QUIDDITAS. Unus est cujus esse est sua ipsa quidditas, et hic est actus purus, 103A'; in aliis diversificantur esse et quidditas, 103A', 113B. — In materialibus quidditas composita est, dependens ex partibus, et non ipsa subsistit in esse suo, sed compositum, 113B; in separatis substantiis simplex est et subsistens in esse suo, 113C, sed quia illud recipit ab alio, ipsa est quod est seu potentia, et esse ejus est quo est seu actus, 113C.

QUOD EST potentiam vel materiam signat, 113C, et in omni ente creato invenitur, 29C, 113B.

QUO EST formam vel actum significat, 113C, et in omni ente citra Deum invenitur, 29C, 113B.

R

RABANUS (B.) Maurus, Moguntinus episcopus, 143D'.

RADIUS. Divinum radium impossibile est nobis splendere, nisi sensibilibus formis circumvelatum, 89A, 296C'.

RADIX peccati id dicitur ex quo peccatum oritur, 213A. Peccatum autem ex tribus nascitur, ex actu, habitu et passione, 213B; sed quia actus et habitus in passione fundantur, ex parte peccati una est radix universalis, scilicet passio seu pronitas ex originali peccato relicta, 213B, et plures particulares, juxta diversitatem passionum, 213D, nempe cupiditas, timor, 213A', concupiscentia carnis et oculorum, et superbia, 213B'; similiter ex parte peccantis una est, videlicet inordinatus amor sui, 213C, sed ex parte eorum quæ appetuntur, plures sunt, 213C. — Peccato assignantur radices, non ratione aversionis, quia sic nihil est, sed ratione conversionis, 213B'. — Quomodo radices a capitalibus peccatis differant, 214D'.

RATIO potentia est intellectiva, cujus est apprehendere aliquid sub ratione boni vel mali, 171A, et secundum gradum eorum quibus intendit, in superiorem et inferiorem dividitur, 171A. Ratio superior æternis et necessariis intendit, 171B, et ex divinis et æternis consilium accipit, 171D, et dicitur speculativa vel practica, prout supernis intendit inspiciendis vel consulendis, 171C; ratio inferior temporalibus ad ministrandum intendit, 171B, et ex rationibus temporalium consiliatur, 171C; sed superior et inferior una sunt potentia, et secundum habitum dumtaxat differunt, quia superior perficitur sapientia, inferior scientia, 171D. — Rationis est homini ostendere finem, 210D', 262B, et illum in finem dirigere vel per habitum prudentiæ, cujus actus est felicitas civilis, 211A, vel per habitum sapientiæ acquisitæ, cujus actus est felicitas spe-

Digitized by Google

culativa, 211 A, vel per lumen fidei in actibus virtutum gratuitarum, 262 B ; voluntatem movere potest, sive deliberate tantum, ut ratio superior, 172 C', sive deliberate aut indeliberate, ut ratio inferior, 172 B', nec accidit errare voluntatem, nisi in ratione error præcedat, 262 B : unde optimum est homini esse secundum rationem, 261 C. — In discursu utitur syllogismis, quibus ipsa præbet minorem, 171 D', et duplici modo errare potest : male syllogizando, et voluntati pravam electionem suadendo, 173 C; item peccat ratio tam superior quam inferior, 173 A', inferior per delectationem, 174 A, superior per motum naturalem et subitum, 174 D, in quo peccat venialiter, 174 D, et a Deo deflectitur secundum actum, 174 B', vel per motum deliberatum, 174 A', in quo peccare potest graviter et a Deo deflecti secundum habitum, 174 A'. Quum ergo in suo discursu sit fallibilis, oportet ut a certa cognitione procedat, quæ sine discursu habeatur, 171 B', et hæc sunt principia per se nota, 171 B'. — In justitia originali sensus rationi parebant, et ratio Deo, 276 C' ; sed quia tota virtus hujus justitiæ ex ordine rationis ad Deum pendebat, ipsa a Deo recedente, sensitiva pars rationi rebellis facta est, 276 C'. Nunc ergo passionibus offuscatur, 276 D', et quandoque excæcatur, 277 A, et totum ejus studium ad hoc est vertendum ut passiones sibi subjiciat, 277 A, maxime ad quas proniorem se sentit, 277 B', per virtutes morales, quæ sensitivum appetitum moderantur, 14 D', et extremitatibus passionum opponuntur, 277 C, quantumcumque grave sit certamen, 277 C'.

Ratio exemplaris. *Vide* Idea.

Rationes seminales in quibus tantum fuerunt quædam in principio distincta in sua natura, secundum Augustinum, 139 B, quædam sunt virtutes activæ et passivæ, 141 B, quarum aliæ ad determinatam speciem movent, et pertinent ad ornatum, 141 B, aliæ ad omnem speciem movent, et datæ sunt in distinctione rerum, 141 C ; aliæ sunt in alterante tantum, aliæ in alterante alterato, 141 C; et per has sequuntur naturales effectus, 154 B. — Non sunt formæ communes in rebus latentes, quia in eodem non sunt plures formæ substantiales, 154 C, nec formæ inchoatæ, seu in esse incompleto, in materia præexsistentes, quia materia est potentia mere passiva, 154 D, sed virtutes activæ et completæ cum propriis passivis, 154 B', quæ rationes dicuntur, tanquam a divina arte procedentes, 154 C', et seminales, quia ex ipsis alia naturaliter producuntur, 154 B', C'. — Eodem modo recipi non debent in rebus viventibus et in rebus inanimatis, 154 A'.

REATUS proprie est obligatio ad pœnam, sed interdum pro culpa vel pœna sumitur, 211 D'. — Quomodo post peccatum remaneat, 212 A.

REDEMPTIO. Exigebat ordo justitiæ ut natura quæ offenderat, ipsa satisfaceret, 296 A', 302 A' ; sed quia natura, ob suam indefectibilitatem, quamdam infinitatem sortita est, 296 B', 302 B', et peccatum quamdam infinitam injuriam comprehendit, 296 B', 302 C', et gratiam perditam reddere non est creaturæ. 302 C', lapsus homo propria nequibat virtute surgere, 302 C', et multo magis ad totius naturæ liberationem impar erat, 296 B', 302 B'. Quum igitur nec homo purus infinitæ dignitatis in satisfaciendo capax esset, nec Deo secundum propriam naturam competeret satisfacere, 302 D', quid restabat, nisi in eamdem personam Deum et hominem convenire, 302 D', in qua creaturæ declivitas satisfaceret, et Creatoris sublimitas satisfactioni daret efficaciam, 296 C'. In redemptione ergo generis humani commixtæ sunt æquitas et pietas, 302 A', quia passus est Salvator innoxius, 302 C, qui infinitam efficaciam haberet, 302 B', et homo pro homine satisfaceret, identitate in Salvatore et salvatis omnia faciente communia, 302 D. — Redemptio in incarnatione Verbi inchoata est, et in passione consummata, 304 D' ; nec tanta fuit ut nullam prorsus peccati originalis relinqueret pœnam, 302 A', sed id quod homo obnoxius nequibat, effecit, 302 B'. — Cur per angelum non facta sit, 151 D.

REGIMEN. Ex consideratione regentium, 25 C', et ex mundi permanentia et gubernatione, 26 C, constat esse primum et summum universi rectorem, 25 D', 26 A' : entia enim nolunt male disponi, principum autem pluralitas mala, unus ergo est princeps, 26 B. — Causa prima non occupatur mundum regens, nec turbatur hunc conservans, 78 A, quoniam regimen non debilitat unitatem ejus, 78 A, et est agens verum et regens verum, faciens res per finem decoris, 78 A.

RELATIO inter Creatorem et creaturas, reali-

Digitized by Google

ter est in creatis, secundum relationem tantum in Deo, 68C', nec ponit aliquid reale in Deo ad creaturam dependens, 71C, 97A.

REPROBATIO est scientia Dei respectu damnandorum, 68D. — Reprobi citra condignum deseruntur in hoc mundo et puniuntur in futuro, 252B.

REPTILIA quadruplicis sunt generis, 147A', et ad ornamentum terræ aut aquæ pertinent, 147D.

REVELATIONES divinæ ad nos non veniunt nisi per angelos, 129D', 138C, per applicationem luminis angeli ad phantasmata, quia (juxta Thomam) nec anima in hac vita sine conversione ad phantasmata cognoscere potest, 126B, nec species angelicæ proportionatæ sunt animæ rationali, 126C; et qui eas suscipiunt, quibusdam eas circumponunt figuris, 162C. — In somno nocturno plerumque fiunt, et illis potissimum qui sensualitati dominantur, 126C'.

RICHARDUS de Mediavilla (Middletown), Ord. Min. theologus, 247B.

RICHARDUS de S. Victore, canon. regul., pulchre mundi decorem describit, 235A'.

RUYSBROECK (Joannes), « Doctor divinus », 11, 15C, 55D', et « admirabilis vir », quum idiota esset et Latini ignarus eloquii, merito sanctitatis tantam adeptus est sapientiam ut vix a sapientissimis intelligi queat, 268C.

S

SABELLIUS hæreticus eamdem esse Patris et Filii personam ac proinde Patrem incarnatum esse docebat, 303B'.

SACERDOS. Ejus officium virtute angelica præstantius est, 318A', sed metuendum, 318B', et cum magna humilitate et reverentia exercendum, 318C'.

SACRAMENTA an et quatenus ad pulchritudinem mundi pertineant, 237B'.

SADDUCÆI incorporeas substantias negabant, 113D'.

SALUS. Antecedente voluntate vult Deus omnes salvos fieri, sed voluntate consequente vult justos tantum salvari, 74D, 337D, 426B', ut in eis resplendeat misericordia sua, 75A. — Salutis incertitudo Sanctis est magni causa doloris, 119C'.

SANCTITAS est munditia ab omni immunditia libera, 94D, et in actu intellectus et voluntatis consistit, 94A'. — Deo apprime convenit, qui sanctus est et Sanctus Sanctorum, 94A', sanctitas pura, 338B, 427B', impermixta, 338B, et immensa, 338D, omnis creatæ sanctitatis origo, 94B', principium, mensura et finis, 94A', cujus comparatione omnis creaturarum perfectio quasi pannus est menstruatæ, 94B', 338D, 428C. Et quia quanto sanctior est, tanto vehementius peccatum detestatur et punit, 94D', ipsi cum summa sanctitate serviendum est, 95A, et magnopere vituperandi sunt qui, cognita ejus sanctitate, non sancte vivunt, 95B. — Sanctum id dicitur vel quod sanctitatem participat, vel quod ad sacra deputatur, 148B'. — Sancti, salva veritate, se universis inferiores reputare possunt, 266A, tum quia quidquid in ipsis perfectionis est, a Deo est, 266B, tum quia nemo tam sanctus est, quin in omnia mala labi potuisset, nisi a Deo custoditus fuisset, 271C'. Eorum exempla nos ad humilitatem optime provocant, 267C.

SAPIENTIA a sapore dicitur, et sapida scientia interpretatur, 92B. Præstantissima est intellectus perfectio, 287B', et tanti est pretii ut ipso Filio Dei approprietur, 287B'; verumtamen de Deo et homine non univoce prædicatur, 96D, nam homo dicitur sapiens quasi sapientiam aliunde adeptus, Deus quasi substantialiter sapiens, 96D, Deo perfecte competit, 279B, in homine non est nisi secundum participationem debilem, 279B'. — Sapientia Deo convenit non secundum quod est qualitas, sed in quantum ad perfectionem pertinet, 89B, 279B, et est proprie scientia qua se ipsum cognoscit, 68B. Et sic Deus est sapientia increata, exemplaris, 330D', et infinita, 331A, omnia æternaliter conspiciens, 331A, C, 416A', quia in ipsa omnia exemplariter continentur et splendent, 93D', 272D; et ex qua fluxit omnis ratio et sapientia, omnis cognitio et prudentia, 66C', 93D', et quidquid in creatis invenitur intellectualitatis, 331A, D, 416A'. Sapientia divina modo Filio appropriatur, 217D', quia ad sapientiam pertinet pulchritudo, 228C', et forma exemplaris, 228D, D', modo Spiritui Sancto, in quantum est donum, 217D'; omnibus mobilibus dicitur mobilior, 22B', et in mundi gubernatione maxime relucet, 231B, 402B', 525B'. — Sine sapientia nihil est homo, 16A', sed per sapientiam Deo fit simillimus et amantissimus, 158C: ideo sapientia finis est om-

Digitized by Google

nis prudentis, 16 A', B'. Sed multiplex est sapientia, 312 C : carnalis, quæ non nisi præsentia sapit, 312 D, philosophica, quæ naturalia scrutatur, 312 C, sed nec originem nec finem humanæ propaginis invenire potuit, 312 D, nec justitiam originalem, nec futuram beatitudinem, 312 A', quarum utramque stultam fecit Dominus, 312 B'; tandem sapientia vera, qua Deus recta fide conspicitur et casta dilectione tenetur, 16 B'.

SAPOR objectum est gustus, 92 A, et duplex est, sapor sensibilis, qui ad gustum exteriorem pertinet, 92 B, et sapor internus, a quo dicitur sapientia, et qui ad gustum internum spectat, 92 B. Sapor internus est veritas in quantum amata, et bonitas in quantum cognita, quia nec veritas sapit nisi ametur, nec bonitas nisi cognoscatur, 92 C, et quanto utraque excellentior est, tanto menti dulcius sapit, 92 C.

SCIENTIA est cognitio rei per causam, 23 C', et de rebus habetur secundum quod per species suas in sciente consistunt, 73 A; quanto autem superior est, tanto universaliores considerat rationes, 116 D'. — De numero bonorum honorabilium est, 312 C', et rationem perficit, 14 D', ideo a Sanctis enixe commendatur, 16 A', et a nobis omni conatu exquirenda est, tam scientia divinorum, 14 B, 16 C, quam scientia naturalium, dummodo ad Deum referatur, 324 C : quamvis enim superbos inflare soleat, 15 D, caritati adjuncta plurimum prodest, 15 A', et tam proficua est humilibus quam nociva superbis, 15 B'. Sed quia a passionibus vinci potest, 173 D, et sic errare in particulari, 173 A', virtutibus conjungenda est, 14 D', ut fructuosa sit et proficua, 15 A. — Alia est scientia ethica seu moralis, cujus finis est virtutum acquisitio, 15 A, alia theorica seu contemplativa, cujus finis est veritatis agnitio, 15 B. — Scientia Dei causa est rerum, et secundum scibilium diversitatem non diversificatur, 68 A, sed in se una est et simplex, quum sit ipsa divina essentia, 68 B; verumtamen per respectum ad diversa, diversa sortitur nomina, 68 B, et dicitur sapientia quoad Deum ipsum, 68 B, scientia quoad creata, 68 C, 331 B, visio quoad exsistentia, simplex intelligentia quoad possibilia, approbatio quoad bonos, 68 C, prævisio quoad futura, 68 D, providentia quoad gubernanda, prædestinatio quoad salvandos, 68 D, 331 C, præscientia quoad reprobos, 331 C, dispositio quoad agenda, reprobatio quoad damnandos, 68 D. — Scientia hominum a rebus nascitur, et secundum objecta distinguitur, 68 B. — *Cf.* Cognitio.

SCOTUS (Joannes Duns), qui et Doctor subtilis vocatur, 17 C', modo arguitur, 42 D', 69 D', modo laudatur, 42 D'.

SCRIPTURA ab infidelium irrisione pro posse defendenda est, 139 C. — Ejus auctoritas omni rationi silentium imponit, 88 A', sed nihil ei derogatur si diversimode exponatur, 142 C'.

SECUNDUM. Nullum secundorum esse, bene esse et permanere valet sine divina bonitate, 31 A', quæ semper conjungit fines primorum principiis secundorum, 133 D'. *Cf.* Primum.

SEMEN nec totum est ex humido radicali generantis, 188 C, nec partim ex humido radicali, partim ex superfluo alimenti, 188 B', sed totum ex superfluo alimenti, ut recte probat Aristoteles, 188 C', 189 A. — Quum ergo residuum sit cibi ante ultimam conversionem, in eo est potentia totum, 157 A, et ante decisionem est in ipso potentia illa indistincta, quum autem separatur, efficitur actu habens talem potentiam, 157 A; unde dicitur vivere non actu sed potentia, 157 B. Et quidem in semine patris potentia illa activa est, in menstruo matris passiva, 157 B; et virtus activa patris, seu virtus formativa, 157 B, spiritui vitali conjuncta ut motor, 157 C, per calorem sive proprium sive cœlestem, matris menstruum convertit in substantiam membrorum, 157 D, et secundum perfectionem membrorum incipit anima (sensitiva vel vegetabilis) magis ac magis esse actu in semine, quæ prius erat ibi in potentia, 157 D. — Per seminis propagationem originali peccato inficitur anima, 186 C', quomodo, 186 D'. — *Cf.* Generatio.

Seminalis ratio. *Vide* Ratio.

SENECA (Annæus) philosophus, 186 C.

SENSUALITAS pars est illa animæ per quam ad appetendum vel fugiendum aliquid movetur, 170 A'; proprie incipit in æstimativæ et appetitivæ confinio, et se habet ad partem sensitivam ut voluntas ad intellectivam, 170 B'; ad eam pertinent vires apprehensivæ sensitivæ tanquam præambula, 170 C', vires appetitivæ tanquam de ejus essentia exsistentes, 170 D'. — Duplex habet objectum : delectabilia sensibilia, et delectabilia æsti-

Digitized by Google

mativa, 170 C'; et dividitur in concupiscibilem et irascibilem, a quibus tamen ratione differt, quia appetitivum sensitivum non nominat nisi secundum quod incompletum et depressum, 170 D'; unde perpetuæ corruptionis esse dicitur, et virtutis incapax, 171 A, et radix peccati, 173 A, et in ipsa præcipue dominatur fomes, 190 D'. — Sensualitatis motus pure naturales, seu primo primi, culpa carent, 172 C'; motus secundo primi, qui ex imaginatione causantur, peccata sunt, sed levissima, 172 D', et sic in sensualitate subjective potest esse veniale peccatum, 172 D', non autem mortale, quia rationi plene obedire nequit, 173 A.

SERAPHIM, primus primæ hierarchiæ chorus, sic dicti sunt, quia in caritate consummati sunt, 132 C, 403 A', 526 C', et quia de eis quæ caritatem augent, ceteros illuminant, 133 B, 403 B', 526 D'; et recte ab amoris fervore nomen sortiuntur, 403 B', 526 C', quia quo Deum vicinius vident, eo validius in ejus dilectione ardescunt, 403 D', 406 D', 527 B, 531 B'. — Incessabilem et fervidissimam mobilitatem habent ad Deum, 403 B', 527 A, et reductivam virtutem qua inferiores angelos ad Deum reducunt, 403 C', 527 B. — An unquam in ministerium mittantur, 135 A. — Quid inter Seraphim et Seraphin, 133 C.

SEVERUS (Sulpicius), « venerabilis » historiographus, 268 B.

SIMILITUDO ab imagine differt tanquam magis commune a minus communi, 150 B, quia ab eo sumitur quo non exprimitur specialis natura, 150 B, et sic magis est in voluntate quam in intellectu, 150 D, et in habitibus potentiarum quam in potentiis, 150 D. — Omnis emanatio rerum a primo principio et earum conversio ad illud per quamdam similitudinem efficitur, quia omne agens sibi simile producit, et quodlibet ad simile sui convertitur, 241 C'. — Similitudo causa est dilectionis et unionis, 95 A, 298 D', 314 A', sicut dissimilitudo origo est separationis, 92 B', 321 B', et rancoris, 95 A, 321 B' : Deo igitur, quantum fieri potest, assimilari oportet, qui ipsi placere et uniri cupit, 95 A, ejusque dulcedinem gustare optat, 92 B'; sed sicut Deo ordinate conformari velle, est omnis boni initium, sic indiscrete velle ei assimilari, omnis mali est principium, 273 A, siquidem tam Lucifer quam angeli boni Deo assimilari voluerunt, sed Lucifer indiscrete, 273 A, B, angeli boni ordinate, 273 B, C. — *Cf.* Homo, Imago.

SIMPLICITAS. In omni multitudine ultimi termini sunt simplicissimi, ideo Deum et materiam primam, quæ sunt extrema entium, oportet in sua natura simplicissima esse, 58 C'; sed alia est simplicitas per carentiam omnis perfectionis, quæ competit materiæ primæ, alia simplicitas per carentiam omnis imperfectionis, quæ pertinet ad Deum, 58 D. — Simplex ergo est Deus, tanquam actus purus, 38 A, B, 58 C', et perfectus, 58 A', et æternus, 48 B, et ens primum, 58 D', simplex in fine totius simplicitatis, 59 A, adeo ut nec re nec intellectu dividi queat, 58 D'; simplicitas, in qua nulla est compositio, 38 B, 58 A', 334 D', 422 D, nulla differentia substantialis, 59 B', nulla formalis distinctio, 59 D', seu modorum diversitas, 335 B, nulla non identitas, 60 A, A', nulla materia limitans, nec differentia contrahens, nec potentia determinans, 335 A, 422 D', sed identitas æterna et inconvertibilis, 59 C', pura et summa, 60 B, 335 B, 422 A', simplicissima unitas et unissima simplicitas, 60 A, simplicitas perfectionis et formæ, per exclusionem totius indigentiæ, 335 C, 423 B, omnem creatum intellectum transcendens, 50 B', et cujus comparatione quasi materialis et compositus videtur angelicus spiritus, 335 B, 423 A. — In simplicitate Dei omnium creaturarum perfectiones continentur, 60 C', 70 A', quantumcumque diversæ et oppositæ, 60 D', cum infinita plenitudine, 81 B'; sed nullæ sunt partes, 60 C, quia quæcumque in Deo sunt, unum et idem sunt, 60 B', scilicet ipsemet Deus, 59 A, qui est hoc quod habet, 60 B', 61 A, A', et quod in eo est, 62 C', 78 B', sua perfectio, sua beatitudo, suæ divitiæ, 84 D'; nulla compositio ex esse et essentia, ex actu et potentia, ex forma et materia, ex quod est et quo est, ex natura et supposito, ex genere et differentia, 59 A. — Idem ergo sunt in Deo essentia, potentia, operatio, 67 B, C', natura, voluntas, actio, 107 C, idea, intellectus, voluntas, 76 C', sapientia, voluntas, potentia, 81 C, essentia, virtus, intelligens, intellectus, intelligere, natura et persona, 59 B, bonitas, misericordia, liberalitas, justitia, 82 C', esse, posse et agere, 271 B, esse et esse perfectum, beatum, divitem, 84 D', sapientem, justum, sanctum et omnipotentem, 271 A; sed in quantum agens,

Digitized by Google

dicitur volens, intelligens, creans, 67 A', in quantum proximum operationis principium, dicitur voluntas, intellectus, potentia, 67 A'; in quantum se ipsum cognoscit et in se alia, objectum est divini intellectus, in quantum se per se ipsum novit, est intelligibilis forma seu species, 67 B'; in quantum per propriam essentiam operatur, dicitur operatio sua, 67 C'; prout objectum est divinæ voluntatis, est bonitas prima, prout est objectum divini intellectus, veritas prima, 67 D'; ut dirigens, dicitur sapientia, ut imperans, voluntas, ut exsequens, potentia, 81 C. — Tota nostra perfectio est deiformis simplificatio, id est amorosa mentis ad simplicitatem divinam conversio, 61 C.

SINGULARITAS. Quidquid dixerint philosophi, certum est singularia subesse divinæ scientiæ, 65 B', C', et providentiæ, 77 A', nec ex hoc vilescit intellectus divinus, 65 D', quia ex rebus cognitio ejus non gignitur nec dependet, 66 A. — A substantiis separatis quomodo singularia cognoscantur, 117 D et s.

SOCRATES philosophus male dixit omne peccatum esse ignorantiam, 173 D. *Adde* 49 A, 322 A.

SOL primum est lucidum, perfecte lucidum, 29 C', quia ipsi lux est intima, 84 A'; attamen non est suus splendor, 84 A'. — A principio creationis quoad substantiam factus est, 141 D', 142 D, et quarta die per additionem novæ virtutis completus, 142 D. — Luminare majus dicitur ob suam virtutem, et quia fons est luminis inferiora ac superiora illuminans, 145 B, a quo luna et stellæ lumen suum recipiunt, 408 D; motu suo tempora distinguit, 409 B, 533 C', 534 D', ad generationem inferiorum confert, 106 B, vitam auget, nutrit et perficit, 145 C'; post judicium septies lucidior erit quam modo, 248 A', 325 A, 409 C', 535 D', et fixus erit in loco suo, 409 D', 536 A. — Propter magnam causalitatem optima est imago Dei, 86 D', 141 A', 149 A', solis intelligibilis, 31 C', 533 B', qui universos illuminans, cuncta capacia radiis ornat, 31 D', 86 B, 408 D, et omnibus inferioribus pulchrificas luminis distributiones immittit, 87 D, 228 B'.

SOMNIA contingit esse signa futuri, vel ex parte somniantis, quum causa futuri est in somniante, 126 D, vel ex parte somnii, quando fit ab angelis, 126 A', vel ex impressione cœlestium corporum, 126 A'; quapropter divinationes quæ in somniis fiunt, non omnino negandæ sunt, 126 D'.

SOMNUS est animalis perfectio, quia in ipso vigorantur virtutes naturales et quiescunt animales, 159 B, ideo dormissent homines in paradiso, 159 B.

SPECIES (decor) est a forma, 227 C, 237 A, non tamen sine materia, 237 D, et rebus datur a causa exemplari, 238 B. — Cum modo et ordine in omnibus creatis invenitur, 229 D, etiam in spiritualibus substantiis, 239 B, C', D', et pertinet ad pulchritudinem universi, 232 B', 237 D'. — Quomodo per peccatum corrumpatur, 239 A.

SPECIES intelligibilis in ipsa conceptione mentis rationem habet intelligibilis tantum, ordinata ad manifestationem dicitur verbum interius, signis exterioribus expressa dicitur nutus vel locutio, 137 C'. — Species intelligibilis ad actum intelligendi exigitur ut forma ad operationem, 67 B, et rebus intellectis eam semper assimilari oportet, 116 C', quocumque modo operetur intellectus, 116 C'. — Ea simul videntur quæ per eamdem speciem repræsentantur, 67 D', ideo quo altior est intellectus, eo per pauciores species intelligit, 67 D'; item secundum ordinem inter intelligens et intellectum, est ordo multitudinis intellectorum, 117 A, unde quo sublimius est intelligens, eo per pauciores species cognoscit, 117 B; item secundum ordinem simplicitatis in intellectualibus substantiis est ordo distantiæ speciei intelligibilis ab intellectu, 116 D, quapropter, sicut in natura inferiori multiplicantur singularia, sic in intelligentiis inferioribus species intelligibiles, 116 A'. — In Deo igitur unica est species intelligibilis, 117 B, scilicet divina essentia, 116 C, per quam se ipsum et universa alia cognoscit, 67 C'; in angelis sunt species ab intellectu distinctæ, non a rebus acceptæ, sed a Deo influxæ, 116 D, in homine species ab intellectu distinctæ et a rebus acceptæ, 116 C; quæ species in superioribus universaliores sunt, 117 C.

SPECIES in rebus non ab hoc quod commune est sumitur, sed a propria et ultimata perfectione, 149 C, et ad genus se habet tanquam actus ad potentiam, quia illud perficit, 28 C': perfectio enim generi addita efficit speciem, 42 A. Quamvis autem perfectior sit genere, perfectionem dicit finitam, 95 B', quia ex genere et differentia constans, 96 A, defini-

Digitized by Google

bilis est ac demonstrabilis, 96 A, nec potest esse infinita, 96 B. — Ad speciem reducuntur individua, 96 A; sed natura specifica non numeratur in individuis, nisi prout recipitur in diversis materiæ partibus, ac proinde nisi in corporeis dimensionem habentibus, 115 B, nec fit multiplicatio individuorum sub una specie nisi propter speciei conservationem, id est nisi in corruptibilibus, 115 B. — Species rerum instar numerorum concatenatæ sunt, 24 A', 95 C', quia sicut unitas addita numero variat speciem, ita perfectio addita generi, 42 A, quia item species in indivisibili consistunt, 235 B, et inter se habent communem distinctionem, 270 C', et unaquæque aliam juvat ad consequendum proprium vel ultimum finem, 133 B', quia demum sicut numeri ab unitate pendent, sic species a primo ente, a quo facta sunt immediate earum prima individua, 106 A, et a quo in essendo et agendo perfectionem sortiuntur, 24 C'. — In speciebus corruptibilium consistit ordo universi, 24 A', 95 C', 115 C, 232 B', quia ad hoc factæ sunt ut, unaquaque aliquid divinæ bonitatis exprimente, omnes simul perfectionem Dei excellentius declararent, 81 B', nec una ad altiorem gradum provehi posset, quin ordini derogaretur, 167 D; insuper multitudine sua potentiam Dei commendant, 235 C'. — Deum nec speciem esse nec in specie probatur, 95 D', quia quod in specie est ad specialem perfectionem contrahitur, 95 C', nec infinite perfectum est, 95 B', et species ipsæ a se invicem infinite distare nequeunt, 95 C', quum tamen inter Deum et summam creaturam infinita sit distantia, et infinitæ possint esse species, 95 D'.

SPECULATIO. In contemplatione optimi speculabilis est naturalis hominum felicitas, 11, 83 D. *Cf.* Contemplatio.

SPES modo pro passione sumitur, modo pro virtute, 281 D : ut passio, est motus appetitus irascibilis respectu boni ardui absentis, 280 C'; ut virtus, est certa exspectatio futurorum bonorum ex gratia Dei et meritis proveniens, 306 A'. Maxime necessaria est homini, 306 D, quem ad futuram beatitudinem disponit, 279 C', et vitæ divinæ utcumque conformat, 279 D'; sed sine caritate vel non est, vel non est formata, 306 D. — An ex spe misericordiæ peccare sit contra Spiritum Sanctum, 219 A.

SPHÆRA. Forma sphærica est omnium completissima, 231 B', perfectissima et æternitati simillima, 408 B', 534 A, ideo elementis et mundo data est, 408 A', 533 D'. — Sphæræ inferiores a superioribus moventur, 20 A, et ultima movet inferiora elementa, 19 D'; nona cœlum crystallinum seu aqueum dicitur, quia ex aquis constat, 143 A, et cœlum stellatum movet, sicut decima movet firmamentum, 143 A. — *Cf.* Orbes.

SPIRITUS. Substantiæ spirituales quomodo dicantur factæ in mensura, numero et pondere, 238 D', 239 B, B', D'. — Pulchritudinem Dei demonstrat earum pulchritudo, 248 C, quæ omnem corporalium pulchritudinem longe superat, 241 B, et triplex est : essentialis, quæ in excellentia naturæ consistit, 241 C, D', 242 B, et in conformitate ad divinam perfectionem, 241 A', 242 B; accidentalis, quæ est in potentiarum adornatione per actus et habitus virtutum, 242 A', maxime per habitus qui perficiunt intellectum et affectum, 242 B', D', et in perfectione actuum, 243 A, 245 B', præsertim contemplationis et sapientiæ, 242 C'; supernaturalis, quæ in gratia gratum faciente stat, 243 A', in caritate, donis ac gratiis gratis datis, 243 B', et in lumine gloriæ, 243 D'. — Spiritualis natura corporali superior est et dominatur, 127 C', quia corporalis est propter spiritualem, 109 B, et obedit ei, saltem quoad motum localem, 127 C'; ideo spirituales substantiæ separatæ corpori uniri possunt ut motores, 127 D', imo corpus efformare ut in hoc appareant, 127 D'.

Spiritus Sanctus a Patre et Filio tanquam ex uno principio procedit, quia emanatio est voluntatis, quæ una est in ambobus, 347 D', 442 C', procedit enim ut amor, quem constat ad voluntatem pertinere, 347 D', 442 C'. — Patris et Filii est amor, nexus, amplexus, communio, 249 A, 346 B', 348 A, 442 D', unde ipsi appropriantur usus, 248 D', dilectio, 249 A, concordia, 249 B, bonitas, benignitas, et quidquid ad eas pertinet, 348 B, 443 C. Primum est donum, in quo dantur omnia dona gratuita, 217 D', 348 D, 443 A', gratia septiformis, quæ mentes creatas bonitatibus implet et igne sanctæ dilectionis accendit, 348 B; et omnes creaturas pro capacitate perfundit, ut ordinem suum teneant, et locis suis quiescant, 249 B. Inæstimabilis ejus benignitas in his apparet

Digitized by Google

quæ contulit Prophetis, Apostolis, 315C, C', et Sanctis Ecclesiæ, 315A', 316C', et in hoc quod mitti non dedignatur, 316B, C, A', quum sit Patri Filioque coæqualis, 316B ; maxime apparuit in Incarnatione, 297B'. — In Spiritum Sanctum multipliciter peccant homines, vel de eo male sentiendo, 216B', vel peccando contra attributum ejus, quod est bonitas, 216B', seu peccando ex electione, 216D', et rejiciendo quod a peccato retrahere potest, 217A, B : et sic contra Sanctum Spiritum sunt præsumptio et desperatio, 217D, obstinatio et impœnitentia, 217A', impugnatio veritatis agnitæ et invidia fraternæ gratiæ, 217B'. Peccatum in Sanctum Spiritum, quum minimum habeat de bonitate, post gravissima peccata accidere solet, 218D ; nihil tamen prohibet illud ante alia peccata evenire, 218A'. Non penitus irremissibile est, sed nullam aptitudinem habet ut remittatur, tum quia ex majori voluntate procedit, 218B, tum quia remedium seu spiritualem medicinam abjicit, 218C. An contra Sanctum Spiritum fuerit primum sive angeli sive Adæ peccatum, 218B'. — *Cf.* Incarnatio, Missio.

STELLÆ die quarto factæ dicuntur, non quoad substantiam, quam a primo die habuerunt, sed quoad perfectæ virtutis receptionem, 145A. — Recte dici possunt luminaria, quia lumen a se diffundunt, 145B, licet illud a sole recipiant, 408D, et quarumdam lumen est calidum, quarumdam infrigidans, 145C'. — Multo majores sunt quam apparent, 232D, ita ut minima visibilis major sit tota terra, 232C. — Secundum diversos adspectus et conjunctiones imprimunt ad diversas species, et ad eas reducitur omnis virtus specialis inferiorum, 144D'. — Cœlum stellatum : *vide* Cœlum.

STOICI, Platonis discipuli, perperam asserebant virtutem in indivisibili stare, 216C.

SUBORDINATIO. Essentialiter subordinata dicuntur quorum unum sine alio causare non potest, 20D', et in his necesse est devenire ad aliquid primum a quo actio et motus originentur, 20D'.

SUBSTANTIA dupliciter sumitur, vel pro primo prædicamento, vel pro eo quod est aliquid in re, 201A' : primo modo, a subsistere dicitur, 38B', et de his tantum prædicatur in quibus quasi in subjectis sunt aliqua, 38D', ac proinde de mutabilibus et compositis, 38D' ; secundo modo, quidquid veram entitatem habet, substantia dici potest, etiam peccatum in quantum actus, 201B'. An et quatenus de Deo prædicari possit, 38D', vel de intelligentia, 39A ; an et qualiter de Deo aliquid enuntiari possit substantialiter, 53D et s., 56D et s. — Substantiæ separatæ in umbra divinæ lucis factæ sunt, 20B, ideo uno et simplici actu convertuntur ad Deum vel avertuntur ab eo, 20B. Difficillime cognoscuntur propter nostri intellectus debilitatem, 50C ; sed de his vel modicum scire desiderabilissimum est, 113B'. — In substantiis separatis genus sumitur ab essentia prout est potentia, et differentia ab eadem essentia prout actui appropinquat, 115A', in substantiis compositis sumitur genus a materia, differentia a forma, 115A'. — *Cf.* Intelligentiæ, Spiritus.

SUPERBIA varie sumitur : vel pro inordinato excellentiæ appetitu, 265B, et sic est vitium capitale, 121A', vel pro inclinatione ad superbiendum, et sic est initium omnis mali, vel pro inobedientia qua quis transgreditur præceptum, et sic non est speciale peccatum, 121A', 215D. — Passio est appetitus irascibilis, 215C, èt non tantum passio, sed vitium, 281A, et defectus voluntatis imperantis, 213C', et opponitur magnanimitati, quia utriusque objectum est tendere in rem magnam, 215C', sed superbia non tendit in vere magnum secundum proportionem suam, 216A. — An et quatenus dicatur radix peccati, 213B', C', et quomodo cum cupiditate conveniat, 213D', et cum invidia, 182B'. — Multæ sunt species superbiæ, ut inanis gloria, jactantia, etc., 216A, et superbia vitæ, 213B'.

SUPERIORA in omni ordine sunt inferiorum exemplaria, quia in umbra superiorum inferiora facta sunt, 116B' : ideo a superioribus oportet inferiora regi, 25C', 78B, 143B', 283B, et moveri, 278D, et omnis mali origo est superiori resistere, 283B'.

SYLLOGISMUS ex majore, minore et conclusione constat, 171D', ex quibus major a synderesi præbetur, 171D', minor a ratione, 171D', conclusio a conscientia eruitur, 172A ; et conscientiam accidit falli non ex errore synderesis, sed rationis, 172A.

SYNDERESIS est habitus principiorum practicorum per se notorum, 171B', D', in operandis atque vitandis, 173B', seu judicium

Digitized by Google

universale de operabilibus per communia juris principia, 171 C'. — Nominat potentiam tantum vel potentiam cum habitu, et pertinet ad intellectum, 171 C'; et differt tam a ratione superiori, 173 B', 206 C', quam a ratione practica, 171 C', a libero arbitrio, 171 C', a lege naturali et a conscientia, 172 B, quamvis interdum pro conscientia sumatur, 172 C. — Opponitur fomiti, quia sicut fomes semper instigat ad malum, sic ipsa ad bonum, 171 D', et nunquam exstinguitur, 206 B', nec in hæreticis, nec in vitiosis, 206 C', quamvis ad ejus murmur non attendant, 206 D', nec in damnatis, quanquam eorum voluntas ipsi nunquam obediat, 206 D'. — Conscientiæ subministrat universale principium in agendis, 207 B, et in syllogismo majorem præbet, 171 D', nec unquam errat, 171 D', 173 B', 206 A', nec peccat, 206 B'; quapropter recte scintilla rationis dicitur, 206 D, et per aquilam significatur, 206 A', quia supra totam rationem est et supremum quid in homine, 206 A', C'.

T

TEMPUS difficile cognoscitur ob sui esse imperfectionem, 50 B : cum substantia enim non convenit nec in materia ex qua, nec in materia in qua, 140 D'. — Mensura est motus primi mobilis, 107 D', quæ mensurat primo motum diurnum, et ex consequenti omnes alios motus, 110 B'; mensura extrinseca, quæ non multiplicatur secundum mensurata, sed in uno primo est, ad quod alia mensurantur, 110 C'; ideo omnium temporalium tempus unum est, 110 A', unitate motus primi mobilis, ad quem comparatur non modo ut mensura ad mensuratum, sed ut accidens ad subjectum, 110 B'. Secundum suam formam qua numerus est, discretum est, sed ex parte motus numerati fit continuum, 110 C. — Aliud tamen est tempus quod inter coæquæva recensetur, 140 D', seu ævum, 108 A, 141 A, aliud tempus quod cum firmamento factum est secundo die, 140 D', quod est in primo motu et alios motus mensurat, 140 D'. — Æterno Deo tempus et temporis differentiæ tribuuntur, quia in æternitate omne tempus includitur, 48 D, sed non univoce cum creaturis ipse dicitur fuisse, esse et fore, 48 A', ac proprie non competit ipsi nisi esse, non autem fuisse aut fore, 48 B'.

TENEBRÆ. Sicut lumen recte dicuntur bonitates simplices, sic tenebræ merito vocantur peccatum, non esse, defectus et privatio, 85 B', quæ rebus conveniunt, non prout a Deo emanant, sed secundum quod ab ipso distando occumbunt, 85 C'. — Cur dicatur Deus tenebræ, 27 C; quomodo tenebras ponat latibulum suum, 27 A'. — *Cf.* Caligo.

TENTATIO perfecta tria requirit, 163 A : ideo aliter tentat Deus, 163 B, aliter caro et mundus, 163 B, aliter diabolus, 163 C. Tentatio quæ a diabolo fit aut mundo non est peccatum, nec fit peccatum nisi quum ei consentitur, 163 D, tentatio vero quæ fit a carne peccatum est, nisi ex sola naturali causa insurgat, 163 D. — Tentatio a sensualitate incipit et per inferiorem rationem ad superiorem pertingit, sicut olim a serpente per mulierem ad virum pervenit, 163 D'. — Tentatio ut talis non est appetenda, 163 A', ut occasio victoriæ appeti potest, 163 B', sed securius fugitur quam optatur, 163 B'.

TERRA, infimum elementorum, in medio mundi sita est ut centrum immobile, 408 D', 534 A', et aliis elementis circumcingitur, 144 D, 408 B', præter partem exiguam quæ aquis discooperta est ut sit sedes animalium, 408 B', 534 B. Magnifice decoratur plantis, 236 B, 247 D, et animalibus, 236 D, 247 B', et post judicium pulchra, plana et pervia erit ut aqua, 248 B', et splendebit ut aurum, 325 A, aut vitrum, 535 D'. Respectu cœli est tanquam imperceptibile punctum, 409 A, 534 B'. — Terra ut elementum in animalibus et mixtis simpliciter prædominatur secundum quantitatem, 146 D'. — Per terram quandoque intelligitur omnis corruptibilium et generabilium consistentia, 108 A, vel informis materia, 141 A.

TETRAGRAMMATON nomen (Jehovah vel Yahveh) divinam essentiam pure et absolute, prout in se ipsa consistit, significat, 40 D', 54 A, saltem quantum ad quia est, 41 A, et magis proprium et incommunicabile est quam « Deus », 40 D'. Tantæ apud Judæos erat sanctitatis, ut non nisi a summo sacerdote fas esset illud nominari, 41 B, unde vulgo reticebatur, substituto pro eo Adonai, 41 B. — Quomodo Moysi sit revelatum, 41 C.

THEMISTIUS (Euphrades), Peripateticus, perperam asseruit Deum singularia imperfecte cognoscere, 65 C', omnes formas a principio separato esse, 156 B', et intellectum

Digitized by Google

possibilem in omnibus unum esse, 151 D'.
THEODORUS abbas non tam studio quam oratione scientiam Dei acquisivit, 267 D'. (Cassian. Instit. mon. lib. v, c. 33.)
THEOPHRASTUS Peripateticus non modice erravit circa intellectus agentis et possibilis naturam, 151 D'. — Quo sensu dicat in Deo non esse voluntatem, 71 B'. — *Adde* 42 A'.
THOMAS (S.) Aquinas, « incomparabilis scientiæ vir », sanctitate vitæ magis quam studio sapientiam suam adeptus est, 268 B. — Nonnunquam corrigitur, ut quum dicit Deum esse per se notum quoad se tantum, 17 B', D', 18 C', vel tres tantum vias cognoscendi Deum ab Areopagita poni, 26 C', 27 A', vel aliquid de Deo substantialiter et positive enuntiari posse, 53 B', D', 57 A', vel lumen Deo non convenire nisi metaphorice, 86 C', 87 B, 88 B', vel Areopagitam in omnibus sequi Aristotelem, 34 A', vel quum assignare conatur causam indurationis dæmonum, 275 D'. — Multoties allegatur, 20 A', 25 C, 32 B, 33 A', 40 A, D', etc.
THRONI, ultimus primæ hierarchiæ chorus, 132 D, sic dicuntur, quia sunt sedes Dei, 132 C, scilicet præ ceteris, 133 A. — Ab omni subjectione indigna liberi, 404 C, 527 D', circa Deum sunt collocati, quem in se suscipere singulari modo apti sunt, 404 D, 527 D', et per eos exercet Deus sua judicia, 404 D, A', 528 A.
TIMOR est passio irascibilis quo a malorum futurorum aggressu deficimus, 280 D'. — Dei timor nunquam abjiciendus est, 260 C', 344 D', 438 A, quia retrahit a malo, 260 D'; sed alius est timor servilis, quo timetur in quantum est ultor peccati, 345 A, 438 B, alius timor sanctus, filialis et reverentialis, quo timetur ejus offensa, 345 B, 438 C, quem habuit anima Christi et habent Beati, quia nihil pœnæ habet, sed electos divinæ majestatis intuitu attonitos facit, 345 B, 438 D.
TRISMEGISTUS (Hermes), 47 C'. *Vide* Hermes.
TRISTITIA est passio concupiscibilis, ex mali inconvenientis conjunctione cum appetitu procedens, 280 B'. — Semper quadam tristitia moderanda est lætitia nostra, 260 B', quia tristitia quæ secundum Deum est, magna est perfectio, 281 D, quum scilicet de hoc tristamur quo Deus offenditur, 263 B'.
TULLIUS (Cicero), 179 C, 239 D'. *Vide* Cicero.
TYRANNUS hoc differt a rege quod ad proprium commodum suam prælationem ordinat, 219 A', et a subditis repelli potest, quum adest facultas, 220 B', imo laudabiliter occidi, quum ad superiorem potestatem non datur recursus, 220 C'.

U

UNITAS. Unum cum ente convertitur, 36 C, 209 C', et omne ens dicitur unum sicut dicitur bonum, verum et pulchrum, 36 D, 227 B, quia unum est inegressibilis omnium causa, 35 D', et nihil est exsistentium quod non participet uno, 35 D'; imo si auferas unum, neque totum erit neque totalitas, neque pars neque partialitas, neque aliquid exsistentium, 36 B. Nihil ergo reale enti superaddit unum, 35 B', sed quamdam rationem tantum, 36 C, quia significat ens in quantum a se indivisum, 35 B', 36 D; insuper unum in substantia facit idem, unum in quantitate, æquale, in qualitate, simile, 60 B. — Nulla est multitudo quæ non participet uno, 36 A, sed aliud est unum, principium numeri, a quo est numerus materialis, aliud unum, quod cum ente convertitur, a quo est numerus formalis, 114 C. — Ab eodem res habet esse et unitatem, 211 A': sicut ergo actus ratione voluntatis in genere morum ponuntur, ex unitate voluntatis pendenda est unitas actus, 211 A', et sic in uno actu possunt esse plura peccata, sicut in unum peccatum plures actus convenire possunt, 211 B', C'; similiter unius rei non est nisi unum esse primum et essentiale, sed pluralitatem habere potest secundum esse secundarium et accidentale, 209 C'. — Deus maxime unus est, 35 B', nec solum unus et unum, sed unitas prima et exemplaris, 35 C', simplicissima unitas et unissima simplicitas, 60 A, 90 C', quæ rerum pluralitatem ad unitatem reducit, 332 D, 418 B'. Quomodo ab ipso uno plura procedere potuerint, 105 B', 114 D.
UNIVERSALE triplex est : in re, post rem, et ante rem, 117 B.
UNIVOCATIO. Nihil de causa et effectu univoce prædicatur nisi adæquet effectus virtutem suæ causæ, 96 C : quapropter de Deo et creaturis nihil univoce dicitur, 56 B', 96 C, quia creatura a Creatore infinite distat, 96 D.
USUS quid sit, 252 C', et cur Spiritui Sancto tribuatur, 248 C', 249 A. — Aliæ sunt res

Digitized by Google

quibus utendum est, aliæ quibus fruendum, 252 B', et par malum est vel utendis frui, 252 A', B', vel fruendis uti, 119 A. Res quibus utendum est eæ sunt quibus tendendo ad beatitudinem adjuvamur, 252 B', scilicet omnes creaturæ, 252 C', et his tantum utendum est quantum utiles sunt vel necessariæ ad finem, 252 A'. — Usus illicitus potius abusus dicendus est quam usus, 252 C'. — *Cf.* Fruitio.

V

VALENTINUS hæreticus Christo cœleste corpus, non humanum, tribuebat, 303 B'.

VARRO (Marcus Terentius), polygraphus, male contendit unitatem Dei non esse demonstrabilem, 35 A'.

VERBUM proprie habet rationem causæ exemplaris, cujus est distinguere et ornare, 141 A, 249 D, et est ars Dei plena rationum omnium viventium, 249 A', unde per ipsum omnia facta esse dicuntur, 139 D, 142 A', 249 A'. — Quum sit emanatio intellectus, ipsi tribuuntur quæ ad intellectum spectant, 249 B', ut pulchritudo, 249 C. — Cognitio qua in Verbo res videntur prout exeunt ab arte divina, recte dicitur matutina, 139 C'. — *Cf.* Filius.

VERITAS. Verum cum ente convertitur, 36 C, quia omne ens est verum, unum et bonum, 36 D, 227 B, nec enti aliquid reale superaddit, 36 C, sed tantum rationem quamdam, quia ens designat in quantum cognitioni conformabile, 36 D ; et sic sumitur ex parte formæ, et per comparationem ad vim cognitivam intellectualem, 229 A, unde quid verum dicitur secundum quod formam exemplarem quam habet in mente divina, imitatur, 229 B. — Item cum pulchro convenit, 229 B, sed verum est dispositio ex parte formæ relata ad interius, pulchrum dispositio relata ad exterius, 229 D. — Verum est objectum intellectus, 67 D', et in quantum amatum, objectum gustus interioris, 92 C, et quanto excellentius est, tanto menti dulcius sapit, 92 C. An et quatenus absque gratia possit cognosci, 183 B'.

Veritas quælibet in quadam adæquatione consistit, 36 A' ; sed alia est veritas rei seu naturæ, quæ est ipsa essentia rei, 36 D, et consistit in adæquatione rei ad intellectum cognoscentem aut causantem, 36 A', D', alia veritas intellectus seu propositionis, quæ est adæquatio ipsius intellectus ad rem intellectam, 36 A'. Vera igitur dicitur conceptio quum adæquatur proprietatibus rei, et vera res dum conformatur rationi exemplari quam habet in mente divina, 36 A' ; vera sunt artificialia quum perfectionem habent ab artifice præconceptam, vera naturalia quum ad imitationem rationum idealium mentis divinæ conformantur, 36 C', 239 B. — Utraque Deo optime competit, et veritas intellectus, quum omnia infallibiliter cognoscat, 36 D', et veritas rei, quum sit ens divino intellectui summe conforme, 36 D'. Verus est ergo Deus, et veritas prima et perfecta, 66 B, 331 B', 417 D, omnis veritatis secundæ causa exemplaris, finalis et effectiva, 37 A, D, regula et mensura, 37 C, D, 331 C', 417 A', a qua est omnis veritas creata, vitæ, doctrinæ, rei et sermonis, 331 D', 417 D', omnis illuminatio et doctrina, 90 D, quia quod maxime verum est, ceteris causa est veritatis, 25 B', 37 B', et illud tantum verum est quod a Deo tale censetur, 37 B. — Deus veritas pura dicitur, quia se ipsum perfecte intelligit quantum cognoscibilis est, 246 D' ; veritas autem quam de Deo habent creata, non pura est sed non vero admixta, privative et contradictorie in viatoribus, contradictorie in Beatis, 247 A, quia veritas divina omnem mentem excedit, et omnem notitiam, 51 C.

VESPERE in diebus creationis, quid sit, 139 C', et cur ultima dies careat vespere, 140 C. — Quid cognitio vespertina, 139 C', 140 B.

VIRGINITAS in integritate mentis principaliter consistit, secundario in integritate carnis, 160 C'. In statu innocentiæ non permansisset integritas carnis, sed solum mentis, quia rationi non prævaluisset copulæ voluptas, 160 C' ; post peccatum vero in concubitu illicito solvitur integritas mentis quoad actum et habitum, 160 D', in concubitu licito, secundum actum suspenditur, 161 A.

VIRTUS in communi est principium operandi et aliud transmutandi, 65 C, et respectum dicit ad ea quæ ejus causalitati subjecta sunt, 65 C. Quid sit virtus corporea et virtus corporis, 59 A'. — Nihil exsistentium privatur omni virtute, alioqui frustra esset, 80 D, sed omnibus est aliqua virtus, intellectualis, rationalis, sensualis, vegetabilis aut naturalis, 80 D ; et hæc omnia a virtute divina emanant, 80 A', quæ est virtus prima et infinita, 80 C : virtutes enim quibus inest

Digitized by Google

finis, pendentes sunt per infinitum primum, quod est virtus virtutum, 43 B, 62 B, 335 C', 424 A. — Insuper in entibus sunt quædam communes virtutes activæ et passivæ, quæ movent sive ad omnem speciem, ut calidum et frigidum, 141 B, sive ad determinatam speciem, ut semen, 141 B, et speciales virtutes, quæ movent ad determinatos effectus, 144 D'; et omnis virtus corporea inferior ad virtutem cœlorum reducitur, 146 A, quoniam inferiorum virtus communis ad universalem superiorum virtutem reducitur, et virtus specialis ad stellas, 144 D'.

Virtus in moralibus nihil est nisi assimilatio potentiæ ad actum, seu perfectio superaddita potentiæ, per quam actum elicit, 179 B; et varie definitur, 179 C, D. — Ad potentias animæ immediate pertinet, 177 C', quarum est perfectio, 178 A, et in illa potentia collocatur ad quam actio pertinet, 261 D; et quia perfecta ejus ratio ibi stat ubi est electio rationis deliberantis, 173 D', in his est potentiis quarum actus ex electione procedunt, ut sunt irascibilis et concupiscibilis, 173 B. — A gratia omnes virtutes causantur, et in ea tanquam in origine conjunctæ sunt, 178 A, et cum gratia perimuntur, saltem gratuitæ, 287 D; sed a gratia realiter differt virtus, 177 D', quia virtus ex actibus est, gratia ab extra, 177 C', virtus in potentiis animæ sedet, gratia in essentia, 177 D'. — Virtus est perfectio rei, quia habentem perficit et opus ejus bonum facit, 259 A, et ex ipsa oriuntur operatio virtuosa et delectatio, 179 A, 259 C; in modum naturæ inclinat, 239 D', quia est habitus modo naturæ, rationi consentaneus, 179 C, et in quodam judicio rationis fundatur, 261 C, 262 B, quia tunc fit actio virtuosa, quum verum rationis judicium sequitur, 261 D; in virtutibus gratuitis dux est ratio fide illuminata, in moralibus et acquisitis prudentia, 262 B, in omnibus caritas, 278 D. — Non requiritur ut semper sit in actu, quia potentiæ libertatem non tollit, 179 C; nec in indivisibili est, ut putabant Stoici, ita ut a quocumque defectu statim corrumpatur, 216 C, quia ad opus virtutis sufficit attingere circa medium, 216 D, perfectio tamen virtutis est in indivisibili, 216 D. An quis ea male uti possit, 179 A'. — In Deo nulla est proprie virtus, quia divina potentia nulla perfectione adjuncta indiget ad agendum, 179 B; ipsi tamen proprie tribuuntur virtutes quæ simpliciter ad perfectionem pertinent, 279 B, improprie autem quæ imperfectionem in subjecto indicant, 279 C, ut virtutes morales quæ passiones directe refrenant, 279 B. Quæ autem proprie Deo conveniunt, viatoribus non nisi secundum debilem participationem competunt, 279 B'. — Angeli virtutes cardinales habent, sed altiori modo quam homines, 185 A. — Homo multis virtutibus indiget propter potentiarum multiplicitatem, 275 A, C, virtutibus scilicet moralibus ad reprimendas passiones, 275 B, cardinalibus et theologicis ad dirigendum voluntatem et intellectum, 275 C, et ad consequendum futuram beatitudinem, 279 C', quia virtutibus Deo conformatur, et divinæ fit consors naturæ, 257. Aliæ autem sunt virtutes politicæ, quæ cum labore sunt et pertinent ad incipientes, 281 C', aliæ virtutes purgatoriæ, quæ sunt proficientium, 281 C', aliæ virtutes purgati animi, quæ sunt perfectorum, 281 C'.

VIRTUTES, secundus mediæ hierarchiæ chorus, 132 A', aptius in secunda hierarchia collocantur quam in tertia, 132 B'. — Infatigabilem fortitudinem receperunt, qua ad Deum inconcussibiliter eriguntur, et subjectos ordines reducunt, 405 A, 529 A, et maximæ sunt virtutis ad operanda difficilia et miracula, 132 A'. Ipsarum est astra movere, 22 D, distributionem Dominationum exsecutioni mandare, et principia universalis operationis operi applicare, 405 B, 529 B, et beneplacitum Dei fortissime exsequuntur, 407 B, 531 D'. — Quodam modo, ob naturæ vigorem, omnes angeli Virtutes dicuntur, 133 A.

VISIO est scientia Dei respectu eorum quæ sunt aut fiunt, 68 C, sicut prævisio est scientia Dei respectu futurorum, 68 D, et sub scientia visionis sive Dei sive Christi cadunt universa præterita, præsentia et futura, 351 A', 448 C'. — In visione Dei essentialiter consistit felicitas naturalis et supernaturalis mentis creatæ, 119 B : felicitas naturalis in visione Dei intellectiva, 83 D, quæ triplex est, per propriam essentiam, ut oculus videt lucem, et sic se videt Deus, 119 C, 167 B', per speciem acquisitam, ut videtur homo per speciem ab ipso impressam, et sic Deum videt angelus, 119 C, 167 B', per visibilem creaturam, ut videtur homo per speciem ejus resultantem in speculo, et sic Deum videt homo viator, 119 C, 167 C'; felicitas

Digitized by Google

supernaturalis in visione Dei per speciem, 119C, quæ est tota merces Beatorum, 11, 13B, summa enim creatæ mentis perfectio est Deo, quantum fas est, assimilari, 308D, et quum vita Dei non sit nisi æterna sui ipsius contemplatio, 279D', 282C, 321D', tunc ei vere similes erimus quum eum viderimus sicuti est, 308D, et hæc est vita æterna et ultimus finis noster, 308B'. — Ad hanc igitur visionem Dei omnia referenda sunt, 274A', sicut et ipsa ad Dei gloriam referenda est, 274B'; sed quia omnem creaturæ virtutem excedit, 183D', nulli naturalis esse potest, 184B, 309A, et puris naturalibus acquiri nequit, 286D', sine auxilio gratiæ, 184A, 287A. Ad ipsam autem pertingitur per dilectionem Dei, 14A, qui ab his videtur qui huic sæculo moriuntur, 252D', et quantum huic sæculo moriuntur, 233A. — In præsenti ergo Deus videri nequit nisi in ænigmate, per species creatas, 13B, 288D, quæ infinite a perfectione divina occumbunt, 13C, unde qui in hac vita Deum vidisse dicuntur, non Deum ipsum, sed aliquid ex divinis effectibus contemplati sunt, 56B; sed in patria videbitur clare et immediate, 13B, in se ipso, 288D, sicut ab eo videmur, et facie ad faciem, 308A', in qua visione non erit inter mentem contemplantem et Deum contemplatum forma media ab utroque distincta, 308C', quia ab essentia divina infinite distat omnis forma, nec ejus formari potest adæquata species creata, 308D', sed tantum erit species increata, quæ est ipsa divina essentia, 13C, 308D', species scilicet qua Deus se ipsum conspicit, 309A. — Carentia visionis divinæ, vel negative dicitur, et sic est defectus omni creaturæ inhærens, 162C', non pœna peccati, 184B, vel privative, et sic est pœna originalis culpæ, 162D', 184C.

VITA. Illa dicuntur vivere quæ movent se ipsa, 62B': Deo ergo competit vita tanquam primo omnium motori, 62B'; et quia simpliciter perfectus est, 61D, 63D, inest ei totius vitalis perfectionis plenitudo, 62B', immensa vitæ totalitas, 62D', ita ut nihil in eo sit quod non sit vita infinita et simplicissima, 62D', purissima, 63A, nobilissima, 63B, delectabilissima, 63C, D', immutabilis, 63A', sempiterna et semper in actu, 63D'. — Primum ergo vivens est, 62C', et ipsi proprium est vivere, 63A', in quantum videlicet vita ejus est totius vitæ principium, 62C', et causa generativa, discretiva et conservativa, 63C', cujus participatione vivunt tam animæ quam animalia et plantæ, 63C', 330A', 415A'. — Vita hominis, quia a defectu orditur, ut ad perfectum deveniat et denuo ad defectum, merito dicitur circulatio, 161B.

VITASPATRUM seu Vitæ Patrum allegantur, 260D'. (Lib. V, libel. x, n. 8.)

VOLUNTAS est cum intellectu nobilissima rerum creatarum potentia, 150D, secunda vis animæ, 150D, minor intellectu, quia nisi ab intellectu regatur, cæca est et tyranno similis, 83A'. Alias potentias movet, 205D', et actibus earum imperat, 177B', præter vires vegetativæ partis, 176A; sed ipsa in omnibus dirigitur ab intellectu, et nihil vult nisi quod sub ratione boni intelligit intellectus, 129D, 262A, quia ejus objectum est bonum, 67D', apprehensum, 207A', unde secundum judicium rationis vel conscientiæ oportet illam agere, 207A', et errare nequit nisi in ratione error præcedat, 262B. — Triplex est, alia quæ est appetitus rei absentis et deficientis, 72B, alia immobilis complacentiæ in fine, 72B, alia quæ vocatur liber animi motor, qua libere agimus, 72C; item alia est voluntas indeliberata, quæ apprehensionem simplicem sequitur, alia voluntas deliberata, quæ ex apprehensione discursiva oritur, 172B'; demum alia est voluntas intendens, quæ fertur in finem, alia eligens, quæ circa media versatur, 208D, quarum utraque ad bonitatem vel malitiam actus interioris confert, 208B', sed diversimode, 208D. — Nullo modo compellitur, 175B', 205D', nam etsi finem seu felicitatem velit necessario, 73C, 175B', et quæ necessaria sunt ad finem, 73D, nullo eorum quæ sunt ad finem cogi potest, sed tantum inclinari, 175C'. Nec in eam impressionem facere possunt angeli aut dæmones, 129C, sed Deus dumtaxat, 129C', qui nec ipse facere potest ut necessario se habeat ad ea quæ sub electione cadunt, 175D'. — Quia ergo in voluntate primordialiter principaliterque consistit libertas, 239B', in ea prima est ratio meriti et demeriti, 177B', et principium moralium, 173A; ad eam primo pertinent vitium et virtus, 239B', et in ea est primo causa peccati, 173A, et ratio culpæ, 205D', ita ut nulla sit ratio virtutis nec perfecti pec-

Digitized by Google

cati absque electione deliberantis voluntatis, 173D', 281A'; ceterarum autem actus potentiarum non sunt meritorii aut demeritorii, 199B, nisi in quantum a voluntate imperantur, 205D', et voluntatis proprietates participant, 199A. In actu igitur voluntatis consistit totum præmium essentiale actuum, 209C, C', et tantum meretur qui intendit facere quam qui facit, 209C, A'; verumtamen recte exigitur actus exterior, quia in eo tantum perficitur voluntas, 209B, C. An actus voluntatis et actus exterior sint unus actus, 211B'. — Voluntas creata in se non est mala, 196D', sed nata est deficere, 103D, 202C', et per suum arbitrium fit causa mali, 196D'. Quia enim est boni et mali, et tendit in objectum prout est in re, 205C', 206A, et complet actum suum conjungendo se rei, 73B, fit mala ex parte objecti, quia velle malum est malum, 205B'. Quomodo in ea modus, species et ordo inveniantur, 239B, B', D', et per peccatum corrumpantur, 239A. — Licet ejus perfectio sit conformari Deo, 264C, multa licite velle potest quæ Deus non vult, 264D', quia viatorum voluntas conditionem viæ sequitur, 264D'.

In Deo esse voluntatem probari potest, quia libere agit, et omnia cognoscit, 72D, diligit et conservat, 72A', quia etiam voluntas est nobilissima potentia, 71D', sine qua quæ fiunt, non sunt laudabilia, 72A'. — Sed ipsi competit voluntas nobilissimo modo, 72B', absque imperfectionibus quæ creatæ voluntati inhærent, quæ sunt desiderare et moveri, 71D'. Quapropter Deo non competit voluntas ut est appetitus rei absentis, 72B, sed voluntas immobilis complacentiæ, 72C, et voluntas arbitrii qua libere agit, 72C; et in eo voluntas idem est ac intellectus, 76A, imo ac divina essentia, 71D, 73D'. — Duplex est divinæ voluntatis objectum, Deus ipse et creaturæ, 72B', non tamen diversificatur secundum volita, quia creaturas non vult nec diligit nisi ob semetipsum, 72C'; imo uno actu se et reliqua vult et diligit, 72D', 73B', se necessario, 337D, cetera libere, 73C, A', 337D, 426B'. — Voluntati divinæ, quum sit prima causa, non est assignare causam, 75B, 337A', quamvis velit unum propter aliud, et creata propter se ipsum, 73C', 75A; sed non ideo dicenda est irrationabilis, 75A, id est injusta aut insipiens, 75B. — Voluntas divina proprie dicta semper impletur, alioqui Deus non esset beatus, 74A, sed alia est voluntas beneplaciti, alia voluntas signi, 74B. Iterum voluntas beneplaciti est vel antecedens, 74B, qua scilicet Deus vult aliquid secundum rationem communem et primam, 74D, quæ non est voluntas nisi secundum quid, seu velleitas, nec semper impletur, 74A'; vel consequens, 74B, qua Deus vult aliquid secundum rationem completam et ultimatam, 74D, quæ est perfecta et simpliciter dicta voluntas nec falli potest, 74A': et sic vult aliqua Deus voluntate antecedenti quæ non vult voluntate consequenti, 74D. Similiter voluntas signi quinque continet: præceptum, prohibitionem et consilium, quæ non semper implentur, 74B', permissionem et operationem, quæ semper implentur, 74B'. — Voluntas divina est proxima rerum causa, 75B', C', quia Deus omnia per voluntatem produxit, 75A', et quia voluntatis est amare, præcipere et cognita exsequi, 76A, B.

VOLUPTAS vera in Deo est et quærenda est, 85C, qui de se ipso gaudet et de universis suis effectibus delectatur, 85C. *Cf.* Beatitudo.

Z

ZELUS tertius est amoris gradus, cujus est, unita indissolubiliter colligare, 306D'.

ZODIACUS. Ex solis in zodiaco motu fiunt temporum vicissitudines, generabilium et corruptibilium cursus, conservatio et duratio, 235D', 409B.

Digitized by Google

INDEX GENERALIS

Opuscula hujus voluminis 6

DE NATURA ÆTERNI ET VERI DEI.

Epistola nuncupatoria 9
Procemium 11
Articulus I. Quæ sit præsentis editionis intentio, et de modo procedendi in opere isto. 13
Articulus II. De utilitate cognitionis divinæ quæ per naturalem rationem acquiri potest et disci 14
Articulus III. De causa motiva atque finali hujus lucubrationis 14
Articulus IV. De cognitione Dei infatigabiliter requirenda 15
Articulus V. De moderamine in divinorum investigatione servando 16
Articulus VI. An Deum esse, sit per se notum 17
Articulus VII. Qualiter ex consideratione motuum atque mobilium perducamur ad unius immobilis entis et primi motoris, qui Deus est, contemplationem . 19
Articulus VIII. In quo genere causæ posuerint philosophi Deum sublimem esse primum motorem 21
Articulus IX. Quomodo intelligendum sit, quod aliqui summi doctores Deum dicunt moveri, seu motum ac mobilem . 22
Articulus X. Quomodo ex ordine causarum atque effectuum demonstretur esse divinum 23
Articulus XI. Demonstratio quod Deus est, ex ordine rerum in perfectione . . . 24
Articulus XII. Ostensio quod Deum esse oporteat, ex contemplatione regiminis universi 25
Articulus XIII. Quotuplici via conscendat intellectus humanus ad Creatoris notitiam ex rebus creatis. 26
Articulus XIV. Explanatio quorumdam nominum sine quorum notitia ista intelligi nequeunt. 27
Articulus XV. Quod esse, Deo propriissime convèniat; et de qualitate seu modo esse divini 29
Articulus XVI. Quod Deus sit essentialiter bonus, et quod natura Dei sit bonitas; et quod nulla res post Deum sit essentialiter bona 31
Articulus XVII. Quid sit prius ac principalius nomen Dei, Bonum vel Ens . . 33
Articulus XVIII. Et est demonstratio per rationes naturales, quod non sit nec esse possit nisi unus verus Deus . . . 35
Articulus XIX. Quod Deus æternus sit veritas prima et exemplaris, omnisque veritatis creatæ causa fontalis 36
Articulus XX. Cur Deus dicatur actus purus, et quam utile sit hoc intelligere, eo quod multa pulchra sequantur ex hoc. 37
Articulus XXI. Quod Deus proprie appellatur essentia, abusive autem substantia . 38
Articulus XXII. An hoc nomen, Deus, sit maxime proprium Deo, vel communicabile etiam aliis; an sit nomen naturæ, vel actionis seu operationis . . . 39
Articulus XXIII. De nomine Domini tetragrammaton 40
Articulus XXIV. Quod Deus sit infinitus, et quod infinitas sit intrinseca proprietas divinæ naturæ 41
Articulus XXV. An Deus sit sibi ipsi infinitus 43
Articulus XXVI. Quod immensitas Dei quatuor respicit. 44
Articulus XXVII. De incircumscriptibilitate Dei; et quomodo Deus dicitur esse ubique per essentiam, præsentiam atque potentiam. 45
Articulus XXVIII. Quod solus Deus æternus sit, secundum completam æternitatis rationem 47

Digitized by Google

Articulus XXIX. De incomprehensibilitate divinæ naturæ, et de variis rationibus incomprehensibilitatis divini esse. . . 49
Articulus XXX. An cognitio quam de divina natura per ablationem habemus, sit potior ea notitia quæ per positionem de Deo habetur 51
Articulus XXXI. Et est introductio quæstionis difficilis, scilicet an aliquid de Deo sublimi affirmative et substantialiter prædicetur. 53
Articulus XXXII. Et est confirmatio responsionis inductæ, ex testimoniis Damasceni et Hugonis atque Doctoris divini . 55
Articulus XXXIII. Resolutio et concordia horum quæ dicta sunt et sibi videntur contraria 56
Articulus XXXIV. Quod non obstantibus his quæ de divinæ naturæ incomprehensibilitate et incognoscibilitate inducta sunt, veram habeamus de Deo benedicto et sancto notitiam 57
Articulus XXXV. De simplicitate divini esse 58
Articulus XXXVI. De incommutabili stabilitate divinæ essentiæ. 61
Articulus XXXVII. Quod Deus æternus sit vivens vita purissima, nobilissima, delectabilissima æternaliterque perfecta . 62
Articulus XXXVIII. Quam convenienter Deus dicatur intellectus universaliter agens 64
Articulus XXXIX. Quod intellectus divinus cognoscit perfecte atque distincte, æternaliter et immaterialiter omnia genera, species et individua, tam substantiæ quam accidentium, omnia quoque quæ esse possunt 64
Articulus XL. Quod in Deo idem sunt intelligens, intellectus, species intelligibilis, intellectio et objectum 67
Articulus XLI. Quod divina cognitio varia nomina sortitur, secundum diversitatem eorum quæ sub ea cadunt et comprehenduntur 68
Articulus XLII. Quod in mente divina sint rerum factarum ideæ. 68
Articulus XLIII. De libertate primi entis . 70
Articulus XLIV. De voluntate primi principii 71
Articulus XLV. Quod quamvis absolute necessarium sit Deum scire ac intelligere quidquid scit atque intelligit, non tamen absolute necessarium sit eum velle seu diligere quæcumque vult seu diligit 73
Articulus XLVI. An divinæ voluntatis possit causa seu ratio assignari; an etiam semper impleatur 73
Articulus XLVII. An divina voluntas sit proxima causa rerum et propria . . . 75
Articulus XLVIII. An primum principium sit causa rerum per esse suum seu per naturam; et qualis sit emanatio rerum a Deo 76
Articulus XLIX. De regimine et providentia mentis divinæ 77
Articulus L. De omnipotentia Dei et immensitate divinæ potentiæ 78
Articulus LI. Confirmatio prædictorum de omnipotentia Dei, ex verbis Dionysii, Augustini et Anselmi; de potentia quoque Dei absoluta et ordinata 80
Articulus LII. Quomodo misericordia et justitia in Deo sunt 81
Articulus LIII. De beatitudine et infinita delectatione ac sincerissima voluptate supergloriosissimi et superbeatissimi Dei 83
Articulus LIV. De supersplendenti lumine atque luciflua claritate divinæ essentiæ 85
Articulus LV. An lux, splendor, lumen et radius proprie Deo conveniant, vel potius transumptive seu metaphorice . . 86
Articulus LVI. Prædictorum confirmatio ex verbis Augustini, Anselmi et Hugonis 89
Articulus LVII. De pulchritudine summæ naturæ et speciositate divinæ essentiæ. 90
Articulus LVIII. De superexuberanti et supersuavi dulcedine bonitatis divinæ . 92
Articulus LIX. De desiderabilitate et amabilitate divinæ bonitatis. 93
Articulus LX. De superessentiali et infinita sanctitate mentis divinæ. 94
Articulus LXI. De incomparabili excellentia Dei, eo quod de ipso et creaturis nihil dicatur univoce. In quo declaratur, quod Deus non est genus neque in genere, nec species neque in specie, neque individuum vel suppositum sub aliquo genere prædicamentali contentum. 95
Articulus LXII. De variis nominibus Dei, quæ diversimode sibi conveniunt. . . 96

Digitized by Google

CREATURARUM IN ORDINE AD DEUM CONSIDERATIO THEOLOGICA.

Procemium 101
Articulus I. Quod non est nisi unum primum principium 103
Articulus II. De possibilitate et ratione creationis. 104
Articulus III. An soli Deo conveniat creatio. 104
Articulus IV. An causis creatis conveniat productio alicujus veræ essentiæ. . . 105
Articulus V. Utrum mundus sit ab æterno. 106
Articulus VI. De expositione ejus quod in principio Genesis scriptum est: In principio creavit Deus cœlum et terram. . 107
Articulus VII. Quod Deo conveniat agere propter finem 108
Articulus VIII. Quod creaturæ sunt propter Dei bonitatem participandam factæ . . 108
Articulus IX. Quomodo omnia dicuntur propter hominem facta 109
Articulus X. An anima rationalis corpori naturaliter unibilis sit 109
Articulus XI. An idem sint ævum et æternitas 110
Articulus XII. Utrum omnium æviternorum sit unum ævum 110
Articulus XIII. An creaturæ spirituales conditæ sint ante mundum sensibilem. 111
Articulus XIV. An cœlum empyreum sit corpus. 111
Articulus XV. An cœlum empyreum influentiam habeat supra alia corpora. . . 112
Articulus XVI. Utrum in angelis sit materia. 112
Articulus XVII. De personalitate angelorum. 113
Articulus XVIII. De numero angelorum . 113
Articulus XIX. Utrum plures sint angeli unius speciei. 114
Articulus XX. Quando primo factus sit angelus malus 115
Articulus XXI. An angelus cognoscat res per suam essentiam 116
Articulus XXII. Qualiter species superiorum angelorum dicantur speciebus inferiorum universaliores. 116
Articulus XXIII. Quomodo angeli per formas intelligibiles quas habent, particularia intelligere possint 117
Articulus XXIV. Inquisitio an angeli plura simul actu intelligant. 118
Articulus XXV. De hoc, si angeli in gratia creati non sunt, an tunc ante peccatum amabant Deum supra se et plus quam omnia 118
Articulus XXVI. Utrum angeli in principio suæ creationis erant beati; et an miseriam suam præsciebant 119
Articulus XXVII. An angeli sint in gratia conditi. 119
Articulus XXVIII. Quomodo potuit peccatum esse in angelis 120
Articulus XXIX. De peccato angeli, quale erat, et quomodo Dei æqualitatem appetiit 120
Articulus XXX. An angeli eguerint gratia in conversione sui ad Deum, et utrum beatitudinem suam meruerint. . . . 121
Articulus XXXI. Utrum Lucifer fuerit summus angelorum, et quomodo ipse fuerit aliis causa peccandi 122
Articulus XXXII. De loco et ordine dæmonum 123
Articulus XXXIII. An dæmon ab homine victus, retrudatur in infernum. . . . 123
Articulus XXXIV. Utrum angeli boni possint peccare 124
Articulus XXXV. De obstinatione dæmonum, et de eorum naturali cognitione . 124
Articulus XXXVI. De divinatione quæ per dæmones fit 125
Articulus XXXVII. De miraculis quæ per dæmones fiunt 126
Articulus XXXVIII. An angeli sint incorporei, et quomodo corpus assumant. . 127
Articulus XXXIX. De qualitate et materia corporis assumpti ab angelo; et utrum in eo comedere, sentire, videre, loqui et generare possit 128
Articulus XL. Qualiter dæmones intra corpora hominum esse possint; et de præstigiis quibus sensus humanos decipiunt. 129
Articulus XLI. Utrum Deus aliquando in corporalibus figuris apparuerit . . . 129
Articulus XLII. De definitione hierarchiæ, et actionibus hierarchicis 130
Articulus XLIII. De divisione angelicæ hierarchiæ in tres hierarchias et novem ordines 131
Articulus XLIV. De nominibus angelorum. 132
Articulus XLV. An angeli unius ordinis sint æquales; et de connexione hierarchiarum 133
Articulus XLVI. Utrum distinctio ordinum

Digitized by Google

sit a natura, et an homines ad ordines angelorum assumantur 134
Articulus XLVII. Quod nec omnes adsistunt, nec omnes ministrant 134
Articulus XLVIII. Qui ordines ministrent, et utrum per ministerium exterius a contemplatione retardentur. 135
Articulus XLIX. De custodia angelorum. 136
Articulus L. Utrum angeli in Dei cognitione proficiant; et de profectu eorum per mutuam illuminationem et collocutionem 137
Articulus LI. An angeli per homines Incarnationis mysterium didicerint; et de pugna angelorum, ac cessatione ordinum 138
Articulus LII. Utrum omnia sint simul facta 138
Articulus LIII. Quomodo secundum Augustinum possit salvari dierum distinctio. 139
Articulus LIV. De informi rerum primordiali materia, et de quatuor coæquævis. 140
Articulus LV. De opere distinctionis; et an lux in spiritualibus proprie esse dicatur. 141
Articulus LVI. De productione lucis; et quomodo dicatur Pater omnia per Filium facere 141
Articulus LVII. Quomodo dicantur esse aquæ super cœlos; et utrum firmamentum sit de natura elementorum . . . 142
Articulus LVIII. De motoribus cœlorum, et numero eorumdem 143
Articulus LIX. De opere tertiæ diei . . . 144
Articulus LX. De ornatu superiorum corporum, et de causalitate quam habent corpora superiora in hunc mundum. . 144
Articulus LXI. Qualiter corpora cœlestia in motus liberi arbitrii imprimere possint. 145
Articulus LXII. De materia animalium, et ornatu trium elementorum secundum tria genera animalium 146
Articulus LXIII. De consummatione operum Dei, et quiete ipsius 147
Articulus LXIV. De sanctificatione septimi diei 148
Articulus LXV. Quomodo possit creatura ad Dei imaginem dici facta; et cur in solis rationalibus creaturis Dei imago reluceat 148
Articulus LXVI. An magis in angelo quam in anima sit Dei imago; et de differentia imaginis et similitudinis . . . 149
Articulus LXVII. Quod anima nec est de essentia Dei, neque ex materia constans, sed simplex atque immaterialis forma 150
Articulus LXVIII. De unitate intellectus in omnibus hominibus; et utrum animæ ante corpora conditæ sint 151
Articulus LXIX. De paradiso, an sit corporalis locus an spiritualis. 152
Articulus LXX. De formatione Evæ ex costa viri, et de rationibus seminalibus. . . 153
Articulus LXXI. Cur aliquid miraculosum dicatur. 154
Articulus LXXII. Quod anima rationalis non est ex traduce, neque ab angelis creata 155
Articulus LXXIII. An anima sensibilis et vegetabilis sint ex traduce 156
Articulus LXXIV. De immortalitate rationalis animæ 157
Articulus LXXV. De immortalitate et impassibilitate Adæ ante mortem. . . . 158
Articulus LXXVI. Quod non erat homo in primo statu immortalis et impassibilis per naturam; et quomodo immortalitas Adæ differat ab immortalitate resurgentium 159
Articulus LXXVII. Quod in statu innocentiæ fuisset generatio per coitum . . . 160
Articulus LXXVIII. Quales fuissent pueri in statu innocentiæ nati secundum perfectionem corporis 161
Articulus LXXIX. Utrum pueri in statu innocentiæ geniti, in scientia et gratia nati fuissent. 162
Articulus LXXX. Quemadmodum Deus tentare dicatur, *etc.* 163
Articulus LXXXI. De ordine tentationis primorum parentum; et an peccatum Adæ omnibus aliis peccatis gravius fuerit; et utrum potuerit peccare venialiter. 163
Articulus LXXXII. Quod peccatum Adæ erat superbia; et quomodo appetiit esse sicut Deus; et utrum Eva gravius peccaverit quam Adam 164
Articulus LXXXIII. An ignorantia sit peccatum, et quomodo ipsa excuset peccatum 166
Articulus LXXXIV. Quod impeccabilitas nulli creaturæ conferri potuit; et cur Deus hominem condiderit quem lapsurum prævidit 167

Digitized by Google

Articulus LXXXV. Quomodo vidit Adam Deum ante peccatum 167
Articulus LXXXVI. An Adam perfectam rerum cognitionem habebat; et utrum homo ante peccatum decipi potuerit. . 168
Articulus LXXXVII. De libero arbitrio, an sit habitus vel potentia; et si potentia, an una vel plures 169
Articulus LXXXVIII. An liberum arbitrium sit potentia a voluntate et ratione distincta; et utrum per ipsum homo in primo statu peccatum vitare valebat 169
Articulus LXXXIX. De sensualitate, et de superiori ac inferiori ratione 170
Articulus XC. Quid sit synderesis, et quid conscientia 171
Articulus XCI. De motu sensualitatis et utriusque rationis; et qualiter in sensualitate et in ratione sit peccatum . . 172
Articulus XCII. Quod in ratione inferiori possit esse mortale peccatum, et in superiori veniale 173
Articulus XCIII. Utrum peccatum veniale fieri possit mortale. 174
Articulus XCIV. In quibus sit liberum arbitrium; et quod ipsum cogi non possit 175
Articulus XCV. De aliquibus ad liberum arbitrium pertinentibus 175
Articulus XCVI. Quod gratia sit quid creatum, et accidens. 176
Articulus XCVII. Quod gratia sit in essentia animæ, et realiter aliud a virtute . 177
Articulus XCVIII. De divisione gratiæ, et unitate ipsius 178
Articulus XCIX. Quod virtus sit habitus, et de definitione ipsius 179
Articulus C. Utrum de condigno mereri quis possit vitam æternam; et an homo gratiam possit mereri. 179
Articulus CI. Quomodo per meritum gratia augeatur; et utrum unus alii gratiam primam possit mereri 180
Articulus CII. Utrum sine gratia homo nil boni facere queat; et an sine gratia peccata vitare possit 181
Articulus CIII. Utrum sine gratia implere quis possit divina præcepta, vel ad gratiam præparare se ipsum 182
Articulus CIV. An in statu innocentiæ homo gratia eguerit; et utrum ante lapsum gratiam habuerit 183
Articulus CV. Utrum in statu primo majorem gratiam habuisset homo quam postea; et an opera ejus erant ante lapsum ad merendum efficaciora . . . 184
Articulus CVI. De pœnis hominis; et quod pro peccato primi parentis omnibus inflictæ sint 185
Articulus CVII. Quomodo defectus in posteros per originem veniens, reatum culpæ habeat; et qualiter concupiscentia dicatur originale peccatum 186
Articulus CVIII. Utrum alimentum transeat in veritatem humanæ naturæ. . . 187
Articulus CIX. An semen sit solum superfluum alimenti 188
Articulus CX. Quomodo per originem carnis originale peccatum transfundi possit; et qualiter in omnes pertranseat . 189
Articulus CXI. De subjecto originalis peccati; et cur virtus generativa magis dicatur infecta 190
Articulus CXII. Qualiter per Baptismum originale peccatum tollatur; et de pœna quæ remanet; et quomodo fomes in uno major exsistat quam in altero . . 191
Articulus CXIII. An originalis infectio sit a Deo; et quomodo deceat divinam sapientiam animam corpori infecto unire; et de æqualitate animarum. . . . 192
Articulus CXIV. Utrum a proximis parentibus proles maculam contrahat, aut propter eorum culpam pœnam incurrat; et de unitate originalis peccati. . . . 193
Articulus CXV. De pœna originalis peccati; et an pueri non baptizati spiritualem patiantur dolorem de amissione vitæ æternæ. 194
Articulus CXVI. Quomodo malum dicatur esse, quum tamen non sit aliqua vera natura 195
Articulus CXVII. Quod bonum sit causa mali, atque subjectum; et quod malum, totum bonum corrumpere nequeat . . 196
Articulus CXVIII. De divisione mali, et definitione peccati 197
Articulus CXIX. An peccatum omissionis sit in aliquo actu consistens; et qualiter in exteriori actu sit peccatum; et utrum peccatum corrumpat potentias animæ 198
Articulus CXX. Quod unum peccatum sit causa alterius et pœna peccati; et an passio sit secundum se peccatum. . . 199
Articulus CXXI. Utrum omnis pœna pro

Digitized by Google

peccato infligatur; et de divisione bonorum 200
Articulus CXXII. Utrum peccatum sit substantia vel natura quædam; et quod omne ens quod aliquid positivum nominat, sit a Deo. 201
Articulus CXXIII. Utrum Deus sit causa actus mali. 202
Articulus CXXIV. Quod Deus sit causa pœnæ; et quod malum per prius dicatur de culpa quam de pœna 203
Articulus CXXV. Quod omnium rectarum voluntatum sit tantum unus finis, et quis sit ille 203
Articulus CXXVI. Quod intentio sit actus voluntatis; et quod unus sit actus de fine et mediis ad finem; et quomodo ex fine judicanda sit voluntas esse recta vel perversa 204
Articulus CXXVII. An in intellectu et ceteris potentiis possit esse peccatum . . 205
Articulus CXXVIII. An superior rationis scintilla possit exstingui; et utrum conscientia possit errare. 206
Articulus CXXIX. An conscientia errans obliget 207
Articulus CXXX. Quomodo bonum et malum sint differentiæ essentiales actionis; et quod ex voluntate dependeant bonitas et malitia exterioris actus 208
Articulus CXXXI. Utrum exterior actus aliquid de bonitate vel malitia addat supra bonitatem vel malitiam voluntatis; et an eadem actio possit esse bona et mala 208
Articulus CXXXII. An in actibus humanis reperiatur indifferens. 210
Articulus CXXXIII. Quod fidei sit intentionem dirigere; et utrum omnis operatio infidelium sit peccatum 210
Articulus CXXXIV. An voluntas peccati et actus sint unum peccatum; et qualiter post peccatum reatus permaneat . . . 211
Articulus CXXXV. De peccato mortali et veniali. 212
Articulus CXXXVI. De radicibus peccatorum 213
Articulus CXXXVII. De multiplici divisione peccati. 214
Articulus CXXXVIII. De capitalibus vitiis 214
Articulus CXXXIX. De speciebus superbiæ; et utrum omnia peccata sint paria . . 215
Articulus CXL. De peccato in Spiritum Sanctum 216
Articulus CXLI. An omnis prælatio sit a Deo; et utrum in statu innocentiæ fuisset prælatio 219
Articulus CXLII. Quod obedientia sit specialis virtus 219
Articulus CXLIII. Utrum Christiani teneantur sæcularibus potestatibus obedire; et an obedientiam professi, in omnibus simpliciter obedire teneantur 220

DE VENUSTATE MUNDI ET PULCHRITUDINE DEI.

Procemium 225
Articulus I. Quid pulchrum, quæ ratio seu descriptio pulchri; et quod pulchrum sit unum convertibilium cum ente, ita quod omne ens est pulchrum 227
Articulus II. Quomodo etiam in ipso universorum primo principio, Deo benedicto, pulchrum concernit rationem causæ exemplaris et ad eam pertinet . 228
Articulus III. De distinctione pulchri et veri 229
Articulus IV. De multiplici divisione pulchri seu pulchritudinis 229
Articulus V. De pulchritudine corporali . 230
Articulus VI. De pulchritudine cœlestium corporum. 231
Articulus VII. Ex quibus principaliter constet, colligatur atque resultet pulchritudo mundi. 232
Articulus VIII. An malo culpæ conveniat ratio pulchri; et utrum hujusmodi malum conferat ad pulchritudinem universi 233
Articulus IX. Quomodo ratio pulchri conveniat malis pœnæ et monstris; et qualiter conferant ista ad pulchritudinem mundi 234
Articulus X. De pulcherrima mundi dispositione, secundum Richardum atque Hugonem 235
Articulus XI. An materiæ primæ secundum se consideratæ, conveniat ratio pulchri. 237
Articulus XII. An miracula et mirabilia, incarnatio quoque Verbi et sacramenta, pertineant ad pulchritudinem mundi . 237
Articulus XIII. Quomodo in omni ente creato reperiantur modus, species et

Digitized by Google

ordo; et quomodo omnia facta dicantur in numero, pondere et mensura . . . 237
Articulus XIV. De pulchra formatione corporis humani 240
Articulus XV. De essentiali pulchritudine intellectualium substantiarum in generali, et specialiter de naturali decore animæ rationalis 241
Articulus XVI. De essentiali pulchritudine angelicorum spirituum 241
Articulus XVII. De accidentali pulchritudine intellectualium substantiarum . . 242
Articulus XVIII. De supernaturali pulchritudine intellectualium creaturarum . . 243
Articulus XIX. De pulchritudine superspeciosissimi Dei secundum doctrinam divini Dionysii 244
Articulus XX. Quomodo ratio pulchri conveniat proprie Deo benedicto 245
Articulus XXI. Quod pulchritudo et cetera perfectionalia attributa Dei, ei dumtaxat conveniunt pure, id est sine admixtione oppositi, tam privative quam contrarie et contradictorie 246
Articulus XXII. Contemplatio primæ et increatæ pulchritudinis ex consideratione pulchritudinis ordinis universi. . 247
Articulus XXIII. Quomodo pulchritudo approprietur Filio Dei. 248
Articulus XXIV. De mutua conversione, contemplatione, dilectione, fruitione, complacentia Patris et Filii ac Spiritus Sancti ad invicem 249
Articulus XXV. Quam desiderabilis atque amabilis sit bonitas pulchritudoque Dei; de vanitate quoque, vilitate, insipientia et impietate eorum qui rebus caducis, terrenis, carnalibus magis inhærent quam summo et incommutabili Deo 250

DE DISTANTIA PERFECTIONIS DIVINÆ ET HUMANÆ.

Procemium 257
Articulus I. De natura et proprietate virtutis ac perfectionis divinæ 259
Articulus II. De summa perfectione mentis humanæ 260
Articulus III. In quo perfectio divina conveniat cum humana 261
Articulus IV. De incessabili dependentia indigentiaque perenni qua a Creatore benedicto omnis creatura cum universa sua perfectione dependet. 262
Articulus V. De interno atque secreto modo orandi affandique Deum. 263
Articulus VI. Quod licet tota rationalis creaturæ perfectio sit conformari Deo, nihilo minus multa possumus licite velle, amare atque appetere, quæ Deus non vult, nec cupit, nec diligit 264
Articulus VII. De vera ac profunda humilitate 265
Articulus VIII. Quum humilitas in sui ipsius vera cognitione consistat, quomodo viri virtuosi et boni se nihil reputare aliisque viliores arbitrari possint, quibus tamen veraciter meliores sunt . 265
Articulus IX. De variis incitamentis et causis humilitatis 266
Articulus X. Quod perfecta atque profunda humilitas apicem duplicis notitiæ exigit. 267
Articulus XI. De superalta excellentia naturæ ac majestatis divinæ 268
Articulus XII. De naturali perfectione hominis 269
Articulus XIII. De comparatione perfectionis divinæ, angelicæ atque humanæ. . 270
Articulus XIV. Quod sola humilitas animæ Christi omnium simul creaturarum humilitatem excessit, et nunc quoque excedit, quia nunquam diminuta est, nec unquam minuetur 271
Articulus XV. Quod in divina natura humilitas locum non habet. 272
Articulus XVI. Quod licet omnis creaturæ perfectio sit assimilari Creatori, quædam tamen perfectiones Deo conveniunt, quas creaturæ licite desiderare non possunt neque imitari debent. . . 272
Articulus XVII. Quod multitudo virtutum ac perfectionum quibus egemus, signum sit imperfectionis declivitatisque nostræ. 274
Articulus XVIII. Quomodo in angelis sit humilitas 276
Articulus XIX. Quomodo passiones actum virtutis impediant, et de fortitudine rationis contra easdem 276
Articulus XX. Quod licet Deo proprium sit ut proprium honorem et gloriam a creaturis requirat, vicissim tamen hominibus fas sit ut se ipsos collaudent, et impensum honorem æquanimiter ferant. 278
Articulus XXI. Quæ virtutes Deo proprie insint, et quæ non. 279

Digitized by Google

Articulus XXII. De numero et subjecto ac distinctione passionum, et qualiter rationi subdendæ sint atque ad Deum ordinandæ 280
Articulus XXIII. De vita contemplativa atque divina 281
Articulus XXIV. De excellentia quorumdam emeritorum hominum 282
Articulus XXV. Quibus virtutibus assimilemur Christo ut homini. 284
Articulus XXVI. Quemadmodum per misericordiam et justitiam assimilemur Deo. 284
Articulus XXVII. De deiformi assimilatione per gratiam 286
Articulus XXVIII. De transformatione mentis in Deum per caritatem 287
Articulus XXIX. De consummata et plena assimilatione divina 288

DE MUNIFICENTIA ET BENEFICIIS DEI.

Proœmium 293
Articulus I. Excitatio mentis in amorem Unigeniti 295
Articulus II. Quemadmodum Christi humanitas ad Deitatis contemplationem atque amorem via sit. 296
Articulus III. Quemadmodum in incarnatione Unigeniti, paternæ caritatis ardor et item clementiæ immensitas elucescant 296
Articulus IV. Qualiter in incarnatione Filii Dei incomprehensibilis dignatio Spiritus Sancti refulgeat. 297
Articulus V. Quod in incarnatione Unigeniti, indicibilis ipsius exinanitio, clementia atque dilectio eluceant. . . . 298
Articulus VI. Et est inflammatio cordis ad imitandam Christi humilitatem . . . 299
Articulus VII. Et est plenior mentis instructio ad contemplandum itemque sectandum exinanitionem Unigeniti . . 300
Articulus VIII. De investigabili divinæ mentis consilio, ac incomprehensibili censuræ ejus altitudine 301
Articulus IX. Quemadmodum salvis Dei benedicti æquitate atque clementia, per temporalem particularemque Christi mortem mors mundi universalis ac æterna ablata sit 302
Articulus X. De unitate Dei et humanitatis in Christo 303
Articulus XI. De donis naturæ homini a Deo donatis 303
Articulus XII. Admiratio divinæ munificentiæ in donis gratiæ et supernaturalibus donationibus. 304
Articulus XIII. De supernaturali fidei dono. 305
Articulus XIV. De spe 306
Articulus XV. De caritate 306
Articulus XVI. De amabilitate bonitatis divinæ. 307
Articulus XVII. De supernaturali felicitate, ob quam hominem Deus ipse instituit. 308
Articulus XVIII. Quod vita Christi sanctitatis mensura sit et perfectionis exemplar. 309
Articulus XIX. De passione Unigeniti, et cur talem præelegerit. 310
Articulus XX. Quod stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi 312
Articulus XXI. De congruentia modi passionis Christi. 313
Articulus XXII. De quibusdam supernaturalibus divinæ munificentiæ donis quibus homines vehementer deificati sunt. 314
Articulus XXIII. De ineffabili dignatione Spiritus Sancti in eo quod tam supereffluenter humanis dignatus est mentibus dari atque infundi. 315
Articulus XXIV. De mirabili divinæ potestatis communicatione, dum hominibus Omnipotens signorum miraculorumque efficientiam præstat 317
Articulus XXV. De eminentissimo sacerdotalis dignitatis munere 318
Articulus XXVI. De singularibus quibusdam divinæ munificentiæ donis atque beneficiis. 319
Articulus XXVII. De enormitate ingratitudineque peccati. 320
Articulus XXVIII. De singularibus quibusdam circumstantiis peccatum vehementer aggravantibus 320
Articulus XXIX. Quam sit sancto Deo vir justus amabilis, et quam odibilis illi prævaricator consistat 321
Articulus XXX. De immensitate divinæ clementiæ. 322
Articulus XXXI. De horrenda æterni Judicis æquitate 323
Articulus XXXII. De honore quem Deo altissimo exhibere debet intellectualis creatura 323
Articulus XXXIII. De glorificatione corporum 324

Digitized by Google

DE LAUDIBUS DEI.

Laus Dei ut bonus. 329
Laus Dei ut ens 329
Laus Dei ut vivens. 330
Laus Dei ut sapiens 330
Laus Dei ut verus et veritas 331
Laus Dei ut unus et unitas. 332
Laus Dei ut omnipotens. 332
Laus Dei ut pulcher 333
Laus Dei ut perfectus. 334
Laus Dei ut simplex 334
Laus Dei ut infinitus. 335
Laus Dei ut felix 336
Laus Dei ut incommutabilis 336
Laus Dei ut volens et liber. 337
Laus Dei ut sanctus 338
Laus Dei ut justus 338
Laus Dei ut misericors 339
Laus Dei ut amans 340
Laus Dei ut æternus 340
Laus Dei ut incomprehensibilis et ineffabilis 341
Laus Dei ut excellens. 342
Laus Dei ut idea atque exemplar. . . . 342
Laus Dei ut providentiam habens . . . 343
Laus Dei ut prædestinator et reprobator . 344
Laus Dei ut terribilis. 344
Laus Dei ut dulcis. 345
Laus Dei Patris. 346
Laus Filii Dei 347
Laus Spiritus Sancti 347
Laus superbenedictæ Trinitatis 348
Laus Verbi incarnati. 349
Laus Dei de rationibus incarnationis . . 350
Laus Dei de perfectione humanitatis Christi. 350
Laus Dei de sapientia Christi 351
Laus Dei ex Evangelio, de Christi divinitate 351
Laus Dei ex Evangelio, de Præcursore. . 352
Laus Dei ex Evangelio, de Christi incarnatione. 353
Laus Dei ex Evangelio, de Christi generatione humana 353
Laus Dei ex Evangelio, de Christi baptismo, tentatione, ac aliis 354
Laus Dei ex Evangelio, de sermone Christi ad Nicodemum 355
Laus Dei ex Evangelio, de Christi signis et verbis, et de documentis Præcursoris . 355
Laus Dei ex Evangelio, de verbis Christi ad Samaritanam 356
Laus Dei ex Evangelio, de diversis Christi miraculis 356
Laus Dei ex Evangelio, de sermone Christi in monte 357
Laus Dei ex Evangelio, de eodem . . . 358
Laus Dei ex Evangelio, de diversis miraculis Christi 359
Laus Dei ex Evangelio, de quibusdam sublimibus Christi documentis 359
Laus Dei ex Evangelio, de quo supra, scilicet de Christi divinitate 360
Laus Dei ex Evangelio, de dictis et factis Christi 360
Laus Dei ex Evangelio, de diversis verbis, factis ac miraculis Christi 361
Laus Dei ex Evangelio, de vocatione interna et Eucharistia, aliisque verbis ac signis Christi 362
Laus Dei ex Evangelio, de Christi transfiguratione, miraculis et doctrina . . . 362
Laus Dei ex Evangelio, de variis Christi doctrinis 363
Laus Dei ex Evangelio, de variis Christi documentis et verbis 363
Laus Dei ex Evangelio, de sublimi Christi doctrina atque miraculis. 364
Laus Dei ex Evangelio, de variis Christi doctrinis, et de die judicii 365
Laus Dei ex Evangelio, de aliquibus verbis Christi sublimibus. 365
Laus Dei ex Evangelio, de alta Christi doctrina 366
Laus Dei ex Evangelio, de Christi divinitate 366
Laus Dei ex Evangelio, de diversis magnificentiis Christi 367
Laus Dei ex Evangelio, de variis Christi doctrinis 368
Laus Dei ex Evangelio, de variis Christi doctrinis 368
Laus Dei ex Evangelio, de futuro judicio . 369
Laus Dei ex Evangelio, de variis Christi doctrinis atque mysteriis 369
Laus Dei ex Evangelio, de Cœna Domini . 370
Laus Dei ex Evangelio, de Christi sermone post Cœnam 370
Laus Dei ex Evangelio, de eodem . . . 371
Laus Dei ex Evangelio, de eodem . . . 372
Laus Dei ex Evangelio, de eodem . . . 372
Laus Dei ex Evangelio, de eodem . . . 373
Laus Dei ex Evangelio, de Christi passione. 374
Laus Dei ex Evangelio, de eadem Christi passione 374

Digitized by Google

Laus Dei ex Evangelio, de Christi resurrectione 375
Laus Dei ex Evangelio, de eadem Christi resurrectione. 376
Laus Dei ex epistola Pauli ad Romanos . 376
Laus Dei ex Pauli ad Corinthios epistola prima 380
Laus Dei ex secunda Pauli ad Corinthios epistola. 382
Laus Dei ex Pauli ad Galatas epistola . . 383
Laus Dei ex Pauli ad Ephesios epistola . 384
Laus Dei ex Pauli ad Philippenses epistola. 385
Laus Dei ex Pauli ad Colossenses epistola. 386
Laus Dei ex prima Pauli ad Thessalonicenses epistola 387
Laus Dei ex secunda Pauli ad Thessalonicenses epistola 388
Laus Dei ex prima Pauli ad Timotheum epistola 388
Laus Dei ex secunda Pauli ad Timotheum epistola 389
Laus Dei ex Pauli ad Titum epistola . . 389
Laus Dei ex epistola Pauli ad Hebræos . 390
Laus Dei ex Canonica Jacobi apostoli . . 392
Laus Dei ex prima Petri Canonica . . . 393
Laus Dei ex secunda Petri Canonica . . 395
Laus Dei ex prima, secunda et tertia Joannis Canonicis 396
Laus Dei ex Canonica Judæ 398
Laus Dei ex Actibus Apostolorum . . . 398
Laus Dei ex Apocalypsi Joannis apostoli. 400
Laus Dei de opere creationis 401
Laus Dei de opere distinctionis et ornatus. 402
Laus Dei de eodem 402
Laus Dei de angelicis spiritibus 402
Laus Dei de cœlo empyreo. 403
Laus Dei de ordine Seraphim. 403
Laus Dei de Cherubim 404
Laus Dei de Thronis 404
Laus Dei de Dominationibus 404
Laus Dei de ordine Virtutum 405
Laus Dei de ordine Potestatum 403
Laus Dei de ordine Principatuum . . . 405
Laus Dei de Archangelis 405
Laus Dei de Angelis 406
Laus Dei de ejus dignatione ad nos. . . 406
Laus Dei de hierarchiis communiter . . 406
Laus Dei de gradibus hominum electorum in patria 407
Laus Dei de numero et ordine cœlestium corporum 407
Laus Dei de elementis et mundi dispositione 408
Laus Dei de dispositione terræ 408
Laus Dei de impressionibus aeris . . . 409
Laus Dei de consummatione mundi. . . 409
Laus Dei de beatitudine electorum . . . 410

DE LAUDIBUS SUPERLAUDABILIS DEI.

Laus Dei ut bonus. 413
Laus Dei ut ens 414
Laus Dei ut vivens 415
Laus Dei ut sapiens 415
Laus Dei ut verus et veritas 417
Laus Dei ut unus et unitas. 418
Laus Dei ut omnipotens. 419
Laus Dei ut pulcher 420
Laus Dei ut perfectus. 421
Laus Dei ut simplex 422
Laus Dei ut infinitus. 423
Laus Dei ut felix 424
Laus Dei ut incommutabilis 425
Laus Dei ut volens et liber. 426
Laus Dei ut sanctus 427
Laus Dei ut justus. 428
Laus Dei ut misericors 429
Laus Dei ut amans 431
Laus Dei ut æternus 431
Laus Dei ut incomprehensibilis et ineffabilis. 432
Laus Dei ut excellens 434
Laus Dei ut idea et exemplar. 434
Laus Dei ut providentiam habens . . . 435
Laus Dei ut prædestinator et reprobator . 436
Laus Dei ut terribilis. 437
Laus Dei ut dulcis. 438
Laus Dei Patris. 439
Laus Filii Dei 441
Laus Spiritus Sancti 442
Laus superbenedictæ Trinitatis 443
Laus Verbi incarnati 445
Laus Dei de rationibus incarnationis . . 446
Laus Dei de perfectione humanitatis Christi. 447
Laus Dei de sapientia Christi 448
Laus Dei ex Evangelio, de Christi divinitate. 449
Laus Dei ex Evangelio, de Christi præcursore. 450
Laus Dei ex Evangelio, de Christi incarnatione 451
Laus Dei ex Evangelio, de Christi humana generatione 451
Laus Dei ex Evangelio, de Christi baptismo, tentatione, ac aliis 452
Laus Dei ex Evangelio, de sermone Christi ad Nicodemum 453

Digitized by Google

Laus Dei ex Evangelio, de Christi signis et verbis, et de documentis Præcursoris . 454
Laus Dei ex Evangelio, de verbis Christi ad Samaritanam 455
Laus Dei ex Evangelio, de diversis Christi miraculis 456
Laus Dei ex Evangelio, de sermone Christi in monte 456
Laus Dei ex Evangelio, de eodem . . . 458
Laus Dei ex Evangelio, de diversis Christi miraculis 459
Laus Dei ex Evangelio, de sublimibus quibusdam Christi documentis. 460
Laus Dei ex Evangelio, de Christi divinitate 461
Laus Dei ex Evangelio, de dictis factisque Christi 461
Laus Dei ex Evangelio, de diversis Christi verbis, gestis et miraculis 462
Laus Dei ex Evangelio, de vocatione interna et Eucharistia, aliisque verbis ac signis Christi 463
Laus Dei ex Evangelio, de Christi transfiguratione, miraculis et doctrina . . . 464
Laus Dei ex Evangelio, de variis doctrinis Christi 465
Laus Dei ex Evangelio, de variis Christi documentis et verbis 466
Laus Dei ex Evangelio, de sublimi Christi doctrina atque miraculis. 467
Laus Dei ex Evangelio, de variis Christi doctrinis, et de die judicii 468
Laus Dei ex Evangelio, de aliquibus verbis Christi sublimibus. 469
Laus Dei ex Evangelio, de alta Christi doctrina 470
Laus Dei ex Evangelio, de Christi divinitate 471
Laus Dei ex Evangelio, de diversis magnificentiis Christi 472
Laus Dei ex Evangelio, de variis Christi doctrinis 473
Laus Dei ex Evangelio, de variis Christi documentis 474
Laus Dei ex Evangelio, de futuro judicio 474
Laus Dei ex Evangelio, de variis Christi doctrinis atque mysteriis 475
Laus Dei ex Evangelio, de Cœna Domini . 476
Laus Dei ex Evangelio, de sermone Christi post Cœnam 476
Laus Dei ex Evangelio, de eodem . . . 477
Laus Dei ex Evangelio, de eodem . . . 478
Laus Dei ex Evangelio, de eodem . . . 479
Laus Dei ex Evangelio, de eodem . . . 480
Laus Dei ex Evangelio, de passione Christi. 481
Laus Dei ex Evangelio, de eadem Christi passione 482
Laus Dei ex Evangelio, de Christi resurrectione 484
Laus Dei ex epistola Pauli ad Romanos . 485
Laus Dei ex Pauli epistola prima ad Corinthios 490
Laus Dei ex epistola secunda Pauli ad Corinthios 493
Laus Dei ex epistola Pauli apostoli ad Galatas. 495
Laus Dei ex epistola Pauli apostoli ad Ephesios 497
Laus Dei ex epistola Pauli ad Philippenses 499
Laus Dei ex epistola Pauli ad Colossenses 500
Laus Dei ex prima Pauli ad Thessalonicenses epistola 502
Laus Dei ex secunda Pauli ad Thessalonicenses epistola 503
Laus Dei ex prima Pauli ad Timotheum epistola 503
Laus Dei ex secunda Pauli ad Timotheum epistola 505
Laus Dei ex Pauli ad Titum epistola. . . 505
Laus Dei ex epistola Pauli ad Hebræos. . 506
Laus Dei ex Canonica Jacobi apostoli . . 511
Laus Dei ex prima Canonica Petri apostoli. 512
Laus Dei ex secunda Petri Canonica . . 514
Laus Dei ex prima Joannis Canonica . . 515
Laus Dei ex secunda et tertia Joannis Canonicis. 518
Laus Dei ex Canonica Judæ 518
Laus Dei ex Actibus Apostolorum . . . 519
Laus Dei ex Apocalypsi Joannis apostoli . 522
Laus Dei de creationis opere 524
Laus Dei de opere distinctionis et ornatus 524
Laus Dei de eodem 525
Laus Dei de angelicis spiritibus 525
Laus Dei de cœlo empyreo. 526
Laus Dei de ordine Seraphim 526
Laus Dei de Cherubim 527
Laus Dei de Thronis 527
Laus Dei de Dominationibus 528
Laus Dei de ordine Virtutum 528
Laus Dei de ordine Potestatum 529
Laus Dei de ordine Principatuum . . . 529

Digitized by Google

Laus Dei ex Evangelio, de Christi resurrectione 375
Laus Dei ex Evangelio, de eadem Christi resurrectione. 376
Laus Dei ex epistola Pauli ad Romanos . 376
Laus Dei ex Pauli ad Corinthios epistola prima 380
Laus Dei ex secunda Pauli ad Corinthios epistola. 382
Laus Dei ex Pauli ad Galatas epistola . . 383
Laus Dei ex Pauli ad Ephesios epistola . 384
Laus Dei ex Pauli ad Philippenses epistola. 385
Laus Dei ex Pauli ad Colossenses epistola. 386
Laus Dei ex prima Pauli ad Thessalonicenses epistola 387
Laus Dei ex secunda Pauli ad Thessalonicenses epistola 388
Laus Dei ex prima Pauli ad Timotheum epistola 388
Laus Dei ex secunda Pauli ad Timotheum epistola 389
Laus Dei ex Pauli ad Titum epistola . . 389
Laus Dei ex epistola Pauli ad Hebræos . 390
Laus Dei ex Canonica Jacobi apostoli . . 392
Laus Dei ex prima Petri Canonica . . . 393
Laus Dei ex secunda Petri Canonica . . 395
Laus Dei ex prima, secunda et tertia Joannis Canonicis 396
Laus Dei ex Canonica Judæ 398
Laus Dei ex Actibus Apostolorum . . . 398
Laus Dei ex Apocalypsi Joannis apostoli. 400
Laus Dei de opere creationis 401
Laus Dei de opere distinctionis et ornatus. 402
Laus Dei de eodem 402
Laus Dei de angelicis spiritibus 402
Laus Dei de cœlo empyreo. 403
Laus Dei de ordine Seraphim. 403
Laus Dei de Cherubim 404
Laus Dei de Thronis 404
Laus Dei de Dominationibus 404
Laus Dei de ordine Virtutum 405
Laus Dei de ordine Potestatum 405
Laus Dei de ordine Principatuum . . . 405
Laus Dei de Archangelis 405
Laus Dei de Angelis 406
Laus Dei de ejus dignatione ad nos. . . 406
Laus Dei de hierarchiis communiter . . 406
Laus Dei de gradibus hominum electorum in patria 407
Laus Dei de numero et ordine cœlestium corporum 407
Laus Dei de elementis et mundi dispositione 408
Laus Dei de dispositione terræ 408
Laus Dei de impressionibus aeris . . . 409
Laus Dei de consummatione mundi. . . 409
Laus Dei de beatitudine electorum . . . 410

DE LAUDIBUS SUPERLAUDABILIS DEI.

Laus Dei ut bonus. 413
Laus Dei ut ens 414
Laus Dei ut vivens 415
Laus Dei ut sapiens 415
Laus Dei ut verus et veritas 417
Laus Dei ut unus et unitas. 418
Laus Dei ut omnipotens. 419
Laus Dei ut pulcher 420
Laus Dei ut perfectus. 421
Laus Dei ut simplex 422
Laus Dei ut infinitus. 423
Laus Dei ut felix 424
Laus Dei ut incommutabilis 425
Laus Dei ut volens et liber. 426
Laus Dei ut sanctus 427
Laus Dei ut justus. 428
Laus Dei ut misericors 429
Laus Dei ut amans 431
Laus Dei ut æternus 431
Laus Dei ut incomprehensibilis et ineffabilis. 432
Laus Dei ut excellens 434
Laus Dei ut idea et exemplar. 434
Laus Dei ut providentiam habens . . . 435
Laus Dei ut prædestinator et reprobator . 436
Laus Dei ut terribilis. 437
Laus Dei ut dulcis. 438
Laus Dei Patris. 439
Laus Filii Dei 441
Laus Spiritus Sancti 442
Laus superbenedictæ Trinitatis 443
Laus Verbi incarnati. 445
Laus Dei de rationibus incarnationis . . 446
Laus Dei de perfectione humanitatis Christi. 447
Laus Dei de sapientia Christi 448
Laus Dei ex Evangelio, de Christi divinitate. 449
Laus Dei ex Evangelio, de Christi præcursore. 450
Laus Dei ex Evangelio, de Christi incarnatione 451
Laus Dei ex Evangelio, de Christi humana generatione 451
Laus Dei ex Evangelio, de Christi baptismo, tentatione, ac aliis 452
Laus Dei ex Evangelio, de sermone Christi ad Nicodemum 453

Digitized by Google

Laus Dei ex Evangelio, de Christi signis et verbis, et de documentis Præcursoris . 454
Laus Dei ex Evangelio, de verbis Christi ad Samaritanam 455
Laus Dei ex Evangelio, de diversis Christi miraculis 456
Laus Dei ex Evangelio, de sermone Christi in monte 456
Laus Dei ex Evangelio, de eodem . . . 458
Laus Dei ex Evangelio, de diversis Christi miraculis 459
Laus Dei ex Evangelio, de sublimibus quibusdam Christi documentis. 460
Laus Dei ex Evangelio, de Christi divinitate 461
Laus Dei ex Evangelio, de dictis factisque Christi 461
Laus Dei ex Evangelio, de diversis Christi verbis, gestis et miraculis 462
Laus Dei ex Evangelio, de vocatione interna et Eucharistia, aliisque verbis ac signis Christi 463
Laus Dei ex Evangelio, de Christi transfiguratione, miraculis et doctrina . . . 464
Laus Dei ex Evangelio, de variis doctrinis Christi 465
Laus Dei ex Evangelio, de variis Christi documentis et verbis 466
Laus Dei ex Evangelio, de sublimi Christi doctrina atque miraculis. 467
Laus Dei ex Evangelio, de variis Christi doctrinis, et de die judicii 468
Laus Dei ex Evangelio, de aliquibus verbis Christi sublimibus. 469
Laus Dei ex Evangelio, de alta Christi doctrina 470
Laus Dei ex Evangelio, de Christi divinitate 471
Laus Dei ex Evangelio, de diversis magnificentiis Christi 472
Laus Dei ex Evangelio, de variis Christi doctrinis 473
Laus Dei ex Evangelio, de variis Christi documentis 474
Laus Dei ex Evangelio, de futuro judicio 474
Laus Dei ex Evangelio, de variis Christi doctrinis atque mysteriis 475
Laus Dei ex Evangelio, de Cœna Domini . 476
Laus Dei ex Evangelio, de sermone Christi post Cœnam 476
Laus Dei ex Evangelio, de eodem . . . 477
Laus Dei ex Evangelio, de eodem . . . 478
Laus Dei ex Evangelio, de eodem . . . 479
Laus Dei ex Evangelio, de eodem . . . 480
Laus Dei ex Evangelio, de passione Christi. 481
Laus Dei ex Evangelio, de eadem Christi passione 482
Laus Dei ex Evangelio, de Christi resurrectione 484
Laus Dei ex epistola Pauli ad Romanos . 485
Laus Dei ex Pauli epistola prima ad Corinthios 490
Laus Dei ex epistola secunda Pauli ad Corinthios 493
Laus Dei ex epistola Pauli apostoli ad Galatas. 495
Laus Dei ex epistola Pauli apostoli ad Ephesios 497
Laus Dei ex epistola Pauli ad Philippenses 499
Laus Dei ex epistola Pauli ad Colossenses 500
Laus Dei ex prima Pauli ad Thessalonicenses epistola 502
Laus Dei ex secunda Pauli ad Thessalonicenses epistola 503
Laus Dei ex prima Pauli ad Timotheum epistola 503
Laus Dei ex secunda Pauli ad Timotheum epistola 505
Laus Dei ex Pauli ad Titum epistola. . . 505
Laus Dei ex epistola Pauli ad Hebræos. . 506
Laus Dei ex Canonica Jacobi apostoli . . 511
Laus Dei ex prima Canonica Petri apostoli. 512
Laus Dei ex secunda Petri Canonica . . 514
Laus Dei ex prima Joannis Canonica . . 515
Laus Dei ex secunda et tertia Joannis Canonicis. 518
Laus Dei ex Canonica Judæ 518
Laus Dei ex Actibus Apostolorum . . . 519
Laus Dei ex Apocalypsi Joannis apostoli . 522
Laus Dei de creationis opere 524
Laus Dei de opere distinctionis et ornatus 524
Laus Dei de eodem 525
Laus Dei de angelicis spiritibus 525
Laus Dei de cœlo empyreo. 526
Laus Dei de ordine Seraphim. 526
Laus Dei de Cherubim 527
Laus Dei de Thronis 527
Laus Dei de Dominationibus 528
Laus Dei de ordine Virtutum 528
Laus Dei de ordine Potestatum 529
Laus Dei de ordine Principatuum . . . 529

Digitized by Google

Laus Dei de ordine Archangelorum. . . 530
Laus Dei de ordine Angelorum 530
Laus Dei de ejus dignatione ad nos. . . 531
Laus Dei de hierarchiis communiter . . 531
Laus Dei de gradibus hominum electorum in patria 532
Laus Dei de numero et ordine cœlestium corporum. 533
Laus Dei de elementis et mundi dispositione. 533
Laus Dei de dispositione terræ. 534
Laus Dei de impressionibus aeris . . . 535
Laus Dei de consummatione mundi. . . 535
Laus Dei de beatitudine electorum . . . 536

Index locorum S. Scripturæ 539
Index analyticus 547

EMENDANDA. Pag. 22B, lin. 2 : aliæ, *lege* alius ; — 29D, lin. 11 : medio,... medio modo ; — 54B', lin. 8 : Dei,... Deitatis ; — 80B in margine, *lege* art. XXIV. *Cf.* t. XX, p. 578D' ; — 104A, lin. 1 : nullo,... nihilo ; — 145A, lin. 7 : tertio,... quarto ; — 215D in margine, *lege* art. XXIX, LXXXII, CXXXVI ; — 404C', lin. 5 : Se quoque ordines,... Se quoque et ordines.

NOTA. — Advertat studiosus lector, opusculum cui titulus, CREATURARUM IN ORDINE AD DEUM CONSIDERATIO THEOLOGICA (supra, pag. 103), meram esse epitomen e Scripto D. Thomæ super secundum Sententiarum plerumque de verbo ad verbum excerptam, ac proinde quæ ibi habentur, genuina Aquinatis sensa, non Cartusiani, exprimere.

Digitized by Google

Typis Cartusiæ Sanctæ Mariæ de Pratis. Tornaci.
A. Baudechon typographus.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Typis Cartusiæ Sanctæ Mariæ de Pratis. Tornaci.
A. Baudechon typographus.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

This book should be returned to the Library on or before the last date stamped below.

A fine of five cents a day is incurred by retaining it beyond the specified time.

Please return promptly.

Digitized by Google

3 2044 105 205 702

Digitized by Google